BIBLIOTECA
DE LA
UNIVERSIDAD DE SALAMANCA.
Sala 1ª Est. 10 Tab. 3 Núm. 35.

~~Caps 35.~~

1ª

6243

11_2_3_

1ª

6243

~~Caps 7 14~~

b17370681

R. P. DIDACI DE AVENDAÑO

SOCIETATIS IESV, SEGOVIENSIS

Apud PERVVIENSES iam olim Theologiæ Primario Professore, & in Sacro fidei Tribunali adlecto Censore.

AVCTARIVM INDICVM SEV

1ª 5243

TOMVS TERTIVS

Ad Indici Thesauri ornatius complementum, multa ac varia complectens extra rem Indicam sacrarum Professoribus profutura.



ANTVERPIÆ,
Apud IACOBVM MEVRSIVM.
Anno M. DC. LXXV.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA - SALAMANCA -

PROLVSIO.

Arijs moleſtijs impeditus (quis enim eas, quas gubernatio ſecum adducit, ignoret?) vt cum Diuo Hieronymo loquar, nec poſtquàm *triennium circiter fluxit*, vt aliàs idem loquitur, ſed integrum quadriennium, *tanto poſt tempore, & quodam quaſi poſtliminio* ad operoſum elucubrandi negotium reuocor, moleſtijs præfatis è proximo minitantibus, & ſi quidquam opus prouexerit, inter eaſdem finiturus: & id quidem dum per Dei gratiam, quæ olim ad iſta ſuppetere eſt viſa facultas, non emortua, annis licet maioribus, videatur. Et quidem ſecundus iam ſupra ſeptuageſimum exactus, ijs omnibus paſſim obnoxius incommodis, quæ idem Doctor Sanctus Pammachio ſcribens enumerat, ſic locutus: *Quæ autem putantur ſenectutis mala, iſta ſunt: crebræ infirmitates, pituita moleſtiſſima, quam Græcorum alij* Κόρυζαν, *alij* Φλεγμα *nuncupant, caligantes oculi, aceſcentes cibi, tremens interdum manus, nudi gingiuis dentes, & inter cibos cadentes. Adhæc torminibus, & acutis ſtomachi, podagræque, & chiragræ doloribus ſæpè torquetur, ita vt ne ſtylum quidem aut calamum tenere queat, vt ſuis pedibus non poſſit incedere, magnaque parte vitæ, videatur eſſe truncata, & multis membris præmortua.* Hæc ille, egregius Chriſti pugil, cum prædictis omnibus indefeſſo ſemper ſpiritu conflictatus. Quia verò Deus mei imbecillitatem agnoſcens, leuiori eum certamini reſeruauit, ſenectutis moleſtias auertens, ijs demptis, quæ itineranti ſunt equeſtri apparatu grauiſſimæ, vnde Prouinciam hanc Peruuianam, cui dudum ſecundò præfui, per alium maiori in parte viſitaui, ſic indulgente R. Adm. P. N. Generali Ioanne Paulo Oliua. Eapropter, dum aliquæ mihi præſtantur induciæ, quod ſupereſt virium, communi vtilitati libet, dum & licere atque expedire boni arbitrantur iudices, conſignâre.

Proœmio libri 9. in Iſaiam.

Proœmio in Ionam.

Proœmio lib. 2. in Amos.

Quo in genere magnorum ſcriptorum exempla ſuccurrunt, qui graues annis, & ætatis incommodis grauiores, elucubrandi ſtudium inſuperabiles tenuerunt. De quo à me dictum in *Amphitheatro diuinæ miſericordiæ. Diſcurſus Iſagogici §. 9. n. 91.* Et modò etiam præſtat memoraſſe nonnullos ex multis.

Venerabilis Pater Ludouicus à Ponte ſeptuagenarius, & morti ex certo proximus, ei ſe, ipſo quo accidit die, ſcribens per horas aliquot, præaptauit: cui penna veriſſimè penna fuit, qua in cælum ab ipſo è corpore exitu ſancta anima conuolaret. Sic P. Ioannes Nadaſi *in anno dierum memorabilium Societatis* IESV *die 24. Februarij.*

P. Iacobus Salianus Annalium ſuorum ingenti mole compendiũ

ſeptuagenarius aggreſſus, quod & feliciter ad finem perduxit.

P. Antoninus Diana ita de ſe ſcribit in Dedicatoria Partis II. Epiſtola: *Deuexâ iam ætate, & quæ illam plerumque comitantur, incommoda, corporis valetudo, ceſſationem ab hac litteraria palæſtra depoſcebant. Valuere nihilominùs vſque adeò aſſidua amicorum adhortamenta ac preces, vt afflato defectis iam viribus vigore quodam, erectoque ingenio, id effecerint, vt pergerem.* Sic ille. De quo & Illuſtriſſimus Caramuel in Apologemate de Probabilitate n. 18. ita ſcribit: *Interim qui copioſum Auctorum, qui Deum aſſerunt iubere impoßibilia, ſi ſententia D. Fagnani teneatur, catalogum habere velit, expectet P. Antonini Diana de hoc argumento librum: nam pius ſenex, tametſi iam æger, & cæcus ſit, vbi agitur de defendenda Eccleſiæ Orthodoxa doctrina, eſt lynx, eſt iuuenis, & robuſtam valetudinem habet.* Tantum ille.

P. Theophilus Raynaudus pænè octogenarius, in ſuorum operum erat expolitione poſtrema, vt omnia eiſdem formis typographicis, æquatis voluminibus ederentur, quod & feliciter factum, quando Deo placuit ipſum ad piorum laborum, & inſignis tolerantiæ palmam euocare.

P. Ægidius Bauarius, vt Operis titulus præfert, ſua in paruitate mirabilis, Iubiliarius, immò & biennio maior, vt habet P. Philippus Allegambe in Bibliotheca Scriptorum Societatis. De quo & Imago primi ſæculi *pagina* 17. ſic atteſtatur: *Gandauenſes mirè recreauit Ægidij Bauarij Religioſa in veſte iubilantis lætißimus conſpectus, quem primum è Sociis in eam vrbem ingreſſum tanto tempore vel diuini verbi præconem habuerunt, vel Collegij Rectorem.* Sic ille. Hic ergo tantus vir, feliciſſimæ memoriæ ſuffragio adiutus Catechiſmum Catholicum verſibus Virgilianis, mole quidem non magnum, vt dixi, ſed magni profectò laboris impendio, & eruditorum plauſu concinnauit.

P. Ioannes Antonius Velaſquez, de quo *Parte* 1. *n.* 683. in viuis adhuc vtinam, & diutiùs, octogenario maior præclara volumina, elegantiâ, eruditione, ac pietate pleniſſima, addenda alijs, quibus hoc ornauit ſæculum, elaborat.

Claudendum magni viri, & ſuis ſcriptis orbi vniuerſo notiſſimi R^mi. P. Michaelis Ghiſlerij, verbis, quibus ſic allocutus Lectorem in Paræneticis Commentarijs: *Platoni Philoſophorum facilè Principi, quòd & octogeſimo ætatis anno in ſcribendo perſtiterit, laudi legimus datum. Mihi pariter octogenario haud quidem ad inanem conciliandam laudem, ſed ex diuina propemodùm obligatione, vt id ipſum facerem compellit neceßitas. Quandoquidem non defuerint, qui poſt lectos Commentarios meos ſuper libros Cantici Canticorum, & Ieremiæ, religionem, ſeu (vt vulgò dicitur) ſcrupulum indiderint, vel etiam peccati mortalis, ſi præſtitum à Deo ſcribendi talentum defoſſum ſeruaſſem in terram. Quapropter ſimili quadam ratione id arbitratus ſum & mihi obtigiſſe, quod eidem Ieremiæ, cui pueritiam excuſanti fuit à Deo dictum: Noli dicere: Puer ſum &c. peruulgato quippe ſermone, & ſenes, decrepitæque potiſſimùm ætatis, bis pueri aſſeruntur &c.* Sic ſcriptor ille pijſſimus, vt non mirum haberi debeat, ſi mihi octogeſimum nondum attingenti annum, ſint qui ad hoc genus laboris impellant, rati in ijs, quæ publicam videre lucem, viuidum ineſſe aliquid, quod & aliorum ſcripta, & pulpita reſonent, vt pergere Auctor debeat, dum vita comes, & obedientiæ iura permittunt, non aliò auocantis, curis illis, de quibus *ſuprà* (quæ & ipſæ forſitan non prorſus obſtabunt) moleſtiſſimis demandatis. Obſequor, & vt Deo magis, quàm hominibus placeam, cui in Epithalamio ſacro, charorum pignorum primogenito, cùm Regio vate mea opera dedicaui, certus non certam omnium futuram eſſe fauentiam, quam nec Diuus Hieronymus nactus, *quo*, vt non bonus, ſed in hac parte non errans, Scriptor aſſeruit, *nihil eruditius vidit antiquitas*, neque ideò ab ſcribendi ſolicitudine retardatus. Audiatur ille ita ſcribens in Prologo ad ſecundum ſuper Michæam librum: *Semper inuidis reſpondemus (quia non ceſſat inuidia, & librorum noſtrorum exordia æmulorum maledicta confutant, qui vulgò iactant me ſterilis ieiunij, ſermonis quaſdam ineptias ſcribere, & cùm loqui neſciam, tacere non poſſe.* Hæc doctor ſanctiſſimus, vt quanti ſint hominum habenda iudicia, inde faciles æſtimemus. *Mihi ſufficit paucorum teſtimonium, & amicorum laude contentus ſum, qui in expetendis opuſculis meis amore noſtri labuntur, & ſtudio Scripturarum.* Sic aiebat idem loco in alio, quod & in meâ cauſsâ perlibēter aduoco.

Petrus Cunæus.

Quæ publicam, vt dixi, videre lucem noſtri laboris opuſcula, hæc ſunt.

Epithalamium ſacrum, vtinam anima quàm corpore grandius, in duo quod potuit partiri volumina; nec tamen factum ita, quia vnitatem illam ſeries viſa eſt requirere dicendorum. *In Proæm. lib. 12. ſuper Iſaiam.*

Amphitheatrum miſericordiæ Tomo vnico, ſed non exiguo illo comprehenſum.

Problemata Theologica in duos diuiſa Tomos præfatis minores.

Theſaurus Indicus, duobus & ille conſtans, nec quidem adeò magnis, ſed aliorum ſic diuiſim agentium corporibus exequandus: & quia à non paucis expetitus, vt locupletior in eorum manus, aliorumq; deueniret, Additionibus auctus; quibus & modò ſuper addere quędam iuſto volumini ſuffectura viſum eſt; quibus alia fortè accedent, ſi, auxiliante Dom. incolatus meus fuerit prolongatus, vires & otium eôdem miſericorditer largiente. Et pro ſcriptionis huiuſce ratione hæc ſatis, vt iam ad operis exordium tranſeamus.

INDEX
PARTIVM, SECTIONVM,
ET APPENDICVM,
DIGRESSIONVM AC PARAGRAPHORVM &c.
AVCTARII INDICI.

PARS PRIMA.

SECTIO I. *De consecratione Indicorum Episcoporum.* Num. 1.
Difficultas specialis. An post Breue Alexandri VII. talis in Indijs occurrere necessitas possit, vt Episcopus valeat sine litteris Apostolicis consecrari. 13
Appendix *circa opinionem probabilem, & obligationem respectu illius iuxta gradum probabilitatis.* 25
§. I. *Quæ sit opinio probabilis secundum maximè propriam eius rationem.* 26
§. II. *Alia scitu digna circa materiam eamdem.* 45
§. III. *Notatu digna circa probabilitatem ob vnius Doctoris auctoritatem.* 55
§. IV. *De probabiliore sententia, & obligatione illam amplectendi.* 62
§. V. *Argumenta proposita & soluta.* 83
§. VI. *Circa audientem Confessiones quæ obligatio in vsu probabilium opinionum. Vbi specialia quædam.* 89
Dubium *speciale & nouum circa nuper dicta.* 95
Dubium aliud, *Circa opinionem Pœnitentis à Confessario reputatam improbabilem. Vbi de Bulla Cruciatæ circa vsum Regularium pro reseruatis.* 103
Circa Societatem IESV indecora & acerba positio propulsata. 110
Dubium *præcipuum enodatur.* 123
Dubium Tertium *circa certitudinem doctrinæ in materia probabilitatis. Quàm certum scilicet sit posse quemuis generaliter loquendo iuxta opinionem probabilem operari.* 137
Contra certitudinem assensus in operante probabiliter argumenta proposita & soluta. 157
Excursio circa sententiam quamdam singularem. 162
Circa opinionem probabilem & dubium in Matrimonio vtilis disceptatio. 178
SECTIO II. *De obligatione Regularium soluendi decimas. Vbi de Indijs præsertim.* 187
Dubium I. *An ex Noualibus in Indijs decimæ Religiosis debeantur.* 190
Dubium II. *De hortis, & nutrimentis animalium, an eadem quæ de Noualibus ratio apud Indicos Regulares.* 206
Dubium III. *Quid de prædijs dotalibus, & fundamentalibus iuxta commune ius, & Indiarum.* 214
Illatio vrgentissima ex dictis circa sententiæ Regij Indiarum Consilij pro soluendis à Religionibus decimis suspendendam executionem, si eius non placeat hærere tenori. 239
SECTIO III. *de Episcopis Auxiliaribus. Vbi peculiaris difficultas circa obligationem soluendi debita à Procuratoribus Religiosis contracta. Vbi & pro Societate aliqua.*
§. I. *De illorum vtilitate, cum prioris ipsorum commendatione.* 246
§. II. *An Episcopus Auxiliaris possit esse Conseruator in causis Religiosorum, idque ante receptionem Litterarum Apostolicarum.* 252
§. III. *Circa recusationem electi Conseruatoris quid difficultatis attenta Pontificia dispositione, cum vtilibus adnotatis. De causis recusationis.* 268
Ad quem debeat causa deuolui causis recusationis probatis. 271
Circa recusationis iudicem resolutiones vtiles, & circa alia concernentia ipsam. 278.
§. IV. *de Assessore Iudicis Conseruatoris. Vbi vtiles obseruationes.* 284
§. V. *Grauis difficultas incidens circa obligationem Religiosæ domus pro mutuo à Procuratore accepto, quarentigioque instrumento roborato.* 293
Generalior pro Religionibus cunctis stabilita doctrina.
Appendix circa præfatam controuersiam vtilium assertorum.
SECTIO IV. *De probabilitate sententiæ, iuxta quam matrimonia in primo gradu transuersali non sunt iure naturali prohibita, & sic à Pontifice dispensabilia.* 324
SECTIO V. *Cur DD. Inquisitores tradentes reos brachio seculari extremo supplicio afficiendos non contrahant irregularitatem. Vbi casus in Indijs peculiaris, circa quam doctrina vtilis.* 338
Circa peculiarem casum vtilia documenta. 344
SECTIO VI. *Circa approbationem Confessariorum & Prædicatorum pro Religiosis præsertim vtilia multa.* 353
SECTIO VII. *Emissio votorum post biennium in Societate IESV an dici Professio possit. Vbi circa id casus in Indijs desisio peculiaris.* 367
Appendix circa censuras aliquas quarumdam Propositionum. 387
SECTIO VIII. *circa funebrem apparatum vt queant seculares manum apponere Magistratus.* 410
SECTIO IX. *De honoraria salutatione initio concionum, cum adstant Magistratus.* 421
SECTIO X. *Ob incuriam executorum testamenti vt contingat animas in Purgatorio detineri. Vbi de Missarum stipendijs ex Indijs in Hispaniam transmissis.* 427
SECTIO XI. *De Gabellis decisiones vtiles pro Indijs, & aliàs.* 439
Additiones ad Appendicem Sectionis I. percommodæ, recentiorum Scriptorum occasione. Vbi circa opinionum probabilitatem vtilissimæ discussiones.
§. I. *Ex Guilielmo Herincx comprobata sententia deobligans ad sequelam partis tutioris, cum eiusdem vtili explicatione.* 456
§. II. P. *Ludouici de Scildere Societatis IESV circa materiam §. superioris, quæ probanda, quæ & improbanda sententia, cum peculiarium argumentorum dilutione.* 462
Circa alienæ sententiæ sequelam propria retenta. 468
Alia eiusdem scriptoris Assertio, & circa illam non improbanda doctrina. 494
Alia ex eodem scriptore circa opinionem ab auctoritate extrinseca, & iuxta illam vtiles additiones. 504
§. IV. P. Fr. *Ioannis Baptistæ Goned multa proposita & exposa Pronuntiata cum aliquali moralis luminis accessione.* 511
Aliquot citati scriptoris solutæ rationes, & pariter verior sententia firmata. 521
Rationes aliæ ex eodem scriptore propositæ & solutæ cum nouis verioris sententiæ firmamentis.
Moralis quædam ratio proponitur, & euidenter enodatur. 548
Moralis alterius rationis propositio & dilutio. 549
Rationis alterius infirmitas demonstrata. 553
Circa opinionum synopsim, quæ vti monstra in Theologia proponuntur ab Auctore, & varijs impugnationibus impetuntur, vtilissima excursio. 553
Assertio I. *Circa fornicationem, esse tantùm malam, quia prohibitam.* 556
Assertio II. *Idem statuens de mollitie sæpè bona & obligatoria futura, si à Deo non prohibita.* 557
Assertio III. *In audiendo Missam de præcepto, vel recitando Horas ex obligatione satis esse attentionem externam, & posse quem voluntariè distrahi.* 559
Nonnulla alia circa materiam eamdem ex Caramuele Pronuntiata. 563
De methodis ad excusandam recitandi obligationem. 567
Assertio IV. *Aduocatum posse patrocinari, licet actor nullum ius ad rem videatur habere.* 569
Ex Caramuele nonnulla alia. 570
Assertio V. *Licitum esse inducere testem ad iurandum falsum quod ille putat esse verum, scit tamen inducens falsum esse.* 571.
Assertio VI. *Licitum esse reo cum æquiuocatione negare veritatem iudici legitimè interroganti.* 572
Circa Confessarij obligationem, cùm Pœnitens renuit consuetudinem confiteri. 574
Assertio VII. *Ad tormenta grauiaque damna vitanda posse quemlibet sibi falsum crimen imponere, etiamsi secutura eum sit mors.* 576
Assertio VIII. *Licitum esse absoluto desiderio cupere mortem patris, non vt malum eius, sed vt bonum cupientis, pinguem scilicet hereditatem.* 577
Assertio IX. *Milites nauales licitè posse ignem inijcere in puluerem sulphureum, ne nauis in hostium potestatem veniat &c.* 579
Assertio X. *Justè damnatum vt fame pereat, posse oblatum panem respuere.* 581
Assertio XI. *Præceptum Charitatis indirectè solùm, & ratione alterius obligare.* 582
Assertio XII. *Certum esse iurare sine animo iurandi, siue res sit leuis, siue grauis, non esse licitum sine causa, licitum tamen esse cum causa.* 584
Assertio XIII. *In die festo per duas horas vacare seruilibus non esse mortale, quia*

est modicum, comparatione 24. Vnde si herus quispiam duodecim seruis iniungat laborem integri diei, assignando singulis duas horas successiuè ac diuisiuè, non peccat mortaliter. 587

Assertio XIV. *Famulum, qui submissis humeris adiuuat herum ad stuprum, & multoties eidem inseruit deferendo scalam, aperiendo ianuam, non peccare mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, &c.* 589

Assertio XV. *Licitum esse procurare abortum ante animationem fœtus, vt consulatur vitæ vel honori puellæ.* 591

Assertio XVI. *Concubinarium non teneri domo pellere concubinam; sed polliceri solùm se non deinceps cum ea peccaturum, quando ea relicta vitam transigeret tristius.* 592

Assertio XVII. *Copulam cum coniugata consentiente marito, non esse adulterium; adeòque sufficere in Confessione dicere se fuisse fornicatum.* 593

Assertio XVIII. *Comedere & bibere vsque ad satietatem sine necessitate nullum esse peccatum ob solam voluptatem, quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.* 197

Circa delectationem in vsu coniugali. 599

Assertio XIX. *Lege ieiunij solui, qui se ad insequendam amicam, vel quocumque alio labore illicito fatigauit, etiam si in fraudem ieiunij id faciat.* 600

De alijs circa ieiunij legem depellendam opinionibus. 602

Assertio XX. *Qui alium inducit ad graue damnum inferendum tertio, non tenetur ad restitutionem talis damni.* 610

Assertio XXI. *Non teneri quemquam sub mortali restituere id quod ablatum est per parua furta, quantumuis sit magna summa totalis.* 611

Assertio XXII. *Præceptum seruandi Festa non obligare sub mortali, sepositio scandalo, & contempta.* 612

Assertio XXIII. *Satisfacere præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas eius partes, immò & quatuor à diuersis simul celebrantibus audit.* 613

Circa obligationem audiendi Missam opinionum aliarum euentilatio. 614

Assertio XXIV. *Infidelem, cui proponitur nostra fides vt magis credibilis, dum eius secta probabiliter adhuc credibilis apparet, non tenetur ad illam recipiendam.* 618

Assertio XXV. *Dare pecuniam, vel aliud quid temporale pro Beneficio vt motiuum, quo voluntas Collatoris ad illud conferendum inducatur, non est Simonia, si non datur vt pretium Beneficio æquale.* 622

Assertio XXVI. *Cùm numerata pecunia pretiosior sit numeranda posse creditorem aliquid supra sortem à mutuatario exigere.* 625

Assertio XXVII. *Vix vnquàm teneri aliquem ad eleemosynã præcisè ex superfluo status, cùm vix vnquam superfluum huiusmodi in sæcularibus, immò neque in Regibus inueniatur.* 627

Assert. XXVIII. *Absolutionis capacem esse hominem quantauis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiam si per negligentiam culpabilem nesciat mysteria SS. Trinitatis, & Incarnationis.* 630

Assertum citati Scriptoris, in concursu duarum opinionum æq; probabilium, tutiorem esse eligendam, quod efficaciter repellitur. 632

Circa quæstionem de vnius Doctoris auctoritate ad reddendam opinionem probabilem in materia morali, & tutam in praxis Auctoris sententia, argumentorum enodatio, & vtilia documenta. 634

§. IV. *Circa Vincentium Baron nuperrimum Scriptorem, & duplicem eius pro moralibus antiquioris Scholæ sententijs, Apologiam.* 641

Apologia breuis pro P. Francisco Suario. Disquiritur an illius auctoritas sufficiens sit ad reddendam opinionem probabilem, occasione illius circa absolutionem moribundi non confessi in præsentia Sacerdotis, sententiæ. 642

Circa obligationem amplectendi semper partem tutiorem. 647

Plures D. Thomæ sententiæ, iuxta quas ostenditur non esse obligationem sequendi partem tutiorem. 650

Immanis infectatio in P. Tamburinum propter scripta eius in Decalogum. 653

Argumento sit satis, quo nimium quantum vrgetur pro obligatione sequendi partem tutiorem. 658

De æquiuocationum ac mentalium restrictionum vsu. 661

Verum fundamentum securitatis conscientiæ in opinionis probabilis amplexu stabilitur, exacta declaratione, & obiectorum quorumdam Auctoris eiusdem dilutione. 673

Circa opinionem probabilem quædam ex disputatione contra Amadeum proposita & discussa cum aliquali lucis circa veriorem sententiam adiectione. 683

Inuectiua in Societatis IESV scriptores circa opinionum laxitates propositas & deuastata. 692

P. Theophilus Raynaudus ab immani impostura

postura cum laudis auctario vindicatus. 705

Pro P. Francisco Suario ex citato Scriptore nostro singularis commendatio. 713

Circa dicta Sect. 6. disiecta citati Scriptoris hostilis obiectio ob priuilegiorum defensionem à Societate in casu satis noto prætensam. 714

De D. Parentis IGNATII *Exercitijs Auctoris eiusdem proposita & depulsa calumnia. Vbi & alia circa ipsum & Societatẽ.* 718

PARS SECVNDA.

SEctio I. *de Pontificio Decreto circa Beatificatos. Vbi vtilia nonnulla.* N. 1.

Sect. II. *Circa non Beatificatos quæ sint prohibita, occasione peculiaris casus apud Indias cum vtilibus animaduersionibus, declarantur.* 13

Sect. III. *An officia pro administratione iustitiæ instituta vendi possint. Vbi quid pro Indijs speciale.* 32

Sect. IV. *Circa electum Episcopum de concubinatu suspectum difficultas specialis, quæ & pro Indijs speciatim expedita.* 44

Sect. V. *An pater & filius illegitimus possint esse Religiosi simul in eadẽ Religione.* 53

Sect. VI. *An in partibus Indiarum necessariò obseruari debeat Decretum Vrbani VIII. circa eijciendos à Religione. Vbi quid de Societate IESV.* 63

Sect. VII. *Occasione peculiaris casus in Indijs disquiritur, An sententia affirmans posse iudicem inter opiniones æquè fauentes partibus, quam maluerit eligere, sit aliqua ratione damnabilis.* 93

Sect. VIII. *Occasione cuiusdam Monasterij Monialium sub Regula D. Augustini fundati sine Constitutionibus à Sede Apostolica confirmatis, aliqua vtiliter discutiuntur.* 107

§. I. *Nequit fundari Monasterium sine Constitutionibus à Sede Apostolica confirmatis, etiam sub Regula ex approbatis ab Ecclesia.* 108

§. II. *An sub conditione futuræ approbationis Constitutionum fundari Religio possit, & emitti Professio, qualemque hæc vim sit habitura.* 119

§. III. *Quædam obiecta & soluta.* 126

§. IV. *An Monialis possit exire vt sit Prælata in fundatione Monasterij diuersæ Religionis, & ex eo defectu claudicent Professiones.* 130

§. V. *Circa necessitatem annui Nouitiatus in ijs Monialibus, quæ Professionem nullam ob defectum approbationis Pontificis emiserunt.* 137

§. VI. *Circa speciem casus vt reipsa se habuit extrema disceptatio.* 140

Sect. IX. *Notanda doctrina circa stipendium pro Missæ celebratione.* 145

§. I. *De fructu speciali, qui in Missa Sacerdoti respondet, quid iuxta Recentiores extet, & quid iuxta veritatem sentiendũ.*

§. II. *An stante probabilitate valoris fructus specialis, per applicationem eius posset fieri satis obligationi ratione stipendij exortæ. Vbi circa contractus alios doctrina vtilis.* 172

§. III. *An ex ratione legis pœnalis excusari possit sententia de fructu speciali, vt non debeat in Decretis S. Congregationis comprehensa censeri.* 180

Appendix *circa fructum impetrationis. An ratione illius applicationis possit distinctum stipendium accipi.* 188

Sect. X. *Notanda doctrina de necessaria Sacerdotum approbatione ad audiendas Confessiones. Vbi de damnata Propositione à SS. Alexandro VII. circa Parochos.* 196

Sect. XI. *De Parochis Indorum notata quædam. Vbi an nomine Parochorum absolutè veniant, & omnia ijs propria eisdem adaptanda.* 213

Sect. XII. *Vtrum Prælatus Regularis amouere Indorum Parochum sibi subditum queat ob notitiã habitã in Confessione.* 233

Circa IESV Societatem quid speciale &c. 244

Circa Ordinationem pro Societate J. exactior disceptatio. 255

Sect. XIII. *Vtrùm Indi, qui aliqua, ob inuincibilem ignorantiam, non reputata peccata, in Confessione tacuerunt, teneantur illa post adeptam malitiæ notitiam confiteri. Vbi generalior circa hoc doctrina.* 274

Sect. XIV. *Circa approbationem Religiosicũ limitatione, occasione querelæ Indici Prælati, & circa eam difficultas peculiaris.*

Difficultas alia circa prohibitionem Prælati Regularis stante Episcopi approbatione. 297

Sect. XV. *Circa sententiam asserentium transacto tempore publicationis Bullæ Cruciatæ posse eum, qui illo currente non habuit casum reseruatum, absolui ab ijs, in quos postea incidit. Vbi de eiusdem probabilitate.* 311

Sect. XVI. *circa potestatem Prælatorum Regularium pro absoluendis subditis à crimine hæresis. Vbi quid circa Indias peculiare.* 321

PARS TERTIA.

SEctio I. *De Novitia, quæ instante Professionis tempore deprehensa est non baptizata ex valde probabili fundamento. Vbi vtiles pro Nouitiatus valore doctrinæ, & opportuna alia.* Num. 1.

Sect. II. *Eucharistiam futuram perpetuam in cœlo iuxta nouam quorumdam assertionem, an queat sustineri, sicut & modò ibidem extare, occasione Indicarum Concionum.* 16
Digressiuncula Circa Epistolam SS. Matris Teresiæ à IESV, in qua suum erga Societatem affectum luculentissimè manifestat. Proponitur Hispano & Latino sermone. 45
§. I. *An B. Teresia sanctè potuerit eum, de quo agit, ad suum Ordinem inuitare, allicere, prouocare.* 48
§. II. *Quid in prædicto casu operari potuerit reuelatio.* 54
Additio: Circa reuelationes pro Virginis Conceptione. 69
§. III. *Circa execratorium iuramentum D. Teresiæ, vbi de Libro vitæ, & aliqua scitu digna.* 77
§. IV. *An ratio à S. Teresia pro suo iuramento adducta sit exacta. Vbi de eius fidelitate circa IESV Societatem.* 90
§. V. *De summo D. Teresiæ erga Societatem amoris argumento ad vitam pro ea ponendam expromptæ.* 99
Sect. 3. *Vtrum Episcopi Indiarum circa facultates peculiares illis à Sede Apostolica concessas dispensare possint in voto castitatis cum ijs, qui ex altera diœcesi ad effectum talem veniunt.* 108
Sect. IV. *Circa obligationem celebrandi in loco à Fundatore Capellaniæ designato, pro casu in Indijs occurrente.* 115
Sect. V. *Vtrum Indici Mercatores peccent, dum iurant quod merces pluris illis stent. vtendo æquiuocatione, vt ad pretium iustum deueniatur.* 125
Sect. VI. *Circa recursum ad Regia Tribunalia per viam violentiæ &c.* 133
Additio circa Regulares pro recursu dicto. 143
Sect. VII. *Circa viuæ vocis Oracula pro Religiosis, an sint confirmata.* 148
Additio, de eadem Oraculorũ reuocatione. Vbi Moderni Scriptoris Assertа discussa. 153
Excursio de viuæ vocis Oraculis pro Indijs. 162
Sect. VIII. *Circa necessariam approbationem ad audiendas Confessiones pro Regularibus in Indijs, de quo &* Part. 1. Sect. 6. *nouioris Scriptoris sententia discussa cum generali doctrina.* 175
Auctoris alterius pro sententia præfata conuulsa fundamenta. 185
Sect. IX. *Circa reuocationem priuilegiorum præsertim Indicorum, notanda doctrina.* 195
Sect. X. *Vtrùm in Indijs possint Religiosi virtute suorum priuilegiorum absoluere à casibus extra Ius commune Episcopis reseruatis, non obstante nupera declaratione SS. Alexandri VII.* 204
Sect. XI. *Vtrum Regularis audire confessiones possit, cui Ordinarius approbationem sine iusta caussa denegauit.* 211
Sect. XII. *Vtrum in Indijs dispensare Regulares possint in ea inhabilitate: quam contrahunt recipientes Simoniacè Beneficia.* 215
Sect. XIV. *Quinam Confessarij in Indijs possint aperire, & executioni mandare Litteras Sactæ Pœnitentiariæ.* 229
Sect. XV. *An in partibus Indiarum possint Regulares volentes contrahere matrimonium legitimè coniungere, virtute suorum priuilegiorum.* 241
Sect. XVI. *An Religiosi, qui ex voto tenentur non admittere dignitates possint in Indijs Vicarij esse Episcoporum.* 254
Sect. XVII. *An esse Commissarij S. Inquisitionis possint, qui votum non procurandæ & acceptandæ Dignitatis & Prælationis nuncuparunt.* 263
Sect. XVIII. *An decoctores publici, qui scilicet multa accepta pecunia, aut gratis, aut cum lucro, se subducunt, si Familiares S. Inquisitionis sint, eius foro gaudere possint.* 271
Sect. XIX. *Quidam ex voto faciebat quædam in honorem Virginis de Copacauana in Peruuio celebris, quod votum Religionem ingressus noluit expirare. Circa hoc quæstio, & vtilia nonnulla.* 292
Sect. XX. *Occasione damnati hæretici nonnulla circa Degradationem peculiaria dubia discutiuntur.* 298
Sect. XXI. *Proreges Indici an munera possint indifferenter accipere.* 310
Sect. XXII. *Circa munerum acceptorum restitutionem. Vbi casus aliquot peculiares.* 330
Casus doctrinæ valde peculiaris. 339
Dubiorum specialium decisiones circa acceptationem donationis post mortem donantis in Societate IESV.

SANCTIS-

SANCTISSIMÆ GENITRICIS
DEI SPONSO
SANCTISSIMO
NOMINE REQVE SIMVL AVGMENTO,
VNDE ET AVCTARIO, OMNIVM,
SCILICET GRATIARVM,
Indici Auctor Auctarij illud L, M, D, E, C,
ad aliquale laudis Auctarium,
HYMNO DICTO. *Matth.26. v.30.*

IOSEPH Proles Dauidica,
IOSEPH parentum Maxime,
IOSEPH Sponse inter Virgines,
IOSEPH cœlestis Baiule.
IOSEPH IESV securitas,
IOSEPH Patris Vicarie,
IOSEPH MARIÆ vmbraculum,
IOSEPH sacrorum Clauiger.
IOSEPH Thronorum Æmule,
IOSEPH Verende Archangelis,
IOSEPH candoris Speculum,
IOSEPH iustitiæ Calcule.
IOSEPH Pauper ditissime,
IOSEPH fidelior Famule,
IOSEPH Maior imperio, *Genes.49. vers.3.*
IOSEPH Prior in gratijs.
IOSEPH Comes telicior,
IOSEPH diuinior Artifex,
IOSEPH Proximior Superis,
IOSEPH genialis Thalame.
IOSEPH silentij Cathedra,
IOSEPH Basis constantiæ,
IOSEPH labore Sedulus,
IOSEPH parendo Aliger.
IOSEPH Amor fidelium,
IOSEPH Potens iuuamine,
IOSEPH fautorum Optime,
IOSEPH summorum Particeps.
IOSEPH docta Simplicitas,
IOSEPH prudentium arbiter,
IOSEPH Dei œconome,
IOSEPH Incomparabilis.
IOSEPH Triumuir Triadis,
Pro hoc tuo Alumno satage
Vt dulci contubernio
Cœli fruatur cardine. *Amen.*

Vt tituli excellentias indicantes locum haberent, (quod magis Diuo Patriarchæ gloriosum) circa leges metricas licentiæ aliquid vsurpatum.

FACVL-

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

MArtinus de Cuaznabar Præpositus Prouincialis Societatis Iesv in Prouincia Bœtica, potestate ad id mihi facta à Reuerend. Admodum P. nostro Ioanne Paulo Oliua Præposito Generali Societatis Iesv facultatem concedo vt Liber *Auctarium Indicum, siue Tomus tertius Thesauri Indici, Auctore* P. Didaco de Avendano *Societatis* Iesv *Segouiensi*, eiusdem Societatis grauium doctorumque virorum iudicio examinatus & approbatus, typis excudatur. In quorum fidem has litteras manu nostrâ subscriptas, & sigillo Officij nostri munitas ac testimonio Secretarij nostri firmatas dedimus. Hispali die 18. mensis Iulij an. 1673.

MARTINVS DE CVAZNABAR.

SVMMA PRIVILEGII REGII.

CAROLVS *Dei gratiâ Hispaniarum Indiarumque, &c. Rex Catholicus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Serenissimus Belgarum Princeps, diplomate suo sanxit; ne quis librum, cui titulus est* R. P. Didaci de Avendano *Societatis* Iesv *Thesaurus Indicus, citra* Iacobi Mevrsii *voluntatem, proximis nouem annis imprimat, aut alibi terrarum impressum in Germaniæ inferioris ditiones importet, venalemue habeat, qui secùs faxit, confiscatione librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vti latiùs patet in litteris datis Bruxellæ* XVI *Decembris anni* M. DC. LXVII.

Signat

LOYENS.

AVCTARIVM INDICVM.

Quæ dicenda & discutienda in illo, non eius generis sunt, vt ad certa commodè reduci possint capita, pro quibus diuersi veniant instituendi tractatus; sed Miscellaneo more procedent. Vt tamen partitio aliqua leuamen possit conciliare lectori, dum interspirare licet ad ulteriora currenti, diuisione Partium vtendum: Sic enim & D. Hieronymus Commentarios suos in Prophetas, Euangelium Diui Matthæi, & Epistolas D. Pauli, sicut & Origenes, Magnus Gregorius, Rupertus, & alij, librorum diuisione commendant, Lectorum leuamini consulturi. Sit ergo

---

PARS PRIMA.

Suis etiam Partes diuisionibus pro occurrentium casuum aut dubitationum varietate necessariò disponendæ, nomen præ alijs videntur admittere sectionum, vt & in hoc non sine ratione agere videamur, quam delicati aliqui etiam in istis exquirunt. Sit igitur iam

SECTIO PRIMA.

De consecratione Indicorum Episcoporum.

Num. 1.

Dom. Arauxo in Limenses Patres insurgit.

DIctum de illa in *Thesauro Titulo* 13. *Cap.* 3. & in *Additionibus* multa circa ipsam specialiùs disputata. post quæ inuenio Illustrissimum Arauxo in *Decisionibus moralibus Tractatu* 2. *quæst.* 22. contra Limenses Patres insurgere, qui consecrationem sine Litterarum Apostolicarum præsentatione peractam propugnandam assumit, parùm Limensium Patrum è Societate nostra auctoritati deferens: qui profectò circa ius instructi satis, si qui alij, & circa factum multò ceteris instructiores. Sentit ille penitus cum Dom. Solorzano, sicut & sensérat P. Diana *Parte* 11. *Tractatu* 4. *Resol.* 4. quem acriter carpit. *nu.* 12. eo quòd Resolutionem dictam typis Lugdunensibus expressam, in alijs impressionibus sustulerit, illius loco diffi-

Diana carpit.

cultate valde diuersa reposita, de ignorantia circa leges humanas. *Parte* 12. *Tractatu* 1. *Resolut* 58. & 59. contrariam sententiam amplexus, & omninò Limensibus Patribus adhærens, ex eo tantùm excusandus, quòd Relatoris potiùs in suis scriptis, quàm Doctoris munus gesserit, qui scilicet nihil de Suo confert, sed actis processûs insistens, & tam pro reo quam pro actore agens, quandoque pro veritate, & pro falsitate quandoque etiam refert. Sic *n.* 12. qui *n.* 18. addit volentem argumenta Solorzani soluere & eneruare, agnita eorum vi, & suarum responsionum infirmitate succumbere oneri, sic dicendo: *Vidistis quantùm laboramus in Charibdi &c.* Et ad calcem sic concludere: *Sed si hæ responsiones ad supradicta argumenta, amice Lector, tibi non arridebunt, meliores tu cogita, & nobis illas prome.* Ad quæ sic ille: *Qua pœna plectuntur, qui inconstantiæ vitio laborant.*

2. Verùm in eiusmodi sentiendi varietate vitium inconstantiæ non extare, sed illud esse ab Auctore tanto propulsandum, scitè obseruat P. Dicastillus *Tomo* 1. *de Sacramentis Tractatu* 4. *n.* 110. ab eodem D. Arauxo adductus: quod egregium testimonium, vti quod valde pro se faciat, cum alijs Auctorum quampluri-

Defenditur ille: & pariter diuersas opiniones.

rium exhibet ipse P. Diana in Syllabo eorum *Parti.*11. & auctorū alteri *Parti.*12. præfixo: vbi & consimile aliud habetur ex *Tomo* 2. *Tractatu* 8. *Disputat.*9. *Dub.*2. *nu.*88. Nec parùm equidem habenda illa, cùm eius Auctoris sint, qui nihil ad gratiā proferre soleat, nec parcere in re Theologica, cùm sic iudicat, delinquenti. Et verò Patris Diana modestia, vt reliqua magni scriptoris ornamenta deessent, & Vrbanus cum Auctoribus agendi modus, in eorum laudes non proni tantùm, sed effusi, omnem secum agendi acerbitatem debet cohibere. Pro quo & facit D. Hieronymus in Proœmio ad librum 1. Commentariorum in Ieremiam, vbi ita scribit: *Sic conabor notariorum manu scribere paruipendens obtrectatorum rabiem, qui non solùm verba, sed syllabas quoque nostrorum verborum calumniantur; in eo se scire aliquid arbitrantes, si de alienis operibus detrahant, vt nuper indoctus calumniator erupit, qui Commentarios meos in Epistolam Pauli ad Ephesios reprehendendos putat, nec intelligit, nimia stertens vecordia, leges Commentariorum, quibus multa diuersorum ponuntur opiniones, vel tacitis, vel expressis auctorum nominibus, vt Lectoris arbitrium sit, quid potissimùm eligere debeat, decernere; quamquàm & in primo eiusdem operis libro præfatus sim, vel me propria, vel aliena dicturum, & ipsos Commentarios tam veterum Scriptorum esse, quàm nostros.* D. Hieron.

Hæc sanctus Doctor nos informans magisterio pariter & exemplo, vt diuersitatem opinionum sæpè in Scriptoribus occurrentem, circa quam lectorum indulgetur arbitrio, in magnis sciamus laudabilem esse Doctoribus; caucndumque maximè ne ex detractione eorum inconsulta, calumniatorum potiùs, quàm ex zelo secundùm scientiam censorum, notam subeamus. A quo quidem longè abest is, quocum agimus, quem Religio, sapientia, & dignitas sanctè admissa, & dimissa sanctiùs, in tuto collocarunt.

Contra eum nihil vrget ex D. Solorzano.

3. Cuius bona cum venia fidenter dixerim argumenta D. Solorzani non talia esse, quæ P. Dianam ad eas angustias redegerint, quibus inconstantiæ suæ pœnas dare sit coactus. Difficultas enim quæ illum vrgebat, ex Bulla Pij Quarti oriebatur, qui Episcopos aliquos Indiarum sine competenti Prælatorum numero consecratos, iterùm consecrari non iussit, sed à pœnis Ecclesiasticis absolutos in Episcopali officio pergere, cùm iuxta satis probabilem sententiam eorum esset incerta consecratio. Cuius argumēti, pro casu, de quo erat quæstio, D. Solorzanus non meminit. Non ergo inde P. Diana inter angustias deprehensus, vnde D. Solorzanus videbatur vrgere. Quantùm autem roboris eius discursus habeat vidimus citatis Thesauri locis, vbi & omnibus ab eo adductis plenissimè satisfactum.

Improbabilem sententiam asserit, qua dubiam reputat consecrationem sine Litteris Apostolicis.

4. Pergit autem, & consecratum bona fide sine Litteris Apostolicis non teneri consecrationem iterare, etiam sub conditione, ex eo probat, quòd tunc id fieri debet, quando est probabilis opinio, vel rationabilis dubietas de eius nullitate: in nostro autem casu deest opinio probabilis, & dubietas rationabilis. Præterquam quòd ex tali reiteratione ingentia damna sequerentur: vt quòd ordinati ab illo Episcopo, & confirmati, & Confessores instituti, & pœnitentes iam confessi, vellent hæc omnia Sacramenta reiterare. Ex quo tota diœcesis contremisceret, tot scrupulis vexata, quod neutiquàm est admittendum. Sic habet *n.*22. & 23. Quod quidem non sine multorum iniuria videtur stare posse, qui aduersam partem tenuerunt.

Suis principijs redarguit.

5. Et quidem doctus ille Magister in eisdem Decisionibus *Disput.*9. *n.*1. & *seqq.* ex D. Thoma, & alijs probabilitatem opinionis ex eo dignoscendam statuit, quòd aut rationem habeat ex id inclinantem intellectum ad vnam partem, aut auctoritatem ad inclinationem eamdem sufficientem, eo quòd vnius sit Doctoris eximij, aut plurium, qui classici sint & insignes, ex quibus etiam vnus sufficit, si pauci contradicant. Tunc sic. Opinio, quam Patres Peruviani sunt secuti, rationi satis verosimili, nec vni illi, sed multiplici innititur, ad inclinandum intellectum validæ; & habet præterea pro se luculentam auctoritatem: est ergo probabilis. Maior constat ex erudito discursu P. Francisci de Conteras, & ex effectu ipso: nam eo sunt plurimorum sapientium intellectus ad assensum inclinati, vt ex eorum subscriptionibus patet. Ex quo & habetur eiusdem opinionis auctoritas: nam, vt Patrum Limensium, & in ijs citati P. Francisci de Conteras in hoc Regno pro Oraculo in rebus moralibus habiti Suffragia, & aliorum ex Prouincijs alijs, Missa faciamus, duo præclari, & (vt terminis præfatis vtamur) eximij, classici, & insignes scriptores prò eodem militarunt, Illustrissimus scilicet Augustinus Barbosa, & Doctissimus Diana: habet igitur quidquid est ad probabilitatem necessarium, & verò superabundanter.

Et maximum Doctorum auctoritate.

Quæ inconuenientia consecrationi obstant.

6. Iam quod ad inconuenientia prædicta attinet, ad superiorem prouidentiam spectat eisdem obuiare: quod quidem non semel accidit, vt ex ijs constat, quæ P. Diana habet *citata Resolut.*47. & tantùm abest quòd prædicta mouere ad dissimulandum debeant, vt ex ijs potius contraria debeat resolutio sustineri: ne scilicet sacri Ordines dubij, Confirmationes incertæ, Confessiones turbidæ, cum manifesto animarum periculo progrediantur. Vnde & transactis occurrendum vt poterit, & futuris opportuniùs consulendum. Quòd si pergendum, ijs non obstantibus, Sedi Apostolicæ videatur, nihil circa consecrationem innouando, id reuerenter accipiendum, & sperandum piè ac religiosè Deum ita res dispositurum, vt nullus ea de causa pereat. Circa quod ex professo philosophatus sum in *Additionibus citatis*, Breui SS. Alexandri VII. pro causa præsenti notis vtilibus aliqualiter illustrato.

In vsu Sacramentorum opinionum probabilitas quæ supplent.

Difficultates auctoris assertum.

7. Illud difficilius quod præfatus scriptor pro firmanda sua sententia proponit: ait enim citato *num.*23. sic tenendum, eo vel maximè, quòd in materia Sacramentorum quando quis operatur cum opinione probabili, licet in re sit falsa, Sacramenta sic administrata sunt valida, ita vt neque debeant sub conditione reiterari: quoniam in eo casu, Ecclesia, siue Pontifex Summus supplent defectum iurisdictionis, & illam

illam conferunt ministro cum tali opinione operanti, ex communi Theologorum & Iuristarum sententia, vt tradunt Sanchez *Lib.*3. *de Matrimonio Disput.*20. & *in Summa Tomo* 1. *l.*1. *Cap.*9. Henriquez *Lib.*2. *de Pœnitentia Cap.*14. Lessius *de Iustitia & Iure Lib.*2. *Cap.*29. *Dub.*8. Villalobos *in Summa Tomo* 1. *Tractatu* 1. *Difficultate* 3. Malderus 2. *p. q.*19. *art.*5. & alij, quos plena manu congerit Diana 2. *p. tract.*5. *Resol.*2. ac per consequens quando consecrans Episcopum & consecratus procedunt cum opinione probabili, etiamsi reuera esset falsa, de expeditione Litterarum Apostolicarum, factum teneret, & valida esset talis Ordinatio ex tacita confirmatione Ecclesiæ, ac si fuisset expressa. Nam taciti & expressi eadem est natura, ex *Cap. Cum apud de sponsalibus*, iuxta communem Doctorum intelligentiam. Quæ sunt mera Auctoris verba, præter errantes apud eumdem citationes, & eamdem doctrinam pleniùs prosequitur *Disput.*9. *n.*22. & 23.

Cap. cùm apud.

Negant plures quidquam supplari.

Ioannes Sancius.

Elisius Bassæus.

8. Sed est illud, vt dixi difficilius, non solùm quia oppositum est probabile, & defenditur inter Recentiores à Ioanne Sancio in *Selectis Disput.*44. *n.*29. pro se adducente Glossam, cuius auctoritatem magnificiendam probat præfatus Scriptor *citato Disput.*9. *n.*14. & à Peregrino apud Dianam *Parte.* 4. *Tract.* 4. *Resolut.*4. vbi non vult falsam dici. Et Ioannis Sancij sententiam adducens *Parte* 8. *Tract.*1. *Resolut.*93. eamque impugnans, nihil habet, quo illius probabilitati præiudicet. Et Eligius Bassæus in *Floribus Theologiæ moralis Tomo* 1. verb. *Conscientia n.* 10. §. *Cæterùm* sic ait: *Quamuis verosimile sit Summum Pontificem conferre iurisdictionem vtenti opinione probabili, id tamen certum non est, cùm viri maximè sapientes oppositum censeant.* Sic ille. Sed etiam quia Doctores communem illam doctrinā amplexi de sententia probabili, in materia Episcopatus, & quæ illum proximè tangit, Sacerdotij inquam, non loquuntur vt videri apud eosdem potest; sed de opinionibus in Ordine ad forum pœnitentiale, absolutionem scilicet à peccatis & censuris, sicut in Ordine ad Matrimonium ob earum diuersitatem circa assistentiam Parochi: immò eorum aliqui specialem circa materiam dictam subiungunt exceptionem, vt videre licet in Cardinali Lugo *Tomo de Pœnitentia Disput.*7. *num.*273. & *seqq. propter magna inconuenientia & damna, quæ ex inualiditate horum Sacramentorum sequerentur:* quæ sunt illius verba, de Sacramento etiam Baptismi locuti. Pro quo & videri alij possunt apud Dianam *citata Resol.*47. & *Parte* 5. *Tract.* 13. *Resolut.*47. & *Tract.*14. *Resolut.*64. & *Parte* 10. *Tract.*13. *Resolut.*50.

De Sacramento Ordinis certum.

Card. Lugo.

Pœna sine Litteris consecrati.

Cap. sine culpa.

9. Præterea, quia si ita certum est, Pontificem, quando sic iuxta opinionem probabilem in consecratione proceditur, omnem supplere defectum: ergo iuxta illam operans nullam pœnam incurrit, quæ sine culpa non incurritur. *Cap. sine culpa*, de regulis iuris in 6. eo vel maximè quòd necessitas ad sic operandum pro legitima excusatione admittitur: in quo citatus Scriptor D. Solorzani ita sentientis discursum amplectitur. Atqui oppositum est manifestum ex Breui SS. Dom. Alexandri VII. de

Quomodo à Pontifice sit rata habita consecratio vtente opinione probabili.

quo dictum: ergo signum est in generali illa Doctrina casum præsentem minimè contineri.

10. Neque dici potest in eodem Breui consecrationem ratam haberi quoad impressionem Characteris, & ita in Ordine ad illam interuenire defectus supplementum; aliàs inualida fuisset declarata. Nam licet hoc ita sit, nullus tamen defectus est suppletus, sed valor probabiliter toleratus, cum Episcopalis officij vsu. Pro quo iuuat Illustrissimum Caramuelem auscultasse, qui *in citato Apologemate de Probabilitate pag.*84 ita scribit: *Sed quàm est certum hunc Paraguazensis Annuntiatæ (Assumptæ*, sicut & ipse præmiserat, & verissimè) *esse verum Episcopum? Respondeo esse merè probabile. Sed libere Brancatius ibidem* (scilicet Tomo 3. Disput. 8. Arti. 4.) *nu.* 89. *& tamen liber hic est Romæ impressus apud Mascardum Superiorum permissu hoc anno* 1662. *Attende. In huiusmodi, fateor (ait ille) standum esse decretis Romanorum Pontificum: ideoque retuli tantùm argumenta & responsiones, quæ pro & contra possunt adduci: Eis tamen adhærere non curo, neque pro Episcopo haberem sic ordinatum. Progredior. Si Brancatius non habet illum pro Episcopo: Ergo neque alios Episcopos, si quos ipse consecrauerit: Ergo nec habebit pro Sacerdotibus quotquot ille ordinauerit. Ergo neque pro veris Missis quotquot ipsi dixerint: Ergo neque pro Sacramētalibus Confessionibus quotquot ab his audita. Terribilia sunt hæc; & tamen deducta legitimè: quæ omnia sunt vera, si opinio, quam Pontifices sunt secuti, sit falsa.* Sic ille: qui, dum statim infert in hoc minùs probabilem sententiam secutum fuisse Pontificem, stare quidem illius assertio potest, quia negotij illius status & circumstantię ad id permouere prudentissimè potuerunt: quatenus verò id videtur ad sententiam extendere, quæ contendit tres Episcopos ita esse necessarios, vt circa eum numerum nequeat Pontifex dispensare, vt sit etiam illa minùs probabilis, minimè audiendus est: ita enim est certa, vt contraria sit improbabilis, quod à me in Additionibus citatis ostensum, & tenet Diana *citata Resolut.*47. *in fine.* Caramuel.

Quid à doctis Prælatis circa sic Ordinatos actum.

11. Eumdem certitudinis defectum, etiam post præfatum Breue agnoscentes docti Prælati Ordinatos à sic consecrato Episcopo in gradu Sacerdotij ad suas venientes diœceses nolunt admittere ad Sacerdotij vsum, nisi priùs Ordinem Presbyteratus saltem sub conditione recipiant, quem ipsis occultè largiuntur. In ijs fuit Illustrissimus Villaroel, cuius memoria in benedictione est, quia *splendidum in panibus benedicent labia multorum*: Vnde & quod sequitur satis congruit: *& testimonium veritatis illius fidele*, ad ipsius scripta, in quibus pietas cum elegantia & eruditione coniuncta, meritò referendum. Et quidem Prælati huiusmodi pleniorem facti notitiam, quàm Dom. Caramuel habuerunt; qui Breue præfatum non vidit, aut eius fidele transumptum: ex eo enim constat prædictum Dom. Episcopum cum aliquali dispensationis notitia fuisse consecratum, ex quo eius causa meliùs habet: neque licentia à SS. Dom. Alexandro VII. vt ab vno Episcopo consecraretur ab illo postulata, quam & ipse

D. Archiepiscopus Villaroel laudatus.

Eccli. 31. v. 28.

concesserit; sed antequàm ad eius peruenisset notitiam ab vno Episcopo, duobus assistentibus Canonicis, fuit consecratus: vt à Dom. Caramuele dicitur: sed post consecrationem dicto modo factam pro remedio est apud SS. Alexandrum ex parte vtriusque Episcopi interposita supplicatio, vt ex Breuis tenore constat.

Opinionem minùs probabilem an secutus Pontifex circa valorem consecrationis, quæ tres Episcopos, non iudicat necessarios etiam sine dispensatione.

12. Benè autem Dom. Caramuel iuxta facti notitiam minùs veram, quam est secutus, dicere potuit opinionem ex noua ratione minùs probabilem secutum fuisse Pontificem, videlicet consecrationem validam esse, etiam sine dispensatione Pontificis, quam quidem pauci sequuntur. Paludanus scilicet *Libro de potestate Papæ* apud P. Azorium *Tomo 2. Lib. 3. Cap 30. Quæst. 3. §. Quærat item & §. Sed quid dicendum*, adductus priùs à Sylueſtro *verb. Consecratio n. 1.* quod & videtur tenere ipse P. Azor *citato §. sed quid dicendum*. P. Martinum *Tomo 5. Disput. 67. §. 21.* eo adducto, quod habet *in fine §. 22.* P. Ægidius Coninck *de Sacramentis Disput. 20. n. 92.* dum ait non esse improbabile inualidam fore talem consecrationem, ex quo probabilitas maior oppositi videtur præsupponi. Eam, Solo pro ipsa adducto Paludano apud P. Azor impugnat Dom. Arauxo *citata quæst. 21. n. 19. & 20.* adducens pro se Patrem Vasquez *Tomo 3. in 3. p. Disp. 243. nu. 68.* contra Paludanum specialiter depugnantem: pro qua & sunt innumeri alij, tum Theologi, tum Canonum Professores, aut tres requirentes Episcopos, aut vnum saltem ex dispensatione. Licet autem ij, qui tres Episcopos de consecrationis dicunt esse substantia, in eo iuxta præsentem rerum statum improbabiliter loquantur, faciunt tamen pro minori probabilitate sententiæ, de qua loquimur, quam omnino falsam existimant, in qua improbabiliter non loquuntur, sed quatenus sententiæ alteri mediæ dispensationem admittenti penitus aduersantur. Videatur P. Gabriel de Henao in *Historia de scientia media Parergo 11. ad Eventilationem 49.* vbi circa casum præsentem locutus contra Thomam Hurtadum, illius lapsum inexcusabilem manifestans, & pro sententia Patrum Peruuiensium adducens Illustrissimum DD. Nicolaum Rodriguez Formosinum celebrem scriptorem, & Episcopum Asturicensem, cuius ego in Thesauro luculentam intuli mentionem.

P. Henao.

DIFFICVLTAS SPECIALIS.

An post Breue Alexandri VII. talis in Indijs occurrere necessitas possit, vt Episcopus valeat sine Litteris Apostolicis consecrari.

13. ANte illud fieri id posse tenuit, vt vidimus, n. 1. P. Diana, stante, vt ille loquitur, magna necessitate, congratulatus sibi sapientissimum & amicissimum Patronum Dom. Solorzanum in *Politica Lib. 4. Cap. 7. ad finem*. Pro quo & Dom. Arauxo *Quæst. 21. citato n. 21.* quando aliàs iam constat de Litterarum expeditione iam facta per testes fide dignos, & grauis vrgeat necessitas, v. g. si illæ perdantur, vel ab aliquo inimico detineantur: si non sit facile Episcopos posthac ad consecrandum necessarios adesse vel congregari: si diœcesis Vidua, ad quam est promotus Episcopus, valde indigeat eius præsentia ad conferenda Sacramenta Ordinis & Confirmationis, & ad pascendum rationales oues verbo & doctrina salutari. Tunc enim consecrans & consecratus ab omni culpa immunes erunt, bona fide procedentes. Sic ille loquitur. Potest autem vlteriùs quæri, an, licet prædicta sententia virtute dicti Breuis videatur reprobata, ad casum de veniri possit, in quo liceat sine Apostolicis Litteris consecratio. Pro quo

Dom. Arauxo.

Necessitas non est sufficiens ad iustificandam consecrationem sine Litteris Apostolicis: iuxta terminos casus de quo est quæstio.

14. Dico Primò. Necessitas iuxta terminos propositos non est fundamentum sufficiens ad iustificandam consecrationem sine Litteris Apostolicis. Hoc videtur constare ex dictis, quia Auctores prædicti talem videntur necessitatis gradum agnouisse in casu, de quo erat quæstio, & ideò conati sunt consecrantem & consecratum excusare: Atqui id non est visum sufficiens Pontifici, vt constat ex Breui pœnarum incursionem declarante: ergo talis necessitas non est sufficiens ad actus huiusmodi iustificationem.

Euasio ex probabili tantum valere pœnarum.

15. Dices, sicut Pontifex circa valorem consecrationis probabilem est sententiam secutus, ita & pœnarum incursionem probabiliter declarasse, & alium fortè Pontificem oppositum decreturum. Sicut ergo non obstante declaratione dicta, ordinati per dictum Episcopum, iterùm ordinantur, vt vidimus *n. 11.* ita etiam de pœnis dici potest, vt scilicet probabiliter agendo, & ita bona fide, in foro conscientiæ non incurrantur, cum spe fauorabilis recursus procedendo pro exteriori foro, annuente, aut dissimulante Pontifice. Vbi nequit iam ad inconuenientia confugi, quæ ex incertitudine consecrationis talis oriri possunt, de quibus *citato n. 11.* quia sicut ijs non obstantibus Pontifex ratam habuit consecrationem, ita etiam absque eo quòd obstent, poterit consecratio assumi, vbi ad id videatur grauis necessitas perurgere.

Præclusa notanda distinctione circa Pontificis testatem.

16. Sed contra hoc est. Nam inter valorem Sacramenti, & Ecclesiasticas pœnas, hoc est discrimen: quòd circa primum non habet Pontifex absolutam potestatem, & ita solùm procedere potest, illum iuxta occurrentes casus declarando: At posterioris absolutus est auctor; & sicut ad illum spectat condere, ita & declarare, *l. finali. Cod. de legibus*. Ex quo fit, cùm declarat, & mentem suam aperit, non probabiliter, Sed certò procedere: vnde nonnisi temerariè contra declarationem ageret, qui se eidem non debere conformare iudicaret. Neque cum spe fauorabilis recursus agere licet: tum quia vana esset talis spes, cùm Pontifices in suis decretis valde soleant esse conformes in ijs, quæ ad ius Canonicum spectant, & rarissima inuenietur in talibus discrepantia. Tum etiam quia interpretatio talis de probabilitate non potest non displicere Pontifici, cùm genus quoddam inobedientiæ sit circa Apostolicum mandatum; quod quidem si in decreto aliquo proprio suo deprehenderet, neutiquam impunitum vellet.

l. fin. Cod. de Legibus.

Ex

Ex quo habetur neque bonam fidem obtendi posse, quia contra manifestam superioris voluntatem fides talis esse nequit, & præsertim in Episcopis, qui in ijs, quæ ad ipsorum munus spectant, & præcipuè ea, quæ summi ponderis sunt, vti id de quo agimus, debent habere perspecta: ideò enim in illis eximium sapientiæ gradum ius Canonicum, Concilia, & Pontificum Decreta requirunt, quem & in Consecratione ipsa profitentur.

Inconuenientia permitti non omnibus licet,

17. Neque vero est simile quod de inconuenientibus dicitur; aliud enim est post factum illa permitti, aliud ipsa facto ipso præcipiti deuorare. Et primum quidem in casu nostro videre licet, non secundum. Nec ex dispositione supremi in Ecclesia gubernatoris desumi argumentum potest pro consimili ab eo, qui in gradu constitit inferiori, cui meritò illud dici potest: *Sta in gradu tuo. Daniel. 10. v. 11.* Hinc est vt multa possit gubernator Reipublicæ in ea permittere, quæ paterfamilias sua in domo nequeat sine graui culpa, aut etiam frequentioris communitatis administrator. Sic videmus etiam Pontifices in regno Portugalliæ sua in rebellione perstanti viduas Pastoribus Ecclesias sua in viduitate relinquere, iustis quidem de causis, quod in eorum quolibet inferiori Patrono minimè licuisset. Quod quidem remotis in Prouincijs specialibus obseruandum, in quibus Episcopales excessus Sedi sunt Apostolicæ grauiores, vt Diuus Leo *Epist. 84.* quæ est ad Anastasium Episcopum Thessalonicensem, aureis verbis, & spiritu super aurum pretioso demonstrat: cuius Epistolæ Caput. 1. ita clauditur: *Per Spiritum charitatis & pacis omnis materia scandalorum de Ecclesijs domini (quas tibi commendauimus) auferatur: præeminente quidem in illis Prouincys Episcopatus tui fastigio, sed amputato totius vsurpationis excessu.* Sic ille.

Dan. 10. v. 11.

Remotù in Prouincijs præcipuè obseruandum illu.

D. Leo Magnus.

Probabilitas ab extrinseco in Societatis Auctoribus egregiè viget.

19. Vbi & non prætermittendum Dom. Arauxo ita scribere vt vidimus *n. 4.* probabilitatem dictæ sententiæ derogando, quam P. Diana ita probabilem censuit, vt priori relicta, quam mundo reddiderat manifestam, auidè fuerit amplexatus, auctoritatem patronorum agnoscens, qui non poterant non maximè probabilem ipsam comprobare. Qui ergo stare posset vt sine præstantissimorum Theologorum iniuria sententiæ ab eisdem assertæ probabilitas abrogetur? An quia è Societate? Et quis hoc sano dixerit capite? quam citatus scriptor inclytam proclamat, cuius & tot extant gloriosa præconia, ex quibus aliqua in Epithalamio dedimus, nec iuuat congerere plura multas paginas impletura, sed modestissimè tantùm in Domino gloriari. Ex citato tantùm Illustrissimo Caramuele in Apologemate illo eruditionis eximiæ (quidquid de nonnullis sit in eodem à supremis censoribus, vt *inferiùs* dicetur, improbatis) delibandum aliquid, dum sic alloquitur Eminentissimum Cardinalem Sfortiam Pallauicinum: *Assumptus es ex Societate, contra hæreticos malleo, contra Nouatores ariete, Christi sponsa candida & rubicunda, videlicet ob vitæ & doctrinæ puritatem & sinceritatem allicante; ob myriadas Martyrum, qui innocentissimo profuso sanguine propagarunt Ecclesiam ad vltimos mundi terminos, purpurascente.* Sic ille.

Dom. Caramuelis pro ipsa elogium.

P. Diana *defensus, qui securiorem viam amplexus.*

18. Contrariæ autem assertioni non est de patrocinio P. Dianæ gloriandum, cùm ipse, expuncta illa, ad securiora castra transuolârit, nondum Breui Alexandri peruiso, cuius varietatis rationem hoc loco operæ pretium fuerit reddidisse. Casus illi ab Eminentissimo Tribulcio propositus sub ea forma, quem ipse proponit: *An in aliquo singulari casu consecratio Episcopi possit fieri absque Bullis præsentibus ipsius confirmationis, si de illis moraliter constet iam expeditas fuisse?* Respondit posse, quia nihil contrarium occurrerat sic rogato, quod posset assensum penitus retardere. At postquàm deprehendit in casu illo singulari tot esse egregios magistros, è Societate præsertim, aduersantes, pedem retulit, eorum sententiæ libentiùs adhærendo. Id quod ex ipsius verbis est obuium coniecturi. Sic enim scribit *Resolut. 59.* citata, postquàm Resolutione antecedenti integrum Dom. Solorzani discursum exhibuerat: *Sed his non obstantibus contra dictam Consecrationem P. Franciscus Contreras edidit Scripturam Hispano idiomate compositam & impressam an. 1647. approbatam à sapientissimis Ripalda, Oniedo, & alijs præstantissimis Sacræ Theologiæ Professoribus ex inclyta Societate IESV, quibus ego libenter adhæreo*, &c. Ecce varietatis legitimam rationem, & ecce etiam pariter causam, cur eruditissimum istum Patrem defendendum assumpsi. Cùm enim ille auctoritati nostrorum Patrum tantùm detulerit, vt expuncta priori sententia, & vt potuit, extirpata, contrariæ ab eisdem assertæ & approbatæ libenter adhæserit, sapientissimo & amicissimo, vt ipse loquitur, Dom. Ioanne Solorzano post longum eius propositum discursum, repudiato, ad sui defensionem non meam solummodò tenuem industriam, sed grauiorum Scriptorum exquisitam solertiam prouocauit.

Numquam licet consecratio Bullis non acceptis.

20. Dico Secundò. Nunquam ratione necessitatis licebit consecratio Bullis non acceptis. Ratio est quia quoad valorem erit dubia, & inconuenientibus obnoxia, de quibus *supra*: quæ licet permitti possint, stante probabilitate, id non à quolibet, sed à supremo Ecclesiæ Hierarcha. Est enim in summa etiam necessitate dispensatio necessaria, quæ constare nisi dubijs coniecturis nequit, dum ritus ab Ecclesia institutus in negotio grauissimo non fuerit obseruatus. Cum ita exploratum sit etiam in casibus necessitatis Pontifices velle aliqua obseruari ad Sacramentorum valorem spectantia, licet non desint opiniones, iuxta quas possent aliter ordinare. Sic, licet probabilis sententia sit balsamum non esse materiam omninò necessariam pro Sacramento Confirmationis, & in eo Pontificem dispensare posse, vt videri potest apud Dianam *Parte 8. Tract. 1. Resolut. 11.* numquam tamen id Pontifices indulserunt. Et cùm similiter sit probabile Chrisma posse à Sacerdote simplici benedici, vt videri apud eumdem potest, ex simili concessione *Resolut. 12.* id numquam factum, sed facta Sacerdoti simplici Sacramenti talis conferendi copia, consecratio Chrismatis Episcopo reseruatur: cùm tamen concessio pro administratione Sacramenti gra-

Circa balsami defectum numquàm dispensatum esse probabile sit non obstare.

uem neceſſitatem importet. Vnde Eugenius Quartus in Concilio Florentino, Decreto de Sacramentis, cùm declaraſſet Miniſtrum Ordinarium Confirmationis eſſe Epiſcopum, addidit: *Legitur autem aliquando per Apoſtolicæ Sedis diſpenſationem ex rationabili & vrgente admodum cauſſa ſimplicem ſacerdotem, Chriſmate per Epiſcopum confecto, hoc adminiſtraſſe Confirmationis Sacramentum.* Sic ibi. Stante ergo ranionabili & vrgente admodum neceſſitate, non vult Eccleſia Confirmationem adminiſtrari, ſi Chriſma deſit ab Epiſcopo benedictum; cùm tamen probabile ſit poſſe illud à ſacerdote ſimplici benedici; cui & adminiſtrationem eo ſuppetente committit. Quod & de Sacrificio Euchariſtiæ ſub vna ſpecie, & alijs, poteſt ſimiliter roborari, pro quibus multa apud Dianam *citato Tractatu.*

Concilium Florentinum.

Sicut neque circa Epiſcopi benedictionem.

21. Quoad pœnas verò ſimiliter conſtare videtur; quia cùm ex Breui Pontificio habeatur obtenſam neceſſitatem, quæ non leuis videbatur, incurſioni earum non obſtetiſſe, difficile eſt aliquem gradum neceſſitatis talem reputari, qui ad eas euitandas certam poſſit fundare rationem. Nec pœnæ tales ſunt, quibus ob ſpirituale aliorum bonum poſſit ſe quiſquam deuouere: cùm eius generis ſint, quæ officij ſui exercitio obſtent, cenſuræ ſcilicet, & irregularitas, ſi cenſuris ligatum contingat celebrare, & cùm illæ ſine peccato non incurrantur, ſatis ex eo apparet vitandam actionem, quę ſine illo ſtare nequit, dum contra mentem Pontificis agitur ſatis apertam, de cuius diuerſo ſentiendi modo non poſſunt niſi valdè infirmæ haberi coniecturæ.

Ex panis inuncti argumentum circa neceſſitatem.

22. Quod efficaciter vrgeo. Nam ſi ratione magnæ neceſſitatis id licet, quod prætenditur; ergo & licebit Epiſcopo ſine beneplacito Sedis Apoſtolicæ, aut illius diſpenſatione, Epiſcopum conſecrare: probabile enim eſt, vt vidimus *nu.* 12. Item poterit Presbyter gradum Presbyteri tribuere, immò & conſecrare Epiſcopum: quorum primum vt ſatis probabile cum alijs defendit Diana *Tractatu citato Reſol.*36. & poſterius tenent aliqui apud eumdem *Parte* 12. *Tract.*1. *Reſolut.*25. Licet autem ita ſentientes beneplacitum Pontificis requirant; dici poteſt in caſu ſummæ neceſſitatis illud poſſe veroſimiliter præſumi, & ita probabiliter procedi. Quod tamen nemo; vt credo, audebit aſſerere, & quæ pro eo reddetur ratio, noſtro erit caſui pariformiter applicanda.

Ex abſurdis aliis ſequelis.

Reſolutio ſua etiam ſi adſint tres Epiſcopi.

23. Vbi addendum occaſione ſpecialis illius neceſſitatis, inter alias, de quibus *n.*13. ſcilicet ſi non ſit facile Epiſcopos poſthac neceſſarios ad conſecrandum adeſſe vel congregari: quod etiam ſtante numero trium Epiſcoporum, cum difficultate prædicta, non licet conſecratio, ſi Litteræ Apoſtolicæ non habeantur. Quia licet ibi non ſit neceſſaria diſpenſatio circa numerum Epiſcoporum, adhuc dici poteſt deſiderari mandatum Apoſtolicum, dum eo modo non innoteſcit, qui ab Apoſtolica Sede vt neceſſarius eſt in eius decretis promulgatus. Cùm autem Apoſtolicum beneplacitum omnino neceſſarium ſit vt benè oſtendit Dom. Arauxo *citata quæſt.*21. *num.*19. & 20. nutat profectò conſecrationis certitudo, licet non in eo incertitudinis gradu, qui contingit quando ab vno tantùm habetur conſecratio; malum enim ex quocumque defectu, licet peius ſit quod ex pluribus defectibus deprauatur.

Et quomodocumque Litteræ Apoſtolicæ non appareant.

24. Idem etiam dicendum ſi Apoſtolicæ Litteræ deperdantur, aut malitiosè ſupprimantur. Neque id mirum, cùm ſic videamus frequenter accidere, quoties Regiæ Litteræ pro equeſtrium Ordinum habitu infortunio aliquo diſperduntur: aliæ enim expectantur, nec fas eſt probatione expeditionis earum equeſtribus ornamentis inueſtiri. Et quemadmodùm ſi Epiſcopus ſimili infortunio aut perijſſet, aut captus fuiſſet ab hoſtibus, vel graui infirmitate detentus, Eccleſia Paſtoralis abſentiæ damna pateretur; ita & cùm impedimento dicto ab eius regimine prohibetur. Huiuſmodi enim euentibus nequit ex integro humana prouidentia ſubueniri: maioraque damna timeri poſſent ex præcipiti conſecratione, quàm ea ſint, quæ ex dilata proponuntur; in Indijs præſertim, in quibus fraudes ſerius deteguntur, & falſi aliquando apparuerunt Epiſcopi, ex quibus ego vnum vidi grauis Ordinis Religioſum, qui ementita præſentatione ad Caracaſenſem Eccleſiam, omnibus ijs eſt potitus honoribus, qui ſolent præſentatis exhiberi, donec nocte concubia ſibi conſulens, neſcio quò ſe proripuit, fabulæ finem imponens, & theatrum derelinquens. In eo minus exitialis, quòd conſecrationem non eſt, de qua hîc præſertim agimus, modis etiam exitialibus, conſecutus.

APPENDIX.

Circa opinionem probabilem, & obligationem reſpectu illius iuxta gradum probabilitatis.

25. VIdimus *in ſuperioribus* reiectam vt improbabilem ſententiam, quam præſtantiſſimi Theologi ſunt amplexi. Et quia ſic cenſens Scriptor, viam circa hoc non communem ingreditur, nonnullique Auctores circa hoc ſingularia diuerticula ſunt ſecuti, qui nuper prodierunt; operæ pretium arbitror circa materiam eamdem laborem non inutilem applicare.

Habet ergo citatus ſcriptor integram Diſputationem, nonam ſcilicet, in qua doctè diſcurrit circa opinionem eligendam in concurſu earum, illos tangens & reſolutoriè diſcutiens caſus, qui à Doctoribus ſolent de opinionum probabilitate agentibus diſputari, in quibus non immorandum, ſed quod peculiare in aliquibus occurrerit, diſpiciendum ſoluendumque quidquid receptis ſententijs contigerit aduerſari. In quo quidem ſcriptor alius magis ſpeciali impugnatione refellendus occurrit, profeſſus à communi ſe doctrina recedere, & omnino nouam proferre, omniaque ex proprio iudicio texere, profundiſſima conſideratione. Is eſt Matthæus Homen Leitonius, Eborenſis & Conimbricenſis Apoſtolicus Inquiſitor. Prodijt etiam Proſperi Fagnani

Matthæus Homen ſingularem viam circa probabilitatem ingreſſus.

Fagnani opus, in quo ex profeſſo ſtabilire contendit ad ſecuritatem conſcientiæ non ſufficere opinionem probabilem, ſtante obligatione amplectendi partem tutiorem. Contra quam Apologema citatum edidit Dom. Caramuel, cuius eruditum diſcurſum quantum ad veritatem, quam defendit, de tuta minùs probabilis opinionis ſequela, amplecti potiùs, venerari, & admirari promptum eſt, quàm nouis fundamentis additis promouere. Sed fortè erit aliquid, quo poſſit veritas illa (circumſcriptis cenſuris) quam propugnat aliquantulùm ampliùs roborari.

§. I.

Quæ ſit opinio probabilis ſecundùm maximè propriam eius rationem.

Ariſtoteles.

26. IVxta Ariſtotelem Lib.1. de Demonſtratione cap.26. Textu 44. *Opinio eſt propoſitionis nullo certo argumento confirmatæ comprehenſio non neceſſaria.* Vbi nomine comprehenſionis conceptus mentis deſignatur, ſeu iudicium de re incerta. Quod magis dilucidum ex D. Thoma

D. Thomas.

2.2.*q.*1.*art.*4. *in Corp.* Vbi ſic ait: *Alio modo intellectus aſſentit alicui, non quia ſufficienter moueatur ab obiecto proprio, ſed per quamdam electionem voluntariè declinans in vnam partem magis quàm in aliam. Et ſi quidem hæc ſit cum dubitatione & formidine alterius partis, erit opinio. Si autem ſit cum certitudine abſque tali formidine, erit fides.* Sic ille. Quando ergo pro aſſenſu tali non leue eſt motiuum, ſed quod habeat pondus, iudicio eorum, qui poſſunt in materia, de qua agitur, iudicare, opinio erit probabilis. Ecce totum probabilis opinionis negotium, pro quo apud Scriptores tot quæſtiones extant, & controuerſiæ paſſim excitantur. Quod autem circa probabilitatem eſt dictum ſatis indicat quid ſit de maiori probabilitate dicendum: quantò enim motiua ad aſenſum vnius partis fuerint validiora, tantò erit maior probabilitas, vt per ſe videtur notum, & qui de motiuis iudicare poteſt, vt probabilis opinio cenſeri debeat, de eorum maioritate pariter poterit iudicare ſicut etiam de æqualitate, quod difficilius quidem eſt. Et quando id contingit, vt ſcilicet vel nullus, aut exigus exceſſus ſit, communis Doctorum reſolutio eſt vtramlibet contradictionis partem poſſe tutiſsimè apprehendi, niſi aliqua ſit minùs tuta, in quo aliqui diſſentiunt, de quo inferiùs.

Sententias Doctorum non eſſe dicendas opiniones contendit dictus auctor.

27. His poſitis contendit citatus Leitonius ſententias Doctorum non eſſe vocandas opiniones, quia nomen hoc tantùm ſignificat ſpecialem cuiuſque aſſenſum, qui eſt in materia conſcientiæ principaliter attendendus: non enim quid alij ſentiant, ſed quid opinetur qui operaturus eſt, pro regula habetur. Abuſiuè ergo & non propriè dicuntur opiniones. Sic *Cap.*2.*n.*5. & 35. Et multò magis cum ipſi ſententias ſuas reſolutiuè proponunt, formidinem circa aliam partem non exprimendo. In quo quidem cùm quæſtio de nomine ſit, non videtur circa illam obſtinatius digladiandum. Nihilominùs cùm non ſit peculiaris cuiuſque iuris receptas vocum ſignificationes immutare, & penitus abrogandas velle, vbi præſertim ſapientiũ receptiſſimus conſenſus vim iam inde ab antiquis temporibus contulit, quod in præſenti euenit; meritò eſt vſus talis retinendus, & nouantes refellendi. Deinde arguo. Nam Doctor ſuam ſententiam proponens, id exprimit, quod ſibi viſum eſt verum, ſed non certum, quia motiua ad aſſentiendum talia non ſunt, vt certitudinem ex ſe inducant: Atqui ſic aſſentiri, vt vidimus, opinari eſt: ex quo clarè infertur aſenſum talem exteriùs prolatum opinionem dici poſſe, quia opinio ex eo quòd manifeſtetur, non deſinit eſſe talis; immò magis propriè id videtur habere: Sicut hæreſis exteriùs prolata maximè eſt propriè talis.

Refellitur.

28. Verum quidem eſt Doctores multoties aſſertiones ſuas ita proponere, vt formidinem circa partes contrarias non inſinuent, immò vt certas ſibi, ob fundamenta, quibus eorum intellectus conuictos profitentur. Sed nihilominùs aſſertiones huiuſmodi, opiniones dici poſſunt, licet ex parte ſubiecti ita adhæreant, vt actualem formidinem excludant: id enim contra rationem opinionis non eſt, vt ex Doctoribus, quos citat, agnoſcit præfatus ſcriptor. *n.*4. Sicut ergo cùm quis ita aſſentitur, vt propter intellectus ſui diſpoſitionem formido actualis abſit, opinio propriè eſt, etſi exteriùs proferatur, opinionis proprietatem retinebit; ita etiam de aliorum ſententijs ſentiendum, vt ſcilicet propriè dici opiniones poſint. Quod poteſt luculenter comprobari auctoritate Innocentij Tertij in *cap. Cùm Martha*, de celebrat. Miſſarum, vbi ad interrogationem ſibi propoſitam circa aquam cum vino in Sacrificio Euchariſtiæ adhiberi ſolitam, an ſcilicet in Chriſti Sanguinem conuertatur, ſic habet: *Super hoc autem opiniones apud Scholaſticos variantur.* Et inferiùs. *Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior iudicatur.* Et in *Cap. Nouimus*, de verbor. ſignificat. ibi: *Cum enim quidam anteceſſorum noſtrorum ſuper hoc conſulti diuerſa reſponderint, & quorumdam ſit opinio à pluribus approbata &c.* Quod etiam videre eſt in *Cap. Litteras*, de reſtitut. ſpoliat. & in *Cap. Capellanus*, de Ferijs, in quibus Pontifex nominibus ſententiæ & opinionis promiſcuè vtitur. Et tamen conſtat opiniones Scholaſticorum circa quæſtiones propoſitas non ſemper fuiſſe cum formidine prolatas.

Opinioni qualis ſemper inſit firmido.

Ex Canonico Iure impugnatus idem.

Cap. Cùm Martha.

Cap. Nouimus.

29. Addit *n.*6. idem eſſe opinionem, & veram probabilitatem, & quaſi ſynonima, quomodo illis terminis vtuntur Sanchez *Lib.*1. *Operis moralis. Cap.*9.*nu.*2. in principio, ibi: *Quandocumque opinatur, & dicitur probabilis, ſeu opinio.* Sayrus *in Clavi regia Lib.*1.*Cap.*5.*n.*2. ibi: *Alicuius opinionis, ſeu conſcientiæ probabilis.* Et conſtat ex definitione, quæ ita competit probabilitati, ſicut & opinioni; & communis vſus ſolet frequentius exprimere opinionem per terminum *Probabiliter.* v.g. hoc fuiſſe, vel eſſe, quo ſignificat aſſenſum cum formidine. Vnde quamuis de opinione quatenus quatenus eſt ſententia Doctorum dici poſſit quòd eſt probabilis, de vera tamen opinione dici nequit ſine ſuperfluitate & ineptitudine: nam: cùm ſit aſſenſus noſter, non poteſt non eſſe probabilis; vel ſine falſitate, ſi dicatur opinio improbabilis: quæ qualitates

Opinionem & veram probabilitatem eſſe ſynonima contendit.

sententijs tantùm Doctorum, siue eorum opinionibus, non nostræ & veræ, quæ hîc attenditur, competere possunt, nisi probabilitas sumatur abusiuè. Sic ille discurrit.

Sed ineptè.

30. Contra quem tamen est, quòd, vt ipse admittit, qualitas improbabilitatis potest conuenienter cadere super opiniones Doctorum: ergo & super opinionem propriam: ex quo fit non superfluè aut ineptè addi qualitatem probabilitatis, ad declarandum abesse inde contrariam qualitatem. Illationem probo. Nam opinionès Doctorum nihil aliud sunt, vt nuper dicebamus, quàm assensus omninò similes assensui, quem habet ille, qui hîc & nunc operatur: ergo similis qualitatis capax. Ponamus enim sic opinantem patefacere opinionem suam, aut scripto vulgare. Nonne qui illam audierit aut legerit, poterit de ipsa, sicut qui illam protulit; iudicare? Hoc certè videtur innegabile.

Duas contrarias sententias non posse esse probabiles idem asserit.

31. Pergit, & *n.*131. ait immeritò Doctores, præcipuè recentiores, frequentissimè diuersas & contrarias sententias Doctorum dicere probabiles, & inter eas gradus probabilitatis assignare, quasi non esset præcisum alteram solùm veram, ceteras falsas esse, vel quasi contrariæ simul possint esse probabiles. Quod videtur ab scribentibus Theologiam moralem inuentum, vt sic liberum esset secundùm quàm libuisset opinari. Cùm tamen antiquiores, & etiam moderni aliarum materiarum scriptores vix aliquando vtramque contrariam partem sustinere posse dicant, & semper ferè aliam veram, aliam falsam esse asserant, quod necessario fieri debet, vt aliquid decidi dicatur: quod verè non agunt; immò rem sibi dubiam esse ostendunt qui vtramque partem probabilem dicunt, etiamsi alteram probabiliorem. Hinc ille infert, & constanter probat, in hoc dubio partem esse eligendam tutiorem, de quo *inferiùs*.

Contra omnes Theologos, & quo impugnatus.

32. In quo dicendi modo habet scriptor hîc contra se vniuersam Rempublicam Theologicam, vnde eius circa hoc doctrina aliqua videtur digna censura. Et ea fortè de caussa opusculum illud approbatione caret, typis Parisiensibus excussum. Et est non leuis pro eo coniectura, quæ ex ipsius verbis desumitur, dum ita scribit in Præfatione ad Lectorem: *Quod quidem in eo sum expertus: cùm enim Theologus quidam doctissimus librum nostrum de Iure Lusitano legisset, in quo plures sententias singulares contra communes scripsimus, omnes probauit & laudauit: At legens aliquas earum de conscientia obseruationum, nullam admittere potuit.* Sic ille. Contra quem in primis stat auctoritas Innocentij Tertij adducta *nu.*28. dum enim opinionem vnam alijs probabiliorem dicit, manifestè declarat posse dari contrarias opiniones, vt aliàs docet. Deinde arguo. Nam assensus probabilis tunc dari potest, cùm motiua, non sunt ex se efficacia ad conuincendum intellectum, quem tamen cum formidine aduersæ partis inclinant: Atqui stare potest, vt pro contraria parte, circa quam formido est, motiua occurrant, quæ ad illam intellectum inclinent: ergo erunt duo contrarij assensus: non quidem respectu eiusdem, sed diuersorum, aut eiusdem pro diuersis statibus; respectu cuius stare simul potest assensus probabilitatis, vtriusque, in quo contrarietas nulla est, & cùm assensus probabilis, opinio sit, sicut duo dantur assensus probabiles contrarij, ita & contrariæ pariter probabiles opiniones, de quarum probabilitate poterit doctus legitimè pronuntiare.

Matthæus Homen.

Et suspecta doctrina.

33. Id quod etiam manifestum habetur ex *Cap. Capellanus* citato. Vbi Gregorius IX. respondet quæstioni, quæ circa inuestigationem probabilioris opinionis versabatur, ibi: *Quia ergo consulti fuimus vtra istarum opinionum potior videatur nobis & fratribus nostris* &c. Responsio autem iuxta maiorem probabilitatem, post adducta illius fundamenta procedit, sic dicente Pontifice: *Posterior sententia meliori & subtiliori nititur ratione.* Vbi quidem animaduersione dignum occurrit, non præferri sententiam, quæ pluribus placuit, sed quæ meliori, & subtiliùs introspecta. Quod quidem pro dicendis *inferius* oportet obseruari. Et pro quo id venit etiam expendendum, quod habetur in dicto *Cap. Nouimus*: ibi enim Innocentius ita loquitur: *Et quorumdam sit opinio à pluribus approbata*, vt *Clericus* &c. *tamquàm exutus priuilegio Clericali, sæculari foro per consequentiam applicetur.* Sic ille: & tamen illorum plurium opinionem non est amplexus, vt exponit Glossa ibi verb. *A pluribus*, sic dicens: *Licet sit à pluribus approbata; tamen stabimus ei quod Papa id dicit, vt expressè tradatur, & non per consequentiam.* Sic Glossa. Plures ergo mentem eiusdem Pontificis non fuerant assecuti in Decretali, quæ de hoc præcesserat, & extat *Cap. Ad falsariorum*, de crimine falsi, quam pauci videntur melius penetrasse.

Contra Canonicum Ius.

Cap. Capellanus.

Cap. Nouimus.

Glossa.

34. Neque vrget quod dicitur, ex duabus opinionibus vnam esse falsam, si contrariæ sint. Si enim id aliquando obstaret, fieret ex eo neque assensum circa aliquid cum fundamentis sufficientibus ad inclinandum intellectum, licet cum formidine oppositi, posse dici probabilem. Nam fortè falsus est, etiamsi probabilis videatur. Quod cùm dici nequeat; videat sic arguens quomodo id stare queat, vt quod falsum est, probabile esse possit. Id quod explicari potest applicatione doctrinæ ex Aristotele & Diuo Thoma propositæ *n.*26. Ita enim falsum proponi potest, vt prudenter quis posit circa illud firmare iudicium, aut assentiendo eidem, aut saltem iudicando posse iuxta id, quod apparet, prudenter operari. Si enim multoties ita res occurrunt, vt sine vlla formidine homines verum iudicent, quod re ipsa falsum est, quanto illud potiùs accidat respectu formidolosi assensus vel iudicij de ipsius verisimilitudine? Sic iudices duorum aut trium testificatione reum condemnant, nihil circa caussam formidantes, cùm tamen illi fidem tantùm probabilem fundare queant, vnde & accidere potest id esse falsum quod etiam cum iuramento affirmarunt, vt non pauca experimenta comprobarunt.

Non obstat falsitatem vnius ex illis.

35. Neque hoc est inuentum Theologorum, vt sic liberum sit illis secundùm opinionem, quæ libuerit, operari. Quod quidem non sine illorum iniuria dici potuit: quærere inquam non legitimas vias ad suas & aliorum laxandas conscientias. Quod quidem si de vno aliquo, aut vno pluribus contigisset dici, tolerabile forsitan fuisset: at pronuntiatum dictum omnes

Enormis criminatio, esse inuentum Theologorum.

omnes tangit, & in ijs sapientissimos & sanctissimos, ac Theologiæ Principes. Non est ergo illorum inuentum ob prædictum finem, sed ob manifestandam veritatem ex solidissimis deductam fundamentis, & conscientiarum offendicula submouenda: cùm negari nequeat varietatem opinionum ad id conducere non parum; quod eruditè prosequitur Dom. Caramuel in citato Apologemate, & alij. Vnde & Pontifices multoties ea vtuntur pro grauissimarum caussarum decisione, vt vidimus *n.*10.28.& 33. Et iuxta eas responsa etiam in Iure Canonico extant, & præter adducta egregium specimen occurrit in *Cap. Maiores* de Baptismo, vbi de infusione habituum supernaturalium in Baptismo paruulorum.

Cap. Maiores.

Opinionem alienam & probabilem simul esse non posse. Idem, qui falsus conuincitur.

36. Simile præfatis paradoxum habet *Cap.*2. *citato n.*34. & 181. scilicet perperàm formari ab scribentibus, quæstionem, an sequi liceat opinionem alienam probabilem; nam si aliena est opinio, non propria, qualiter sequi poterit, vel opinio probabilis dici, cùm ista sit assensus operantis? Sin autem propria sit per assensum alienæ parti præstitum, quare aliena dicitur? Sic ille contendit vtroque loco, aduerbio *perperam* parùm reuerenter vsurpato. Contra quem est, rationem probabilis in opinione non solùm sumi formaliter ab assensu in illam tendente, secundùm quòd actus intellectus est, sed etiam obiectiuè: nam antequàm quis assensum præstet obiecto sibi proposito, dici illud potest probabile, quatenus vim habet inclinandi intellectum modo dicto. Quemadmodùm res non dicitur vera solùm, aut verè talis, ab actu tendente in illam, sed ex se habet intellectum, ad verè assentiendum inclinare. Quamuis Spinula *Tractatu de electione agibilium pag.*65. contendat nihil ex se esse probabile, quia in se verum est, & tantùm est natum inclinare intellectum ad sui veram cognitionem. Vnde ad summum id, quod diximus, erit verum respectu opinionis veræ, non tamen falsæ. Sed quidem cùm res obiectæ sint causa assensus probabilis falsi, quam vim non accipiunt ab ipso assensu; ita & probabiles dici possunt, dum ex aliquo accidenti impeditur genuinus ad veritatem influxus: & quemadmodùm plurium testium assertio probabilem in iudice elicit assensum circa Rei crimen: ita rerum multarum concursus pro testimonio est, & ita probabilitas in eis obiectiua resplendet. Licet ergo assensus in alterius intellectu existens, non sit proprius eius, qui contrarium tenet; motiua tamen non magis alterius, quàm sua sunt: & potest prudenter philosophari sic: Hæc quidem motiua me non conuincunt, vt assensum præstem: at qui conuincunt talis viri sapientis intellectum: potest ergo aliquid in illis subesse, quod ego non assequor, vnde & prudenter possum iuxta illius opinionem, operari. Et videmus non semper contrarium sentientem plus assequi propter quod ad assensum moueatur; dici tamen potest ob specialem intellectuũ dispositionem, quædam magis vni quàm alteri adæquari: vnde non solùm æquè sapiens, sed sapientior dicere potest alterius se opinionem sequi, quia non leuia motiua æstimari debent, quæ intellectui viri sapientis coaptantur. Sicut in auxilijs diuinis

Spinula.

Probabilitas obiectiua vt stare queat.

atcidit: aliquod enim quandoque minoris virtutis physicæ mouebit quempiam; cùm tamen aliud maioris efficaciter non moueat alium, iuxta receptam doctrinam Societatis.

Prudens ratiocinatio circa alienam opinionem.

37. Et quidem cùm opinio secum afferat formidinem circa partem contrariam, prudenter quis ita secum ratiocinari potest: Ego quidem non licitum esse hunc contractum reor, sed forsitan fallor, & contrarium sentientes attingunt veritatem: non ergo perperàm fecero, si iuxta eorum contraham opinionem: volo igitur contrahere. Quod hic absonum? Possem equidem opinionem talem sequi, si contraria non essem imbutus, sed circa casum talem iudicium suspendissem, ex ea irrefragabili regula: *Hoc sentiunt viri docti, & pij: ergo sequi licet.* Quod stare potest sine assensu determinato circa illud, quo statuam ita esse vti à sapientibus affirmatur. Ex quo arguo. Ergo etiam si determinatum assensum habeam circa oppositum, similiter operari potero. Consequentia liquet: quia respectu talis operationis per accidens se habet huiusmodi determinatus assensus, cùm nullo modo influat. Quemadmodùm si quis habeat equum, quo iter facere possit, & amicus illi alium accommodet, valde per accidens se habet proprius, nec iuuans, nec impediens, alteri vsui reseruatus.

Regula citati scriptoris circa iudicium de opinionibus non admissa.

38. In *eiusdem Capitis n.*195. hanc regulam tradit: Quòd si ab vno Doctore pio & docto accipiam aliquid fieri posse, & nihil in contrarium habeam: Ego quidem non solùm in opinionem, siue probabilitatem; sed in assensum sine formidine, id est, in certitudinem inducar, & rectè me inductum intelligam. Sin autem pro contraria parte videam esse plures pios & doctos, tunc illa pars mihi probabilis erit; & vna, quam solus vnus defendit, improbabilis: non tamen illam dicam falsam absolutè, quia illius Doctoris pij & docti, qui pro illa est, auctoritas, id impedit, & causat, vt cum formidine contrariam veram absolutè iudicem. Sin tandem pro & contra videam æquales, in dubium inducar circa veritatem quæstionis, de qua agitur, neque audebo iudicare qualisnam illarum sententiarum vera, qualis autem falsa sit: ac per consequens neque qualiter se habeat illud, de quo quæritur. Ex quo infert neque operari iuxta aliquam partem posse nisi more dubij, non opinionis, quod latè probat à *n.*44. generaliter etiam contendens non posse duas partes contrarias esse probabiles.

Et efficaciter improbant.

39. Quæ quidem regula non videtur admittenda. Nam in primis vnius Doctoris sententia, licet nihil mihi in contrarium occurrat, certitudinem non fundat, licet excludat actualem formidinem, iuxta dicta *n.*28. pro quo Cardinalis Lugo *Disputat.*2. *de Fide num.*90. inde probans cum assensu fidei stare posse assensum opinatiuum: assensus namque probabilis secundùm suam substantiam non est formido formalis, sed radicalis, scilicet talis assensus, ex quo nasci posset formido, si non impediretur. Quam radicalem formidinem Illustrissimus Caramuel *nu.*83. vocat obiectiuam: quàm autem propriè non est seriò discutiendum. Talis ergo est assensus, de quo loquimur, qui ex dispositione subiecti formidine caret, quia nihil, quod eam excitare possit,

Cardin. Lugo.

Cum assensu fidei stare potest opinatiuus.

possit, occurrit. Estque manifestum non posse habere certitudinem, quia non est vnde eam habere queat: si enim alicundè, maximè ex auctoritate Doctoris docti & pij; at inde nequit, quia ipse Doctor eam non habet, & nemo, quod non habet, dare potest. Quod est verum, etiamsi Doctor talis euidentem reputet suam sententiam, quod contingere posse tradit P. Arriaga *Tomo* 1. *in* 1.2. *Disput.*24.*n.*1.

P. Arriaga.

Vnius Doctoris sententiam esse posse probabilem.

40. Quod præterea additur de amissione probabilitatis, si vni Doctoris docto ac pio plures similiter qualificati contrarientur, non est vt statuitur admittendum: cùm item addatur illius sententiam iam esse improbabilem: vnius enim Doctoris docti & pij admitti tanquàm probabilis sententia potest in conflictu multorum, vt iam est communis scribentium sensus, quorum plurimos adducit Lezana in *Summa verb. Opinio Regularibus tenenda, n.*3. Dom Solorzanus *Tomo* 2. *de Iure Indiarum. Lib.*3.*Cap.*1.*in fine* Thomas Hurtadus *Tomo* 2. *Resolut.moral.Tract.*10.*in Appendice nu.*33. Stephanus Spinula Tract. citato. pag. 162. Petrus à S. Ioseph in *Idea Theologiæ moralis Lib.*1.*Cap.*3. *Resolut.*4. Quod & admittit Dom. Arauxo *Disput.*9.*n.*4. quando in Doctore non solùm spectatur auctoritas, vt spectari non debet, nisi efficaci ratione fulciatur eius sententia. Quod si verum esset illam esse improbabilem, bene posse vocari falsam sententiam potiùs quàm opinionem, affirmat dudum citatus Lezana *n.*2.

41. Notas autem improbabilis opinionis proponit Eligius Bassæus *in Floribus Theologiæ moralis*, verb. *Conscientia n.*8. *vers. vt conscientia*, dicens talem esse, quæ aut leui ratione confirmatur, aut contra Sacras Litteras, vel Ecclesiæ definitionem esse deprehenditur, aut scandali, alteriusve peccati mortalis periculum in praxi habere ostenditur. In quo quidem quod ad leuem rationem attinet, communis est Doctorum assertio; reliqua non ita absolutè prolata videntur admittenda: quia quod est contra sacras litteras, & Ecclesiæ definitionem, plusquàm improbabile est, vt constat. Et quod periculum peccati præbet, periculosum est, vnde & Theologicæ Censuræ subiectum. Sic ergo temperandum, vt locum habere possit, iuxta id, quod habet P. Thomas Sancius in *Opere morali Lib.*1. *Cap.*9.*n.*11. vbi ait euenire solitum, vt aliqui scribentes non attenderint rationem aliquam, legem, aut Decretum, vim maximam contra eorum opinionem habere; at Neotericos ijs conuictos iam contrarium asserere: & tunc non debet censeri probabilis antiquorum Doctorum sententia. Sic ille loquitur. Vbi benè ostendit aliud esse contra apertam Scripturæ auctoritatem aut definitionem Ecclesiæ in assertione procedere, aliud ex Scriptura & lege aut Decreto magnum fundamentum haberi, quod alij non attenderint, cùm tamen non omnino apertè contra assertionem militent, & aliqualiter possint explicari. Et similiter quod de scandalo dicitur, accipiendum, vt quod non tale sit periculum, quin possit aliquali via saluari, ex ea parte non esse sententiam penitus improbandam. Vnde benè ait idem Pater, quòd si eo Decreto ac ratione perpensis aliqui Neoterici ea dissoluentes amplectuntur adhuc eam antiquorum sententiam, debet probabilis reputari, vt eam sequi liceat. Quod priùs tradiderat P. Vasquez *Tomo* 1.*in* 1.2. *Disput.*62. *n.*17.*&* 18.

Eligius Bassæus.

Nota opinionis improbabilis, qualiter accipienda.

P. Thomas Sancius.

P. Vasquez.

42. Et id quidem in ea sententia videre est, quam robustè propugnat Basilius Pontius *de Sacramento Confirmationis parte* 2. *Cap.*4. *per totum*, scilicet non posse committere simplici Sacerdoti consecrationem Chrismatis, quia Decreta Pontificum videntur pro eo expressa, Ecclesiæ vsus perpetuus in contrarium, & consensus Patrum: vnde infert oppositam esse improbabilem, *quia quamuis quatuor aut quinque Doctores eam asserucrint; at, si fundamentum attendas, penes quod opinionum probabilitas considerari debet, nullum est oppositæ sententiæ fundamentum idoneum.* Sic ille scribit: quem tamen excessisse in censura affirmat Diana *parte* 8. *Tract.* 1. *Resolut.* 2. ex eo quòd, & solida nititur ratione, & Decreta Pontificum commodam habeant explicationem, sicut & Patrum; neque ex vsu irrefragabile possit argumentum efformari. Carpit autem idem Diana Patrem Baunij quòd opinionem Pontij falsam vocauerit *Tomo* 1. *Tract.at.*7. *Quæst.*9. *circa finem.* Sed in primis hic Auctor quęstionem hanc non disceptauit, nec Auctorem aliquem aduersantem aut suffragantem adduxit, sed breuissimè asseruit falsum esse potestatem faciendi Chrismatis non posse Sacerdoti à Papa concedi. Vnde nulla ex ea parte iniuria cuiquam taliter sentienti debet illata censeri. Deinde, vt in *Thesauro* ostendi tenens vnam sententiam, quam eo ipso veram reputat, contrariam consequenter debet non veram reputare. At non verum quid aliud nisi falsum est, cùm sint immediatè contraria? & ita in Auctoribus passim occurrit, quod post Thesauri scriptionem sæpiùs in eorum aliquibus, & quidem modestissimis deprehendi. Et in negotio, in quo sumus, asserere teneri nos ad sequendum id, quod est probabilius, aut omnino tutum, affirmat P. Suarez *Tractatu* 3.*in* 1.2. *Disp.*12.*Sect.*6. *n.*9. esse apertè falsum. Et ipse Homen (vt vidimus *n.*31.) negat duas sententias oppositas esse posse probabiles, quia vna tantùm potest esse vera, & ita aliæ sunt necessariò falsæ. Vide etiam infra n.69. circa opinionem Glossæ.

Basilius Pontius, *improbabilem sententiam asserit Pontificem non posse committere simplici Sacerdoti consecrationem chrismatis.*

P. Suarez.

Homen.

43. Iam quod de paritate auctoritatis dicebat citatus dudum scriptor, dubium tantùm ex illa, etiam si parùm aliquid vna excedat, resultare, nec posse vno pacto de veritate aut falsitate cuiusquam illarū pronuntiari, tenet etiam P. Arriaga *Disp.*24. *citata n.*29.*&* 30. quando scilicet planè æquè intellectus vtramque partem iudicat probabilem: ad id enim nequit voluntatis imperio compelli, cùm voluntas vt sic imperet rationem, debeat habere aliquam, qua trahat intellectum vt vnum alteri præferat tamquàm verum, altero vt falso reiecto: quemadmodum non potest ille ex simili imperio adigi vt iudicet stellas esse pares aut impares, quia pro neutra parte ratio aliqua ad sic iudicandum occurrit.

Stante iudicio paris Probabilitatis res dubia perstat.

P. Arriaga.

44. Sed potest argui ex receptissima sententia, iuxta quam ex duobus bonis æqualiter propositis potest voluntas vnum eligere, altero relicto. Verùm ex hoc nequit sufficienter vrgeri: quia voluntas pro sua libertate potest quidem bonum quodlibet ex propositis eligere; & nequit facere vt intellectus ea proponens, stante propositione talis iudicium mutet, & dictet vnum illorum esse eligendum, quia specialis ratio in eo extat, iam enim sibi contradiceret, & sine nouo motiuo in obiecto nouam reciperet mutationem. Quod quidem in casu nostro accideret: nam cùm duæ sententiæ omnino æquales occurrunt, intellectus iudicat vnam non esse altera probabiliorem, quia pro oppositio iudicio deest motiuum sufficiens, vnde si illud haberet, sibi contradiceret: diceret enim esse simul veram & falsam, quia vtramque esse veram, aut vtramque falsam non est vnde possit affirmare. Ex qua certa, vt videtur, positione infert P. Arriaga iudicem inter duos litigantes æquè probabilibus fundamentis non posse rem, pro qua lis mouetur, vni adiudicare, sed inter eos diuidendam, si nullus possideat: quod quidem & alij tenent, quos adducit & sequitur P. Palaus *Tomo* 1.*Tract.*1.*Disput.*2. *Puncto* 10.*n.*2.*&* 3.*&* Diana *Parte* 1.*Tractat.*13.*Resolut.*3. Sed Leitonius contra resolutionem dictam acerrimè præliatur, concludens *n.*163. iudicem in eo casu debere à iudicando se abstinere; quod si compellatur, in fauorem Rei dicendam sententiam, nisi actor fauorabiliorem causam prosequatur: est autem fauorabilior causa matrimonij, dotis, libertatis, pupilli, peregrini, viduæ (circa quam, si diues sit, non ita certum, vt in Thesauro dixi. *Tomo* 2. *in Additionibus nu.*139.) & generaliter quæ pia est, vbi religio locum habet superiorem. Pro quo hæc satis sint in præsenti, si addam Leitonij assertionem quoad abstinendum à sententia, numquàm locum habituram, sicut rarissimè P. Arriagæ quoad visionem, quia modus talis non est in vsu, licet soleant iudices in euentu simili compositionem partibus suadere, aut si iudex compromissarius sit, de quo & *inferius.*

Iudicem in pari causa non posse vni rem adiudicare, sed diuidendam.

Homen *tamen abstinere à iudicando debere affirmat.*

A Diana *impugnatur.*

P. Palaus.

Tomo 1. *In Additionibus n.*125.

Contraria opinio vt falsa dici queat.

§. II.

Alia scitu digna circa materiam eamdem.

45. ILlud iuxta nuper dicta discutiendum venit, an cum assensu circa vnam partem possit stare aliqualis assensus erga oppositam, quando scilicet inæqualiter sunt probabiles, ita vt quis possit iuxta illam, quam falsam reputat, inculpandus operari. Circa quod Leitonius *suprà* negatiuè respondit, pro quo & multiplices probationes. Et habet ille pro se P. Palaum *Tomo* 1. *citato nuper loco. Puncto* 2. *num.*4. ex eo arguentem, quòd sequeretur similis contradictio in intellectu ei similis, de qua *num.*43. Iudicat enim quis absolutè per assensum probabilem se esse obligatum ad restituendum: vt autem operetur secundùm contrariam opinionem, debet iudicare se non esse obligatum, in quo est contradictio. Vnde addit quòd cùm secundùm opinionem aliorum vult quis operari, iudicium probabile aut probabilius suspendere debet, vt potest, cùm non sit euidens & clarum, & ita non rapiens necessariò intellectum. Et ita docere ait P. Thomam Sancium, sui immemorem *Lib.*1. *in Decalogum Cap.*9.*n.*42. in Medico consulente contra propriam opinionem: vbi postquàm dixerat non esse licitum, subiungit: *Quod intelligo retento eo dictamine: nam attendens doctiores contrarium asserere, posset prudenter id deponere, ac iam medicinam consulere.* Et vrget ex eo quòd iudicium de probabilitate non dirigit opus se solo, neque est iudicium probabile, sed euidens; cùm tamen probabile esse debeat secundùm mentem ipsius operantis, quo censeat se non esse obligatum hic & nunc: nec enim sufficit, si alij iudicent non esse obligatum, quia conscientia proprio, non alieno dictamine dirigenda est.

Sententiam quam quis falsam iudicat amplecti non posse.

Iudicium circa propriam suspendendum.

P. Thomas Sancius.

46. Sed prædicta non vrgent, vnde securissimè dicendum etiam retento assensu probabili circa vnam partem, posse qui voluerit, & commodum sibi reputauerit, amplecti contrarium. Quod cum P. Vasquez: & P. Azor tenet P. Thomas Sancius *supra num.* 12. *&* 15. P. Arriaga *Disputat.* 24. *citata nu.*9. & hoc videntur sibi velle qui absolutè affirmant posse opinionem minùs probabilem eum, qui probabiliorem iudicat aliam, amplecti: qui enim sic iudicat, ordinariè ita esse sibi persuadet. Sunt autem illi quamplures apud Dianam *parte* 1.*Tract.*13. *Resolut.*1. Lezanam *verb.Opinio.n.*4. Eligium Bassæum *Tomo* 1.*Verb.Conscientia nu.*8. cum eisdem sentientes: ex quibus Bassæus etiam expressè de assensus retentione loquitur. Et est sanè res explicatu facillima, vt mirum sit P. Palaum hæsisse circa illam. Hi quidem actus, Ego iudico hoc mihi non esse licitum, iuxta propriam opinionem, & Ego iudico hoc mihi esse licitum, iuxta propriam opinionem, sibi non contradicunt: ergo simul esse possunt. Antecedens constat, quia vnus non affirmat quod negat absolutè alter, secùdùm eamdem rationem, vnde iuxta bonam Dialecticā contradictio esse nequit. Exemplo res clarescit. Enuntiationes istæ contradictoriæ non sunt iuxta sensum proferentis: *In die festo non licent opera seruilia. In die festo licent opera seruilia.* Nam prior est absoluta secundùm tenorem præcepti, & ita vera. Altera etiam vera est, quia in die festo licent opera seruilia in multis casibus, de quibus Doctores. Et quia non affirmat absolutè, sed secundum subintellectam limitationem. In materia etiam, de qua agimus hæ sunt veræ: *Mihi non est licitum hoc facere: Mihi est licitum hoc facere.* Non est quidem licitum iuxta opinionem, quam teneo: atqui possum eam deponere, & iuxta aliam operari, quod aduersarij admittunt. Cessat, ergo contradictio, ex ratione dicta, quia non sunt de eodem, & circa modum versantur, in quo sibi non repugnant.

Contrarium statuitur.

47. Neque vrget quod dicitur de iudicio probabili necessario ad operationem, per quod reguletur conscientia, vel sit potiùs regula: nam reuera tale iudicium datur, quo affirmo hoc mihi esse licitum iuxta probabilem sententiam aliorum, aut ex principijs proprijs rei eiusdem, iuxtà sententiam multorum, qui contra P. Vasquez tenent posse quemuis sententiam probabilem amplecti, non solùm per principia extrinseca, auctoritatem scilicet eam sequentium, sed etiam per intrinseca, causas scilicet aut effectus &c.

Iudicium practicum vt sit necessarium de substantia operationis.

Ex aqualitate bonorū non bene arguit ad aqualitatem opinionum ob discrimē voluntatis & intellectus.

&c. Quod quidem iudicium probabile est, & valde diuersum ab alio, quod euidens dicitur, & circa probabilitatem versatur. Sicut enim oppositam sententiam amplexus, probabiliter iudicat id sibi esse licitum; ita & iudicium, quo ego pariter mihi licere iudico, probabile est, & sic diuersum à reflexo illo supra probabilitatem cadente.

P. Thom. Sancius explicatus.

48. Contradictio autem illa, quæ P. Thomę Sancio obijcitur, non est in viro tanto credibilis, nec potest memoriæ defectui adscribi, in eadem quæstione versanti, vnde commoda explicatio requirenda. Ait ergo medico non licere consulere medicinam, quam putet noxiam futuram infirmo, quamuis nouerit doctiores sentire fore salutiferam. Et addit statim quod vidimus; per quod nihil vult aliud, nisi quòd non operans iuxta propriam mentem, possit aliorum sententiam consulere doctiorum. Cùm ergo dicitur quòd retento dictamine id fieri nequeat, sed prudenter deposito, sensus genuinus est id fieri posse non operando iuxta proprium dictamen: quod quidem deponi dicitur, quando iuxta illud non agitur, sed iuxta aliud; estque illud iuxta verbi proprietatem, iuxta quam dicitur quis deponere pallium, non quòd illud abijciat, eo ampliùs non vsurus, sed quia retento dominio, ab vsu abstinet. Sic de rege humano cum aliquo agente dicimus etiam sic agere maiestate deposita, quod de Christo etiam loquens D. Cyprianus de *Cardinalibus Christi operibus Sermone* 1. scilicet *de Natiuitate*, peregrini titulo declarauit, vocans *peregrinum à Maiestate*. Et in idem fortè recidit, quod habet Angelus Bossius *parte* 1. *nu.* 106. dicens locutum P. Sancium de dictamine practico, non de speculatiuo. Pro quo hæc satis.

Verbum Deponere, *vt accipiendum.*

D. Cyprianus.

Angelus Bossius.

Homen *Obiectio, ex improbabilitate duarum partium contrariarum.*

49. Contendit autem Leitonius *suprà n.* 51. præfatum assertum demoliri sic arguens: si duæ partes contrariæ possent apud eumdem intellectum simul esse probabiles, vtique ambæ possent dici esse improbabiles, siue non probabiles: hoc asserere esset ridiculum: ergo & illud. Maior probatur. Nam potest Auctor contrariam suæ sententiæ improbabilem dicere, & per contrarium Auctor contrariæ de oppositа similiter pronuntiare: ergo vtraque erit improbabilis. Antecedens constat, & consequentia ostenditur. Quia nō magis eorum auctoritas & fundamenta concludunt suarum partium probabilitatem, quàm improbabilitatem ab eisdem contrarijs partibus assignatam. Ad hoc autem responsio est facilis distinguendo de improbabilitate absoluta & respectiua: prior negatur, alia conceditur & est hæc, quæ secundùm quid talis est, quia vni alicui sic videtur auctori; cùm tamen absoluta ea sit, quæ communi Doctorum calculo talis iudicatur: Ex eo autem quòd in opinionis probabilitate accidit, quam vnus potest, iuxta dicta, Auctor conciliare, non benè arguitur pro improbabilitate: quia vir doctus potest rationem aliquam solidam inuenire, propter quam sibi persuadeat rem ita se habere, cui iuncta ipsius auctoritas, si aliæ concurrant qualitates, in caussa erit, vt habeat meritò illius sententia vnde debeat prudenter admitti. Ad improbabilitatem autem absolutam necessarium est vt nulla solida ratio pro ea sententia sit, & communis Auctorum sensus ita statuat: quod quidem nullus præstare potest respectu alicuius opinionis, quia ratio, quæ illi videtur leuis, alijs apparet non contemnenda; neque vnius alicuius auctoritas communem valet auctoritatem conquassare. Addo, etiam si admittamus duas sententias improbabiles cum ea generalitate, quam Auctor potest conferre sententiæ probabili, inde nihil contra statutam elici posse doctrinam, quod eidem officiat: potest enim quis opinionem à viro docto & pio improbabilem reputatam, ob illius auctoritatem, talem reputare, probabiliter tamen; vnde non obstante huiusmodi improbabilitate, potest eam complecti, quia etiam probabiliter est probabilis: idque maximè, cùm iuxta Doctores alios probabilis sit, & gradum habeat minimū improbabilitatis, sicut regulariter loquendo, gradum minimum probabilitatis habet, quæ ab vno tantùm Doctore defenditur.

Diffoluitur explicata propria improbabilitatis ratione.

Alia ex eodem pariter enodata ab improbabilitate sententia oppositа.

50. Sed instat ampliùs, n. 55. ex eo arguens, quòd si sententia, quam quis sequitur, est probabilis, contraria necessariò est improbabilis. Ex quo inferri potest non posse prudenter iuxta eamdem operari. Id probatur. Nam contrarium probabilis est improbabile, sicut contrarium veri est falsum, & bono malum. Sicut ergo quando dicimus, hoc est verum & bonum inter duo contraria, intelligimus & significamus contrarium esse malum, vel falsum: sic etiam quando hoc probabile sentimus aut dicimus, veluti rem esse nostram, vel contractum non esse vsurarium, contrarium improbabile sentimus & dicimus tacitè: scilicet improbabile esse rem esse alienam, vel contractum vsurarium. Huic argumento duas ab insigni Theologo datas responsiones adducit. Prior est negando quod existente in aliqua propositione vno contrariorum, debeat in propositione illi contraria aliud contrarium existere, quia manifestum est posse dari duas contrarias simul falsas. Quam respondendi rationem dignam Theologo, & consequenter Philosopho, non est mirum à Iurisperito non fuisse efficaciter impugnatam. Altera quòd licet probabile & improbabile opponantur contradictoriè, inde solùm sequi quod vnum eorum possit prędicari de quocumque subiecto, sed non sequi quòd altero eorum existente in aliquo subiecto, oportet alterum esse in subiecto opposito. Contra quod opponit, quod Theologus ille sapientissimus nulla ratione siue exemplo dicta probet. Sed exemplum potest esse in hac contradictione; *Penetrabile*, & *Impenetrabile*: ex quibus vnum necessariò rei cuilibet conuenit. Ex eo autem quòd calor sit contrarius frigori, sequitur quòd si vni aliqua ex dictis ratio competit, debeat contraria conuenire? Minimè quidem. Vnde vtraque qualitas & penetrabilis est cum proprio subiecto, & impenetrabilis cum alieno. Ex his ergo abundè est satis factum argumento, quod dictus Auctor validissimum arbitratur.

Amplius explicata ratio improbabilitatis vt non obstet assertioni.

51. Sed præterea respondeo negando assumptum, & ad probationem dico probabile & improbabile non esse contraria philosophicè loquendo, sed contradictoria, vnde similia non

sunt verum & falsum, quæ contraria sunt, sicut bonum & malum, quamuis ex simultate eorum possit contradictio resultare. Sed quidquid de hoc sit, non sequitur quod intenditur: quia vt improbabilis esset opposita sententia respectu amplectentis contrariam, deberent concurrere quæ ad improbabilitatem necessaria sunt, quod tamen desideratur: non enim amplecti eam, non est improbabilem reddere, sed improbatam: sicut eligere aliquid præ alio, non est istud odio habere: neque quia hoc est amabile, illud est odibile, vt communiter explicatur doctrina Christi de odio propriæ vitæ, parentum, vxorum, & cognatorum, vbi odium minorem designat amorem. Contradictio ergo dicta exercetur respectu opinionis verè improbabilis: respectu autem amplectentis probabilem contradictio dicta probatæ & improbatæ. Quia verò cum verum aut bonum dicimus, in opposito inuenitur quod est falsi & mali proprium, inde diuersa ratio pro casu nostro videtur manifesta. Addo iuxta eumdem Auctorem, non semper cùm vnam sententiam veram dicimus, aliam necessario debere falsam compellari, vt vidimus n. 38. de opinione vnius Doctoris: datur ergo medium iuxta illum, sicut & dici potest de bono & malo, inter quæ datur indifferens. Omitto rationes alias facilem habentes solutionem.

Assensus circa duas partes probabiles stare nequit.

52. Impugnat etiam ille asserentes, stante assensu circa vnam partem probabilem, posse dari etiam circa oppositam. In quo quidem alios habet similiter sentientes, ex quibus est Mag. Petrus Cornejo 1. 2. *Tract.* 8. *circa Quæst.* 19. *Disput.* 13. *Dub.* 1. Montesinus 1. 2. *Disput.* 29. *Quæst.* 5. *nu.* 153. Lorca ibidem *Disput.* 39. *vers. Sed nihilominus*, cum citatis Patribus Vasquez, Azor, Sancio, Palao, Arriaga, qui ex eo arguunt quòd esset in intellectu contradictio, dum simul affirmat verum esse id, quod absolutè esse non potest, vt scilicet duo contradictoria vera sint. Neque enim iam hic dici potest non dari contradictionem, quia affirmatio aut negatio non sunt de inesse, sed de modo; nam reuera non cadit iam illa super modum aliquem, sed super substantiam obiecti, dum dicitur absolutè, & non tantùm in ordine ad operationem, *vt suprà* dicebamus, cùm quis operatur iuxta sententiam probabilem, *Hic contractus est vsurarius, hic contractus non est vsurarius.* Ad quod Theologus ille insignis, sapientissimus, & eximius, vt eum vocat citatus scriptor, sic respondebat, vt videri potest. *nu.* 65. non esse mirum approbari ab eodem vtramque partem sumptam practicè, non speculatiuè; neque per consequens esse inconueniens quòd nullam iudicet falsam vel veram speculatiuè, at practicè iudicare vtramque veram, quia iudicat secundùm vtramlibet posse operari sine temeritate, formata ritè conscientia practica iuxta illam, etiamsi iudicet veritatem speculatiuam esse in oppositum.

Vera pro eo ratio.

53. Sed hæc responsio meritò non placuit Leitonio, & ita contra illam aliquas instruit rationes. Inde profectò videtur efficacissimè conuelli quòd immutato obiecto impossibile est apud intellectum esse physicam & propriam mutationem: hoc autem in casu nostro contingit: intellectus enim iudicans talem contractum esse vsurarium, quod tamen opposita sententia negat, probabilis ab eodem iudicata, ex eo quod illam voluntas in ordine ad operandum iuxta ipsam velit amplecti, nihil habet ratione cuius aliter appareat: ex quo fit non posse contractum talem verè vt licitum acceptari, & talem proferri. Et licet sint Doctores asserentes ex eo quòd aliquid sit speculatiuè tale, non bene inferri idem censendum de practico; id certè est contrario modo philosophando; vt scilicet non quidquid est speculatiuè probabile, debeat practicè vt licitum usurpari. At quòd id, quod est speculatiuè illicitum, possit licitum esse practicè, peregrinum dogma est, & à mente Scriptorum alienum, de speculatiuo loquendo cum omnibus suis circumstantijs, quæ in praxi occurrere possunt, accepto. Vnde non potest argui ex eo quod hæc enuntiatio, *Occidere hominē est peccatum mortale* vera sit; & tamen in praxi tales possint occurrere circumstantiæ, vt vel tantùm veniale sit, deficiente plena aduertentia, vel nullum, si in defensione propriam, aut innocentis, esse contingat: nam occisio cum talibus circumstantijs speculatiuè sumpta proponitur eodem modo, vt vel venialis, vel in culpata sit. Quod quidem in casu nostro euenit: nam licet quis iudicet contractum talem esse vsurarium; cùm oppositum repræsentatur eidem vt probabile, ex eo speculatiuum iudicium etiam habet, scilicet licere talem opinionem sequi stante iudicio de illius falsitate. Cumque aduocata huiusmodi sententia ad practicum exercitium, nihil nouum appareat in obiecto, nec circumstantiæ aliquæ possint in illo nouiter aduenientes considerari, nequit verum simpliciter pronuntiari.

Vt queat aliqualiter sustineri, per assensum æquiualentem.

54. Potest autem doctrina prædicta ad sanum sensum trahi, si dicatur non quidem esse in amplectente opinionem contrariam dictamen, quo veram esse pronuntiet, benè tamen æquiualenter, quatenus eo ipso quòd illam ad vsum adsciscit, perinde illam amplectitur ac si vera esset, cùm similiter à peccato excuset, ad quod non est necessarium vt aliquid nouum in obiecto appareat: nam hoc ipsum quod est veram esse æquiualenter, in statu quasi speculatiuo habet, iuxta quem est verum dicere opinionem talem, quandoquidem potest ad vsum trahi, in amplectente contrariam habere omne id, quod necessarium est, vt possit æquiualenter vera reputari. Sed quia illud tantùm habet in actu signato, potest dici status ille speculatiuus; vel, si aliter libeat loqui, non multùm circa illud altercandum, & quidem quoad negotium morale positio duorum dictaminum adeò inter se pugnantium minimè necessaria est, cùm iuxta dicta possit conuenienter expediri. Vt quid ergo id, quod planum & expeditum debet industria Theologorum reddi, grauibus ad Philosophiam spectantibus difficultatibus implicatur? Ergo ad alia.

§. III.

Notatu digna circa probabilitatem ob vnius Doctoris auctoritatem. Ad dicta in Thesauro Tit 4.n.51.

Qualitates vnius Doctoris ad recedendam opinionem probabilem.

55. DOctorum vnicum ritè qualificatum opinionem reddere posse probabilem diximus n.40. Qualitates autem ad duo capita reducuntur, ad sapientiam scilicet eximiam, & exploratam probitatem. Pro quo & Bassæus Tomo 1. verb. Conscientia nu.8.§. Vt opinio, P.Arriaga *Tomo 3.Disput.24. num.12.&* 13. P. Tannerus *Tomo 2.Disp.2: Quæst.4 nu.29.* Leander à Murcia *in disquisitionibus moralibus Lib.1. Resolut.15. per totam*, ac plures alij. Immo addit P.Arriaga non solùm probabilem esse posse, sed probabiliorem. Quod cùm & teneat doctus Pater Fr.Didacus à Præsentatione *in Theologia morali Cap.1. Dubio 2.* Ita de eo scribit: *Neque propterea negamus inueniri posse Doctorem ita scientia eminentem, prudentia, pietate præditum, quòd tutò eius opinionem sequi possemus, quamuis fundamenta eius non possemus penetrare. Sed quis est hic, & laudabimus eum? qui faceret mirabilia in vita sua; qui de sua pietate & doctrina commendatus esset ab Ecclesia, vel qui in communi Doctorum assensu talis esset, qualis requiritur, vt dictum eius pro multis valeret?* Hæc ille. Quæ cùm Religiosus Encomiastes pro censura designatus Decisionum moralium Illustrissimi Arauxo præmisisset, sic subdidit: *Sed quamuis non diffitear procul & de vltimis finibus pretium tanti viri esse: & ad hæc vsque tempora, vix etiam adhibita Diogenis lucerna, inueniri potuisse; præ oculis tamen mihi obuium eum habere iudico, quando in lucem prodit Illustrissimus &c.*

P.Arriaga.

P.Didacus. à Præsentatione.

Exorbitans adulatio.

Eximium P. Suarij. *encomium. Modestissimè ab eodem detractatum.*

56. In quibus profectò quod ad laudem viri tanti spectat, vt vnus ex ijs Doctor sit, qui ob egregiam sapientiam, & eximiam religionem, singulari possit opinioni probabilitatem conciliare, non ægrè sustinendum: cetera autem, quæ non sine multorum graui iniuria effusa sunt, credo equidem, nec vana fides, si laudatus legit, nullatenus ipsi placuisse. Sicut nec placuit Eximio Doctori P. Francisco Suario ab Illustrissimo DD. Alfonso à Castelblanco Episcopo Conimbricensi in Encomiastica Anglicani libri censura vocari se *communem huius ætatis Magistrum, & Angustinum alterum.* Pro quo in eius vita sic additur: *Dici non potest quantum ex ea re dolorem acceperit optimus Pater* &c. Doctores sapientia & probitate insignes pro moralium rerum magisterio aptissimos tot habet Dei Ecclesia vt non procul, & de vltimis finibus eorum præ raritate sit pretium, & qui Diogenis sint lucerna conquirendi, cùm in copiosis bibliothecis etiam non quærentibus obuij passim habeantur. Et hæc est omnium eorum mens, qui de probabilitate agunt, & sententiam dictam admittunt ac docent, quam & tenet ipse Illustrissimus Arauxo, vt vidimus *n.5.* Vnde quod in illius laudem prolatum est, eiusdem doctrinæ aduersum comprobatur. Aliàs inutilis esset sententia talis, cùm nequeat pro casibus occurrentibus adhiberi: quandoquidem nullus est Doctor talis in mundo; vel si per miraculum veniat, non omnibus possit vsui esse, cùm vbique esse nequeat, nec se omnibus reddere manifestum. Quid si se non applicet ad scribendum, aut impeditus, aut nolens? sic enim sapientissimorum nobis & pietate insignium scripta in desiderio solùmodò remanserunt, Lainij Dezæ, Michaelis Vasquij, & Marci, Roblesij, Masute, Menachi, aliorumque complurium è Societate nostra, quibus externorum potest agmen splendidissimum accenseri.

Plures in Ecclesia dicas habentes qualitates.

57. Stet ergo complures in Ecclesia scriptores extare, & Deo prouidente futuros, quorum auctoritas possit eorum sententias, etsi singulares, vti probabiles commendare, vel etiam non vulgantes opera sua (qtæ circumstantia omninò per accidens se habet ad probabilitatis firmamentum, cùm multi non edentes scripta, sint ea edentibus doctiores: vt liceat aliquando Horatianum illud in *Arte* assumere: *Scribimus indocti; doctique poemata passim.* Nec eorum carpendum studium, & bene merendi de Republica Christiana conatus, numquam inutilis, cum ita scribat Diuus Hieronymus *in Proœmio Libri 12.* Commentariorum in Isaiam: *Nullus tam imperitus scriptor est, qui lectorem non inueniat similem sui.*

Et qui non sunt, tamen in Ecclesia vtiles.

D. Hieronymus.

58. Magis profectò ingenuè philosophatus & locutus Illustrissimus Caramuel in citato Apologemate, *n.* 94. vbi ita scribit: *Valde esset mirum si vir pius & doctus ita hallucinaretur, vt singularem viam iniret, & ab omnibus exesse vellet sine fundamento grauissimo: & valde esset mirum, si vir, qui ita ingeniosus est, vt aliarum opinionum rationes feliciter semper libraret, in hac vnica, cui diligentiùs studuit, & quam accuratiùs discussit, cæcus iret, & rationem leuem, esse fortem & grauem iudicaret. Sed Cardinalis Lugo habet opinionem* B, quæ singularis est: ergo opinio B, habet rationem grauem: ergo est probabilis. Sic ille: circa cuius genuinam ratiocinationem consequentia est clara contra viros illos, quibuscum decertamus.

Caramuel *robusta probabilitatis assertio à Doctore nouo.*

59. Sed pergit ille *n.seq.* sic scribens: In controuersia tali nullus scripserat. *Primus qui illam examinauit fuit P. Acacius March de Velasco, vir pijssimus, doctissimus, & ingeniosissimus. Resoluit pro parte affirmatiua. Eum errauisse non facilè creditur sum: cùm nos non voluisse decipere, vt indubitatum suppono. Ergo habuit rationes graues vt pro affirmatiua resolueret: ergo affirmatiua est probabilis.* Hæc doctissimus pariter, & pijssimus, nec non ingeniosissimus scriptor Dominicanæ familiæ alumnum, & Episcopum Oriolanum laude commerita muneratus. Vbi etiam habent prædicti Patres quo possint existimationem suam moderari, quos non est credibile tantorum virorum laudibus inuisuros.

Eiusdem vrgens ratiocinatio.

60. Nec dictis contentus Illustrissimus Præsul, ita consequenter loquitur *n.*165. cùm *num. præcedenti* hæc D. Antonini de D. Thoma loquentis verba protulisset ex *Parte 3. historiæ Tit.23. Cap.7.§.5. Erat in legendo nouos articulos adinueniens, nouumque modum determinandi inueniens, & nouas producens in determinationibus rationes.* Post hæc inquam sic concludit: *Ergo quod post Hieronymum, Augustinum, Gregorium, Ambrosium Diuo Thomæ; post D. Thomam Scoto, Ochamo, Durando, Caietano, & alijs licuit, etiam hodie post omnes hos Ioanni Sancio, Thomæ Sanchez, Suario, Vazquesio, Dianæ, Mascarennæ, &c. aut etiam Caramueli licebit.* Tantùm ille.

D. Antoninus, *ex quo firmata illa.*

Arauxus *suffragatur.*

61. Pro quo & facit id quod Illustrissimus Arauxo habet *citata Disput.9.n.14.* sic scribens: *Quandoque enim contingit in practicis & moralibus, sicut in speculabilibus multoties, opinionem minùs communem & paucorum Neotericorum esse probabiliorem, propterea quòd efficacioribus fulciatur rationibus, quam opinionem communem, & à pluribus Doctoribus etiam antiquis communiter receptam & probatam, eo quòd isti non ita accuratè inconuenientia aut argumenta in contrarium perpenderunt, sicut Iuniores, tum experientia ducti, tum etiam frequentia disputationum exercitati.* Sic ille: cuius discursus probat vnius Iunioris posse sententiam communi antiquorum anteferri, in quo inueniri adductæ qualitates possunt, & quę ab hoc docto Magistro proponuntur. Iuxta quem pauci Iuniores probabilitatem (extrinsecam intelligo, nam de intrinseca iam dixi *n.*36.) possunt sententiæ cuicumque conferre, vbi adest concursus prædictorum, sic cum Caramuele arguens: *Pone quatuor Auctores esse doctos vt octo, & Petrum esse doctum vt centum. An non in casu, qui possibilis est, opinio vnius Petri aliorum quatuor opinionibus præponderabit?* Addo ego: Si omnes dicti in eadem sententia conueniant, an non magis probabilem illam reddet vnius illius auctoritas, quàm quatuor aliorum? Id profectò planum. Atqui talis ex Neotericis esse potest, qui & experientia ductus, & frequentia disputationum exercitatus: ergo talis sententia erit probabilis. Et quidem minor excessus eo, quem Dom. Caramuel assignat, centum scilicet supra octo, sufficiens erit ad effectum, de quo agimus. Vbi vnius P. Suarij iuuet exemplum protulisse, de quo citatus Conimbricensis Episcopus auditus dicere *Hominem à se visum nullum, in quo modestia cum doctrina ex æquo certauerit.* Non est ergo cur Religiosus ille Pater cum Siracide clamet: *Quis est hic, & laudabimus eum? Eccli.31. & procul, & de vltimis finibus pretium* cum Salomone *Prouerb.31.* pro illo comparando conquirat; aut alius Diogenis lucernam admoueat, cùm dicere vèriùs possint quod aliàs Apostolus Act.17.v.27. Non longè est ab vnoquoque nostrùm, & pro eo conspiciendo ipsa solis face possint collustrari. Quod Illustrissimi Barbaræ iuuat verbis illustrasse, quæ non poterunt non præfatis omnibus perplacere. Sic enim scribit in votis decisiuis & consultiuis Lib.2. voto 48. *Præterea, quæ impressa circumferuntur, alia scripta reliquerunt Franciscus Suarez, & Ioannes Azorius eiusdem Societatis Professores Religiosissimi, doctissimi, & integerrimi, quorum dictis plurimùm deferendum sentiunt benè timorati & morati omnes: eo quòd isti ab omni ambitione liberi meram perquisiere veritatem: quos eadem animi sinceritate secutus est nouissimè doctissimus simul & Religiosissimus Pater Franciscus de Arauxo Sacræ Theologiæ Magister in sacro Ordine Prædicatorum, ac in Salmantina Academia Primariæ Cathedræ moderator optimus in 2. 2. D. Thomæ* &c. Quid ad hæc? Discurrat lector, & videat etiam dicenda *infra n.*634.

Caramuelis *vrgens discursus. Illustris alia P. Suarij commendatio.*

Augustinus Barbosa, Patrum Suarij, Azorij, & Arauxi *egregius collaudator.*

§. IV.

De probabiliore sententia & obligatione illam amplectendi.

Maior probabilitas cogniu difficilis.

62. QVæ sit probabilior sententia dictum iam; eam scilicet esse quæ plus de ratione & de auctoritate continet. Rem autem esse difficillimam probabilioritatis conceptum explicare affirmat Dom. Caramuel *suprà n.*98. fassus non posse (idque absolutè & sincerè) quæstionem explicare & dissoluere, eo vsus discursu, cuius nuper dedimus exordium, ex inæqualitate inquam gradum sapientiæ in Auctoribus (addere etiam posset probitatis) humanæ notitiæ inexplorabilis. Cui enim mortali concessum vt hîc & nunc sciat, an quatuor Auctores qui pro affirmatiua citantur, non præponderent decem Auctoribus, qui pro negatiua afferuntur? Æquales autem quis dicat, vt numero debeant vincere? *Nam Augustinum, Bernardum, D. Thomam, Scotum, Ochamum, Molinam, Suarium, Vazquezium &c. meliore ingenio fuisse præditos, quàm multos, qui hodie audacter scribillant, & vt labores suos in lucem emittant, chartam prodigunt, vt puto, manifestum est.* Verba illius sunt. Ex quo sic infert: *Ergo non habemus media vt sciamus semper quænam opinio authenticè probabilior sit.* Et quidem opiniones ab intrinseco probabiles illæ dicuntur, quæ secluſa auctoritate fundamenta solida habent, causis & effectibus, alijsque ad rem ipsam spectantibus, attentè perpensis. Cùm ergo de euidentibus, aut lumine naturæ notis non agamus, sed de obscuris, quibus sine formidine adhiberi nequit assensus, non solùm difficile, sed impossibile apparet, etiam doctissimis, certò concludere vnius præ alia opinionis fundamenta esse solidiora, quamuis id possint probabiliter affirmare: & hoc ipsum, quod docti aliqui censebunt, erunt, qui probabiliter inficientur. Quod quidem non solùm in contrarię sententiæ assertoribus euenit; sed etiam in eiusdem: cùm videamus passim eas rationes, quæ aliquibus videntur solidæ, alijs esse leues, & diuersum modum probandi quærere, ac sæpiùs non inuento, cedere auctoritati contentis obiectorum solutione.

Caramuel.

Pro eo dissensus.

Pro ea esse obligationem qui censeant.

63. Quo non obstante sunt qui censeant in rebus ad mores spectantibus teneri omnes probabiliorem opinionem sequi, nisi opposita sit securior: ad quos quidem numerandos habere nos digitos sufficientes in manibus affirmat Dom. Caramuel *suprà, in Nota de Probabilioritate* 284. adducens P. Comitolum, P. Andream Blancum, aliàs Candidum Philalethum (Philotheum vocat ille, sed non bene) Philippum Fabrum, Thomam de Afflicto, Iulium Mercarium, subiungens se alios non vidisse. Quibus tamen adnumerari voluit Dom. Arauxo *Disput.* 9. *citata nu.12. & seqq.* sex notis probabiliores sententiæ proponens. 1. quòd habeat pro se legem aut consuetudinem Prouinciæ, moribus vtentium approbatam. 2. quòd plurium Auctorum;

Dom. Arauxo.

rum,& maximè Gloſſæ auctoritate fulciatur. 3. quòd habeat pro ſe Rotam. 4. quòd habeat ſibi fauentem auctoritatem alicuius inſignis Collegij aut Academiæ ſubſcribentium. 5. quòd ſit Doctorum, qui ex profeſſo rem tractarunt. 6. quòd ſit communis, & communiter recepta. Illam ergo opinionem, in quam omnes, aut plures recenſitæ notæ concurrunt, vti probabiliorem cenſet per ſe loquendo tenendam in praxi, quidquid per accidens ſit ratione neceſſitatis. Pro quo plures adlegat quàm Dom. Caramuel, præter Patrem inquam Comitolum, circa quem vide *inferiùs nu.*656. Conradum, Caietanum, Sotum, Salon, Antonium Perez Archiepiſcopum Terraconenſem, & EpiſcopumAbulenſem ſecutos Gabrielem, & D. Antoninum. Quibus addi poſſunt Maior, Almainus, Adrianus, & Corduba apud P. Franciſcum de Lugo *de Conſcientia Parte* 1. *Cap.* 3. *n.*20. & Peregrinus apud Dianam *Parte* 4. *Tract.* 4. *Reſolut.* 4. Tenet idem Proſper Fagnanus, contra quem calamum ſtringit Dom. Caramuel Apologemate integro, de quo dictum: licet eius non ita ſana impugnatori videatur mens, dum abſolutè pronuntiat ad ſecuritatem conſcientiæ non ſufficere opinionem probabilem, qui ad Ianſenij damnatum dogma videtur inclinare, vt Deus aliquando impoſſibilia præcipiat. Circa quod latè & eruditè excurrit; pro quo tamen *inferius* pronuntiandum.

Matthæus Homem.

64. Matthæus Homem licet non admittat duas opiniones probabiles ſimul reſpectu eiuſdem, vt vidimus, in eo tamen ſenſu, qui abuſiuus ipſi eſt, & apud Doctores proprius, affirmat diſcurrendum circa illas ſicut circa dubium occurrens inter duas partes contrarias, in quo id quod eſt tutius, eligendum, ſed non ſemper; bene tamen cùm præceptum prohibitiuum exſtat; tunc enim non licere facere contra illud ſtante dubio: ſecus cùm præceptum eſt de aliquo faciendo: admittens tamen in priori caſu etiam ceſſare obligationem, ſi conſiderabile intereſſe oporteat attendere ex amplexu opinionis probabilioris & iuſtioris amittendum, aut non leue præiudicium ſubeundum ſit. Dubitans ergo an dies feſtiua ſit, & pro eo habens non leues rationes, non poteſt opera ſeruilia exercere, at non tenetur Miſſam audire. Sic ille *Cap.* 3. quod eſt de conſcientia dubia *n.*32. *& ſeqq.* adducens pro ſe quantùm ad diſtinctionẽ dictam n.39. Nicolaum Garciam *de Beneficijs parte* 7. *Cap.* 2. *à n.*13 vbi adducens P. Suarium & P. Thomam Sancium dicentes in dubio meliorem eſſe cauſſam poſſidentis in omnibus materijs, addit illos non percepiſſe vim primæ regulæ ab ipſo traditæ; id eſt malè putaſſe licere facere in dubio; bene tamen putaſſe licere omittere, & non teneri facere. Quam loquendi licentiam Emmanuel de Valle de Moura *in Opuſculo de Incantatione Sect.* 2. *Cap.* 16. *nu.*9. ægrè à ſe latam oſtendit, dicens eum potiùs Canoniſtam non intellexiſſe vim ſuæ diſtinctionis, & minimum diſcipulum illorum Patrum eum arguere poſſe probando legis ſubditum non minùs poſſidere ſuam libertatem ad faciendum, quàm ad omittendum. Quibus prælibatis.

65. Dico Primò. Non eſt obligatio abſolutè loquendo ſequendi probabiliorem ſententiam. Hanc iuxta aliquam illius partem communiter Doctores amplectuntur: nam & ij, quos pro ſententia poſteriore dedimus, affirmant non eſſe talem obligationem, quando minùs probabilis ſententia eſt tutior, vt exprimit Caietanus *Tomo* 1. *Opuſculorum, Opuſc.* 31. *Reſponſ.* 17. *& in ſumma verb. Opinio Caſu* 2. Armilla, Paludanus, & Abbas apud P. Lugo, *nu.*28. quia in operando iuxta illam eſt omnimoda ſecuritas, cùm nec materialiter poſſit eſſe peccatum in illa: quod accidit quoties operatur quis contra ſententiam ei oppoſitam, quæ aliquid eſſe illicitum ſtatuit: licet enim probabilius ſit ita eſſe, oppoſitum tamen eſt tutius, loquendo cum communi Doctorum: nam aliqui contendunt inter opiniones etiam inæqualiter probabiles, nullam eſſe tutiorem, ſed vtramque æquè tutam, quia per illas receditur omnino à peccato, ſine periculo incurrendi in ipſum. Sic Ioannes Sancius *in Selectis Diſput.* 44. *Eligius Baſſæus verb. Conſcientia n.*21. *§. Reſpondet ad hoc.* Et Diana *Parte* 4. *Tract.* 4. *Reſolut.* 4. Exemplum eſt in attritione cognita ſufficiente ad Confeſſionem, in vino non contrario ieiunio, in Maturino Officio præmittendo Miſſæ, in adhibenda contritione ſtatim poſt mortale peccatum, & ſic in alijs. Abſolutè tamen illam tenent ſeptemdecim Auctores, quos citat & ſequitur P. Thomas Sancius *Lib.* 1. *in Decalogum Lib.* 1. *Cap.* 9. *nu.*14. quibus Diana *Parte* 2. *Tract.* 13. *Reſolut.* 5. quatuordecim adijcit *&* *Parte* 4. *citata Reſolut.* 4. Merollam addit, eos ſecutus Eligius Baſſæus *ſupra n.*9. *§. Voluntas.* Præter aliquos ex citatis, quibuſcum ſentit, affert Syluium, & Caramuelem. Lezana *verb. opinio n.*5. apud quem Cornexo, & Paſqualigus. *Et Tomo* 4. *Conſulto* 46. Fr. Barnabas Gallego ex Prædicatorum familia in *Tractatu de Conſcientia Dubio* 1. *de Conſcientia probabili*, dicens eſſe communiorem inter Thomiſtas, & allegans pro ea præter iam citatos P. Baldellum, P. Reginaldum, P. Ludouicum Turrianum, vtrumque Lugum, P. Granadum, Ludouicum à Cruce, Machadum, Monteſinum Aragon, Marcum Serram, Vincentium Candidum, Bonacinam, & P. Becanum. Dom. Solorzanus *Tomo* 1. *de Iure Indiarum Lib.* 3. *Cap.* 2. *n.*39. & Tomo 2. Lib. 3. Cap. 1. in fine, pro ſe laudans ex adductis aliquos, additis Soto maiore, Mancio, & Orellana. Angelus Boſſius *Parte* 1. *Tit.* 1. *n.*127. ſuper additis Valero, P. Coninck, Trullenck, P. Fagundez P. Arriaga, P. Fragero, Breſſero, & Verricelli. P. Martinon *Tomo* 4. *Diſp.* 53. *n.*190. P. Mendus in *ſtatera benignarum Opinionum Diſſertat.* 13. *num.* 197. Guilielmus Herincx *Tomo* 2. *Tract.* 2. *Diſput.* 4. *n.*22. P. Bauni *Tomo* 1. *Tract.* 1. *Quæſt.* 17. Amadæus Guimenius Propoſitione 1. ex Tractatu de opinione probabili, vbi præter quoſdam ex citatis profert Magiſtros Thomam Vilas, & Acacium de Velaſco commilitij Dominicani. Et vt obuios alios circumſcriptis citationibus curſim referam, ſic tenent ex noſtra Societate Cardinalis Sfortia Pallauicinus, Patres Eſcobar de Mendoza, Bardi, Buſſembaum, Vincentius Tancredi, Gaſpar Hurtadus, Thomas Tamburinus, Quintanaduenas, P. Ouiedus, P. Rhodes,

Statuitur non eſſe obligationem amplectendi probabilius.

Agmen pro eo numeroſiſſimum.

P. Rhodes, P. Mæratius, P. Bernal, P. Martinus Perez, P. Præpoſitus, P. Raynaudus, P. Poza, & quamplures alij: ſicut & externi, Leander de Sacramento, Thomas Hurtadus, Leander à Murcia, Hieronymus Garcia, Moure, Remigius, Henriquez Auguſtinianus Ludouicus à S. Ioanne, Illuſtriſſimus Villaroel, Ioannes à S. Thoma, Ioannes Pontius, Emmanuel Rodericus, Eſcobar del Corro, Peyrinis, Spinula, Thomas del Benè, Bordonus, cum multis alijs, ex quibus & Syllabus habetur *infra n.*703. vbi plures ex omnibus Religioſis Ordinibus congeruntur. Quæ probari poteſt.

1. Ratio ab impoſſibilitate.

66. Primò. Quia impoſſibile eſt cognoſcere quæ opinio probabilior ſit, vt paulo *ſuperius* videtur apertiſſimè comprobatum: ergo non eſt reſpectu illius obligatio.

Dices cum Dom. Arauxo id eſſe magis probabile, quod communiter vt tale receptum eſt.

Sed contra. Quia ſtante communi illa receptione, perſtat abſoluta incertitudo: poteſt enim ſtare vt pauciores oppoſitum tenentes doctores ſint, vel quòd Deus illis circa quæſtionem, de qua agitur, ſpecialius lumen infuderit: ergo remanet incognita maior probabilitas.

Vrgeo. Nemo opinionem aliquam amplectitur, niſi quia probabiliorem exiſtimat: amplectitur inquam quantùm ad iudicium circa ipſam, iudicando illam veram in contradictorio, vt dici ſolet, iudicio alterius. Tunc ſic. Ergo plures tenentes communiter illam, eo ipſo probabiliorem iudicant, à quibus ſolis iudicium maioris probabilitatis habetur. Tunc vltra. Ergo idem eſt dicere opinionem illam eſſe probabiliorem, ac dicere communiter eam ſequi Doctores. Ex quo fit reſponſionem dictam de communi iudicio circa maiorem probabilitatem nihil addere præter verba, & quodammodò petitionem principij inuoluere. Rogamus enim vnde poſſit agnoſci maior probabilitas? & reſpondetur, quia ſic communiter circa talem opinionem Doctores ſentiunt. Et ſentire idem eſt quòd ſequi illam. At hoc eſt quod inquirimus: vnde ſcilicet conſtet opinionem, quam communiter tenent Doctores, eſſe probabiliorem?

P. Arriaga.

67. Huius rationis vim ex eo infringi poſſe putat P. Arriaga *Diſput.* 24. *n.*3. quia aduerſarij dicunt ſe non velle obligare homines ad talem cognitionem, & comparationes opinionum inter ſe; ſed ſolùm ad hoc vt voluntas, ſtante ea opinione, non ſequatur niſi tutiorem, quod poteſt facillimè præſtare. Quæ reſponſio, ſi vim continet, Domini Caramuelis labor in ſuo Apologemate potuit ab eodem prætermitti, & eo pro euanido habito, Fagnanus, & alij dogmatis illius aſſeclæ victoriam conclamare. Sed non equidem, quia præfata ratio robuſtiſſima eſt, & maiorem importat efficaciam quàm prima facie habere videatur. Et arguo in primis ex eo quod idem P. Arriaga pro fundamẽto ſuæ & noſtræ reſolutionis aſſumit: poſſe ſcilicet quemuis ſequi opinionem probabilem, quia prudenter operatur, cùm ſententiam virorum ſequatur prudentium, ſecurum eum in eius proſecutione reddentium. Atqui dici poteſt contra eos, qui ſic tenent, ſtare alios, qui videntur prudentiores, cùm id ſentiant, & conſulant, quod eſt tutum, & ita illorum potiùs tenendam eſſe ſententiam. Quid ad hæc? Certè comparatio inter vtriuſque ſententiæ ſectatores manifeſta eſt; & difficillima, vel potiùs impoſſibilis exploratio in ea concertatione vincentium. Eſt ergo ad illam recurrendum, quia aſſerentium & negantium prudentia incognoſcibilis eſt quoad gradus in materijs ad conſcientiam ſpectantes neceſſarios.

Non infirmari aliquorum reſponſione.

68. Præterea, ſtat duplex contraria ſententia, ex quibus vna ſtet pro obligatione ieiunij, quam alia neget. Ego quidem in hoc conflictu ieiunare nollem, ſi id ſine peccato fieri poſſet. Quid tunc? Prementi neceſſariò ſententiæ ſuccumbam, & iugum Chriſti ſuave, ac onus leue non experiar? Durum equidem illud, & ideò eximenti me ab obligatione animum adijcio, ſi illa me poſſim conſolari. Sed clamant oppoſitæ Auctores, dicentes: *Ne feceris, quia grauiter peccas.* Clamabunt aduerſi: *Fac, ſi velis, & ſi feceris, non peccabis.* An non cùm animus eò inclinet, conſequens eſt vt de qualitatibus, aut numero fauentium inquiram, & cum aduerſantibus inſtituam collationem? & quid inde? Erit ne id poſſibile, ſi prudenter, & vt res exigit, debeat veritas explorari? Ergo vt ceſſent huiuſmodi in operaturis anguſtiæ, obligatio talis, ſequendi ſcilicet probabilius & tutius, ableganda eſt, & dicendum rationem propoſitam multùm habere momenti. Et hoc onus intolerabile tandem agnoſcit dictus Auctor *n.*4. *verſ. Forte etiam*, ſi ratio dicta aliter proponatur. Sed certè propoſitio eius in idem redit, & quæ pro illa à nobis adducta ſatis vrgent.

Contra eamdem inſtantia.

2. Ex maiori auctoritatis pondere, & notis alijs maioris probabilitatis.

69. Secundò arguo ex notis adductis, *n.*63. probabilioris opinionis ex Dom. Arauxo dicente eam eſſe talem, in quam aut omnes, aut plures ex illis concurrunt. Atqui plures ex illis in noſtram cadunt: ergo eſt probabilior. Aſſumptum oſtendo. Nam *Prima* de lege, aut conſuetudine, in contraria nõ eſt, pro qua nulla eſt ſpecialis lex aut conſuetudo, quę vim habeat legis. Quòd ſi pro aliqua allegari conſuetudo debeat, pro noſtra ea ſtat, ſecundùm quam frequentiùs iudicatur, vtpotè benigniorem, & cui fideles magis adhæreſcunt. *Secunda* de plurium Doctorum auctoritate, euidentiſſima eſt, neque de Gloſſa quidquam in contraria, quæ vt faueret, eius auctoritas tot ac tantorum ſcriptorum pondere premeretur. Cùm ſint etiam qui cenſeant Gloſſam vnius tantùm Doctoris auctoritatem habere. Vnde illam impugnatam frequenter à Doctoribus inuenimus, vt videri poteſt apud Couarrubiam *Primo & Secundo Tomo in Indice*, vbi hæc habentur: *Gloſſa reprobatur. Error Gloſſæ. Eſt falſa. Omnino falſa oſtenditur.* Et apud Dom. Solorzanum *Tomo* 2. *Cap.* 22. *n.*14. vbi de Gloſſa Pontificiorum Decretorum ſermo eſt. De *Tertia* loquendo, quæ ad Rotam attinet, nihil habet ſententia oppoſita, quo ſe tueri poſſit. Et vbi de foro conſcientiæ agitur, non eſt cur ad tribunalia recurramus: quamuis & ex reſolutione circa præſentem quæſtionem poſſint deduci regulæ pro tribunalibus, qualiter ſcilicet debeant ſe gerere in opinionum electione. Rota etiam modò vnam ſententiam, modò aliam, ſecuta ſæpiùs inuenitur, ex quo argui potiùs in

Gloſſæ quanta auctoritas.

Couarrubias.

fauorem noſtræ ſententiæ poteſt, cùm non ſemper id, quod eſt probabilius ſit amplexa, quandoquidem repugnat vtramque opinionem eſſe probabiliorem. *Quarta* nil iuuat, cùm nequeat oppoſita ſententia auctoritatem alicuius inſignis Collegij aut Academiæ ſubſcribentium proferre: quod ſecus in noſtra accidit, quæ poteſt grauiſſimos ſcriptores ex inſignioribus Academijs ſubſcribentes exhibere. Vt percurrendo citatos, poteſt facilè comprobari. Nulla enim certior, aut magis authentica ſubſcriptio, quàm eius, qui opus in publicam lucem emittit. *Quinta* de Auctoribus rem ex profeſſo tractantibus, maximè in ſententiam noſtram quadrat: nam vt demus aduerſæ patronos ex profeſſo tractaſſe, plures incomparabiliter ſunt pro nobis, qui id præſtiterint: pro quo ad eorum ſcripta recurrendum. *Sexta* quòd ſit communis, & communiter recepta, apprimè congruit, quod ex dictis habetur manifeſtum.

Vrget ex minori probabilitate oppoſitæ ſententiæ.

70. Tunc ſic. Si eſſet obligatio ſequendi ſententiam probabiliorem, ſententia id aſſerens eſſet probabilior, & circa illam eſſet ſimilis obligatio: Atqui probabilior non eſt, vt ex dictis conſtat: ergo neque probabilior eſt ſententia de obligatione ſequendi probabiliorem.

Dices, etſi numerus contrariam ſententiam ſequentium ſit minor, incertum nobis eſſe quãta polleant ſapientia comparatione aduerſariorum, iuxta doctrinam traditam diſcurrendo: ergo ex eo capite non poteſt firmum argumentum confici.

Sed contra, quia nos arguimus ad hominem, iuxta principia ſcilicet ſententiæ oppoſitæ. Cùm ergo illa manifeſtè appareant infirma, corruit quod ſuperædificatum proponitur. Deinde. Nos qui ſententiam fauorabilem amplectimur, non opus habemus comparatione illa delicata inter Auctores, ſed habentes, vt cum Apoſtolo loquamur. *Hebr. 12. v. 1. tantam impoſitam nubem teſtium*, ſecuriſſimè conſcientiarum negotijs prouidemus. Item. Sententiæ noſtræ patroni adeò ſunt celebres moralis doctrinæ magiſterio, ſicut & Scholaſticæ, omninò ad perfectionem illius neceſſariæ, vt non ſine illorum iniuria dici poſſit ab ijs, qui contrariam ſequuntur, ſuperari. Sint ergo ſaltim æquales: ex quo fiet æqualem etiam futuram vtriuſque ſententiæ probabilitatem: quo euentu licebit quamcumque amplecti, vt aduerſarij fatentur, & videri poteſt apud citatum Dom. Arauxo *n. 12. citatæ Diſp. 9.*

Quando ſit obligatio amplectendi probabilius.

71. Dico Secundò. Aliquando obligatio erit ſequendi opinionem, quam quis probabiliorem reputat. Hanc tenent citati. Quia aut ex iuſtitia, aut ex charitate, aut ex religione, ob reuerentiam Sacramentorum, poteſt obligatio reſultare. Non ergo id ratione maioris probabilitatis accidit, ſed ex Capitibus alijs. Quod ex eo liquet. Nam etiamſi opinio ſit minùs probabilis, obligatio ſubeſt ſequendi illam: pro quo varia exempla adduci poſſunt. Nam probabiliſſimum eſt omnia verba conſecrationis Calicis non eſſe de illius neceſſitate, & tamen ſententia contraria prorſus in praxi tenenda. Item probabilius eſt verba illa, *Qui pridie quàm pateretur* non eſſe neceſſarium vt præcedant ad valorem conſecrationis; & tamen adhibenda neceſſariò; aliàs graue committetur peccatum. Idem de vino congelato, de duobus ſimul eumdem baptizantibus, de forma abſolutionis, cuius non omnia verba neceſſaria, ſecundùm receptam communiter ſententiam, & ſic alia: ex quibus conſtat non eſſe rationem obligationis maiorem probabilitatem. Sicut autem in Sacramentis exempla extant, ita & in materijs alijs poſſunt adhiberi: vnde Doctores nobiſcum ſentientes varias euentilant quæſtiones circa Iudices, Aduocatos, ſubditos Regulares, Medicos, & alios, circa quos, quia communes difficultates ſunt, & exactè à Doctoribus expeditæ, non eſt operæ, pretium diſtineri: cùm ſcopus laboris noſtri ſit, non paginas otioſè prodigere, ſed ſpecialia congerere, quæ aut diſputata promouere aliquantulùm poſſint, aut immeritò impugnata defendere, quædámque in ritè ſtatutis, quo minùs feliciter pergant, offendicula ſubmouere.

Homem præfigata diſtinctio.

72. Dico Tertiò. Matthæi Homem diſtinctio circa poſitiua & negatiua præcepta non eſt admittenda. Sic Doctores pro Aſſertione præcedenti citati, qui vniuerſaliter loquuntur. Et probatur

Cap. Dominus. *Cap. Inquiſitioni.*

Primò ex *Cap. Dominus*, de ſecundis nuptijs & ex *Cap. Inquiſitioni*, de ſent. excommunicat. in quibus ſtatuitur coniugem dubium ex probabili & diſcreta credulitate de valore matrimonij, debere reddere, ſed non petere. In quo euentu eſt lex non ſolùm prohibens, ſed decernens aliquid faciendum, redditionem ſcilicet debiti: & tamen dubium probabile extat: ergo regula dicta ſtatuens diſcrimen inter illa non eſt admittenda. Nec dicas hoc videri contra præcedentem Aſſertionem, dum probauimus, ſtante opinione probabili, non eſſe obligationem ſequendi illam, etiam ſi probabilior ſit. Nam hoc habet facilem ſolutionem ex dictis circa exceptiones in materia iuſtitiæ: cum enim poſſideat coniux non dubius, nequit ob dubium alterius ſua poſſeſſione priuari. Neque obligatio reddendi debitum ex præcepto Pontificis oritur, cùm ſit naturalis, & ex ipſa ſtatus coniugalis natura reſultans. Si enim coniux propter alterius dubium vſu rei ſuæ, in cuius poſſeſſione eſt, priuandus veniret, maximæ inter coniuges diſcordiæ exurgerent, & poſſent multa confingi dubia ad defraudandos ſuo iure conſortes, ſicque occaſiones quærendi vagos concubitus præberentur, aliaque damna, de quibus longa experientia, dum inter coniuges diſſidia regnant, paſſim audirentur. Deinde, caſus, de quo Lucius, & Innocentius Pontifices loquuntur, non eſt talis, vt credulitas probabilis oppoſitam ſibi haberet credulitatem etiam probabilem. *Verùm cùm conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili & diſcreta, quamuis non euidenti & manifeſta, debitum quidem reddere poteſt, ſed poſtulare non debet: ne in alterutro, vel contra legem coniugij, vel contra iudicium conſcientiæ committat offenſam.* Sic Innocentius citato *Cap. Inquiſitioni*. Vbi clarè apparet diſcretam illam & probabilem credulitatem non habuiſſe ex oppoſito quidquam per quod ſopiri poſſet, & ita iudicium erat conſcientiæ dictantis nullitatem matrimonij. Nil ergo ex eo habetur Aſſertioni priori contrarium.

Innocentius Tertius.

73. Re-

Capitis Dominus inepta citati auctoris ex placatio.

73. Reſpondet Leitonius. *Primò* n. 4. Pontificem Cap. *Dominus*, cùm ait, *debitum non deneget*: non ita accipiendum, vt velit quod teneatur reddere, ſed quòd non teneatur denegare: quem ſenſum ait confirmari ex *Cap. Inquiſitioni* citato in verbis illis: *Debitum quidem reddere poteſt.*

Sed contra. Nam coniux in eo caſu, cui debitum reddi poteſt, habet ius petendi, & quidem iuſtitiæ: ergo non ſolum reddere poteſt dubitãs, ſed debet. Aſſumptum eſt manifeſtum, & conſequentia ſimiliter. Nam petenti debitum iuſtitiæ non ſolùm reddi poteſt, ſed debet. Et quidem nullus alius titulus excogitari poteſt in petente, niſi iuſtitiæ, ex quo expletio libidinis licita redditur, habitura aliàs malitiam fornicationis. Prætereà ex textu ipſo Innocentij conuincitur verbis illis: *Ne in altero, vel contra legem coniugij &c. committat offenſam.* Peccabit ergo non reddendo contra coniugij legem. Vnde cùm Pontifex ait: *Reddens poteſt*, in eo iuſtitiæ obligationem agnoſcit: & ita ſi per verba prædicta veniunt explicanda verba *Cap. Dominus*, cùm ait Lucius, *Debitum non deneget*, obligationem apertè determinat, & non ſolam permiſſionem.

& malè fundata coniectura.

74. Conatur autem præfatus ſcriptor expoſitionem ſuam reddere veroſimilem, & ait. Textum in dicto Cap. *Dominus* agere de caſu, quo coniuges matrimonio ſtare deſiderabant, pro quibus terminis non erat competens quæſtionis deciſio, qua inquirebatur, An teneretur reddere, non aliter ac quando quæritur, an alicui liceat comedere carnes, vel non recitare horas Canonicas: ſi dicatur teneri ad comedendum, & ad recitandum: non enim illa quæ præſumuntur, & ſolent eſſe, licentiæ & priuilegia, & conformia voluntati, aptè deducuntur in quæſtionem, an homo ad illa teneatur, neque de illis rectè dicitur teneri, ſed licere. Cùm ergo reddere debitum ſoleat de illis eſſe, quæſtio ſolet eſſe, an liceat reddere, non autem, an teneatur; niſi expreſsè ius exprimat coniugem repugnare redditioni, & quæſtionem eſſe, an teneatur, & decidat teneri: quod tamen ex textu aliquo deduci nequit.

Quod demonſtratur.

75. Contra hoc tamen eſt in primis nullum eſſe verbum, ex quo deduci poſſit prædictos conſulentes deſiderâſſe in coniugio permanere. Deinde negari non poſſe competentem fuiſſe quæſtionem, an tenerentur reddere, vnde ſine fundamento dicitur fuiſſe ſolùm, an liceret: nam cùm & licere, & teneri materia ſint competentis quæſtionis, & valde neceſſaria illius deciſio, circa vtramque ſimile eſt omnino vero, pro illo conſultos Pontifices: neque neceſſarium eſt in particulari propoſitam debere vtramque intelligi quæſtionem, ſed quid in caſu tali fieri deberet? & ita videtur accidiſſe. Quamuis etiam, ſi de vno quæſtio fuerit, conuenientiſſimè reſpondere Pontifices potuerint declarantes obligationem, vt circa petitionem debiti conſtat penitus declaratum, *quod à ſe* tamen noluerit nullatenus exigendum. Sic in *Cap. Dominus. Sed poſtulare non debet.* Ita *in Cap. Inquiſitioni*. Et erat omnino neceſſarium in negotio tali, in quo & petitio & redditio correlatiua ſunt, & notitia circa vtramque omnino neceſſaria. Neque in exemplis adductis inepta eſſet reſponſio, ſi diceretur non licere, ſed teneri, cùm expreſſio taciti non nocet, vt eſt vulgare proloquium. Si enim non licet, ſequitur teneri ad non comedendas carnes, & horas recitandas. Quod autem additur circa ea, quæ præſumuntur, & ſunt voluntati conformia, non ſolere inſtitui quæſtionem, neſcio quomodo aptè dici poſſit, quandoquidem iuxta talia poteſt eſſe dubitatio an ſit reſpectu eorum obligatio, quia voluntates non ſolent æqualiter ſemper eſſe diſpoſitæ: & in noſtro caſu experientia conſtat coniuges multoties inuitos reddere, & opus eſſe vt Confeſſarij eiſdem negationem Confeſſis ſuam circa id obligationem inculcent. Denique, id, de quo non eſt quæſtio, quia præſumitur, ideò erit quia licitum: de redditione non eſt quæſtio, quia præſumitur: ergo erit licita. Diſcurſus videtur euidens iuxta reſponſionem dictam: Atqui conſequentia nequit admitti, quam vidimus negaſſe Pontifices: ergo reſponſio præfata nullatenùs debet admitti.

Reſponſio alia non plus veroſimilis.

76. Reſpondet *Secundò*, quod licet admittatur teneri reddere iuxta diſpoſitionem Pontificiam, id ex eo contingit quia ex redditione poſt matrimonium conſummatum non videtur conſiderabile onus imponi; & per contrarium ex denegatione reſultat in petente præiudicium, cùm exponatur periculo explendæ libidinis modis indebitis. Quando autem ita euenit, vt ex facto, circa quod eſt præceptum, & de quo eſt dubium, parùm damni reſultat, aut aliàs præiudicium tertij, idem circa præceptum poſitiuum & negatiuum eſt dicendum, partem ſcilicet eligendam tutiorem. Tunc ſic. Ergo in dubio circa obligationem diei feſti, non ſolùm illa dabitur abſtinendi ab operibus ſeruilibus, ſed etiam auditionis Miſſæ. Patet, quia ex Miſſæ auditione parùm damni temporalis reſultare poteſt, vtilitate maxima ſpirituali abundè compenſabilis, vt eſt perſpicuum. Et quidem vxor multoties magis eliget plures audire Miſſas, quàm viro ſibi moleſto cõmiſceri. Quod vrgetur. Nam auditio Miſſæ propterea onoroſa videri poteſt, quia homo eſt alijs ad vitæ commoditates ſpectantibus occupatus: Atqui in caſu, de quo agimus, homo nequit operibus vacare ſeruilibus: vnde ex Miſſæ auditione nullum ipſi incommodum poteſt ſuboriri: ergo ad audiendam tenebitur, & doctrinæ præfatæ in conſequentia conſtabit, de qua etiam *inferius*.

Non melior alia.

77. Reſpondet *Tertiò* titulum & cauſſam producentem obligationem ad reddendum debitum, certam eſſe, ſcilicet contractum matrimonij: excuſationem verò ad non reddendum eſſe dubiam: & ſic ſuccedere à ſe dicta *antea n. 27.* Vbi prædixit in dictis terminis tutius eligendum, quod in caſu noſtro eſt reddere. Vnde quamuis ita procedat & intelligatur Textus: ille tamen reſolutioni ſuæ non obſtat, cùm loquatur in terminis, in quibus illa limitatur *nu. 27.* ad quem ſe refert, id habet, quod in *reſponſione 2.* ex eodem dedimus, ſcilicet omnino ſequendum tutius in dubio, ſicut & in opinione probabili: iuxta dicta à ſe *Cap. 2. n. 26.* quando ex eo quòd hoc ſequatur, nullum, vel mini-

mum incommodum resultat operanti: non ita cùm aut sibi, aut tertio grauissimum damnum resultaret. Circa quod iam dictum. Addit vt certum, & extra quæstionem, certum de obligatione, dubitantem verò de satisfactione, tutius eligere debere, scilicet satisfacere, id quod bene docere ait P. Sancium *supra Cap.10.n.12.* nec defiteri P. Arriagam *Disput.26.n 11.* quod non tam procedere ait ex ratione facta ab hoc vel illo Auctore, quàm ex eo quòd tunc dubitans in satisfactione ostendenda vicem Actoris sustinet.

In dubio tutius sequendum.

Distinctio circa illud impugnata.

78. Habetur ergo iam ex doctrina huius Auctoris limitatio talis eiusdem, vt quoties in dubio est aliquid certum ex se obligationem inducens, & excusatio est dubia, etiamsi probabilis, tutior sit pars omnino sequenda. Tunc sic. Ergo si hodie sit dies festus, & probabile etiam dubium circa obligationem audiendi Missam, tenebitur quis eam audire, quia est certa obligatio respectu diei festi. Illatio est plana, & eam admittet, quia quod de excusatione aliàs dictũ, intelligitur quando est dubium circa factum ipsum. Tunc vltra. Obligatio prædictæ auditionis ideò admittitur, quia ex ea nullum graue incommodum aut præiudicium audienti, aut alteri cuiquam emergit: Ergo similiter erit obligatio in altero casu, quando quidem eadem est omnino ratio. Iam quod de ratione talis resolutionis dicitur, non esse inquam vllam ex eis, quas Auctores adducunt pro illa generali doctrina, sed inde sumendam, quòd dubitans vicem Actoris sustineat, cùm tamen præceptum vicem sustineat Rei, ac recta ratio iudex sit, quod latiùs proponit *n.33.* in dubio autem reo fauendum est potiùs quàm actori, ex notis iuribus. Quædam ergo lis agitur inter voluntatem & præceptum, siue legem diuinam, iudice recta ratione. Quando ergo voluntas aliquid agere vult, habet se vt actor, vnde probare debet licitum esse opus illud, vt iudex (scilicet recta ratio iudicet sibi concessum esse agere: quando autem id plenè non probat, siue ostendit, vel plenè probat rationibus, siue fundamentis, vel auctoritatibus: at præceptum, siue lex diuina, ex aduerso stans tamquàm reus, similiter contrarium ostendit, & sic resultat dubium; Iudex in dictis terminis pro reo iudicat, negando scilicet actori quod reo nocet, & sic lex diuina, siue præceptum, vincit. Sic ille discurrit, ex quo discursu arguo contra ipsum sequentem singularem illam sententiam de dubio circa præceptum affirmatiuum, seu positiuum, aut negatiuum, admisso & conuulso illius fundamento.

Singularis Homem discurrens.

Aperiè conuellitur.

79. Secundò ratione. Nam fundamentum singularis sententiæ præfatæ conuincit oppositum: ergo est nullius roboris. Assumptum ostendo. Nam fundamentum est explicata lis inter voluntatem & præceptum, in qua hoc vicem sustinet Rei, & ita pro eo sententia ferenda tamquam à iudice à recta ratione. Atqui hoc probat non solùm ita agendum quando dubium est circa præceptum negatiuum, sed etiam quando affirmatiuum: ergo conuincit oppositum. Consequentia est clara. Nam etiam in ea lite præceptum gerit vicem Dei: ergo in fauorem eius est ferenda sententia, & ita contra illud non faciendum. Discursus videtur euidens, ea supposita litis contestatione, & formato conscientiæ tribunali. Sed est equidem in causa adeò Theologica valde leuis modus ille probationis, vnde ex eo arguo contra huius Auctoris sententiam, quatenus contendit tutius eligendum, stante negatiuo præcepto, & dubio circa illud. Nam subtilitas illa qua facilitate proponitur, negari potest, & dici ex ea potiùs sequi oppositum, maiori cum fundamento constituta, & dicendo præceptum esse actorem, voluntatem vero reum, & ita in fauorem illius esse iudicandum. Quod probari potest est D. Iacobo *Cap.1.v.9.* dicente sic: *Si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege quasi transgressores:* Cùm ergo legi sit proprium redarguere, eius est & contra partem sibi contrariam agere: cui & idem Apostolus paulò post ius attribuit iudicandi *v.12.* sic dicens: *Sic loquimini, & sic facite, sicut per legem libertatis incipientes iudicari.* Quod non de lege mortua accipiendum in tabulis sacris extante, sed de legislatore ipso; vnde lex in homine non potest conuenienter & decenter vicem habere Rei, cùm velut Domina sit iuxta D. Paulum *Rom. 7.v.1. Lex in homine dominatur.* Nihil ergo solidum in modo illo philosophandi parùm Theologico in re maximè Theologica.

Iacobi 9. v.9.

v.12.

Rom.7.v.1.

Ex præceptis simul affirmatiuis & negatiuis arguitur.

80. Tertiò. Aliqua præcepta sunt simul affirmatiua & negatiua, quatenus necessariò important aliquam actionem: ergo in illis stare poterit operatio illicita, & omissio licita iuxta præfatam doctrinam. Assumptum ostenditur in Præcepto 7. decalogi. *Non furtum facies*, quod manifestè negatiuum est, & pariter affirmatiuum ratione obligationis restituendi alienum. Tunc vltra. Ergo qui dubius an res sua sit, illam sustulit, non tenebitur ad restitutionem, quia restituere est facere, pro quo in dubio non datur obligatio.

Responsio ex negatis talium præceptorum consulsa.

Respondet Leitonius negando absolutè dari posse præceptum, quod pariter sit affirmatiuum & negatiuum: sed cùm circa aliquam materiam recognoscitur obligatio faciendi & non faciendi, ibi esse duo præcepta, vt in præcepto adducto, pro quo alia adducit exempla. Sed in primis quod ad exemplum à nobis propositum spectat negari nequit in ipsa prohibitione furandi inuolui obligationem restitutionis: quia sublato quocumque alio præcepto, eo ipso quòd alienum vsurpatum fuit, oritur obligatio reparandi damnum illud, quod continuatur, dum non adhibetur commoda reparatio. Sed demus obligationem restitutionis esse à præcepto negatiuo, quod cum multis tenet Cardinalis Lugo *Disput.8. de Iustitia n.18. & seqq.* At ipse *Disput.13. n.49.* docet quòd licet peccatum non restituendi sit saltem virtualiter contra præceptum negatiuum non furandi, & habeat formaliter eamdem malitiam iniustitiæ: adhuc præceptum illud quatenus præcipit restitutionem, videtur imitari præcepta positiua, quia licet formaliter in se habeat negationem vsurpandi alienum inuito Domino, præcipit tamen saltem materialiter aliquam actionem positiuam necessariam in talibus circumstantijs

Quid circa præceptum restitutionis.

Cardinalis Lugo.

&c.

Iuxta hæc ergo, quæ non possunt non ab omnibus admitti, innegabile est præceptum furandi esse simul positiuum & negatiuum. Et quidem non ita per accidens, vt videtur dicto Cardinali, cùm sit maximè proprium obiectum dictæ prohibitionis, vt diximus.

Ex concessis instauratur ratio.

81. Sed sit ita vt vult Leitonius, contra quem ex nuper dictis argui validè potest, ex eo sanè quod fatetur, scilicet duo esse præcepta, validius vrgetur. Sequitur enim in dubio circa restitutionem non esse eius obligationem, quod est furto ablatum, siquidem præceptum affirmatiuum est. Neque casus est impossibilis; vt scilicet post furtum superueniat dubium, an scilicet id, quod est ablatum, debeat restitui. Sed numquid hoc ille concedat? Non quidem, quia sic loquitur loco allegato: *Quando dubito an res, quam bona fide possideo, sit mea, an verò Titij, palam agnosco quòd præceptum dubium, quod offendere timeo, est præceptum affirmatiuum, scilicet de restituendo, vnde mihi licet omittere restitutionem.* Sic ille: per quod videtur bonam fidem in possidente requirere, quæ non adest in casu dicto. Non est ergo generaliter vera regula illa de præcepto positiuo, quando in tot casibus opponi illi potest, quod in præsenti; teneri scilicet in dubio, etiam cùm præceptum est affirmatiuum. Deinde, etiam cùm bona fides non est, idem debere fateri ex eo probatur, quia doctrina generalis est: licet autem in exemplo adducto bonę fidei meminerit, non constat illud ad alia extendendum, cùm ratio præcepti positiui ad omnia videatur referri. Siue ergo concedat, siue neget, vtrimque defectus: affirmatio enim iuxta sanam doctrinam stare nequit, & negatio non est consequens ad singularem doctrinam quam conatur stabilire.

Leitonius.

Postrema ratio ex impossibilitate omnimoda.

82. Tandem probatur, quia sententia de sequenda probabiliore opinione ex eo refellenda venit, quòd est de re moraliter, & verò etiam physicè impossibili, vt vidimus circa Assertionem primam. Atqui circa præsentem idem suo modo accidit: non ergo est admittenda. Maior constat, & Minor ostenditur: Quia difficillimum est in occasionibus occurrentibus deprehendere quod sit præceptum affirmatiuum, & quod negatiuum, quodve mixtum ex vtroque, non solùm in doctis, sed etiam peritioribus, vt apparet perspicuum. Ergo est moraliter impossibile. Si dicas cum citato Scriptore, succedente tali dubio circa duo præcepta contrarium actum exigentia, attendendum quid tutius sit, & id faciendum, est illud iam in sententiam delabi, quæ affirmat generaliter ita esse faciendum: nam multotiès id est tutius, quod affirmatiuo præcepto respondet, vt in materia restitutionis, quæ frequenter occurrit, tutius est semper restituere; quod tamen negat ille, vt nuper vidimus.

§. V.

Argumenta proposita, & soluta.

1. Arguitur ex Iuris dogmate & tutiore parte

83. PRimò arguit Dom. Arauxo pro suæ sententiæ probatione ex D. Antonino. Nam in conflictu duarum opinionum, de quo agimus, ad idem tenentur scrupulosus & non scrupulosus: ille tenetur pro securitate conscientiæ probabiliorem eligere, saltim iuxta ipsius existimationem post adhibitam sufficientem inuestigationem: ergo & iste. Maior patet, quia illæ duæ regulę iuris Canonici, scilicet quòd in dubijs tutior pars est eligenda, ex *Cap. Inuenis*, de sponsalibus, & quòd certum teneatur, & incertum dimittatur, ex *Cap. si quis*, de Pœnitentia, ex D. Augustino desumpta, pariter omnes tangunt. Minor verò probatur: quia dum scrupulosus eligit quam minùs probabilem reputat, non remouet scrupulos, sed in scrupulosa conscientia remanet cogitans se egisse contra veritatem probabilioris sententiæ: & sic non solùm agit contra conscientiam scrupulosam, quod vt sic non esset illicitum, sed etiam contra veritatem à se existimatam: ergo tenetur pro securitate conscientiæ illam sequi.

sequenda, etiam scrupulosi.

Cap. Inuenis.

Cap. si quis.

Dissoluitur, vtili doctrina circa illos.

Respondeo negando Maiorem, quæ contraria est communi doctrinæ Scriptorum, & magnorum in gubernandis conscientijs magistrorum affirmantium cum scrupulosis diuersimodè agendum ac cum alijs punctiones illas acutissimas, & mentis nebulorum turbinem nescientibus. Neque opportunum apparet medium illud eligendi, quod est probabilius, quia hoc est in nouas angustias redigi, & quodlibet videbitur probabilius, cùm reuerà non sit, existimareque poteris, quòd licet id sibi probabilius videatur, forsitan fallitur, & se teneri ad illud. Cumque regula in hoc receptissima sit, vt Confessarijs huiusmodi patientes obsequantur, quam & tradit prædictus Magister *Casu 4.nu.4.* inde est vt Confessarij potius debeant scrupulosis iniungere vt operentur iuxta opinionem quamcumque probabilem. Id quod Scriptor ipse tandem fatetur *citato casu.* Vbi cùm proponat tres formidinis gradus, secundus iuxta ipsum est illius formidinis, quæ oritur ex leuibus caussis, & ita parùm vrgentibus vt alteram opinionem non efficiant improbabilem. Et inferius resoluit licitum esse agere contra illum. Ergo licet sequi opinionem quamlibet, dummodò ab scrupuloso non iudicetur improbabilis.

1. Ex duobus inæqualiter dignis concurrentibus ad beneficium.

84. Secundò. Ex duobus inæqualiter dignis concurrentibus ad idem beneficium, qui minus est dignus, licet alias dignus sit, non censetur talis in conspectu dignioris, ac proinde contra distributiuam iustitiam fieret, si ipsi conferretur: ergo idem dicendum in concursu opinionum. Consequentia est legitima à paritate rationis, & pro ea vrgetur. Nam sicut dignitas minùs digni in conspectu dignioris non potest rectè iudicem ad electionem mouere, ita neque probabilitas opinionis minus probabilis in conspectu probabilioris habet vim mouendi eum, qui vtriusque probabilitatem cognoscit, ad assensum & praxim.

Nihil vrgere ostenditur adducto discrimine.

Respondeo dato Antecedenti, de quo multiplex quæstio, negando consequentiam. Et ratio extat in eodem argumento, dum dicitur esse contra iustitiam distributiuam; immò & plus aliquid posset dici, stante concursu per oppositionem; in opinionibus autem nihil tale fingi potest. Et ad probationem similiter patet ex

eodem

eodem, quia electo agnoscit ius vtriusque, & ita minùs dignus non mouet sua dignitate in negotio, in quo tantùm ius attenditur: at opinio minùs probabilis habet quo mouere possit, quia ex illius amplexu commodum speciale eam sequentibus accrescit, & hoc ipsum agnoscens intellectus, id voluntati vt securè operabile repræsentat.

3 Eximprudenti operandi modo ex regula ambigua obnoxia periculo.

85. Tertiò probat ratione Caietani ad hanc formam redacta. Operatio regulanda committitur opinioni tanquàm regulæ ambiguæ, quia omnis opinio ambigua est, vtpotè cum formidine alterius partis: ergo qui operatur secundùm opinionem minùs probabilem exponit se periculo peccandi mortaliter aut venialiter secundùm negotij qualitatem, ac proinde peccat; quia qui amat periculum, peribit in illo. Antecedens est notum, & consequentia probatur. Nam qui operatur sequens opinionem minùs probabilem, committit operationem suam regulæ ambiguæ, & dubiæ, ac magis pendulæ ad casum peccati: ergo exponit se periculo peccandi. Si dicas idem esse inconueniens in operante iuxta opinionem magis probabilem, quia quamdiu non excedit limites opinionis probabilis, regula ambigua est. Contra hoc est, quòd dum quis operatur conformiter ad opinionem probabiliorem, sequitur regulam moraliter certam; quia operari iuxta illam est conforme rectæ rationi, ac prudentum æstimationi, cui proinde practicè non potest subesse falsum, licet possit speculatiuè. Quod non accidit in operante secundùm minùs probabilem, quia is contra rectam rationem, & prudentum æstimationem operatur, facit enim operationem scienter dubiam an sit peccatum mortale, & mauult implere voluntatem suam, etiamsi sit culpa mortalis, quàm abstinere ab illa, præferens ipsam diuinæ amicitiæ.

Enervatur negatione periculi, & congrua explicatione.

Respondeo concesso Antecedenti negando consequentiam, & ad probationem nego Antecedens, & illius suppositum, quòd scilicet opinio etiam magis probabilis sit pendula ad casum peccati, quod significatur, cùm dicitur minùs probabilem esse magis pendulam, cùm sit certum sequentem opinionem talem non se exponere periculo peccandi. Nego insuper diuersam esse rationem in sequente minùs probabilem, quia non se committit regulæ dubiæ practicè. Secundùm quam rationem negari etiam poterat primum Antecedens, & dici opinionem non esse regulam ambiguam; licet enim sit dubia secundùm rationem obiectiuam, vt regula tamen est practicè certa, cùm illam sequendo habeat voluntatem minimè peccandi; & si sciret in eo futurum peccatum, etiam ratione proximi periculi, nihil tale faceret. Nec temerè in eo se gerit, cùm & ratione & auctoritate non contemnendis nitatur. Vbi quod reponitur de opinione probabili est satis ad rem, neque infringitur verbis multiplicatis, ad quæ satis esse potest data responsio, & repetendo nihilominùs etiam cùm quis sequitur opinionem minùs probabilem, sequi regulam moraliter certam, & conformem rectæ rationi, ac prudentium æstimationi, cui proinde practicè non potest subesse falsum. Pro quo est instantia euidens: Nam potest quis opinionem talem probabiliorem reputare: quo euentu regula est moraliter certa: ergo & in hoc illam amplectente talis esse potest, quia certitudo eius non variatur: & idem erit si hic illam æquè probabilem iudicaret, quod cùm accidit, admittunt aduersarij posse iuxta illam operari. Neque verum est operantem iuxta illam, contra rectam rationem ire, ac prudentum æstimationem, vt diximus, neque facere operationem scienter dubiam an sit peccatum mortale, & malle facere voluntatem suam, etiamsi culpa lethalis sit, eamque diuiuæ amicitiæ præferre, vt est compertum, tantumque habentur ex his verborum terriculamenta ad imperitos obruendos. Vbi addendum, quia prudentium æstimatio tantoperè inculcatur, ex eo argumentum posse retorqueri: nam plures cum incomparabili excessu sententiæ fauorabili adstipulantur, vt vidimus circa priorem Assertionem: vnde ex ea parte magis quàm vrgeant contrariæ Auctores, vrgentur. Et hæc circa Scriptoris præfati fundamenta: videndum iam quid Leitonius superaddat.

86. Obijcit ergo *Primò*. Quia illud Diui Pauli, *Omne quod ex fide non est, peccatum est,* *Rom 14. v.23.* secundùm Sayrum Lib. 1. clauis regiæ Cap. 13.n.3. & alios significat necessarium esse ad licitè operandum scire actionem esse bonam, & permissam, non autem sufficere malam esse nescire. *Secundo*. Quia voluntas subit vicem Actoris, ac per consequens ostendere debet actionem esse bonam: non sufficit autem ostendere non probari malam. *Tertio*. Quia dubium verum & proprium, de quo loquitur principium illud, In dubijs tutius est eligendum, non contingit quando pro utrâque parte rationes dantur, ac propter earum insufficientiam, vel propter vim contrariarum, assensum non cogunt vel assequuntur. Nemo enim sine ratione in dubium inducitur, & quando illa deficit, aut leuis est, vt in scrupulosis accidit, repellendum prorsus est: vt videri potest in *Cap. Inquisitioni n.72. citato*, in quo id admonet Innocentius Tertius, immò & iubet. Cum ergo dantur rationes pro ea parte, quæ asserit aliquid esse prohibitum, vel antecedens se habere eo modo, quo sequitur esse actionem prohibitam, quando similes in contrarium dantur, cur istæ illis præferendæ, vt iuxta has, & non iuxta illas formetur conscientia? Cùm in dubio religioni sit fauendum, vt ait Iurisconsultus in *l. l. sunt personæ ff. de Religiosis* &c. *Quarto*. Quia actio ex quocumque defectu fit mala, bona verò ex integra causa, iuxta vulgare axioma. Cùm ergo operans considerat rationes suadentes malam siue prohibitam esse actionem, licet similes contrarium suadentes consideret, potiùs debet vt prohibitam & malam, quàm concessam & bonam illam actionem iudicare. *Quinto*. Quia non videtur dicendum non mihi minùs licere agere illud, de quo dubito an sit permissum, & sunt rationes æquales suadentes prohibitum, quàm illud, quod positiuè bonum & permissum iudico sine dubio. *Sexto*. Quia sicut quando volo omittere aliquid, allego quòd non

sunt personæ.

Homem argumenta pro eodem.

non constat esse præceptum, quia dubium est an præceptum sit, & sic excusor: sic per contrarium, vt æqualitatis ratio seruetur, quando volo agere contra præceptum dubium, lex diuina allegat in dubio contra illam non esse agendum, & iure allegare vjdetur. Et in effectu hanc partem probant iura omnia, quæ in dubio tutius eligendum esse decernunt: nempè tex. in *Cap. Ad audientiam. Et in Cap. significasti el.2.* de homicidio. Et *in Cap. Iuuenis*, de sponsalibus. Adducit etiam citata Capita, *Dominus*, & *Inquisitioni*. Ex quibus sic infert: Si ergo dubitans iure vtitur sua libertate, & illius possessio ipsi prodest in dubio, vt agat quidquid non constat prohibitum, cur prohibetur debitum petere? *Vltimò* arguit ex doctrina P. Suarij 1.2. *Tract.3. Disput.12. sect.3. n.5. in principio*, vbi dicit ad malam operationem non requiri iudicium certum de malitia, sed satis esse quòd homo voluntariè operatur sine iudicio certo de honestate. Nam licet illud dictum possit intelligi de eo, qui ex conscientia practica, vt inquiunt, dubia operatur; tamen eadem prorsus ratio petit, vt stante dubio, an opus à parte rei sit prohibitum, dicatur non licere, quia non habetur iudicium certum de illius permissione. Hæc ille, quæ minimè vrgent. Et ita.

Iura pro eligende tuto.

P. Suarez.

Facilis eorum solutio.

87. Ad *Primum* dico ita esse, vt non sufficiat ad licitè operandum nescire actionem esse malam, & ita in casu nostro dari moralem certitudinem bonitatis formalis, quidquid de materiali sit. Vbi euenire potest multoties actionem, quæ probabiliùs habetur illicita, reipsa licita sit, eò quòd non prohibita, & vrgendus præfatus Auctor rogando quomodo hoc seruetur quando præceptum est de faciendo, & dubium circa illud, in quo ipse obligationem operandi non agnoscit? *Ad secundum*, quod de Auctore dicitur; quàm leuis momenti sit, iam vidimus *nu.79.* in quo & similiter percontandum. *Ad tertium* concedo posse dari verum dubium, etiam si pro vtrâque parte probabiles rationes occurrant, si quis nullam amplectatur; & nihilominus, quia veræ opiniones sunt, potest cui libuerit applicari: quo euentu iam non operatur vt dubius, sed opinatiuè iuxta aliorum opiniones, vnde & prudenter & securè in praxi, sicut & cùm probabiliori adhæret per assensum. Vbi cur vnius partis rationes potiùs quàm alterius sequatur, in promptu causa est, quia ex ea, quam sequitur, reportat commodum, quod iuxta prudentium iudicium potest securissimè comparare. Lex autem citata de dubio loquitur non probabili, & de fauorabili causa, in qua fauere debent ceteris paribus tribunalia. Vbi etiam vrgendus idem sicut in præcedentibus, ex affirmatiuis præceptis. Ad *Quartum*, in moralibus loquendo ita intelligendum axioma illud, vt malum ex quocumque defectu censendum sit, quando defectus est circa aliquid præceptum: si enim tale non sit, non est cur dicatur malum, licet dici imperfectum possit, eo quòd non sit iuxta consilium de perfectiori operandi modo, quod ad summum concedi in casu nostro potest, nihil ad hoc obstante rationū consideratione, de quibus argumentum. Ad *Quintum*, dico non ita esse permissum id, quod sub dubio fit, ac illud quod est sine dubio tale: quia hoc non indiget adminiculis vt admittatur, quibus tamen eget illud, ratione scilicet & auctoritate ad probabilitatem necessarijs, neque excludentibus formidinem speculatiuam, quæ in causa sunt vt non ita quieta remaneat conscientia, licet cum securitate sufficienti euitati peccati.

Malum quomodò ex quocumque defectu.

88. Iam quòd ad textus attinet, de quibus *Sextum*, respondeo ad eosdem debere eum, qui eos objcit respondere, cùm post huiusmodi eorum obiectionem ita dicat: *Quam tamen resolutionem sine distinctione non probo: nam non dubito licere omittere rem, vel actionem, de qua dubitatur an sit præcepta: sicut enim assero in dubio non licere agere, sic per contrarium dico in dubio omittere licere, vel, quod idem est, non teneri ad faciendum.* Sic ille. Quomodo ergo stat tunc partem eligi tutiorem? Dico ergo vel axioma illud non continere præceptum, sed consilium, vt multi dicunt apud Dianam *Parte 4. Tract. 3. Resolut. 3.* & quamplures apud Angelum Bossium *Parte 2. n.1203.* vel Pontifices locutos de dubio habente merum statum dubij; quando scilicet non est sufficiens fundamentum ad formandum probabile iudicium, quod possit operans secundùm prudentium æstimationem amplecti. Alij exponunt determinationes dictas de dubio practico, vt videri potest apud P. Thomam Sanctum *citata Disput.41.nu.9.* cum quo nequit operari, dum scilicet conscientia est dubia circa operationem, an hìc & nunc sit licita, neque habet vnde formare dictamen certum possit, & necessarium, vt licita sit operatio. Addo in casibus quibusdam dubijs posse Pontifices aliquid certum statuere iuxta partem, quam ipsi iudicant tutiorem: ex quo non est deducendum resolutiones dictas debere generaliter extendi. Id autem quod de allegatione præcepti dicebatur, contraposita allegatione volentis omittere quod non constat esse præceptum, admitto, & audiendam dico, sed iuxta illam non esse sententiam ferendam necessariò, quia pro contraria parte vrgentiores sunt probationes. Quod quidem fateri sic arguens debet, cùm præceptum est affirmatium. Ad illud item quod ex P. Suario adducitur, expositio ibidem adhibita est manifesta, iuxta ea, quæ habet *n.2.* vbi statuit cum multis iudicium conscientiæ practicè certum, esse necessarium ad bonitatem operationis. Negatur autem esse eamdem rationem eius, ac illius de quo est quæstio: nam illud est proxima regula operationis, cùm sic dictamen conscientiæ, aliud de probabilitate non proximum, sed præcedens, sic statuente qui operatur: Hoc quod probabile iudico secundùm se, *mihi esse licitum certo iudico hic & nunc; id non facturus, si illicitum iudicarem.*

Leironius.

§. VI.

Circa audientem Confessiones quæ obligatio in vsu probabilium opinionum. Vbi specialia quædam.

Confessarius tenetur se cum pœnitente gerere iuxta

89. STante sententia, quam stabilitam præmisimus de licito minùs probabilis opinionis amplexu, videtur consequens debere Confessa-

ipsius opinionem cum limitatione admiserunt quidam.

Confessarium absoluere eum, qui iuxta illam fuerit operatus, cùm ipse contrariam teneat: & ita tenent eiusdem defensores, quorum ratio est: quia sic operans non peccat: ergo non potest ex ea parte obicem absolutioni: siue ratione præcedentis operationis bona cum fide, siue futuræ, cuius vitandæ propositum non habeat, quia non tenetur habere propositum vitandi id, quod probabiliter iudicat non esse peccatum. Et hoc quidem à Confessario faciendum, cùm opinio, quam sequitur pœnitens est æquè, aut ferè penè probabilis, & non notoriè probabilior, docet Dom. Arauxo *suprà. Casu 5. nu.9.*

Sotus. secutus Sotum, & adhibens cum illo exemplum in iudice, qui complexus sententiam Scoti non vult condemnare Innocentem secundùm allegata & probata, quem scit priuatim esse talem. Et hunc (ait Sotus) tenetur Confessarius Thomista contra suam & D. Thomæ opinionem absoluere: neque enim hucusque constat quæ ex his sit probabilior opinio, sed vtraque

De iudice circa Innocentis condemnationem. est probabilis ferè in eodem gradu, & in praxi sequibilis, & iudices quandoque secundùm vnam, quandoque secundùm alteram operantur. Immò opinio Scoti in praxi videtur eò probabilior (è contra alia in Scholis, & speculatiuè loquendo) quo est mitior, tutior, ac securior, si sine scandalo plebis, & sine læsione auctoritatis iudicis, executioni mandetur. Fauet etiam illi

Hostiensis. regulæ Hostiensis *in Cap. si virum*, de cognat. spirit. videlicet. *Quòd vbi sunt diuersæ opiniones, & diuersa iudicia, semper humanior præferenda & æquior*: id est, benignior & mitior, quæ maximè habet locum in iudicijs fori externi, in quibus mitior est pars eligenda; sicut in interno tutior. Vnde cùm dubitatur sufficiente fundamento an Petrus propter homicidium, quod contigit in quadam nocturna armorum contentione manserit irregulares, & sunt pro vtrâque parte opiniones probabiles in foro externo, iudex tunc debet eum habere pro non irregulari, quia hæc est mitior sententia: sed in foro interno debet ei consuli vt habeat se pro irregulari, & dispensationem ad cautelam obtineat, quia hæc est sententia tutior. Hæc doctus ille Magister.

Irregularitas quæ non est in foro interno, non est ita in externo.

90. Sed in exemplo adducto scrupulus se ponendus, vt etiam in foro interno non se debeat quis existimare irregularem: quando ab externo non discordat. Si enim rationes pro externo adductæ probabiles sint, & nihil non verum in eis admixtum, cur pro foro interno aliter iudicandum? Externum enim in materia homicidij etiam tutiorem partem complecti debere, videtur sequi ex *Cap. Ad audientiam, & ex Cap. significasti el.2.* de homicidio. Cumque eo non obstante, sententia lata sit in fauorem Rei, existimandum est nihil tutum ratione illius haberi. Quæ, si hoc non præstaret, ferè inutilis esset, cùm se vt irregularem debeat ille gerere etiam in foro externo; nisi fortè ratione scandali, quod est peraccidens. Quod autem iuxta sententiam illam, in qua D. Thomas & Scotus dissentiunt, à præfato Magistro dictum est, documento esse potest circa alias: & illud quidem si obseruatum fuisset iuxta alias, multæ satis vtiliter turbæ fuissent euitatæ.

91. Iuxta suam verò locutus ille sententiam de probabiliore opinione præferenda, notoriè tali, ait eam doctrinam debere Confessarium scire, ne claue scientiæ errante procedat, & pœnitentem scientem circa id, de quo agitur, diuersas esse sententias, & secundùm vnam illarum se operari, teneri diligentiam adhibere vt sciat quę illarum sit probabilior. Et si id non faciat, imprudenter agere, & discrimini se committere: & ita si non sit paratus corrigi, de hoc peccato non debere absolui; nisi bona fide minùs probabilem fuisset secutus, putans sibi licere, & iuxta aliam etiam sæpiùs absolutus: tunc enim absoluendus, sed instruendus pariter pro modo vlteriùs procedendi. Quòd si paratum se ostendat correctioni, debet absolui; secus si imparatum: quia pœnitens in omnibus, quæ Sacerdos claue non errante iusserit, tenetur ei parere; eo quòd Sacerdotes sint à Domino iudices constituti ordinarij ad diffiriendas peccatorum culpas in foro pœnitentiæ per claues scientiæ & potestatis, vt pro constanti supponit Sotus in 4. *Dist.* 18. *Quæst.* 2. *Arti.* 5. *ad* 5. & colligitur ex *Cap. quem pœnitet. de Pœnit. Dist.* 1. Sed Sacerdos in eo casu potest ac debet pœnitentem instruere de probabiliore ac securiore opinione, & eum mouere, ac mouendo imperare vt eam deinceps certior de veritate factus in praxi sequatur: ergo pœnitens tenetur obedire, cùm imperans non erret, viam tutiorem ostendens, & à periculo eripiens, quod vitare pœnitens tenetur. Sic ille Soti doctrinæ Conformiter.

Confessarij obligationem circa prædicta qui vigent.

92. Sed contra eum est *Primò*, vel ex hac ipsa doctrina meritò refellendam sententiam, cui innititur, cùm adeò graue onus pœnitentibus imponendum statuat. *Secundò*, Quia videtur inutilis, quandoquidem pœnitens contrariam se posse amplecti sententiam sciens, poterit non confiteri id, quod iuxta eam fuerit operatus, & ita non erit cur veniens posteà ab eo repellatur, absolutione negata. *Tertiò*. Quia contingere potest pœnitentem à Confessarijs alijs absolutum iuxta oppositam opinionem: vnde si neganda absolutio, id non sine iniuria illorum stabit, qui errante claue processisse dicendi sunt. Quòd si dicat doctos esse, sed se aliam opinionem amplecti; eo certè ipso minùs docti pronuntiantur, & occasio præbetur pœnitenti de ipsis minùs honorificè sentiendi. *Quartò*, Sententia à nobis stabilita saltim est æquè probabilis, vt ostendimus *n.*79. ergo potest & debet Confessarius eidem conformari, iuxta ea, quæ ex Auctore citato dedimus *n.*89. *Quintò*, pro quo & *Casu* 3. *nu.*4. vbi id habet, quod præsenti instituto fauet, quod scilicet daretur bellum iustum ex vtraque parte. *Sexto*, quia pœnitens talis non absolutus potest ad alterius Confessarij tribunal prouocare, qui contrariam sententiam teneat, & iuxta ipsam eum absoluat. Et quid tunc? Rigidus sanè, & fortè etiam inscius, Confessarius prior à pœnitente reputabitur, quod non sine ipsius nominis nota, & Sacramenti ipsius accidet detrimento, ex quo tales in pœnitentibus angustiæ suboriuntur. Licet enim eo in euentu per secundum Confessarium leuamen sit, quod expetierat; consecutus: at sibi non immeritò persuadere poterit inuenturũ se posthac Confessarios alios priori consimiles, graue onus ratus, si appellationibus sit vsurus, quando ex sententiæ, quam Confessarius tenendam docet, sequela commodum sibi considerabile constat obuenire. *Sexto*. Illa opinio est minus tuta, quæ difficilius reddit Sacramentum: quam positionem statuit præfatus Scriptor *Disput.*

1. Argumentum contra illa.

Discursus Dom. Arauxo, ex quo redargutus.

9. *cit. nu.*21. *in fine*: exemplum apponens in opinione ad validam & fructuosam Baptismi & Pœnitentiæ susceptionem non sufficere attritionem cognitam. Neque enim tutior dicenda est quia meliorem petit cum Sacramento dispositionem, scilicet contritionem: immò ex hoc minùs tuta videtur dicenda quòd difficiliorem exigat dispositionem, & efficaciam Sacramentorum nouæ legis eheruet, quibus vniuersa Theologorum Schola virtutem attribuit faciendi de attrito contritum, & scrupulos conscientijs fidelium ingerat, eos numquàm aut raro de Sacramentorum talium debita dispositione & susceptione tutos reddens. Sic illius habet discursus, ex quo pro casu nostro efficaciter ad hominem arguendum; cùm constet ex dictis difficultas in vsu Pœnitentiæ Sacramenti, & scrupulorum seminarium præbeatur.

Consentiunt eandem aduersarij.

93. Tandem prætereundum non est id, quod habet *nu.*20. *in fine*: vbi ait quòd si pœnitens fidem non adhibeat Confessario, velitque in sua permanere opinione, ob rationabilia fundamenta, vel quia eam à viro magis, aut æquè docto audiuit, aut nullum, aut solius incredulitatis ei peccatum imputabitur in foro Dei: & ita Confessarius, licet teneatur instruere, non tamen poterit eum ad acceptandum eius sententiam obligare: ex quo sequitur eum debere absoluere. Ergo & absolutè. Constat. Quia si vnius viri docti auctoritas ad id sufficit, multò validior erit tot ac tantorum iudicantium pœnitentem procedere tunc securè, quorum & sunt non rationabilia solùm, sed rationabilissima fundamenta.

Matthæi Homem doctrina pro contraria conuenientia.

94. Vbi & addendum quod citatus Matthæus Homem Leitonius habet *citato Cap.*3. *n.*50. post feruidum adhibitum conatum ad sui dogmatis firmamentum, ita enim scribit: *Illud hîc pro fine huius Capitis notando, quod si vera est doctrina dictans vtramque partem contrariam posse probabilem esse, eo ipso quod pro se habeat non parui momenti fundamenta, siue auctoritates, & illam licet minùs tutam sequi licerè, vanus ferè noster & aliorum labor fuit: nam pars illa, quæ asserit regulariter non esse tutius sequendum ex præcepto, sed tantùm ex consilio, & habeat pro se grauissimos Auctores, & in effectu tam doctrina defendens possessionem prodesse in materijs extra iustitiam, quàm contrarium defendens, probabilis sit secundùm Dianam Parte* 4. *Tract.*3. *Resolut.* 2. *nihil ferè est, quod in dubio sequi non liceat. At hæc nos suprà latè impugnauimus.* Sic ille. Sed cùm eius impugnationes eam habeant vim, quam vidimus, & contraria sententia adeò sit iam vsu sapientium & Scriptorum consensu, ac ferè omnium vt ait P. Arriaga *Tomo* 8. *Disput.*44. *n.*2. radicata, non est cur in contraria adstruenda laboretur, ne vanus ferè labor sit, in declaranda & firmanda communi, & probabilissima, vt eam vocat P. Thomas Sancius, meliùs & vtilius collocandus.

Dubium speciale & nouum circa nuper dicta.

Quid agendum cum pœnitente non allegante opinionem quam pro se habet.

95. DEbere Confessarium se accommodare pœnitentis opinioni iam vidimus: quod tamen tunc tantùm videtur procedere quando pœnitens iure agit, & suam sequi opinionem vult, ac iuxta eam absolui. Sed quid cùm nihil de opinione discernenti, eidem negatur absolutio, iuxta opinionem, quam Confessarius tenet? Exemplis rem expedio: Multorum scribentium doctrina est negandam absolutionem relabenti frequentissimè in grauia peccata præsertim carnalia, & quæ complice non egent ad sui complementum, vt in mollitie accidit. Item habenti consuetudinem iurandi lethalè, multoque magis blasphemandi, & non vitanti occasionem, proponenti tamen iam sæpiùs; & sic de alijs. Illos afferunt Diana *Parte* 1. *Tract.*7. *Resolut.*55. *Parte* 2. *Tract.*16. *Resolut.*45. *Parte* 4. *Tract.*4. *Resolut.*165. *Parte* 6. *Tract.*6. *Resolut.*30. & *Tract.*7. *Resolut.*49. & *Parte* 11. *Tract.*8. *Resolut.* 30. P. Bauny *Tomo* 1. *Tract.* 4. *de Pœnitentia. Quæst.*15. Bassæus *verb. Absolutio nu.*7. P. Palaus *Tomo* 3. *Tract.*14. *Disput.*1. *Puncto* 9. *n.*6. Leander à Sacramento *Tomo* 1. *Tract.*5. *nu.*49. & 50. Thomas Hurtadus *Tomo* 1. *Tract.*1. *Cap.*6. *Resolut.*21. & alij. Sunt autem apud eosdem contrariam sententes, dicentesque absolutionem impertiendam quoties pœnitens cum vero dolore ac proposito accedit; quorum opinio est probabilis, quia & rationibus non leuibus nititur, & patronos habet non contemnendæ auctoritatis: tenent enim illam Viualdus *in Candelabro*, *Titulo de Absolutione* §. *Casus reseruati Episcopo* Beia 3 *parte Responsionum Casu* 3. Joannes Sancius *in selectis Disput.*9. & 10. *num.*19. P. Dicastillus *Tomo* 2. *de Sacramentis Tract.*8. *Disput.*10. *nu.*573. Baunij *suprà* Iosephus de Orta *in speculo Parochorum Cap.*10. *nu.*33. & alij ex Recentioribus. Et in rigore ita posse fieri affirmat P. Palaus cum alijs, in quibus sunt Leander *suprà* Bonacina *Tomo* 2. *Disput.*4. *Puncto* 15. *n.* 2. Diana citata *Resolut.*30. P. Fagundez *Tomo* 1. *in Decalogum Lib.*2. *Cap.*9. *n.*20. & 21. P. Thomas Sanchez *Lib.*1. *in eumdem Cap.*32. *n.*45. Cardinalis Lugo *Disput.*14. *de Pœnitentia n.* 166. P. Martinon *Tomo* 5. *Disputat.*53. *n.*185. Et idem ante illos significauit P. Suarez *Tomo* 2. *de Religione Tractatu* 4. *Lib.*3. *Cap.*8. *in fine* dicens, quòd in his non est scrupulosè procedendum. Sed facta morali diligentia, illa cum proposito censeri debet sufficiens. Quia non oportet vt Confessor alium non pejeraturum iudicet, sed satis est quòd iudicat illum in præsenti habere tale propositum, & facere quod moraliter potest vt efficax sit: nec huiusmodi humanæ infirmitates efficaciùs curari ab homine possunt. Sic ille.

Vt in consuetudinarios circa quam varietas opinionum.

P. Suarez.

Videntur tales absoluendi necessariò.

96. Ex quo videtur efficaciter elici talibus non posse absolutionem negari, quia stante necessaria dispositione ex parte pœnitentis, iniuria ei infertur, si absolutio denegetur, quod ex vi institutionis eiusdem Sacramenti deduci affirmat idem Doctor Eximius *Tomo* 4. *in* 3. *p. Disput.*52. *sect.*5. *n.*2. & licet cum eodem, aliisque citatis differri ex rationabili caussa queat, quam ille dicit fore grauissimam, & magna cum consideratione; cùm tamen in rigore conferri possit, ius habet pœnitens

ad illam exigendam, eo ipso quòd ex iustitia debeatur: sicut coniux reddere debitum debet quando reuera est aptus ad reddendum, licet fortè commodius esset petenti tunc non reddi: quod tamen in præsenti deficit, quia commodius est gratia Sacramenti contra pessimam consuetudinem obfirmari, & illius circa hoc debet practicari opinio, si iure agere velit. Si autem de opinionibus nihil sciat aut cogitet, idem videtur præstandum, quia ius, quod habet, pro ipso loquitur. Et ita tenet Ioannes Sancius *Disput.9.n.11.* P.Baunij *Assertione vnica, & §. vera sententia*: Et alij, qui nulla adhibita distinctione loquuntur.

Absolutio differri aliquando potest, etsi faueat opinio pœnitenti.

97. Dico Primò. Absolutio differri potest, non obstantibus ijs, quæ in contrarium præmisimus. Probatur, quia ijdem ipsi Auctores, qui sentiunt Confessarium debere conformari pœnitentis opinioni, sic etiam affirmant, & P.Suarèz *citata sect. 5.* pro certo id proponit, sicut nonnulli alij: Ergo benè possunt Assertiones illæ conciliari. Et vt non appareat statim ratio vrgens, auctoritas certè tanta sufficere debet ad praxim illam doctrina & exemplo ipsorum roboratam.

Roboratur notanda animaduersione.

98. Deinde. Contra probabilem opinionem pœnitentis licet operari cum illius consensu: ergo in nostro casu ita etiam fieri potest. Aut ergo quis circa hoc instructus, & discurrere valens, consentit, & sic procedit Assertio: aut reluctatur, & absolutionem sibi contendit impendi, durum reputans se inabsolutum dimitti: & sic alia est ratio, de qua statim. Aut de opinionibus sciens nihil. Atqui hinc non est cur sibi persuadeat Confessarius contendere cùm eo velle, & iudicium suum iudicio sui iudicis, medici, & magistri præferre: ergo potest iuxta receptissimam sententiam cum eo agere, dum nihil speciale, quod existimationem talem obruere possit, occurrit.

In satis factionem potest vsus opinionis probabilis pœnitenti prohiberi.

99. Præterea, licet sententia pœnitentis probabilis sit, & Confessarius debeat eidem se conformare, id non tollit quin in aliquo casu possit iste illius vsum prohibere. Ergo in eo, de quo agimus, tale aliquid potest stare. Assumptum ostendo. Nam vsus alicuius opinionis potest commodum aliquod afferre pœnitenti, cuius priuatio erit molesta: ergo potest in satisfactionem peccatorum iniungi. Patet consequentia, quia non est vnde id repugnet: Sicut enim abstrahendo ab opinionibus potest priuatio talis præcipi: ita & cùm de opinione agitur, quia ratio, ob quam satisfactoria est, similiter procedit. Exemplo res fit manifestior. De obligatione restitutionis agitur circa talem, aut tantam quantitatem. Possem ego absolutè pœnitenti iniungere vt similem quantitatem satisfacturus pro confessis peccatis pauperibus erogaret cum Daniele dicens: *Peccata tua eleemosynis redime. Dan.4.v.24.* Et sic tradit Montesinus ab Angelo Bossio allegatus *Parte 1.Tit.1. n.233.* & à Ioanne Sancio *Disp.33.nu.54.* quem vterque sequitur de restitutione loquentem *1. 2. q.5.Disput.29.nu.198.* Ergo similiter iubere potero vt restituat non vtens opinione, iuxta quam ad restitutionem non se existimat probabiliter obligatum: quo euentu & iustitiæ & religionis actus exercetur. Item. Iudicat probabiliter pœnitens se non teneri ratione sui officij ad ieiunandum. Et tamen Confessarius potest non vsum talis opinionis aliquando rationabiliter imperare.

Daniel.4. v.24.

Et sic de alijs. Ex quo patet illationis euidentia in nostro casu, in quo quidquid disponitur est in fauorem pœnitentis, pro maximo scilicet animæ bono, & ex quo detrimentum nullum in temporalibus potest resultare.

Sed non sine per.

100. Dices. Ergo generaliter etiam dici potest Confessarium sequentem probabiliorem opinionem posse pœnitenti iniungere vt opinione sua minùs probabili non vtatur: ex quo fit vt id habeatur ex hoc agendi modo, quod per viam aliâ contendunt contrariè illius opinionis asseclæ, debere scilicet pœnitentem opinioni Confessarij cõformari. Sed hoc non vrget. Nam ex eo quòd in vno aut altero casu, vsus opinionis prohibeatur, non tollitur illius generalis facultas, neque iugum graue, & onus importabile conscientijs importatur. Vnde non licet generaliter vsum opinionum minùs probabilium pro satisfactione peccatorum imponere, quia inconueniens dictum sequeretur: neque semper talis vsus priuatio accommodata materia satisfactionis erit, aut illam Confessa peccata merebuntur. Item. Cùm varia sint operum genera, quibus satis fieri possit, aliquid erit multoties maioris vis ad satisfaciendum, quàm vsus opinionis probabilis prohibitio: ergo non debet generaliter ad prædictum effectum imperari.

Differri absolutio potest contra pœnitentis renitentiam.

101. Dico Secundò. Si quis opinionum conscius velit iure agere cum Confessario, & absolutionem extorquere, si nullum aliud damnum imminet, potest vrgeri à Confessario vt obediat, reipsa absolutionem, si expedire videat, denegando. Id probo: Quia Doctores conuenientiam dilationis admittentes generaliter loquuntur: ergo cùm illa respectu eius, de quo loquimur, locum habere possit, non est cur ex eo quòd sciolus sit, melioris debeat esse conditionis; immò aliquotics talium debet præsumptio castigari.

Sed non si damnum aliquod timeatur.

102. Dico Tertiò. Si timeatur damnum aliquod ex dilata absolutione, non est deneganda. Sic citati, ex quibus P.Thomas Sancius, & alij eum secuti excipiunt casum, quo licet pœnitens id ægrè ferat, nec speretur emendatio, timeantur scandala: tunc enim timor hic benè fundatus solatio est pœnitentis præferendus; & licet P. Dicastillus, Ioannes Sancius, & P.Baunij, expendant damna, quæ generaliter ex negata absolutione erumpere possunt, pro quo & experientia suffragatur; negari nequit quin experientia etiam in contrarium sit, quam & P. Suarius allegat. Nec de his plura hoc loco, & præsertim de occasionibus proximis vitandis; de quibus *in Thesauro actum Tomo 2. Tit.16. n.55. & seqq.* Circa quas & *inferius num.592.*

DVBIVM ALIVD.

Circa opinionem Pœnitentis à Confessario reputatam improbabilem. Vbi de Bulla Cruciatæ circa vsum Regularium pro reseruatis.

Improbabile est Regulares vti posse Cruciata in reseruatis.

103. DE hac materia in *Thesauro* disserui *Tomo 1.Tit.5.n.266. & seqq.* Et opinionem asserentem posse Regulares vti Bulla pro absolutione à reseruatis improbabilem cum multis pronuntiaui: quod & modò statuo, quia nihil, quod à præ-

fato sensu me possit auertere, deprehendi. Et Leandrum quidem à Sacramento adduxi similiter sentientem, vt præmiserat; addentem tamen in contrarium esse, à Rege nostro supplicatum pro eo Pontificem, quod sibi à Mag. Arauxo nondum Episcopo, sed iam sublimis illius dignitatis emerito, fuerat affirmatum. Sed verò Illustrissimus Dominus, cùm de hoc *in Decisionum suarum Tractatu 1.Quæst.8.n.21.& 22.* agat, vbi & Leandri meminit, & fusiùs à *nu. 27.* in fine Quæstionis sic habet: *His accedit quod ex parte Regis Hispani rogatus fuit Vrbanus VIII. ne in sua Bulla exprimeret dictam exceptionem Regularium.* Sic ille. Vbi, vt omittam quæ circa hoc aliàs dicta sunt, quid hîc contra nos? Si Vrbanus expresè voluit Bullam Regularibus quoad prædictum effectum non prodesse, clausula exceptionis non opposita, quid supplicatio Regia, si talis reuerà fuit, contra id prodesse poterat ex eo quod exceptio non exprimeretur? Nihil ergo inde pro suo habent aduersantes intento, nisi quòd Regulares aliqui opinionis suæ qualecumque fundamentum conati sunt medijs potentioribus retineri.

Dom. Arauxo supplicationem Regis interpositam affirmat.

Sed nihil inde.

Nulla pro eo allegari possessio potest, sicut neque dein aliqua.

104. Et quidem præter fundamentum præfatum, quod quanti sit ponderis liquidò apparet, non est aliud, quo possit positio ista sustineri, & per intrinseca principia probabilis demonstrari. Non enim vrget quod de possessione dicitur, in qua sunt Regulares, minimè per Bullæ clausulam reuocata. Nulla enim talis possessio, quæ pacifica dici possit, vnquam fuit, sed fortè apud quosdam aliqua turbida, & impugnata, reclamantibus Pontificibus, ac multarum Religionum exactam obseruantiam profitentium Prælatis. Quòd autem possessio talis minimè suffragetur, quis potest etiam ex imperitissimis ignorare? & legem quidem circa hoc in Corpore iuris insertam in Extrauagante scilicet *Inter cunctas* de Priuilegijs, qua statuitur vt Regulares, non confiteantur alijs, quàm deputatis à suis Prælatis per Bullam reuocatam. dicitur quidem, sed non probatur. Additur per clausulam Bullæ Cruciatæ solùm excipi à derogatione priuilegia concessa circa Indulgentias, non circa Sacramentorũ administrationem &c. ac proinde per illam non manet derogatum priuilegium eligendi Confessarium &c. quod argumentum ait præfatus Magister esse suo iudicio irrefragabile. Sed sit illud tale, vt in prædicta exceptione de solis Indulgentijs sermo habeatur, cuius oppositum efficaciter euincit Cardinalis Lugo *Disput.20. de Pœnitentia n.112. & seqq.* Quid inde? An id obstare possit iteratis Pontificum declarationibus, quibus mentem suam circa exceptionem testatissimam reliquerunt? Hoc certè est quod debet, vt sententiæ probabilitas eluceat, eneruari. Vnde nec vim facimus in alijs Bullæ verbis, *facultades, gracias, y priuilegios*, quæ dicuntur debere intelligi iuxta subiectam materiam.

Extrauag. Inter cunctas.

Declarationes Pontificum eorum morte non expirasse.

105. Ad eneruandam ergo vim dictarum declarationum subditur illas mortuis Pontificibus expirasse. Quàm ergo ineptè additum, ab illis, *Tenore præsentium perpetuo declaramus*, si dispositionum vis ijsdem erat morientibus moritura, & nouarum Bullarum concessione eo ipso à successoribus reuocanda! Non dubium quin potuerint reuocare. Sed vbinam reuocatio dicta? In Bulla ipsa exceptionem habente nullam. Atqui Vrbanus sua in Bulla (sicut Clemens & Paulus) de exceptione nihil; & tamen exceptionem iuxta eorum mentem faciendam est ex eorum verbis exploratum; non ergo admittenda illa, etiam si expressio videatur necessaria, quandoquidem sine expressione tali volunt Pontifices accipiendam; etiamsi successores nihil censuerint in verborum tenore variandum.

Ex distinctione annuarum Bullarum argumentum enerue.

L. Cùm in singulos.

106. Nec plus habet roboris quod dicitur, Bullam scilicet sequenti anno promulgatam non censeri eamdem cum Bulla anni præcedentis, etiam eiusdem Pontificis, quia est priuilegium annuale, sicut legatum annuum censetur plura annua legata, ex *l. Cùm in singulos ff. de annuis legatis.* Id enim damus. Sed cùm ad annuas omnes Bullas voluntas Pontificis extendatur, parùm refert quòd vna sint aut plures. Rogo enim an ita accidere possit, vt contendimus, Pontificem scilicet posse ita voluntatem suam declarare, vt ad suas & aliorum Bullas se protendat, dum ipsi nihil in contrarium inuenti fuerint declarasse? Id certè innegabile est, & ita communiter sentiunt Doctores circa absolutionem ab hæresi: quam sententiam Tribunalia S. Inquisitionis amplectuntur. Et vt demus potuisse in eo locum esse opinionibus, id certissimum quod in toto Canonico iure habemus, in quo responsa singularium Pontificum vim habent, vt iuxta eorum debeamus mentem procedere, dum successores contrarium aliquid non inuenti fuerint decreuisse. Atqui hoc videmus in casu nostro contingere, in quo successores circa vsum Bullæ, nihil speciale, nihil contrarium in eadem apponunt: ergo dicendum proculdubio est vsum, qui prætenditur, esse contra eorum testatissimã voluntatem. Nec est cur afferatur Bulla Sixti V. circa abortum, aut tales, quæ non receptæ, aut per subsecutas Constitutiones immutatæ. Et insto ex eâdem Bulla. Quia extra dubium est peccatum reseruatum à Pontificia Sede, etiam mortuo Pontifice reseruatum manere, nisi à Successore aliter decernatur. Cur ergo abortus reseruatus à Sixto, iam reseruatus non est? Ideo certè quia Gregorius XIV. reseruationem sustulit. Ergo ex hoc non habent aduersantes vnde vrgeant, sed potius quo vrgeri efficaciter possint: quia stat exceptio pro Regularibus Pontificijs Bullis declarata, contra quam declarationem successorum nullus inuenitur aliquid protulisse.

Concilium Trident.

107. Quod verò superadditur, per huiusmodi facultatem Regularium obseruantiam non eneruari, sicut neque dispositione Concilij Tridentini *Sessione 25.Cap.1. de Regularibus*, vt Monialibus extraordinarius detur Confessarius bis aut ter in anno: contra sic arguentes videtur potiùs militare. Nam Concilium censuit frequentiam extraordinarij Confessarij non esse consonam obseruantiæ regulari, & ideò solùm bis aut ter concedendum in anno constat esse præceptum. Quid ergo erit de Regulari qualiscumque sexus sentiendum Bullam accipiente, & iuxta eam toties quoties ad extraordinarium Confessarium recursum habente, qui possit à grauissimis excessibus Papalem absolutionem condonare? si præsertim accidat excessus tales ad sæculares personas deferri, & eos quandoque eligi, qui neque scientia, neque probitate sunt præditi, quam exigit Cle-

Contra obseruantiam Regularem esse vsum talem.

Clemens VIII.

mens VIII. in ijs; qui in Religionibus assignandi sunt, ad quos absolutio à reseruatis deferatur. *Ijque sint docti, prudentes, & charitate præditi.* Talia velle Pontifices, qui voluerit credat; ego certè numquam id mihi potero persuadere. Neque maiorem vim habet quod de Iubileis dicitur; id enim infrequens, vnde minimè ad comparationem nostri casus adducendum.

Nec damnum vtilitate compensatur.

108. Nec damnum dictum cum vtilitate ex vsu facultatis dictæ proueniente compensatur, dum per illam maiora pericula & sacrilegia vitantur. Nam ad hæc pericula & sacrilegia euitanda via est securior, petitio scilicet facultatis à Prælato interuentu Confessarij, tacito pœnitentis nomine, aut per alium, qui ex assignatis non sit; quam dabit prudens Prælatus, quem hac in re non esse futurum difficilem citatus Pontifex statuit, sed standum iudicio Confessarij. Quod equidem Regulares Germani, Belgici, Gallici, Poloni, Hungari, Bohemi, Italorum plurimi, & alij beneficio Bullæ expertes sint facturi, quibus non est dicendum Pontifices ad euitanda pericula & sacrilegia minimè de remedijs competentibus pro vidisse,

Vrbanus VIII.

109. Ex Bulla autem Vrbani VIII. Latina seu plumbea, quod affertur, scilicet *vt omnes & singuli prædicti meliùs ad Deum preces fundare possint* &c. quod ad Regulares videtur extendendum, tum quia *Omnes* nullum excludit: tum etiam quia quod ad preces attinet, ad eos præsertim videtur spectare: Facilem explicationem habet, quia non vtcumque dicuntur *omnes*, sed *prædicti*; & ita illi solùm accipiendi, qui iuxta mentem Pontificum Cruciata frui possunt quo ad totalem absolutionem, excludendo Regulares, quos ad fundendas preces supponunt Pontifices ea facturos conscientiæ puritate, quæ ad earum felicem est exitum requisita. Illa autem consequentia, quæ ex præfatis verbis elicitur, dum dicitur. *Igitur potiùs in maiorem conscientiæ puritatem, quàm in detrimentum regularis disciplinæ tale priuilegium conducit*: Non est legitima generaliter loquendo, sed iuxta subiectam materiam, quoad eos scilicet, quibus pro puritate dicta potest conducere, & sunt prædicti, secus Regulares, vt Pontifices ipsi apertissimè protestantur,

Ex conscientiæ puritate pro precibus leuissima instantia.

Circa Societatem IESV indecora, & acerba positio propulsata.

Societati iniuriæ Dom. Arauxo, pro qua solida, & inconcussa propugnatio.

110. ID verò quod Societatem concernens prædictus Auctor obtrudit *nu. 22. §. Sed puto ego*, omittendum potiùs quàm discutiendum existimo, ratus nulli ei præiudicio futurum apud æquos rerum æstimatores, & illi propriarum conscios: habetque illa præstantissimos defensores, habituraque est, nobis etiam tacentibus; quos tamen non semper elingues esse, sed pro veritate loqui aliquoties oportebit. Dicam & ego, sed pauca vt liquidò eluceat an positio dicto loco non sine odiosa comparatione proposita possit æquanimiter sustineri.

Pij 4. *elogium Societatis IESV.*

Pius IV. in Bulla, quæ incipit, *Etsi ex debito. die 3. Aprilis, an.* 1561. cum præmisisset conciliationem quamdam inter Societatem & Ordinem alium ex Mendicantibus, satisque religiosum Patentiæ habitam super fabrica intra cannas, ita prosecutus: *Nos qui Inter seruos Christi pacem & tranquillitatem intimis desideramus affectibus, attendentes quantum dicta vestra Societas in Ecclesia Dei hactenus fructum attulerit*, (post annos tantum viginti & vnum à sua Confirmatione) *& quantum in futurum, Deo dante, sit allatura: & propterea vos præcateris alijs Religiosis, maioribus fauoribus & gratijs fore meritò prosequendos &c.*

Pij 5. alius.

111. Pius V. sublime illud Dominicani Ordinis ac totius Ecclesiæ decus, in Bulla, quæ incipit, *Æquum reputamus*, an. 1565. die 17. Ianuarij hæc habet: *Nonnulli animi leuitate, vt credebatur, ducti, ac quietem labori, cui proculdubio Religiosi Societatis huiusmodi pro excolenda & propaganda Christiana religione continuè erant expositi, ac priuatum commodum publicæ, tam dictæ Societatis, quam Christianæ Reipublicæ vtilitati indiscretè præferentes, fucatisque coloribus asserentes se id facere ob frugem melioris vitæ, aut strictioris obseruantiæ &c.*

Præclara alia Gregorij 13.

112. Gregorius XIII. in Bulla an. 1576. die 16. Iulio incipiente. *Quæcumque sacrarum*, ita ait: *Nos igitur qui præfatos Presbyteros & Religiosos dictæ Societatis à studijs, lectionibus, prædicationibus, Confessionibus audiendis, & alijs verbi Dei ministerijs, ac pietatis operibus, quibus continuè laudabiliter incubuerunt, & incumbere non desistunt, quauis ex caussa distrahi nolumus; considerantes in Ecclesia Dei non deesse alios Ordines Religionum, qui vel ex instituto, vel absque propriarum functionum impedimento, supplicationibus huiusmodi interesse &c.*

113. Idem in Bulla anni eiusdem die 30. Octobris, cuius est initium, *Saluatoris Domini*, ita loquitur: *Sanè, vt accepimus, licet dilecti filij Presbyteri Venerabilis Societatis IESV in vinea Domini tamquàm fructiferi palmites, in toto ferè orbe tam in continendis in via mandatorum Christi fidelibus, infirmis in fide consolidandis, ægrotisque sanandis, confractis alligandis, & abiectis reducendis, ouibusque dispersis, & lupis vespertinis, leonumque famelicis catulis in deuorationem expositis, reclamandis, & defendendis: quàm etiam ijs, qui extra ouile Christi, sacrosanctique Imperij nostri tutelam, sub ignorantiæ iugo, in obscuris & tenebricosis locis ac desertis, per montuosas ac difficiles vias aberrant conuertendis; & ad nationes Catholica religione imbutas, & ad immanes barbarasque diuini cultus, politicique ornatus ignaras gentes, ferino potiùs quàm humano more viuentes, sese extendentes, optimum & vberrimum fructum attulerint, & in dies maiore cum solicitudine afferre, zizania extirpare, bonum semen renouare, plantare, terrasque incultas euangelico sulco, ac Ecclesiasticæ disciplinæ vomere eruderare non cessent. Ac dudùm propter ipsius Societatis tam vtiles, tamque necessarias functiones, quæ tum in Domibus per frequentem Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentorum administrationem, & ad eorum frequentationem sectandam adhortationem, prædicationemque, & spiritualia exercitia, ac alia verbi Dei ministeria, tum in Collegijs per lectiones tam bonarum litterarum, quàm Philosophiæ etiam & Theologiæ, ad iuuentutem bonis moribus & litteris imbuendam, ex ipsius Societatis primæua instituti euectione, ac diuina vocatione, magno Dei beneficio, & Ecclesiæ spirituali emolumento exerceat &c.*

114. Idem in eiusdem anni Bulla die 18. Decembris, cuius exordium, *Apostolicæ Sedis* sic fatur: *Nos*

Nos igitur, qui operarios in vinea Domini, præsertim pondus diei & æstus sustinentes, sincero prosequimur affectu &c.

Et in Bulla anni 1578. die 7. Maij, quæ exorditur, *Quanta in vinea Domini*, in hunc loquitur modum: *Quanta in vinea Domini fructuosa opera Societas IESV quotidie verbo & exemplo in populo Christiano attulerit, continuosque labores, quos pro diuini nominis gloria, & exaltatione fidei Catholicæ Presbyteri dictæ Societatis supportent, cordi nostro prouenit satisfactio. Ac propterea dignum censentes, vt ipsam Societatem, eiusque in odorem suauitatis Altissimo deseruientes specialibus fauoribus prosequamur, illaque sibi fauorabiliter concedamus, per quæ Societas ipsa ad animarum auxilium fideliter in Domino procedere valeat.*

115. Pergit adhuc, & in Bulla, quæ incipit *Quantò fructuosiùs* anni 1582. die 1. Februarij, cuius exordium satis Societati honorificum est, sicut & progressus, sic tandem subdit: *Nos considerantes diuinæ sapientiæ atque prouidentiæ thesauros, pro temporum necessitate varia, & inter se dissimilia, eademque salubria Ordinum instituta in Ecclesia sua produxisse, & nunc maximè (vt felicissimi toto orbe successus testantur) mirificos in agro Domini fructus hoc peculiari dictæ Societatis instituto proferri &c.*

Tandem in celeberrima Bulla anni 1584. die 25. Maij, quæ sic orditur, *Ascendente Domino*; ita scribit: *In quo cùm aliarum Religionum studia, tum Societatis IESV assiduus pro Christi labor, necnon vsque ad finem perseuerantia, promptam se ostendit. Cumque prolem Catholicæ religioni valde proficuam, & ad omnia pericula pro vniuersali Ecclesia subeunda paratam procreauit, aliamque atque aliam à prima non degenerem, præstante gratia Dei, quotidie substituit, vt nobis eorum alumni per multiplices probationum gradus altiùs prouecti semper præsto sint, quos in rebus arduis suscipiendis fructuosos operarios usciscamus. Eos autem, vt firmiorem nobis opem ad prædicta nauare possint, ab omni non modò iniuria, sed etiam calumnia studemus intactos conseruare;*

Gregor 14. *Illustre testimonium.*

116. Gregorius XIV. in Bulla anni 1571. die 28. Iunij, sic auspicatissimè auspicatur *Ecclesiæ Catholicæ, cui, Deo auctore, præsumus, decor atque vtilitas postulat, vt cum in omnibus illius membris fouendis atque ornandis assiduè nobis laborandum sit: in illam tamen præcipuè vigilantiæ nostræ partem impendere debeamus, quæ non modò ipsa per se robur ac pulchritudinem corpori huic mystico afferunt, sed ceteras etiam eius partes, vel disruptas consolidare, vel integras custodire, vel fœdatas eluere, atque etiam ornare valeant. Inter hæc autem quem locum obtineant Religiosi Ordines, præsertim verò qui proximorum vtilitati deseruiunt, cùm & superiora tempora & præsentia diligenter attendimus. In his verò Religio Societatis IESV, quam nouissimis hisce diebus diuina prouidentia excitauit, adeo strenuè laborauit, ac sine intermissione laborat, vt illius vel turbationem, vel infirmitatem, ad commune Ecclesiæ damnum; vel pacem atque integritatem, ad eiusdem vtilitatem maximè pertinere putetur.*

Pauli V. *Inculentum aliud.*

117. Paulus in Bulla anni 1606. die 4. Septembris sic orsus: *Quantùm Religio Societatis IESV in Ecclesia ad fidei, pietatis, & religionis augmentum profecerit, & in dies magis proficiat: Nos ipsi scimus, & Christiana Respublica nouit vniuersa. Propterea illam diuersimodè perturbare, ab incepto retardare, malis artibus humani generis hostis quotidie nititur: è contra verò illam & in suo laudabili proposito confouere, & ad Instituti sui puritatem & nitorem pristinum retinendum adiuuare in quo vno solo vis Religionis consistit, procurarunt Prædecessores nostri, & nos totis viribus contendimus. & inferiùs. Nos igitur certò scientes totum sanctæ huius, & numquàm satis laudatæ Religionis stabilimentum & profectum, in viridi Instituti ipsius &c.*

Perfectissima illa ex vi Instituti. P Suarez.

118. Iuxta hæc & alia, quæ longum esset recensere, & satis notabilia sunt, vt liquet, resolutio illa vim accipit, quam Eximius Doctor P. Suarius exhibet solidis fundamentis roboratam *Tomo 4. de Religione Tract. 10. de Societate Lib. 1. Cap. 7. à n. 3.* vbi euidenter ostendit Societatem ex vi sui instituti perfectissimam esse, & in eo infimum gradum non tenere. Hoc vltimum ita explicat, vt per negationem potiùs, quàm per positiuam comparationem sibi visum fuerit statuendum, vt omnem inuidiam amoueret. Vbi inuidiæ nomen sic oportet accipiat lector, vt præter vulgarem significationem, aliam è Grammaticis lexicis aduertat adscisendam. Qua tamen opportunè vsus Eminentissimus Cardinalis Sfortia Pallauicinus *Cap. vltimo vindicationum Societatis vers. Age*, sic scribens: *Romani Pontifices miro consensu per innumera diplomata, quæ in omnium manu sunt, Societatem priuilegijs atque immunitatibus amplissimis vsque ad magnam inuidiam influxerunt.* Sic ille. Vult ergo sapientissimus ac modestissimus iuxta Magister Societatem aliquibus saltim exæquandam ex ijs, quibus simile congruit institutum, quo in genere Mendicantes habentur, è quarum illa numero, iuxta Pontificias Sanctiones, & quidem illi de suorum Ordinum perfectione contendunt, vt non facile appareat cui sit malum aureum tribuendum.

Cardinalis Sfortia Pallauicinus.

119. Iam ex præfatis Positiones istas minimè negandas elicio.

Prima sit. Societas ob eximios in Ecclesia fructus præ ceteris alijs Religiosis Ordinibus maiores fauores & gratias apud Apostolicam Sedem promeruit. Sic Pius Quartus, qui de vitæ exemplo elogium grande præmiserat.

Secunda. Religiosi Societatis, qui ex instituto excolendæ & propagandæ fidei sunt expositi, & qui dicunt se ob frugem melioris vitæ, & strictioris obseruantiæ transitum velle, neutiquam credendi, proprium commodum Christianæ Reipublicæ vtilitati indiscretè præferentes. Sic Pius Quintus.

Tertia. Multiplicia Societatis ministeria adeò Ecclesiæ proficua sunt, vt licet Religiosi alij ad publicas supplicationes adigi possint, ab huiusmodi occupatione veniat releuanda Societas, cuius alumni eisdem laudabiliter incubuerunt, vtpotè quæ maioris momenti sunt, & ita alijs præferenda. Sic Idem.

120. Quarta. Societas maximè vtiles ac necessarias functiones, magno Dei beneficio, & Ecclesiæ spirituali emolumento exercet, cum admirabili varietate, & ingentium laborum impensis. Sic Gregorius XIII. prædicta in speciali recensens.

Quinta. Societatis Religiosi pondus diei & æstus sustinent, & quotidie verbo & exemplo,

magnisque laboribus pro Dei gloria supportatis, magno cùm fructu, digni sunt, quos specialibus fauoribus Sedes Apostolica prosequatur. Sic Idem.

Sexta, Societas IESV è thesauris diuinæ sapientiæ & prouidentiæ, temporibus maioris necessitatis exprompta, cum felicissimis successibus, & mirificis in agro Domini fructibus, ob peculiare illius Institutum. Iuxta eumdem.

Septima, Religiosi Societatis præ alijs sunt præstò Pontificibus, vti fructuosi Operarij ad res arduas susciendas. Et proles valde proficua, & ad omnia pericula pro Ecclesia Dei subeunda: vnde dignissimi eorumdem protectione, vt firmiorem opem nauare possint. Idem.

Octaua, Societas IESV diuina prouidentia extremis temporibus excitata, adeò strenuè in Dei Ecclesia laborat, vt illius damnum totius Ecclesiæ damnum debeat æstimari, sicut & pacem & integritatem ipsius ad eiusdem Ecclesiæ vtilitatem maximè pertinere putatur. Sic Idem attestatur.

Nona, Apostolica Sedes, & Christiana Respublica vniuersa agnoscit fidei, pietatis, & religionis augmenta in Dei Ecclesia per Societatem accepta. Vnde illam in sui Instituti puritate conseruare Summi Pontifices totis viribus curarunt, in quo laudes singulares admiscent, dum illam sanctam, & numquàm satis laudatam profitentur. Sic Paulus Quintus.

121. Decima. Societas ex vi sui Instituti perfectissima est, neque in eo genere gradum infimum tenet, vnde aliquibus ex Mendicantibus exæquari potest. Cumque inter eas non sit exploratum quæ illa sit, cui supremus competat, nulla se potest irrefragabilibus fundamentis euincere perfectioré. Sic ex P. Suario, & vrgentissima ratione, pro quo & Cardinalis Sfortia Pallauicinus, dignitate non magis quàm eruditione eminens, cùm Eminentissimus in illa sit *in vindicationibus citatis Cap. 5.* modestissimè locutus, vt par est, dum præeminentiam remouet, licet finem agnoscat & probet amplitudine & celsitate præstantissimum. De quo apud Illustrissimum Caramuelem in *Apologemate de Probabilioritate* luculenta mentio, dum eum vocat *virum; quo doctiorem non cognoscit Europa, Consistorij Apostolici gloriam, ornamentum Italiæ, in quo eruditio & pietas de primatu concertant: quem dedit orbi Christiano Deus, vt ad eius exemplum Ecclesiastici Principes mores suos accuratiùs eliment.* Sic in dedicatoria Epistola, qui in Apologematis *Secunda* ad illius similia habet, nisi quòd & se discipulum fateatur ipsius: *vt coràm te*, inquiens, *sicut coràm suo magistro discipulus, exponam quod in hac materio ex suis, & aliorum Illustrium Doctorum Operibus didicerim.* Sic pro sua ille modestia, qui ingenij & eruditionis præstantia toto orbe percelebris, & iterato honorificentissimus Præsulatu.

Cardinalis Sfortiæ *sententia, & commendatio.*

Illustriss. Caramuel.

Religiosi Societatis ex vi Iuris communis ad Religiones alias Mendicantes transire non possunt.

122. Iam ex præ iactis Positionibus vna illa elicienda consequentia: Religiosi ergo Societatis de iure communi ad Religiones alias Mendicantes, vtpotè obseruantiores & perfectiores, transire non possunt. Perfectio ad finem referenda: obseruantia ad media, quibus ille proponitur obtinendus. Finem præstantissimum vidimus, neque potest ab vllo ratione prædito circa veritatem istam dubitari. Media accommodatissima, & fideliter obseruata sic Pontificibus reclamantibus. Primatum non ambimus, de æqualitate cum aliquibus licet affirmare: quod si & hoc non datur, liceat dubitatio, vt non sit planè earum excessus exploratus. Inter ipsas statuatur ille, conuenientibus illis in vnum: quod cùm sperari nequeat, vbi incerta omnia, neque transitus Societatis Religiosis communi iure concedi. Circa quod possem quidem sapientissimi Magistri Manæij dictum lepidè, suo more, in gymnasio Salmanticensi iactatum, & cum auditorum plausu exceptum recensere, quo assertionem præfatam Societati parùm honorificam conuellebat terminorum conuersione. Sed parcendum istis, & vtrimque vtinam, vt ad difficultatis propositæ enodationem tandem veniamus,

Dubium propositum enodatur.

An Confessarius teneatur absolue Regularem volentem ire Cruciata.

123. ESse quidem improbabilem sententiã, de qua *suprà*, semel atq; iterùm pronũtiandum. Et ex eadem emergentia incommoda circa regularem obseruantiam iam pridem perspexit Clemens VIII. & id vt manifestum proposuit in Bulla, quæ incipit *Romanus Pontifex* an. 1595. die 14. Iunij, sic dicens: *Sanè cùm ratio doceat, & experientia compertum sit Religionibus valde perniciosum existere, vt earum Religiosis licitum sit Confessarium sibi eligere &c.* Vbi de Cruciata sermo. Quod tamen vt liceat sic arguit Dom. Arauxo: Nam quoties sub opinione versatur vtrum Confessarius habeat iurisdictionem, licitum est Confessario administrare Sacramentum Pœnitentiæ, & pœnitenti illud recipere sub opinione probabili, licet minùs probabili, dummodò probabilis sit, quoniam in eo euentu Ecclesia confert iurisdictionem, sicut in errore communi, propter communem vtilitatem, & ingentia incommoda euitãda, ex Bonacina, Sanchez, Lessio, Castro Palao, Maldero, & alijs, quos citat & sequitur Diana *Tract. 2. de opinione probabili Resol. 2.* Sic ille, nobis relinquens doctrinæ illius applicationem. In qua obseruandum contrariam esse illam, ex vero tamen dictamine deriuatam, ei, quam superiùs improbauimus, dum acriter ille contendit opinionem minùs probabilem non posse probabiliore relicta in praxi teneri, contra quam militant citati ab eodem Auctores. Quod si diceret malè quidem tunc agere Confessarium, Confessionem tamen validam esse, non esset in assertionibus compugnantia: atqui non solùm validum asserit, sed & licitum etiam Confessario & pœnitenti protestatur.

Clemens Octauus.

Discursus enervat Dom. Arauxo pro affirmatiua.

Vrgetur difficultas.

124. Stante ergo improbabilitate dicta iuxta Confessarij mentem insurgit difficultas, si accidat Religiosum confiteri non habenti iurisdictionem circa reseruata, & dicat velle se absolui ab aliquibus eius generis beneficio Cruciatæ. Et casus vrget quando est inchoata Confessio, & res non integra, vt dici solet: nam ante illam repelli potest, cùm non recognoscat in se audiendi obligationem. Quamuis & circa hoc aliqua esse difficultas queat, si videlicet Confessarius, quamuis facultatem dictam non habeat, sit tamen ex designatis: cùm enim tunc quasi Ordinarius sit, videtur teneri ad excipiendam Confessionem, & ad

ad se gerendum fauorabiliter cum pœnitente, eius se conformans opinioni: nam & Religiosi illas tutò sequi possunt, vt benè obseruat Lezana *Verbo, Opinio probabilis pro Regularibus n. 5.* licet *n. 4.* dicat illis quod est tutius consulendum, & quidem hîc non videtur habere locum modus dicendi aliquorum apud citatos, & præsertim apud P. Lugo *Parte 1. Quæst. 14.* post P. Thomam Sanchez *Lib. 1. citato Cap. 9. n. 13.* qui circa obligationem amplectendi opinionem pœnitentis illam statuunt differentiam, quod scilicet ordinarius Confessarius non possit, secus delegatus; quia in eo videntur fundari, quòd hic voluntariè audit, & potest pœnitentem ad proprium pastorem remittere: Ordinarius, autem ex necessitate: vnde cùm ad alium remittere nequeat, debet ius suæ oui reddere, habenti illud vt probabilem sequatur opinionem. Quem dicendi modum communiter Doctores reijciunt, vt videri apud citatos potest. Sed vt probabilem illum habeamus, in casu nostro non currit illius fundamentum, cùm Religiosus designatus Confessarius ex necessitate audiat, vnde & ex necessitate debet ius suum reddere pœnitenti, qui onus graue proculdubio subiret. Si, cùm possit à Confessario audiri, cogeretur adire Prælatum, bis peccata eadem confessurus,

Lezana.

Discrimen Ordinarij & delegati Confessarij.

Ex improbabilitate iudicio Confessarij dubium vrgens.

125. Difficultas ergo ex eo habetur quòd sententia, de qua loquimur, censeatur improbabilis Confessario, cùm tamen non videatur talis pœnitenti, qui pro ea multos habet Auctores, vnde & meritò eam potest reputare probabilem, & suo iure vti in ordine ad absolutionem obtinendam. Si enim ex eo quòd à Confessario opinio pœnitentis non censeatur probabilis, sine absolutione dimittendus sit, passim id poterit euenire, iudicantibus Confessarijs opiniones esse improbabiles, quæ tamen à viris doctis probabiles iudicentur. Vnde inconueniens illud de graui pœnitentium onere non videtur euitari, quod Doctores communem tenentes sententiam meritò intolerabile profitentur. Vnde & ex illis multi, hoc quod absolutè affirmant de operando iuxta opinionem pœnitentis, ad opinionem etiam extendunt, circa cuius probabilitatem varietas sententiarum sit, cùm sint qui illam affirment, & pariter qui eamdem inficientur. Sic P. Thomas Sancius *suprà n. 30.* vbi ad hoc vt Confessarius teneatur sequi opinionem pœnitentis satis esse ait illum à Doctoribus probatæ auctoritatis approbari vt talem, licet ipse falsam arbitretur. Angelus Bossius *Parte 1. Tit. 1. nu. 173. vers. Ad vltimum* iuxta mentem aliorum, de quibus *n. 171.* & etiam propriam: licet ij, quos adducit *nu. 170.* in sensu, de quo agimus non loquantur, sed quando quis probabilem reputat opinionem vnius Doctoris ob illius auctoritatem; cùm tamen ipse cum Doctoribus reliquis ex principijs intrinsecis eam reputet improbabilem. Sic enim tenet P. Arriaga ab eo citatus *Tomo 1. in 1. 2. Disput. 24. n. 10.* & P. Tannerus ab eodem contra P. Vasquez allocutus, quidquid de Pasqualigo sit *Decisione 23.* qui tamen similiter videtur locutus. Pater autem Arriaga mentem suam circa difficultatem præsentem alibi aperuit, vt *inferiùs* videbimus. In terminis autem proprijs loquens, scilicet de Bulla Cruciata, videtur sentire similiter, cùm tantùm dicat *num. 232.*

Sed sauent pro obligatione Doctorum.

P. Sancius.

Bossius.

P. Arriaga.

Pasqualigus.

Sunt & qui negent.

Confessarium opinantem priuilegium illius non prodesse Regularibus non teneri audire Confessionem tenentis sententiam oppositam: cùm tamen *n. 231.* absolutè teneat Confessarium teneri absolutionem impendere cùm potest, audita Confessione, etiamsi improbabilem sententiam existimet, dummodò non sit manifestè improbabilis; etiamsi opinio talis versetur circa iurisdictionem Confessarij, contra Cardinalem Lugo *inferius* adducendum. Sed his non obstantibus.

Affirmatiua resolutio, cùm opinio versatur circa actiones pœnitentis.

126. Dico Primò. Confessarius existimans opinionem pœnitentis esse improbabilem, potest illum absoluere, si circa probabilitatem sint qui faueant; aut vnius multorum instar, propter egregiam sapientiam, & qualitates alias auctoritatem dictis conciliantes, quando opinio versatur circa actiones pœnitentis, de quibus extra Sacramentum esse occasio potest. Sic Cardinalis Lugo *Disput. 23. de Pœnitentia nu. 45.* Germanus frater P. Franciscus de Lugo *suprà nu. 108.* P. Arriaga *Tomo 8. Disput. 44. n. 4.* Angelus Bossius *suprà, & n. 174.* P. Escobar de Mendoza *Tomo 2. Problematum Lib. 16. n. 646.* & alij plures, qui simul tenent duo illa, & ad probabilitatem vnum sufficere Doctorem, & Confessarium tenere obligatione iam dicta. Et ratio est clara: Quia licet Confessarius improbabilem opinionem pœnitentis iudicet, reuera tamen probabilis est aliorum iudicio: ergo potest se illi conformare.

Euasio præclusa, quando de vnius Doctoris auctoritate agitur.

127. Dices posse Confessarium prudenter iudicare non obstare improbabilitati iudicium vnius Doctoris, & ita eo non obstante censere improbabilem, ac consequenter non posse eam amplecti, quia improbabilem iuxta communem sententiam Doctorum nullus amplecti licitè potest, cùm certum sit imprudentissimè agere: quod bene cum alijs, quos citat, aduertit P. Arriaga *suprà n. 3.* & responsio dicta roborari potest auctoritate P. Vasquez, qui *Tomo 1. in 1. 2. Disput. 62. Cap. 3.* affirmat quòd si opinio vnius tantùm Doctoris sit, qui contrariam putat veram, non potest illam amplecti, quia cum assensu circa veritatem non potest stare assensus circa probabilitatem oppositi.

P. Vasquez.

Sed hoc non obstat: licet enim ita euenire possit, vt non obstante auctoritate pro sententia aliqua, censeatur improbabilis, & sic stante eo dictamine nequeat quis eamdem sequi, si nihil aliud accedat, quod vsum reddat licitum: potest tamen tale aliquid addi, dum scilicet quis iudicat opinionem talem probabiliter esse probabilem: quod euidenti discursu euincitur admissa sustinentia de sufficientia auctoritatis vnius Doctoris ad probabilitatem, sumendo illam pro Maiore, & addendo statim: Atqui sententia ista sic se habet (ostendendo illam experimento) igitur est probabiliter talis. Sententia autem P. Vazquez communiter non placet, & eam benè impugnat P. Arriaga *citato num. 10.* & Bossius citatus *nu. 125.*

Stat resolutio sine iudicio circa veritatem opinionis.

128. Dico Secundò. Vt liceat sequi opinionem, de qua nuper, non est necessarium vt illam censens improbabilem, simul etiam vt veram amplectatur, sed sufficit illius firmum de probabilitate iudicium. Sic Bossius *suprà n. 87.* contra Bresserum, qui saltem duos arbitratus est necessarios, vt opinioni, quam non sequuntur, probabilitatem

concilient, nec errante quidem discursu: ait enim maiorem auctoritatem opinioni conferre eum, qui eam veram existimat, quàm is, qui eam reijcit, licet probabilem arbitretur. Vt ergo sequi illam tutò quis possit, aliquid addendum, quo defectus ille suppleatur. Et hoc est Doctoris alterius testimonium de probabilitate pronuntiantis. Sed verò discursus talis non vrget, quia alienus à communi sententia, de qua dictum: qui enim ob vnius Doctoris auctoritatem sufficientiam probabilitatis haberi dicunt, absolutè loquuntur. Et ratio est, quia modo dicto operans non agit imprudenter, quod est fundamentum inconcussum in hac de probabilitate materia. Vnde cùm quærimus an agere aliquid nobis liceat à viro docto; & ille respondet annuens quæstioni, non est nobis necessaria iterata quæstio, vt sciamus an ipse talem opinionem veram existimet, an tantùm probabilem. Licet ergo minus videatur probabilitatis habere vnius Doctoris sententia circa probabilitatem solam, quod suppleri testimonio alterius possit; id quidem non tollit quo minùs ex priori sufficiens fundamentum ad securè operandum habeatur.

Sententia vnius Doctoris numquàm omnino singularis.

129. His adde quod videtur valde notandum, cùm Doctor aliquis sententiam quampiam profert; quæ videtur singularis, numquàm reuera esse talem: nam & antequàm proferatur in publicum typis mandata, & postea, aliquos habuit, & habet sectatores. Quòd ante, ex eo ostenditur, quia cùm grauis Doctor sit, & vt talis habitus, ac velut oraculum; non solùm à discipulis, qui & ipsi citò euadunt magistri, sed ab alijs etiam cum honore & approbatione eius sententiæ sunt exceptæ, & hoc quidem etiamsi typis ad publicam lucem vsus non fuerit: quod cùm accidit, approbatio Reuisorũ accedit, quos non semper est credibile suo muneri defuisse. Quòd verò & *postea* ex eo quod ex D. Hieronymo dedimus *suprà nu.* 57. nullum scilicet esse librum, qui non habeat lectorem similem sui. Item. Quia cùm rationes sint non leues, impossibile est moraliter vt illæ aliquorum mentibus non adaptentur. Vnde & passim euenit, & experimento quisque suo comprobare potest, si litteras superioris Ordinis seriò tractauerit, multa se offerri discursui circa quæstiones, de quibus agitur, neque lecta, neque audita, & cùm veluti proprij ingenij partus sic adnotando conscripserit, illa posthac in vno aut pluribus nondum visis Auctoribus deprehendit. Neque ex eo quòd in libris opinio singularis succurrat, ideò talis reputanda, nam & Doctores sunt, vt *superiùs* adnotatum, qui licet opera non ediderint sua, & fuerunt & sunt vulgatissimis sapientiores.

D. Hieronymus.

Absolui potest pœnitens procedens iuxta alienam opinionem.

130. Dico Tertiò. Etiam si pœnitens non censeat veram opinionem, sed vt probabilem amplectatur, potest Confessarius eidem conformari. Hoc probo ex multorum, immò ferè omnium sententia, de qua *suprà*, dicentium posse quemvis opinionem minùs probabilem sequi relicta probabiliore: quo euentu certum videtur non posse illum opinionem talem vt veram amplecti, sed tantùm vt probabilem, & insuper ostensum est Confessarium non solùm posse, sed debere sic accedenti conformari. Ex quo euincitur manifestè quòd in hoc negotio non attenditur quid pœnitens circa veritatem opinionis sentiat, sed circa probabilitatem, & ita in nostro casu pariter sentiendum, quando scilicet Confessarius improbabilem reputat sententiam talem, qua se pœnitens apud eumdem nititur adiuuari.

Cessat obligatio quando opinio, concerns valorem Sacramenti.

131. Dico Quartò. Quando opinio, qua se tueri conatur pœnitens, concernit valorem Sacramenti, non tenetur Confessarius eidem conformari. Sic Cardinalis Lugo *supra*, & germanus frater P. Franciscus *n.* 106. P. Arriaga *supra n.* 4. P. Escobar de Mendoza *supra*. Ioannes Sancius *Disput. 44. n. 10. verf. sed valde, & sequenti*. Basilius Legionensis *de Matrimonio Lib. 4. Cap. 25. num. 8.* P. Palaus *Tomo 3. Disput. 2. Puncto 4. n. 4.* & alij. Ea autem ex quibus pendet valor Sacramenti sunt, iurisdictio in Confessario, & quæ ad dispositionem in pœnitente pertinent vt valida sit absolutio. Ratio est, quia cùm absoluere sit propria Confessarij actio, in hac ipse debet esse iudex, & regulare illam vt rectè fiat, ne aliàs inualidum reddatur Sacramentum.

Instantia enerua ex Ecclesia supplente defectum, cum explicatum per communia circa illud.

Dices Primò nullum esse periculum inualidandi Sacramentum, cùm Ecclesia suppleat defectum quando Confessarius probabiliter iuxta dicta operatur.

Sed contra, quia tunc non accidit dicta suppletio, quando Confessarius operatur probabiliter, probabilitate se tenente ex parte actionum ad Sacramentum non spectantium, quia cùm illæ sint probabiliter licitæ, eas exercens non peccat, vnde ratione eorum non accedit ad Sacramentum indispositus, & ita debet absolui, si aliquid tale ad Confessionem adducatur, vnde & nihil est in eo casu, quod debeat ab Ecclesia suppleri. Si autem sit defectus aliquis ex parte dispositionis, licet probabile sit ex eo non inualidari Sacramentum; si tamen reipsa falsa sit talis opinio, non potest defectus talis ab Ecclesia suppleri: vt si dolor fuit talis aut talis, & Confessio etiam: quia cùm id concernat materiam Sacramenti, ad eam se iurisdictio illius non extendit. In quo cùm hîc & nunc sit iudex Confessarius, si ille iudicat defectum esse talem, & speculatiuè & practicè, non est cur debeat ad iudicandum iuxta pœnitentis voluntatem adigi, cùm sit insupplebilis defectus, quem ipse iudicat intercedere. Alius autem defectus est ex parte ipsius Confessarij, quia non est certa iurisdictio, licet sit probabilis: & tunc communis Doctorum sententia est defectum talem ab Ecclesia suppleri, quia cùm iurisdictio ab ea pendeat, ob grauia inconuenientia, quæ ex opposito sequerentur, ita se gerit; licet, vt *superiùs* diximus *n.* 8. hoc certum non sit, cùm pro parte aduersa non desint graues Scriptores, quod & Ioannes Sancius in posteriori editione robustiùs comprobauit. *Disput. 44. citata n. 10.* Atqui durissimum est, vt secluſa necessitate debeat obligari Confessarius, qui iudicat se carere iurisdictione, vt præter incertitudinem dictam, cum qua graue est operari, aliam addat, vel nouum illius caput, si contra sententiam sibi certam, quia contraria improbabilis, operetur: non ergo ad id tenetur.

Alia ex dispositione qua accedit pœnitens accusata.

132. Dices Secundò pœnitentem in casu dicto rectè dispositum accedere etiam respectu talis Confessarij, & ita quomodocumque admittatur probabilitas, aut explicatur Confessarij actio, absolui,

absolui posse, immò & debere, quia ratione Confessionis ius acquisiuit, ne graue sustineat onus bis eadem peccata confitendi.

Circa Regulares vrgentior praxis in absolutione virtute Cruciatæ.

Verùm hoc non vrget, & contra illud est ratio adducta: licet enim demus illum rectè dispositum, sed non respectu talis Confessarij de sua incerti iurisdictione, & qui solus est iudex suæ actionis, iudicatque penitus falsam opinionem, qua se pœnitens vult tueri, neque habet proximum fundamentum ad illam variandam. Quod verò ex negata absolutione illud onus iterandæ resultet Confessionis, sibi imputet pœnitens, qui Confessarium priùs non admonuit, si conscius rei fuit; sicut qui reseruata est confessus, à quibus nequit absolui. Si autem bona fide processit, idem, quod de reseruatis dicendum bona etiam fide Confessis: & id per accidens euenit, sicut sæpe alias ex confitentium ignorantia. Inconueniens autem illud, de quo n. 125. de facili in Confessarijs improbabilitatis censura, non est quidem frequens, cùm potius oppositum videamus, ad probabilia scilicet Confessariorum pia nimis iudicia declinare. Et cùm de probabilitate atque improbabilitate iudicare, doctiorum sit, & non turbæ semidoctorum, cùm tale accidit, magno id cum fundamento stat, vnde ex eo argui nequit, vt videatur difficilius reddi Pœnitentis Sacramentum.

133. *Dico Quintò.* Id quod dictum est. *Assertione præcedenti*, in absolutione Regularium virtute Cruciatæ specialiùs practicandum. Sic citati dum in illa exemplum asserti sui statuunt. Et licet Cardinalis Lugo id non præstet citato loco, adnectendum tamen illi quod habet *Disputat. 22. n.* 193. Sicut & P. Escobar id, quod resolutoriè concludit *Tomo 1. Lib. 7. nu. 559.* Id autem propterea specialiùs dictum, quia & maximè controuersum, & obuium magis: quin etiam, quia & sic iudicantium copia maior, in quibus grauissimi Scriptores, huius sæculi clariora lumina: cùm tamen negantibus sua etiam negari nequeat auctoritas, id ex eâdem habemus, vt nolentes ipsorum sententia vti, ad non vsum talem, præsidium in eâdem habeamus, dum & Legionensis & Sancius doctrinæ dudum stabilitæ Assertionis præcedentis suffragantur.

Ex auctoritate aduersantium præsidium firmum non extare.

Cardinalis Lugo.

334. Sed cùm probabilitatis notæ illam inter præcipuas admittant, quæ ex Doctorum auctoritate desumitur, addendum hîc aliquid; ne videamur eidem infensi, dum adeò constanter reluctamur. In primis ergo sit ratio, quam Cardinalis Lugo reddit citato *nu.* 193. aduersantes scilicet re fortè non satis examinata, nec fundamentis contrarijs visis iudicasse. Et quidem fundamentum illud speciale apud eos non occurrit, Sedem videlicet Apostolicam irritas declarasse absolutiones virtute Bullæ impertitas Regularibus ante Motum proprium Vrbani Octaui *die* 29. *Iunij an.* 1630. quando scilicet res hæc minùs fuerat, licet satis, benè intelligere volentibus declarata. Ex quo arguo pro instituto præsenti sic: Ante Vrbani Motum proprium fuerant multi, qui Regulares beneficio Bullæ vti posse docuerunt, nec contemnendæ auctoritatis, propter quam tunc eodem modo arguebatur, quo nunc arguitur, ab auctoritate scilicet: neque voluntas Sedis Apostolicæ tantoperè declarata, vnde & rationi non ita locus videbatur occlusus: Atqui his non obstantibus declarauit Pontifex irritas fuisse Confessiones: ergo modò tales esse potiori est ratione dicendum. Discursus videtur euidens.

Defectus ab Ecclesia non suppletur in eo casu.

135. Præterea arguo, & quidem non minus efficaciter. Si liceret modò opinione dicta tamquàm probabili vti, eatenus esset quatenus communis doctrina statuit Ecclesiam, cùm vsus talis datur, si opinio re ipsa falsa sit, defectum supplere. Atqui si opinio dicta falsa reipsa est, defectus non suppletur: ergo non licet ea vti. Maiorem admittunt aduersarij, & Minor ostenditur ex dictis: Nam stante maiore fundamento, vt sibi persuadere possent sic sentientes defectus talis supplementum, apertè decepti sunt: ergo nequit contraria in Ecclesia, id est, Sede Apostolica, voluntas verosimili coniectura præsumi. Cùm igitur adeò irrefragabile sit nostræ sententiæ fundamentum, nequit eidem aliter sentientium auctoritas incommodare. Nos itaque nemini auctoritatis vnciam detrahimus, sed Pontificia Sedes, cui illa non potest non esse perspecta, nihil ea obstante, iudicium, cui refragari nequeat, interponit. Quemadmodùm stante quam plurium Doctorum auctoritate circa absentis absolutionem, ea non attenta scimus quid circa sententiam talem sit à Sede Apostolica pronuntiatum. Opinio etiam illa de duplicato stipendio pro applicatione fructus respondentis Sacerdoti, suos habebat Auctores, & pergebat illa plures proculdubio indies habitura: & tamen est Sedis eiusdem auctoritate proscripta. Nuper etiam SS. Dom. Alexander Septimus 28. sententias bonis authoratas patronis censorio perfrequit baculo, & alias nouiori Decreto, quibus quadragesimus quintus numerus integratur, vt de alijs taceam.

Improbabilis opinio contra Decretum Pontificium.

136. Pro quo & est doctrina satis apud Scriptores obuia, quam & aduersantes magistrali auctoritate proponunt, illam scilicet opinionem à probabilitate deficere, quæ contra se habet Pontificium Decretum, licet tantùm indirectè, vt videri potest apud Dom. Arauxo *Disp. 9. citata nu.* 8. vbi sic ait: *Opinio aduersans directè vel indirectè per bonam consequentiam alicui testimonio Sacræ Scripturæ, aut alicui Decreto Concilij Generalis, aut alicui Decreto Pontificio Iuris communis, aut Extrauaganti, aut contra sententiam rei iudicatæ non appellatam intra decennium, non potest sequi tuta conscientia in his, quæ pertinent ad fidem, aut bonos mores.* Sic ille: pro quo & videnda quæ diximus *num.* 41. Cùm ergo opinio, de qua agimus, non solùm contra Decretum vnum Pontificium, sed contra plura esse comprobetur, quidquid de auctoritate sit, probabilitate practica debet destituta iudicari. Vbi quod ex P. Thoma Sancio dictum num. citato conuenienter adaptandum, *vt aliqui scribentes non attenderint rationem aliquam, legem, seu Decretum &c.* Non ergo eo in casu auctoritati eorum deferendum. Videndus etiam Angelus Bossius *suprà nu.* 85. cum multis alijs quos affert, similiter prolocutus.

Dom. Arauxo.

P. Sancius.

DVBIVM TERTIVM.

Circa certitudinem doctrinæ in materia probabilitatis. Quam certum scilicet sit posse, quemuis iuxta opinionem probabilem, loquendo generaliter, operari.

Prosper Fagnanus *ab Illustriss.* Caramuele *impugnatus, & notatus.*

137. PRopositionem hanc, *In materia fidei & morum ad conscientiæ securitatem non sufficit opinio probabilis*, quæ est Prosperi Fagnani, Illustrissimus Caramuel *in Apologemate de Probabilitate*, censet hæreticam, & illi oppositam Christianæ religionis dogma receptum. Sic in totius operis argumento, & *Epistola* 1.*nu.*19.11. & 43. & magis specialiter *Epistola* 4. *nu.*115. & *n.*119. id ait esse certum, quod ita ostendit: quia imbibit intrinsecè fundamentales Wicleffi, Lutheri, Caluini, Baij, & Iansenij hæreses, clarissimèque illas quinque Propositiones, quas Innocentius X. & Alexander VII. hæreticas esse declararunt. Pro quo Catenam habet *nu.*288. ad quam se refert. Item. Quia si Fagnani Doctrina vniuersaliter accepta esset vera, occurrerent milleni casus, in quibus homo necessariò peccaret, ex quibus vnum producit, in moribundo sensibus destituto, qui Christianè vixit, & nullo signo externo Confessionem petijt. Probabile est eum non posse absolui, & item debere sub mortali. Quidquid faciat tunc Sacerdos, opinione probabili in materia morum insistet, & stando Fagnani doctrinæ necessariò peccabit. Sic centenos casus se posse adiungere affirmat, Scriptorum auctoritate pro eodem allegata, quatenus dicunt aut Deum impossibilia iubere, aut probabilibus nostris rationibus debere esse contentum.

138. Sic ille, alia deinde fundamenta prosecutus, scilicet omnia Tribunalia Ecclesiastica, sæcularia, Criminalia ex prædicta doctrina iniustè & iniquè procedere, dum probabilibus sententijs vtuntur. Item bella omnia esse iniusta. Medicorum item agendi rationem. Ecclesiasticam enervari auctoritatem, quia neque Superiores probabiliter præcipere, neque subditi se defendere poterunt. Hominum perturbationem sequi, cum Christi iugum non suaue, sed grauissimum experiri necesse in omnibus sit. Resolutiones aut declarationes Cardinalium, nullius esse momenti, cùm iuxta probabiles sententias oriantur. Pontifices perperàm procedere, cùm iuxta illas etiam statuant, dispensationes, aut gratias alias concedentes. Bullam SS. Dom. Alexandri VII. pro immaculata Virginis Conceptione, non solùm nullam, sed sceleratam esse, quia illa circa opinionem versatur, certum cultum non certo mysterio decernens, cum periculo in rem cultu omni indignam reipsa impingendi, si fortè contraria sententia vera sit: quod tamen ex probabili assensu prudenter procedenti iustificatur: & Pontifex ergo iuxta probabilem opinionem procedit, dum cultum statuit, & similiter qui illius Decretum exequuntur. Vbi aduertendum id quod Pontifex è Cathedra definitiuè declarat, Ecclesiam scilicet & colere & coluisse semper Conceptionis mysterium absque peccato in primo instanti animationis, de fide esse, non tamen cultum eidem deberi. Vnde stat Bullam esse de fide, & ex illa necessariò inferri hanc vniuersalem, *In materia fidei ac morum, quando dua dantur opiniones probabiles, sine hæresi, sine peccato possumus alterutram probabiliorem aut minùs probabilem sequi, quamdiu hoc permittat Apostolica Sedes.* Sic ille concludit n.159.

Bulla Alexandri VII. pro Conceptione quid habeat de fide.

139. Catena autem ab eodem proposita id videtur euincere, vt stante præfata sententia, Deus impossibilia iubeat, quæ est hæresis manifesta, in prædictis eiusdem auctoribus ab Ecclesia condemnata. Ex qua aliæ in Iansenio dudum profligatæ facili consequentia deducuntur sic, Peccat homo in eo quod necessariò facit, & etiam in eo quod necessario omittit: ergo eodem modo de merito ac demerito philosophandum: Ergo ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione. Ergo aliqua præcepta hominibus iustis volentibus & conantibus secundùm præsentes quas habent, vires, sunt impossibilia: deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant. Sicut deficiente gratia est impossibile interdum adimplere præcepta, etiam præsente gratia est impossibile præcepta diuina violare: homo enim numquàm gratiæ resistit, non enim est talis gratia, vt ei homo resistere possit vel obtemperare; cum voluntate enim necessariò ad actionem concurrit. Ergo auxilia sufficientia non dantur: Christus igitur non est mortuus pro omnibus: quia si gratiæ sufficientes non dantur illis, qui efficaces non habent, nihil omnino illis est Christus promeritus. Ex hac damnabilium propositionum Catena id consequenter eliciendum. Ergo non excusatur apud Deum qui in praxi iuxta probabilem opinionem operatur. Id ostenditur: Quia excusatio habere locum posset, quatenus Deus videretur impossibilia præcipere: At hoc non excusat: & ita eo admisso aliæ constant illationes, & concatenatio assertionum damnatorum.

Catena damnabilium Propositionum.

140. Sic ingenio & eruditione magnus ille & Magister & Præsul, qui nescio an ab omnibus secùdùm omnia dicta sit admittendus. Credendum quidem ipsi de se testanti Iansenismum in Iansenistis sibi pernotis faciliùs & acutius odorari; sed tamen dum id verba non indicant, ex verbis, iuxta Euangelium, damnandi aut iustificandi sunt, sicut lingua, ita & calamo adinstar scribæ, loquentes: & quidem quæ pro firmanda receptissima adducit, intentum euincunt; sed aliqua, in quibus vim præcipuam statuit, non videntur ad notam hæresis infligendam esse satis. Nam in primis, quod de obligatione ad impossibile dicitur omnino contra hæreticos repellenda, admittat qui non esse probabilem opinionem sufficientem contenderit, quia ex eo quòd tutum debeat quis amplecti, relicto dubio, nulla impossibilitas sequitur, sicut non sequitur ex obligatione id quod est tutum amplectendi iuxta communem sententiam, in casu dubij, cùm opinio dubium penitus non excludat, sicut neque excludit oppositæ partis formidinem. Illi autem, quos adducit, Doctores *n.*13. *& seqq.* de impossibilitate pronuntiantes, de opinione loquuntur statuente obligationem amplectendi id quod est probabilius in opinionum conflictu. Et nihilominùs sententia illa non est grauiore nota digna, & vidimus *nu.*67. à viro docto responsionem adhibitam, qua ratio inde

*Caramuelis censura in Fagnanum non videtur ritè fundata. Matth.*12. *v.*37.

inde desumpta aliquomodo possit infringi, cùm tamen ipse illam tueatur.

Peccatum necessario, qui opinione probabili non vitatur, quomodo ex illius asserto non sequatur.

Quod autem non sequatur necessariò peccaturum aliquoties, qui opinione nequeat probabili se munire, negabitur; non quidem ex eo quòd peccatum componi cum impossibilitate queat, sed stando principio illi firmissimo fidei contra hæreticos stabilito. Et cùm casus proponentur, in quibus id videatur, solutiones competentes adhibendæ, vt in casu illo, de quo nuper sacerdos tenebitur eligere quod tutius est, quia in dubio sic faciendum. Quid autem tutius tunc, ipse viderit, qui supponitur Doctorum circa hoc sententias non ignorare: articulus enim ille, cùm nihil omnino certum exhibeat, iuxta sic tenentium sententiam regulandus est: vt sicut tutum in conflictu non tuti eligendum, ita tutius in tuti contrapositione, ad cuius cognitionem potest ipsi Doctorum magisterium deseruire. Si dicat magisterium illud esse probabile tantùm, & ita iam in sententiam contrariam velit nolit delabi: dici potest opinionem aliorum non sequi, sed suam, de tutiore sequendo, quia non semper id quod est probabilius est etiam tutius, ad cuius cognitionem non est mirum Scriptorum doctrinas aliquid posse conducere. Quòd si hæc solutio non satisfacit, argumentum profectò non est insolubile. Ex quo ad Catenam adductam etiam videtur sufficiens solutio adhibita. Et addo pro solutione nuper adducta id quod ex P. Gordono *Lib.*1. *Quæst.*9.*nu.*28. & 30. adducit Angelus Bossius *Parte* 1.*nu.*116. quòd quando non apparet quę ex duabus opinionibus probabilibus sit tutior & securior pro damno proprio vel proximi vitando, licet operari ex vtraque opinione probabili: *Nam u, cui non apparet certa operandi via, & interim sequitur opinionẽ probabilem, operatur optimo modo, quo potest, ac proinde prudenter.* Id quod potest casui præfato adaptari, vt liceat tunc, non apparente certa operandi via, iuxta prudens pro re nata dictamen operari.

Catena prædicta, quo pacto dissoluatur.

P. Gordonus.

Caietanus Fagnano *præmittit in assertione,*

D. Thomas

142. Addo sententiam Caietani in summa *verb. Opinio*, non videri damnatam, dum ait neminem posse opinionem sequi cum formidine partis alterius, quæ formido sit de committendo peccato, quod, si contrariam teneat, penitus euitabit. Id quod videtur tradidisse D. Thomas *Quodlib.* 8. *Arti.*13. vbi ait quòd *si quis habet talem opinionem, vt putet se licitè habere posse simul plures præbendas, cum dubio tamen oppositæ partis, non licere ei plures retinere præbendas: Si tamen certus sit de hac sua opinione sine dubitatione de veritate alterius oppositæ, licitum esse ei plures habere præbendas.* Sic ille. A quo dicendi modo non longè abeunt qui dicunt semper tutiorem partem esse sequendam, in qua scilicet peccatum esse non possit, de quibus *nu.*63. nihil enim aliud videtur Auctor velle à Dom. Caramuele adeò acriter impugnatus; nisi vt semper in operando voluntas securè procedat, ne se peccandi periculo reddat obnoxiam, siue magis probabilis, siue minùs opinio sit. Neque enim Propositio illa, *In materia fidei & morum ad conscientiæ securitatem non sufficit opinio probabilis*, commodum alium sensum habere potest, vt scicet opinionem, in qua est omnimoda securitas, nequeat non operatus complecti, cùm id ipsum sit, quod tali sententia prætenditur, vt scilicet quis securè procedat, siue magis siue minùs probabilem sententiam amplectatur.

143. Deinde grauis est controuersia inter Doctores, ac præcipuè inter Patres Suarium & Vasquium, an quando quis operatur cum opinione probabili requiratur iudicium certum, quod dictet honestam esse actionem, & nullum in ea peccatum: an verò sufficiat iudicium probabile de illo, supra quod nullum aliud cadat. Et primum quidem Doctor Eximius affirmat 1.2.*Tract.*3. *Disput.*12. *Sect.*4. aliud autem tenet P. Vasquez *Tomo* 1.*in* 1.2.*Disput.*62.*Cap.*5. quem sequitur P. Lugo. *Parte* 1.*Cap.*3. *Quæst.*1. & apud illum Patres Salas & Sancius, Angelus Bossius *suprà nu.* 118. Diana *Parte* 4.*Tract.*3.*Resolut.*1. & alij. Sic autem arguit ille: Si aliquod esset iudicium certum, maximè illud, de quo dictum: Atqui illud tale non est: ergo nullum. Maior constat, & Minor ostenditur: Nam iudicium dictans hîc & nunc licitam esse operationem iuxta opinionem probabilem, non potest certum supponi nisi quatenus supponitur aliud dictans posse opinionem probabilem teneri in praxi, quod certum & euidens sit: Atqui illud tale non est, cùm sub lite sit, & tantùm probabile: ergo iudicium tale non est certum & euidens. Ad quod argumentum iuxta mentem P. Vasquez instructum respondet P. Arriaga *Disput.*23.*n.*17. P. Suarij sententiam amplexus, se non supponere quod supponi dicitur, neque sic arguentes. Nam licet P. Vasquez id dicat, & inde conetur persuadere non requiri ad non peccandum vt homo sit certus se non peccare, quia adhuc, inquit, sub lite est an liceat sequi opinionem probabilem minùs tutam, se tamen id non approbare, & tantùm intendere, quidquid aliqui contrarium censeant, fieri posse argumentum euidens pro sua doctrina, quod sibi, & eam sequentibus tollat omnem omninò formidinem.

Iudicium practicum certum de honestate operationis an necessarium.

P. Suarez.

Variæ Scriptores.

P. Vasquez.

P. Arriaga. *vt explicat.*

144. Addit *n.*19. In casu, quo quis iuxta opinionem minùs tutam operatur, reperiri tria iudicia: duo prima probabilia, vnum vltimum certum. Primum probabile est: Probabile est. v. g. accipere aliquid pro mutuo ratione lucri cessantis non esse vsuram. Secundum iudicium etiam probabile est licere sequi hanc priorem opinionem. Tertium certum est, qui (iudicando probabiliter sibi licere hîc & nunc) accipit aliquid pro mutuo, non exponit se periculo peccandi, seu non peccat. Est enim reflexum supra ipsam opinionem probabilem, non supra actionem, ergà quam illa versatur. Ex quo, & argumento, & illius solutione, manifestè apparet probabile esse non licere generaliter loquendo opinionem probabilem amplecti, quando iuxta contrariam illicita est actio, & in ea periculum peccati: quæ videtur esse sententia à Dom. Caramuele impugnata, & condemnata. Neque citati pro sententia P. Vasquez aliter circa præsentem difficultatem sentiunt, sicut neque P. Suarij sententiam amplexi, ex quibus Cardinalis Lugo Disput. 5. de Fide nu. 16. omnes enim sententiam illam sine censura refellunt, dum probabilem recognoscunt.

Exactior explicatio.

145. Ex alijs autem fundamentis illud videtur vrgere, quod ex Bulla SS. D. Alexandri VII. desumit, iuxta quam datur vsus, non solùm licitus, sed obligatorius probabilis opinionis. Vbi in primis neutiquam admittendam opinionem contrariam

Opinio contraria puritati Conceptionis non est probabilis.

riam puritati Conceptionis probabilem esse,quod ostendi *Tomo* 1. *Theologicorum Problematum.* It hoc quidem ante præfatam Alexandri Bullam, in qua illæ tantum modò censuræ contra illam prohibentur, quòd scilicet sit hæretica, impia, aut peccatum mortale. Deinde per illam non videtur sententia, de qua agimus, penitus vt damnabilis reprobata: quia tali censura non stante, quidquid in ea disponitur locum habere potest. Opinio quidem ab Ecclesia est iam olim proposita, quando scilicet illa non adeò erat tot firmamentis, sicut decursu temporum, post Sixtum præsertim quartum, stabilita. Ex quo certissima consequentia elucet; posse scilicet Sedem Apostolicam aliquid colendum proponere, quod non omnino certum sit, sed piè credibile, & generaliter licitum esse vsum opinionis probabilis, quod qui negaret, dignus censura existeret, & præsertim in casu dicto de Conceptionis cultu, qui à Sixto IV. decretus, à Concilio Tridentino *in Decreto de peccato originali* est penitus approbatus. Sed eo non obstante dici potest Pontifices & Concilium opinionem tutiorem amplexos, quia tutius est Virginis Conceptionem coli, etiam si illa non omnino certa, quàm cultu eamdem priuare, & sic Christianam erga Dei,& misericordiæ Matrem pati frigescere pietatem, quæ magnis ad cultum fundamentis ducta debuit confoueri.

De vsu Sedis Apostolicæ probabilium opinionum.

146. Illud etiam circa vsum Sedis Apostolicæ, ex quo grauis probatio sumitur, pariter dicendum,semper scilicet amplexam quod conuenientius apparuit secundùm occurrentes circumstantias: licet fortè aliqua secundùm absolutam considerationem minùs probabilia aut tuta videantur: tunc enim *rationabilior*, vt cum multis, quos citat, loquitur P. Baldellus Disp. 8. de Conscientia nu. 4. Non enim aliud credibile est scientibus *potestatem datam* iuxta Apostolum 2. Cor. 13. v. 10. non ad destructionem, sed ad ædificationem: neque nostrum esse res extrinsecus spectantibus conuenientiam iuxta vsum talis potestatis, aut disconuenientiam, iudicare censoria libertate, quibus solùm congruit Pontificijs Decretis reuerentiam & obedientiam exhibere. Vbi enim maior lux, ibi & via securior. Vbi enim Petrus, ibi *lumen refulsit in habitaculo*: vnde & via secura ostensa, vt magisterio suo Ecclesiam, à quâ oratio sine intermissione ad Deum pro eo fiebat, è carcere egressus illustraret. *Actuum* 12. vbi non est animus suum Theologis officium auferre, sed audaciam eorum retundere, qui eo abusi, ripas præterierunt, vnde & euenire passim videmus, quod à D. Ambrosio dictum alicubi, *Citò sordes colligit amnis exundans.*

P. Baldellus.

Act. 12.

D. Ambros.

Circa Caramuelis *discursum quid videatur auctori.*

147. Ne autem & hoc mihi accidat, dum Illustrissimi Caramuelis discursum videor infirmare, in magnum, vt præ se fert luculenta scriptio, Ecclesiæ bonum elaboratum, nolo iudicium proprium erga illum expromere, id indicasse contentus, ex quo videatur ille non plenè conuincere, vt nota illa omnium grauissima possit referiri. Cùm aliàs illius sententiæ propugnator vir Catholicus sit, & illi amicus, vnde & ait errare quidem ipsum, sed non formaliter,quod suspicari absit, vt *Epistola* 1. *nu.* 10. *&* 11. videre licet. Quod quidem ita iudicari oportuit de eo, qui Sacræ Congregationis Regularium Secretarius fuit, vt videri potest in *Decreto de eiectis à Religionibus, de quo infra Parte* 2. *sect.* 6. Item & Sacræ Card. Congregationis Concilij Tridentini interpretum, vt videri potest in Decretis Vrbani Octaui circa Missarum stipendium. Vtriusque etiam signaturæ Referendarius, vt modernus testatur scriptor, de quo *inferius*, & vt aliquid resolutorie concludam.

Quis Fagnanus,

Vsum opinionum ex licitum in dogma Catholicum.

148. Dico Primo. Dogma Catholicis est, & quod sine graui nequeat negari censura: vsum opinionum probabilium esse licitum, & posse cum securitate conscientiæ practicari. Sic Illustrissimus Caramuel. Voco autem dogma Catholicum, non quod sub his terminis definitum ab Ecclesia sit, vti ex diuina reuelatione descendens: sed quia à Sede Apostolica, & ab omnibus Ecclesiæ Doctoribus, ac communi Catholicorum consensu sit receptum. Vnde cùm adeò certum sit, non apparet verosimile à Catholico fuisse Doctore negatum, circa sacros Canones apprimè versato, vt eius scripta manifestant, quæ dum iuxta illos se continent, laudare se & admirari citatus Magister atteslatur *nu.* 9. *citatæ Epist.* 1. Cùm & Caput ipsum Decretale, in cuius expositione sententiam illam interserit, absurdam huiusmodi existimationem videatur manifestè propulsare. Est enim celebre illud, *Ne innitaris, de Constitut.* vbi præmissis Salomonis verbis ex Prouerb. 3. v. 5. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, ita subditur ex Diuo Hieronymo in locum illum: *Ille prouidentiæ suæ innititur, qui ea quæ sibi agenda vel dicenda videntur. Patrum decretis præponit.* Cùm ergo pro sententia, quam proponimus, omnium Doctorum assensus stet, & Summorum Pontificum, quos esse Patrum Patres Papæ nomen, iuxta multorum interpretationem, & diuina Oracula manifestant: qui stare possit vt contra eos præcipiti iudicio pronuntiarit? Antonius autem Merenda, quem idem Auctor cum aculeo profert, vti eiusdem causæ defensorem, Primarius Iuris ciuilis Interpres Papiæ est, quem cum laude allegat Cæsar Carena *de Officio S. Inquisitionis Titulo* 12. *n.* 193.

Cap. Ne innitaris.

Prouerb. 3. *v.* 5. D. Hieronymus.

Antonius Merenda.

Fagnani Propositio sensum commodum habere potest, vnde non damnanda.

149. Dico Secundò. Hæc Propositio, *Ad securitatem conscientiæ in materia fidei ac morum non sufficit opinio probabilis*, commodum sensum habere potest, & sic minimè in eius auctore damnari. Id explico. Nam sensus esse potest non quamlibet opinionem in materia fidei & morum ad securitatem conscientiæ sufficere. Quod quidem multorum Scriptorum sensus admittit. *Primò* in materia Sacramentorum. *Secundò* in amplectenda religione, seu secta, eo modo quo iuxta hoc opinio esse potest, de quo *infra*. *Tertiò*, in conflictu probabilioris, de quo dictum. *Quartò*, Quando vsus opinionis est superiore auctoritate prohibitus. *Quintò*, quando est minùs tuta, de quo *supra*. *Sextò*, quando præter assensum probabilem non datur certus alius, iuxta eorum sententiam, de qua *n.* 143. Tandem iuxta limitationes alias, quæ in Scriptoribus occurrunt. Licet enim videatur vniuersalis, piè exponenda est, vt inter terminos *Opinio & Probabilis*, Vox *Quælibet* interponatur: quod non est ab vsitato loquendi modo peregrinum: sic enim citatum *Cap. Ne innitaris prudentiæ tuæ* intelligendum venit, vt non cuilibet prudentiæ suæ homo innitatur, cùm tamen certum sit esse homines prudentissimos, qui cum diuina

Cap. Ne innitaris explicatum.

gratia, quam necessariam agnoscunt, inniti suæ prudentiæ possint, ac iuxta eam & se & alios gubernare: unde vetari solum diffidentiam, aut minorem fiduciam erga Deum, præ ingenij, sapientiæ, ac consilij proprij dotibus, graues aduertunt Interpretes. Videatur P. Cornelius à Lapide, & quidem iuxta Decretalis interpretationem ex D. Hieronymo desumptam id planè euincitur, cùm dicitur tunc quempiam inniti prudentiæ suæ, cùm Patrum decretis in suo se procedendi modo præponit. Non ergo quælibet prudentiæ confidentia, sed quæ dicto se præponit modo, ab Spiritu sancto remouetur. Sic etiam aliàs interponendam eamdem vocem ex Scriptura habemus, & Concilio etiam Tridentino: illa enim clamat hominem per fidem iustificari; vbi necessariò intelligendum, non quamlibet, sed charitate formatam, cuius est fundamentum, & radix iustificationis, vt exponit citatum Concilium *Sessione* 6. *Cap.* 8. Quod *&* *Sessione* 14. *Cap.* 4. determinat attritionem cum Sacramento ad illius gratiam disponere; quod tamen communis Doctorum sententia affirmat, non de qualibet, sed de supernaturali tantùm accipiendum. Quæ quidem & alia adminiculo esse possunt ad modum illum loquendi in citato Scriptore sustinendum, si aliàs ipse defensione dignus: neque enim ego apologiam pro eo Apologemati Dom. Caramuelis contrapositam conficere attento. Sed scripta, quæ non vidi, iudicio Ecclesiæ reseruo, & vt iam præmisi, iuxta verba scribentis iudicium profero, vt de quolibet alio Catholico Doctore pariter scribente præstarem.

Concilium Trident.

De Fagnano *non constans* Caramuelis *in dictum, nec consentaneum.*

150. Illud autem in citato Magistro obseruandum occurrit, Auctorem eum, quem laudat & admiratur ob præstantem sapientiam sacrorum Canonum, & valde Catholicum recognoscit, vt vidimus, aliàs valde suspectum reddere, dum *nu.* 8. *citatæ Epist.* 1. affirmat sententiam suam probare magno verborũ apparatu, à quo abest Dialectica, ne sit impedimento Rhetoricę, & substruere fundamentis euidenter hæreticis è Ianseniſmo emẽdicatis: colorare dicterijs & scommatibus, immò iniurijs, contumelijsque: impetitione etiam opinionum, quas Theologi nusquam dixerunt, nusquàm somniarunt: vt vel sic, quam habiturum apud doctos se desperat, apud indoctos gloriam habeat. Quæ quidem si ita sunt, & ita esse vt credamus, tanti viri compellere videtur auctoritas, compertum satis apparet censoriæ sententiæ Apostolici culminis subiacere. Sed si euidenter hæretica fundamenta illa sunt è Ianseniſmo desumpta, non obscurè conuincitur Ianseniſta, vnde distinctio illa de materiali & formali hæresi non videtur admittenda: sicut neque in Ianseniſtis eam Ecclesiæ iudicium admittit. Et quidem post duorum Pontificum adeò perspicuas declarationes, virum doctum, & in Scholis versatum, contra eorum tenorem scribere, non video quomodo à formali errore possit excusari. Aliunde autem non video in tanti Magistri discursu ex damnatis Propositionibus quidquam, & tantum impossibilitas illa in vsu sententiæ dictæ identidem proclamatur, neque admissam ab ipso; iam enim formalissimus Ianseniſta, & multò minùs obiectam: vnde inexploratum relinquitur quod de euidentia fundamentorum hæreticalium affirmatur: quæ quidem videri potuerunt talia iuxta mentem expugnantis positionem illam, cùm tamen reipsa à Ianseniſmo sit, eam qui sequitur alienus, vt credo.

Sententia negans licitam sequentem. Tum opinionis probabilis valde imposſit non magna perturbatio inter fideles, & commoda conscientiarum fluctuatio implacabilis excitari. fidelibus.

151. Dico Tertiò. Quoties quis secundùm opinionem probabilem operatur iudicans hîc & nunc sibi esse licitum ita operari, etiamsi minùs probabilis aut tuta sit, ita securus manere potest, vt si de illius certitudine dubitatio subsit, non & est illa Dom. Caramuelis menti conformis, & omnium pariter Theologorum, iuxta explicationem, de qua statim. Illam probo. Nam hæc Propositio: In dubio an aliquid hîc & nũc sit peccatum, non licet illud agere, certissima est. Vnde illud agens, licet reipsa peccatum non sit, nequit securus in conscientia manere. Tunc vltra. Iudicans probabiliter aliquid non esse peccatum, licet reipsa peccatum materialiter sit, non peccat: & vnde hæc differentia? Quia sic asserunt Doctores. Atqui illi non certa dicunt, sed cum opinionum formidine: ergo non est certum non peccare, iuxta eorum sententiam operantem, & ita conscientiæ securitas non suberit, cùm timeri possit ne coram Deo sit peccatum perpetratum, cùm potuerit via secura teneri. Quid ad hæc? Addentur rationes, quas adducunt Auctores vt liceat. Cùm tamen illæ non plenè conuincant, sed pro stabilienda probabilitate sint, conscientiæ anguſtiæ non cessant. Quærendum ergo aliquid, in quo illa penitus conquiescat: & est illud quod in Assertione proponitur, axioma scilicet in conessum, licere sequi opinionem probabilem, & in eo nullum esse peccatum.

Vnde firmitas in oppos: to.

152. Sed vnde illius firmitas, cum sententia illorum damnata non sit, qui affirmant non licere cum opinione probabili operari, vbi de peccato agitur? Inde quidem, quia etiam ita sentientes, sententiam suam non vt certam, sed vt probabilem proponunt, vnde non damnant amplectentes oppositam, & censent eos, qui eam sequuntur, non peccare. Ergo quia in omnium Theologorum persuasione veritas illa ita defixa est, vt à nullo possit ritè sentiente negari. Itaque aliud est, *Ego arbitror peccare eum, qui hoc facit*, absolutè loquendo; ac illud, *Ego arbitror peccare eum, qui hoc facit, oppositam meæ sententiam amplectentem. Vnde consulenti circa illud, ne id faceret, edicerem, sed facientem secus, & in Confessione suæ adfixum opinioni, non negabo absolutionem: vel certè (si cum Soto sentire libeat negante absoluere Confessarium posse contra propriam opinionem, de quo supra §. 6.) ab alio absoluendum dimittam opinionis contrariæ sectatorem.*

Ad traditionem reducendum.

153. Ad hanc autem inuiolabilem persuasionem magnis equidem fundamentis potuit Catholica Ecclesia perduci, de quibus Auctores, & nos cum illis *supra* §. 5. quod & ad Traditionem referri potest, cùm id semper fuerit obseruatum, vt iuxta sapientium consilium operantes, etiam vbi de peccato vitando agitur, non sint censendi peccare; sicut neque sapientes ipsi, cum rationum momentis sine passione perpensis, prudenter operantur: qui enim sunt lux mundi, & sal terræ sicut alios illustrare & salire possunt, ita & sibi sufficientes esse valent, vt & lucis & salis in seipsis

beneficio perfruantur. Aliter enim non poterat commodè Ecclesia gubernari, sed ad omnia quæ agenda occurrerent euidentia veritatis argumenta essent requirenda. Sicut enim in humano conuictu illi prudenter agunt qui bona aut ratione aut auctoritate ducuntur, quamuis non semper de euentu certi; & plus aliquid in omnibus exigere, summam esset molestiam, & implicatissimum agendi modum, supra ordinariam hominum facultatem, importare: ita & in rebus ad conscientiam spectantibus philosophandum, cùm illę sint passim occurrentes, & quia momenti maioris, maioris etiam angoris & anxietatis: vnde in illis modum alium gubernationis requirere, tormentum esset crucis perpetuum velle imponere, quod nec filij nec patres eorum (vt aliàs locutus D. Petrus *Act.15.v.10.*) portare potuissent: vnde nec Deo dignus, de quo *Psal.24.v.8.* vates summus: *Dulcis & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via*: quia scilicet infirmam hominum conditionem agnoscit, & in delicta pronam, legem dabit, rectam quidem, sed dulcedine temperatam.

Psal.24. v.6.

P. Vasquez sententia de non necessario certo iudicio circa honestatem operationis, vt videatur obstare.

154. Opponi tamen contra prædicta potest, quod si ita esset certum omnino axioma, operantem probabiliter non peccare, discursus Patris Vasquez, de quo *nu.*143. videretur prorsus incongruus, sicut & ipsum sequentium, in eo fundatus quòd non detur principium certum, in quod possit fieri resolutio. Et P. Arriaga ibidem adductus idem generaliter loquendo videtur admittere, & tantùm pro amplectentibus suam opinionem euidens esse illud affirmat. Ex quo apparet, id quod de veritate axiomatis prædicti in omnium persuasione defixa diximus, non esse ita certum, cum sint graues Scriptores illud non agnoscentes, & verò etiam negantes; & est quidem non leuis obiectio, ex cuius enodatione plena stabiliti dogmatis intelligentia resultabit. Dico ergo etiamsi præfati Doctores ita videantur sentire, fateri tamen operantem iuxta opinionem probabilem absolutè non peccare. Ergo est aliquod fundamentum firmum, ex quo talis habeatur certitudo. Illatio est euidens. Explicent ergo illud vt libuerit, dum tamen constet tale esse. Si certitudini opinionis insistendum, sic arguere licet: Probabile est peccare sic facientem, & probabile est non peccare: ergo operans peccat non solum materialiter, sed formaliter, nam opinio docens eum peccare, de formali peccato procedit: ergo dum incertus agit se peccandi periculo exponens, eodem modo peccat ac ille qui dubius, de quo omnes admittunt. Cùm ergo non peccare dicatur, aliquid debent agnoscere, quo incertitudo penitus excludatur.

Sed non obstare ostenditur ex eodem.

155. Videtur autem ex eo penitus excludi, quòd licet principium illud, *licet sequi opinionem probabilem*, omnino certum non appareat præfatis Auctoribus, ideò est quia circa illud vident Auctores alios dubitasse, immò & negasse: vnde aiunt sub lite esse: quòd si Auctores dictos, nec grauiores, nec plures, aliter censuisse comperissent, pro certo illud haberent. Atqui Auctores illi, vt vidimus, absolutè approbant vt licitum vsum contrariæ sententiæ: ergo quia innegabile prorsus est illum licere circa illam prudenter procedenti: vtriqui ergo veritatem consectantur; Priores dum dicunt omnino certum non peccare probabiliter operantem: alij dum negare nequeunt operantem contra ipsorum sententiam, quam vt probabilem tantùm proponunt, licitè operari. Quod si quis plus aliquid contendat, temerariè loquitur, penitus refellendus. Pro quo facit id quod P. Vasquez habet *citata Disput.62. n.13.* vbi ait neminem dubitare posse quemlibet secundùm suam opinionem operari. Ex quo elicitur certum axioma, indubitabile scilicet esse, & ita omnino certum, posse quemlibet secundùm opinionem probabilem operari licitè & securè. Ergo & illi qui censent non posse tutò opinionem teneri probabilem, idem etiam fatentur. Datur ergo principium, in quod vti certum fieri possit resolutio, quando quis iuxta propriam operatur opinionem. Quòd si quis sit principium illud negans, ex quo videtur reddi incertum, id non debet obstare, vt diximus, quia non tollit moralem certitudinem, sicut de opinione pia circa Virginis Conceptionem dictum: tale namque assertum multitudine aliter sentientium obruitur, & qui sic sentit, aliquid concedit, ex quo conuincitur irrefragabilem esse dicti principij veritatem, de quo etiam inferiùs plura dicenda.

P. Vasquez.

Idem esse quando quis iuxta aliorum sententiam operatur.

156. Sed quid cùm operatur quis iuxta aliorum opinionem, quod est probabile fieri non posse? In eo enim casu non videtur posse recurri ad principium indubitatum, cùm id ab omnibus non admittatur. Sed certè quando quis iudicans probabiliter se posse opinionem aliorum sequi, iuxta illam operatur, id certè præstat iuxta propriam opinionem, vnde eadem est ratio de huiusmodi operatione ac de alia quantùm ad conscientiæ securitatem. Nam rogo quare quis non peccet iuxta propriam operans opinionem? Ideo certè quia prudenter se gerit, ratione & auctoritate permotus. Atqui idem accidit quando iuxta alienam opinionem operatur: ergo eadem est vtrobique ratio quantùm ad conscientiæ securitatem. Vnde negantes licere iuxta alienam opinionem operari, non sunt censendi contrarij, cùm aliàs sic operantes probabiliter non damnent, & probabilitatem, iuxta quam operantur, recognoscant, sicut de alijs minùs verosimiliter opinantibus *superiùs* dicebamus *n.*152,

Contra certitudinem assensus in operante probabiliter argumenta proposita & soluta.

D. Franciscus de Lugo.

157. NOn omittendum occasione eius, quod *n.*155. dedimus ex P. Vasquez, P. Franciscum de Lugo *citato Cap.3.* duo inter se pugnantia dicta proponere P. Suarij, & P. Vasquij. Hic enim post adducta ex *Cap.4.* sic habet *Cap.5. n.26. vt Constat ex sententia omnium, ad rectè operandum non est necessarius assensus euidens, sed sufficit probabilis.* Ille autem *citato loco* sententiam requirentem iudicium practicum certum affirmat ab omnibus teneri. Sed cum euidentem non requirat, sed moraliter certum, ex ea parte non videtur eius assertum cum P. Vasquij asserto pugnare. Deinde. Cùm non sit verosimile viros tantos adeò manifestè decepto, videtur dicendum P. Suarium ex vero locutum iuxta dicta *Assertione precedenti*

P. Vasquez.

P. Suarez.

Compugnatio inter P. Suarium & Vasquium vt queat componi circa certitudinem iudicij practici.

precedenti de certitudine in operatione iuxta probabilem opinionem, quam & ipsi fatentur qui videntur esse contrarij, modo explicato. Id autem, quod affirmat P. Vasquez, in primis, vt dictum est, verum habet de assensu euidenti. Deinde etiam quoad ordinarium modum operandi: non enim requiritur expressa reflexio, sed sufficit persuasio illa communis, per quam quis pro certo habet se posse omninò securè iuxta opinionem probabilem operari. Quemadmodùm quando quis elicit actum fidei diuinæ, non habet expressum assensum propter reuelationem diuinam; sed radicatus ille in animo conceptus tacitè influit. A quo dicendi modo non abhorret P. Arriaga *supra nu.*23. dicens sufficere implicitam certitudinem. Prætereà dico nomine probabilis assensus intelligi posse eum, qui contraponitur euidenti, licet practicè secum afferat hîc & nunc moralem certitudinem, cui non possit subesse falsum: & ita Diana citatus *n.*143. pro sententia P. Vasquez, & *Resolutione illa* 1. *& item.*3. moralem certitudinem recognoscit. Quam & reipsa vix posse negari à P. Vasquio benè obseruat P. Arriaga *n.*14. Item, ante P. Vasquium qui scripsere Doctores eo loquendi modo contenti, non ita rem hanc sanè difficillimam discusserunt, quam tamen sequentes enucleatiùs ventilarunt, vnde loqui cum illa generalitate potuit sic eos intelligendo vt suo placito viderentur communiter suffragari.

Diana.

P. Arriaga.

Probabile iudicium practicum sufficere.

Probatur 1. ex sufficienti prudentia in illo.

158. Citatus autem P. Franciscus de Lugo cum P. Vasquio sentiens sic arguit. *Primò.* Iudicium sufficiens ad prudenter agendum, sufficit etiam ad honestè operandum: sed prudens operario non requirit omnimodam certitudinem, cùm hæc vix sit possibilis intellectui nostro: ergo neque honesta actio, quæ sufficienter per conscientiam probabilem, tamquam per proximam regulam, etiam cum alterius partis formidine regulatur. Nam aliàs vix esset cui liceret operari, cùm res practicæ difficillimæ cognitu sint, & varijs opinionibus subiectæ.

Sed refellitur.

Respondeo concessa Maiore negando Minorē, & consequenter quod de proxima regula dicitur: non enim prudenter agit qui se exponit periculo peccandi, & formidinem cadendi non excludit: vera enim prudentia in vitandis animæ periculis exercetur. Ad id autem quod additur de summa difficultate dico, ex eo coargui sic arguentem: nam si tanta difficultas est, ergo datur certitudo moralis defectus obligationis sequendi sententiam ad tutum semper obligantem: nam vbi summa est difficultas, obligatio deest: vel si non deest, nihil vrget argumentum.

Item ex sufficientia eiusdem ad mouendam voluntatem.

159. Arguit *Secundo* confirmando prædicta. Iudicium probabile sufficit ad mouendum voluntatem rationabiliter, quoniam ad honestè operandum humano modo sufficit quædam moralis diligentia, cùm non sit semper obligatio ad summam, quæ esse potest: Atqui habere certitudinem in singulis actionibus, vel excedit humanam diligentiam, vel summam requirit, quoniam humanæ sunt cogitationes, & incertæ sunt prouidentiæ nostræ: ergo sufficit opinio probabilis ad honestè operandum etiam cum formidine partis alterius, cùm hæc non impediat assensum.

Quod esse falsum ostenditur.

Respondeo negando quod assumitur: quia opinio probabilis non sufficit ad mouendam voluntatem pro honesta operatione, nisi quatenus subest certæ persuasioni de absentia peccati in operatione. Quòd autem ad cognoscendum ita se rem habere non sit summa diligentia necessaria, admittitur, & ex eo coarguitur sicut in obiectione præcedenti. Deinde, cùm proponitur opinio probabilis vt mouens, iam ad amplectendum illam non est summa necessaria diligentia, cùm stante probabilitate statim insurgat notitia de licito illius amplexu, quæ probabilis non est, sed certa, & ita excludens formidinem. Quamuis autem stante formidine dari queat assensus circa alteram partem; nihilominùs ille ad honestam operationem non sufficit, vt dictum *supra*, quia non vitatur sufficienter peccati periculum, nec peccatum ipsum secundùm formalem eius rationem: & cùm vrgetur ex impossibilitate inueniendi quod certum est, inde oritur ratio concludens certum esse posse opinionem probabilem teneri, vnde obiectio seipsam eneruat, infirmat, & destruit.

Præterea ex difficultate resultu omnium.

160. Tandem obijcit, quia durissimum appareret omnes tam doctos quàm indoctos obligare, vt iudicium omnino certum eliciant de operationis honestate, priusquam licitè possint operari. Raro siquidem homines, præsertim indocti, reflexiones faciunt supra suam cognitionem, vel opinionem, vel eius formidinem discernunt, vel ad certitudinem attendunt, aut reuocant: nec ideò tamen damnandi sunt peccati.

Quæ tamen mollitur.

1. Respondeo non solùm non esse durissimum, sed neque durum, id quod sententia nostra contendit, vt patet ex dictis *nu.* 157. & quod ad indoctos attinet, certissimum est illos cum omni securitate operari quando doctorum consilia sequuntur, vnde & habent certum principium cordibus ipsorum inscriptum, quo certi redduntur se non peccare, dum à sapientibus in suis actionibus diriguntur, id quod est lumine naturæ notum, & tacitè influit in omnes eorum operationes: sicut suo etiam modo lumine naturæ notum apparet eum, qui prudenter operatur, opinionem verosimilem amplexus, immunem esse à peccato.

Censuræ Caramuelis non admissa.

161. Licet autem quæ diximus ita se habeant, & certissimum debeat haberi principium, quo statuitur licere operari secundùm opinionem probabilem, non ideò sequitur debere nos amplexari censuram Illustrissimi Caramuelis propter rationes dictas, quia hoc quod à nobis est stabilitum, licet irrefragabile iudicemus, non ita tamen euidens, vt ad grauissimam omnium censuram oppositæ partis inducant: quamuis, vt verum fatear, mihi sit euidens, quod de certo principio circa probabilia præmisi: *Signatum enim est super nos lumen vultus* Dei circa hoc, vt dicebam nuper; sicut & circa ignorantiam, qua inculpatè stante, non est in operante contra Dei præcepta peccatum: quod & hîc suo modo locum habet: qui enim probabiliter iudicat aliquid non esse peccatum, verè ignorat id, quod asserit: at non habet principia, quibus possit veritatem explorare. Si dicas, Amplectatur tutum, & sic ignorantia nil iuuabit: ibi quidem lumen diuini vultus affulget ostendens prudenter operari eum, qui ab affectu suo malitiam peccati repellens, cum ignoret an talis operatio illam habeat, bonisque fundamentis

Psal.4.v.7.

Ab ignorantia præsidium in amplexu opinionis probabilis.

damentis ductus putet non habere, ad illam progreditur. Hac enim ratione Epikeia, est naturalis iplius luminis beneficio recepta, iuxta quam legum obligatio in multis casibus cessat, quia aliàs leges ipsæ in commune bonum latæ, communi ipli bono redderentur incommodæ. Quod & in causla nostra apparet: leges enim tum humanæ, cum diuinæ, noxiæ euaderent, si iudicantibus iuxta solida fundamenta auctoritatis & rationis, eas non obligare, nihilominùs agere iuxta dictamen tale non liceret: sic enim transgressionum occasiones multiplicarentur, quod est grauissimum dubio procul incommodum: & quidem ad quid dictamen istud prudens ratione & auctoritate firmatum, *Hoc potest licitè fieri*, si numquàm eo vti licet? Esset sanè prorsus inutile, sicut inutilis esset Mercurius aliquis monstrans viam, si per eam non possent itinerantes ambulare. Et circa prædictum Apologema cum præmissa scripsissem, deprehendi posteà nouorum libellorum aduentu esse illud auctoritate Sacræ Congregationis Iudicis Decreto proscriptum edito *die* 15. *Ianuarij*, *an.*1664. & ritu solito *die* 16. mensis eiusdem publicato. Quod quidem ob censuram præfatam videtur factum, sicut propter similem rationem SS. Alexander VII. glorioſissimæ recordationis proscribendum censuit librum censuras Sorbonicas continentem in Amadæum Guimenium fulminatas, vbi & de libro alio præsumptuosè notato, de quo alibi.

Quid tandem circa Caramuelis *proscriptum Apologema.*

EXCVRSIO.

Circa sententiam quamdam singularem.

Matthæus Homen.

162. MAtthæus Homem Leitonius *in sua vera* (iuxta ipsum) *& singulari obseruatione*, tenet quidem quod iam vidimus *nu.*38. assensum scilicet probabilem, quo assentimus vni contradictionis parti, iuxta eum operaturi, vti certam regulam operationis, omnino esse certum, quia sine formidine. Id quod *Cap.* 1. latè prosequitur dicens conscientiam numquàm esse dubiam, neque probabilem, neque erroneam secundùm propriam suam rationem, quatenus scilicet est vltima regula operationis: & totum illud, quod communiter ipsi attribuitur, ad antecedentia pertinere, iuxta quæ formatur, vide *n.*33. & 44. Ibi autem, sicut & *n.*27. & *Cap.*3.*n.*44. singularem modum dicendi sequitur, operantem scilicet cum conscientia practicè dubia, quando videlicet iudicat circa peccatum, siue potius non liquidè, sed quasi pro parte admonet de peccato, mortali scilicet, non peccare mortaliter. Quod & tradit de operante cum formidine, seu probabiliter, quia iuxta ipsum opiniones, quæ abusiuè dicuntur probabiles, statum dubium constituunt, cùm non sit alia vera probabilitas, nisi ratione assensus, vt ex eodem vidimus *num.*27. vnde & operantes cum formidine peccant, iuxta illum, qui partem in dubio tutiorem necessariò amplectendà arbitratur, de quo *supra*. Rationem autem asserti sui ex eo desumit, quòd conscientia non plenè admonet de peccato mortali: ergo nec plenè est tale, & ita tantùm veniale: sicut venialiter tantùm peccat, qui plenam non habuit aduertentiam vel deliberationem. Quod quidem ait benè agnouisse Sayrum in *Claui regia lib.*1. *Cap.*13.*nu.* 3. *in fine* verbis illis, quæ id significant: Malus edit mortaliter vel venialiter, pro ratione dubitationis.

Cùm conscientia non plenè admonet de peccato mortali non esse mortale sic operari, sub dubio scilicet, aut opinione.

Sayrus.

163. Contra hunc tamen philosophandi modum stat communis Theologorum, immò & Canonistarum sensus, agnoscentium grauitatem mortalis peccati, quando cum dubio circa illud quisquam operetur, vt videri potest apud omnes citatos agentes de conscientia dubia. Neque Sayrus contrarium sentit, sed potiùs est allegantis ipsum assertioni contrarius, cum tantùm velit dubitantem an aliquid sit peccatum, & sic operantem, peccare mortaliter, vel venialiter; mortaliter inquam quando de peccato mortali agitur, venialiter autem quando materia, de qua agitur, est venialis: id quod citatus Scriptor ita posse intelligi peruidit citato *Cap.*3.*n.*4. & eorum ratio est, quia sic operans exponit se periculo manifesto violandi legem sub mortali obligantem, & quidem quando quis ita operatur, vt eius animus sit illud facere, quidquid de peccato sit, quod dicere solemus *Sea se loque se fuere*, absque dubitatione vlla mortaliter peccat, vnde tantùm esse difficultas potest, quando nihil tale in animo retinens, simpliciter dubius an sit vel non sit mortale, in actionem prorumpit, & tunc, licet non habeat expressam voluntatem committendi mortale, habet tamen virtualem, æquiualentem, aut interpretatiuam. Si enim absolutè non vellet, adhiberet diligentiam aliquam ad explorandum an mortale esset. Quemadmodùm dubitans an si aliquis sit eius amicus vel inimicus, cum grauiter percutiat, amici percussionem vult, etiamsi reipsa tantùm sit percussus inimicus: vnde grauiter est violata amicitia; debuit enim inquisitio præcedere pro veritate comperienda, eâque non obtenta, ab operatione desisti, si nihil esset speciale, per quod talis obligatio cessaret, & ita præcipiunt sacri Canones, vt vidimus *n.*72. coniugem dubium non posse debitum petere, quia peccaret contra conscientiam: vbi de graui peccato manifestum est esse sermonem, cuius & erat conscientia, & ita pro eo facta consultatio.

Contra mentem Theologorum, & Iuristarum sensum ex doctrina.

164. Nec vim propositæ rationis elidit quod dicitur de non plena admonitione conscientiæ; nam licet non sit adeò plena, ac esset quando est comperta malitia: est tamen omnino sufficiens, vt vidimus: sicut quando amatur peccatum in causla, quo euentu non est ita plena admonitio ac est quando amatur in seipso. Deinde, est plena admonitio de periculo, cui se exponere, grauiter delinquere est. Neque enim dici potest ibi tantum esse periculum respectu peccati secundùm materiale eius; nam & hoc vitandi obligatio grauis est, vt patet de volente peccatum in causla, cuius effectus cùm datur, materialis tantùm transgressio est, vt occisio, violatio iciunij, omissio sacri officij &c. Præterquam quòd si materialiter tantùm peccatur, ergo nec veniale peccatum interuenit, vt videtur compertum.

Licet non plena videatur admonitio, est tamen sufficiens ad mortale.

165. Potest autem dubium dupliciter accidere. Primò quando quis hæret non iudicans an aliquid sit licitum, nec ne, cùm vtrimque rationes occurrant, nec reflectitur supra suam dubitationem dicens sibi ipsi: *Dubium mihi est negotium hoc, an honestum, an prauum.* Secundò quando talis reflexio datur, expressè iudicante se dubitare de bonitate operationis. Et Moderni quidem apud P. Vasquium *Tomo* 1. *in* 1.2. *Disput.*65. *n.*5. affirmant, vt operari quis dicatur cum iudicio practicè practico, secundum genus dubij esse necessarium. Quia cùm malitia talis operationis sumatur ex periculo peccandi, quod ex dubio resultat, nisi dubium expressè cognoscatur vt causla tam periculi, quam malitiæ, non videtur deriuari malitia in operationem: & saltim vt dubius in fide committat peccatum hæresis, videtur talis requiri reflexio.

Duplex dubij genus.

Dubium reflexum esse necessarium etiam ad hæresim censent quidam.

166. Sed modum hunc dicendi reijciunt quotquot de illo mentionem intulerunt, videndi apud P. Franciscum de Lugo. *Cap.*2. *Quæst.*1.*nu.*7. & iure quidem optimo: nam qui priori modo dubitat, absolutè dubitat, & sic operatur: ergo vult peccatum volùtate ad peccatum sufficienti. Item, exponit se periculo transgrediendi grauiter diuinum aut humanum præceptum sub mortali obligans: ergo grauiter peccat. Quòd autem dubium influat in malitiam, ex eisdem principijs constat, quia non est alia cognitio tunc occurrens, à qua possit deriuari. Supponi enim debet assensum tunc aliquem interuenire circa obiectum propositum, quo dubium esse iudicetur. Si enim merè negatiuè se habeat, ibi dubitatio rationabilis non est, sed inscitia, aut inscientia, *vt superius* diximus: homo enim prudens ad dubitandum non leuibus mouetur coniecturis, licet non semper tales sint, vt assensum probabilem eliciant, sed dubium, à quo influxus in malitiam & periculum operationis.

Contra quos est communis Doctorum sensus.

167. Sed videtur perstare difficultas. Nam in primo illo dubitationis modo non repræsentatur malitia operationis, vt patet ex illius explicatione: ergo nequit operatio inde malitiam attrahere, quia nil volitum quin prægnitum. Quæ quidem obiectio non est leuis, & ad illius enodationem dico in propositione duplicis illius modi secutum me Auctores ita illù proponentes; cùm tamen reuera dicendum sit, in priori non posse penitus rationem malitiæ præscindi, quæ tamen tacitè influit; cùm sit omnium mentibus principium illud infixum, neminem posse operari quod dubitat esse peccatum. Quod quidem de sapientibus negari nequit, & de indoctis est etiam perspicuum, cùm naturale id lumen ostendat, vt dubitans an aliqua operatio sit mala, ab ea abstinere debeat donec à sapientibus instruatur. Videantur dicta *n.* 157.

Solutio amplior. pro noua difficultate.

168. Ad id autem quod de dubio in fide dicebatur, respondeo, quandoquidem per dubietatem in fide, illa amittitur, cùm vera dubitatio est à voluntate culpabili, suspensione actus imperata, aut ob motiua proposita sine culpa voluntatis, difficultates inquam credibilitatis, in quibus magno Cardinalis Lugo *Disput.*17. *de fide sect.*4. iudicio pariter & ingenio discurrit: quod & admittunt qui ad hæresim plus aliquid requirunt, vt videri potest apud Dianam *Parte* 2. *Tract.*16. *Resol.* 51. *& Parte* 11. *Tract.*8. *Resolut.*47. Cùm inquam amittatur fides, quæ non nisi culpabili contra illam lapsu contingere potest, ex eo habetur dubium in malitiam lapsus talis influere, quomodocumque illud admitti à dubitante contingat, & ita non esse necessariam reflexionem supra dubium ipsum. Vbi & accommodari potest doctrina nuper adhibita de principio illo hominum cordibus beneficio diuini luminis inhærenti; non esse licitum operari quando dubitatur an licita sit operatio. Nam similiter etiam fidelium cordibus principium illud cum ipsa est fide confertum, vt non liceat de illa dubitare: qui ergo dubitat, iam contra fidem peccat, eo ipso quòd aut licere sibi dubitationem iudicat, aut cùm illicitam putet, nihilominùs præceps agitur, sicut in alijs contingit peccatis.

Dubius in fide quando hæreticus.

169. Quod verò stante fidei amissione per dubium circa illam, nihilominùs non sit ita dubitans censendus hæreticus, ex eo probat P. Dicastillus *Tomo* 2. *de Sacramentis Tract.*8. *Disput.* 10. *n.*57. quòd non detur in illo dissensus assensui fidei contrarius: hæresis enim definitur *Error fidei contrarius.* In quo est à dubio diuersa ratio, cùm error non sit, sed id ratione cuius animus manet anceps & pendulus. Id quod si in actum externum prorumpat, non est ad incurrendas hæreticorum pœnas sufficiens, excommunicationem inquam & alias; & licet hæreticus possit præsumi ab Inquisitoribus, non est eâdem cum illis pœna plectendus. Vnde in facti contingentia ab eisdem Dominis, & eorum Consultoribus attentè & maturè causlam talis Dei expendendam esse putat Diana *in fine Resolut.*47. *citata.*

P. Dicastillus.

Cardinalis Lugo.

Diana.

170. Sed verò in facti cõtingentia facillimè reus talis hæreticus deprehendetur. Cùm enim dubitare se fateatur, vrgendus an licitum censeat de rebus fidei dubitare? Si dicat licitum esse, manifestè hæreticus est. Si licitum neget, & tamen dubitare se dicat, quia non potest vehementibus impulsibus resistere pro dubitatione subeuntibus, quod non videtur sic posse accidere impossibile. Tunc etiam hæreticus habendus, quia diuini præcepti adimpletionem sibi asserit impossibilem, contra Concilij Tridentini, Innocentij X. & Alexandri VII. manifestissimas definitiones. Si verò addat se non de absoluta impossibilitate loqui, sed de summa difficultate in adhibendo pleno assensu rebus fidei ab Ecclesia propositis. Cùm ab eo obtineri nequeat vt difficultates vincere conetur, sed se non posse reipsa significet, absolutam impossibilitatem credendus est allegare. Quòd si dicat conaturum se difficultates vincere, & sic dubitationem repellere, conatum tamen suum se credere fore frustraneum: in eâdem profectò hæret salebra absolutæ impossibilitatis. Si sperare se asserat, potuit ergo illas vincere antequàm in dubitationem inciderit: quod cùm non fecerit, ideò equidem fuit, quia res fidei dubitabiles credidit, licet asserat sibi aliàs indubitabiles. Si enim stare potest vt dubitatio reputata illicita cum credulitate absoluta de non licita dubitatione possit componi, simul etiam stare duo isti poterunt actus: *Credo non esse licitum de rebus fidei dubitare, & Credo illas esse dubitabiles*; per actum scilicet à me illicitum reputatum.

Quomodo facilè deprehendi queat.

171. Et quidem communis sententia Doctorum sic dubium circa fidem hæreticum censet, quam erit æquissimum & valde conueniens rei istius grauitati Tribunal sanctum complectatur.

Congruus pro Tribunali S. Inquisitionis circa tales vsus.

Quia verò ex definitione hæresis videtur desumi contrarij dicendi modi fundamentum, vt sit *error fidei contrarius*, in eo certè vis est exigua, quia & in dubitatione suus & error imbibitur, vt vidimus: nemo enim dubitat, nisi quia id, de quo dubitat, dubitabile sibi esse persuadet, aut expressè, aut tacitè; formaliter, aut virtualiter. Sicut nullus credit, nisi quod iudicat esse credibile; amat, nisi quod putat amabile; odio habet, nisi quod censet odibile. Sicut ergo cùm Diuus Augustinus peccatum dixit esse *dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei*, sua illa definitione peccatum omissionis includit, quia licet in negatione consistat, illa voluntariè admittitur, vnde ad *factum* reducitur, vel *concupitum*, quia æquiualet positiuo actui: ita etiam in nostro est casu dicendum.

P.Dicastil'i *non probata doctrina.*

172. Quod autem addit P.Dicastillus, aut nullam vim habet, aut est manifestè contra ipsum; ait enim verba dubitantis, etiamsi occasionem præbeant suspicandi animum hæreticum, illum tamen non significare, aut aliquid, quod esse sine hæretico animo nequeat: neq; enim necesse est, vt eo ipso quod quis dubitat de veritate aliqua fidei, quasi reflectatur supra suum actum dubitandi: cùm possit id non facere, quia de tali actu eliciendo non cogitat; siue quia, cùm subijt illius cogitatio, diuertit ad alia obiecta. Non inquam habet vim: nam talia verba hæreticum animum significant, iuxta dicta, quia & errorem circa credibilitatem. Si vero ex eo, quòd posita dubitatione non est necessaria reflexio, sed potest quis ad alia diuertere, id habetur, quod intenditur: ergo neque præsumptio hæresis est; quia si alicunde, inde profectò, quia verba illam significarent: Atqui illam non significant; igitur cessat præsumptio, quia hæc aut ex verborum significatione, aut ex factis desumitur.

Quomodo formatur dubium contrarium fidei.

173. Est autem non leuis difficultas circa modum, quo formatur dubium contrarium fidei: nam cùm non videatur ad illud actus aliquis erroneus necessarius, neque etiam videtur quomodo sola suspensio assensus ad illud sufficere possit. Sicut enim dudum ex P. Dicastillo dicebamus, qui dubius & pendulus est, non ideò necessarium est vt actum eliciat, quia de illo eliciendo non cogitat, aut ad alia diuertit: ita etiam videtur dicendum, non ex eo quòd aliquis assensum non eliciat circa res fidei, actum alium deprauantem negationem illam assensus necessariò consequi, ob easdem rationes: si autem non consequitur, vnde malitia infidelitatis in illo? quæ difficultas quantùm ad negotium morale attinet, magni momenti non est, sed sine discussione aliqua non prætermittenda, fundamentis diuersimodè circa hoc sentientium cum aliquali auctario breuiter indicatis.

P.Suarez.

174. P.Suarez *Disput.19.de Fide Sectio.4.n.13. & 14.* quem sequuntur Patres Petrus Hurtadus, & P.Ægidius adducti à Cardinali Lugo *supra nu. 84.* semper actum aliquem interuenire aiunt; (cùm non semper teneamur elicere actum fidei, & ad alia possimus attendere,) iudicium scilicet, quo affirmatur res fidei esse dubias, vel rationes contrarias esse tanti ponderis, vt suspendendus meritò sit assensus, quod totum est contra fidem, & assensus talis planè hæreticus. Cui dicendi modo se citatus Cardinalis opponit *n.66. & seqq.* pro se adducens P. Granadum, & ex eo arguens, quia ante suspensionem illam culpabilem præcedit semper iudicium erroneum, de quo quæritur an sit voluntarium? quod videtur innegabile, cùm constituat hominem hæreticum. Præcedit ergo voluntas imperans illud, de qua voluntate similiter inquiritur, an semper oriatur ex aliquo iudicio dictante insufficientiam motiuorum ad credendum? Quod quidem dici non potest, quia daretur processus in infinitum, cum de quolibet inquiri possit, an sit voluntarium: quare deueniendum est ad voluntatem primam culpabilem, quæ oriatur ex iudicio non culpabili, neque erroneo, sed vero, & per consequens quod non dictet insufficientiam motiuorum. Sicut ergo voluntas illa culpabilis prima contra fidem non præsupponit iudicium aliquod errans circa fidem, sic voluntas culpabilis suspendendi assensum & dissensum erga fidem oriri potest ex iudicio præcedenti non erroneo circa eamdem fidem.

Card. Lug. *doctus hic cursum.*

Illius prosecutio.

175. Qui ergo dubitat ante voluntatem primam culpabilem contra fidem, habet ex parte intellectus eadem iudicia & motiua, quæ habet ille alius, qui in fide perseuerat. Et cùm hic non habeat iudicium erroneum, neque etiam ille. Si ergo absque tali iudicio erroneo potest homo velle negare fidem, quantò magis poterit absque eo velle suspensionem assensus, quod minus est. At quia suspensio assensus ex se mala non est, tunc incipit esse talis quando homo deterritus à difficultatibus, quæ in credendo obijciuntur, imperat sibi suspensionem assensus; nam eo ipso videtur approbare difficultates & rationes illas, eisque cedere, & in actu exercito saltim interpretatiuè significat esse periculum falsitatis, vnde & grauem contra fidem irreuerentiam committit. Sic Doctissimus ille Magister, qui eamdem doctrinam repetit, eam summatim proponens *Disput.20.nu.15.*

P.Arriagæ *expeditoria, iuxta ipsum.*

176. Vbi tamen citati Doctores difficultatem non leuem deprehendunt, P.Arriaga expeditissimam esse rem existimat *Disput.19.de Fide nu.75.* dicens dubitare esse iudicare rem aliquam non esse certam, quod directè repugnat certitudini fidei diuinæ: Vnde Canus, & alij, qui videntur alieni ab hac sententia, reipsa tales non sunt, sed malè vsurpant vocem illam *Dubium* pro suspensione actus: quo sensu sine dubio non constituit propriam hæresim: ideoque non est contra illum agendum multis rationibus, sed supponenda acceptio eius vocis *Dubium*, scilicet pro actu positiuo, quo iudicat quis non esse certum illud obiectum, quod, agendo de obiectis fidei, constat esse hæreticum, & ita à nullo potest negari.

Commoditer explicandi ratio.

177. Quid ad hæc? Ingenuè dicam. Ratio Cardinalis Lugo commodam habet solutionem. Cùm enim ait iudicium illud erroneum imperari à voluntate, id nego, si de actu positiuo sit sermo: neque enim ex eo quòd voluntarium sit, actum imperij positiuum exigit, cùm sufficiat illius permissio, seu non impeditio, cùm impedire debuisset: vnde non proceditur in infinitum. Deinde assero duos illos Auctores fortè reipsa non esse contrarios: dum enim Cardinalis Lugo ob suspensionem illam assensus hæreticum dicit, quia eo ipso videtur approbare rationes illas & difficultates,

tates, atque in actu exercito saltim interpretatiuè significare esse periculum falsitatis: dum inquam hoc dicit, iudicium haberi interpretatiuum manifestè significat: Atqui hoc non negat P. Suarez, licet iudicium erroneum dicat ob insufficientiam motiuorum, quia & iudicium interpretatiuum, erroneū rectè dici potest. Et quidem P.Suarez de iudicio etiam positiuo & formali intelligi potest, quod ordinariè datur, quoties circa fidem dubitatur. Quòd autem in casu aliquo raro, & vix ab ipso dubitante discernibili, iudicium tantùm interpretatiuum sufficiat, cùm non neget, & verosimile sit, non debet contra illius esse mentem affirmari. Id quod P.Arriaga propter eamdem rationem non videtur negaturus, cui in significatione vocis *Dubium*, erunt qui contradicant putantes eam non importare iudicium, sed suspensionem animi hærentis inter rationes hinc & inde compugnantes: vnde non à nominis tantùm significatione, sed à grauioribus fundamentis oportuit instrui impugnationem. Et Cardinalis quidem *n.91. citata Disput.17.* ex significatione etiam eiusdem vocis arguit iuxta Auctores apud Calepinum: est enim *Dubius* idem quòd anceps & hærens inter duas vias, nesciens quam possit tutus ingredi, & tamen ibidem non agnoscit necessarium actum positiuum formalem, sed interpretatiuum & æquiualentem, & hæc pro difficultate præsenti, neque, vt arbitror, inutilia.

Circa opinionem probabilem, & dubium in Matrimonio vtilis disceptatio.

Cap. Dominus. Cap. Inquisitioni.

178. CIrca materiam propositam diximus *n. 72. & seqq.* ex Cap. *Dominus* de secundis nuptijs & ex *Cap.Inquisitioni*, de sententia excommunicat. dubium coniugem de valore matrimonij debere reddere, non tamen posse debitum petere ante exactam diligentiam pro veritate comperienda. Circa hoc tamen P. Arriaga *Tomo 3.Disput.25.n.30. vers.suppono Tertiò* singulari modo discurrit. Quidquid ergo sit de *Cap. Dominus*, vbi & ipse Pater, & alij censent locutum Pontificem in casu malæ fidei, & de casu *Cap.Inquisitioni* loquendo ait neminem videri obseruasse id, quod ipse vt obseruatione dignum proponit, scilicet in eo Pontificem nullatenus loqui de dubio, sed de conscientia probabili, vnde non tantùm Textus esse videtur pro quæstione de dubio, quàm ad probandum non licere sequi opinionem probabilem, cuius contrarium supponunt Patres Vasquez, & Sanchez, & quotquot hoc Textu vtuntur in casu præsenti. vnde aliter debent ei respondere. Probat autem in eo Capite nihil esse de dubio. Primo, quia nullum tale verbum est in eo, sed solùm habentur: *An non sciat pro certo, sed credat impedimentum.* Atqui non scire pro certo etiam conuenit quando iudicium est probabile. *Secundò*, Illud *vt credat* iam denotat assensum determinatum in eam partem, qui assensus non habetur quando datur verum dubium. Idem magis declarat Pontifex statim, dum ait: *Si credulitas sit probabilis & discreta, quamuis non manifesta & euidens.* Et sub ea definit non licere petere, sic verò reddere. Quis autem dubitet actum credendi probabilem & discretum non designare formale & proprium dubium, sed veram opinionem, quæ vt talis semper est non euidens, & non manifesta? Eo autem ipso quòd vna pars est sub opinione probabili, iam altera opposita probabilis est, vt per se patet. Alia verò verba, quæ denotent formale dubium, nulla sunt in eo Textu, vnde non benè pro caussa præsenti allegatur, cùm sit etiam contra opiniones probabiles.

P. Arriagæ. *singularis expositio circa illud.*

179. Propter hæc ait se credere Pontificem ibi nouum imponere præceptum, quod ex natura rei alioquin non obligaret: scilicet ne quis sequatur in ordine ad petendum debitum opinionem probabilem, sed solùm certam: quod haud dubiè potest Pontifex imperare. Sicut enim idem Pontifex in Cap. *Ad audientiam* de homicidio, & *in Cap.significasti* 1. & 2. eodem Tit. imponit præceptum abstinendi ab altari ob dubium homicidium, quando scilicet constat ab aliquo inflictum vulnus, propter reuerentiam sacrificio altaris debitam, vt idem docuerat *n.19.* cum Panormitano, & Patribus Suario ac Sancio: cùm tamen eo præcepto secluso, idem circa illud dubium, quod circa alia dicendum videretur: ita & in casu præsenti dicendum, stante opinione probabili, licet in alijs materijs licitum sit eam sequi. Ex eo tamen manifestè euincitur in dubio idem esse potiori ratione dicendum: vnde Textus est magis vniuersalis, quàm quæstio præsens. Sic dictus Pater.

Cap. Audientiam. Cap. significasti.

Efficaciter impugnatur.

180. Qui tamen contra se habet *Primo* Doctorum omnium sensum de dubio accipientium. Et eo stante debere reddi debitum, cum multis quos adducit *Parte 2.n.1928.* esse communem, & indubitatam sententiam affirmat Angelus Bossius, ante factam scilicet, & post habitam diligentiam. *Secundò* pro singulari illa intelligentia nullum esse solidum fundamentum, vt constat diluendo obiecta, si prius verba Textus eiusdem expendamus, quibus apertè innuitur de dubio esse quæstionem, & ita solutionem præfatis obiectionibus requirendam. Ait ergo Pontifex: *Verùm cùm conscientia pulsat animum ex credulitate probabili & discreta, quamuis non euidenti, debitum quidem reddere potest, sed postulare non debet: ne in alterutro, vel contra legem coniugij, vel contra iudicium conscientiæ committat offensam.* Sic ille. Ex quo manifestum habemus coniugem petentem debitum contra iudicium conscientiæ committere offensam: non erat ergo assensus in eo probabilis, quia operans iuxta illum offensam non committit. Vbi non est intelligendum id contingere ratione noui præcepti, sed stante conscientia in eo statu, iuxta quem fuit proposita quæstio; quando scilicet non erat impositum præceptum, vnde & conscientia pulsabat ex credulitate leui & temeraria, aut probabili & discreta eum, de quo erat consultatio: posito enim iam præcepto cessat conscientiæ pulsatio, cùm sit certum eo posito non petendum debitum, nisi stante incertitudine nullitatis matrimonij. Vnde iubet Pontifex circa id adhiberi Pastoris consilium qualitatem conscientiæ exploraturi.

Innocentius Tertius.

Vrgetur amplius.

181. Habet *Tertiò* modum loquendi Pontificis in ipso Decretalis exordio sic dicentis: Inquisitioni tuæ *respondentes credimus distinguendum.* Quæ verba declaratoria potiùs sunt, quàm noui iuris enuntiatoria. Qui enim credere se dicit, id certè credit, quod iam ex diuina ordinatione

constabat, nec tamen erat omnibus exploratum. *Quartò*, Cùm esset probabile posse petere debitum, non erat ratio, cur Pontifex id prohiberet in casu, de quo agebatur, cùm valde esset periculosum sic statuere in materia adeò lubrica, vbi licebat reddere, immò & erat pro reddendo obligatio. Neque est eadem ratio de irregularitate, quia id potuit disponi ob reuerentiam sacrificij altaris, in quo non subest quotidianum & inseparabile periculum relabendi. Quinto, stante eo præcepto Pontificis, etiam facta diligentia, & non inuenta veritate, non erit licitum petere debitum, quia, vt dicitur, cum opinione probabili non potest peti. Atqui contrarium est valde probabile, & illud cum multis defendit P. Thomas Sancius *Lib.2. de Matrimonio Disput.41. n.46.* & Bossius *supra nu.1943.* quamplures adducens, & dicens esse probabilius, P. Escobar de Mendoza *Tract.7.nu.82.* Negat tamen illud P. Arriaga *sectione & sub sect.4.* consequenter, vt sibi videtur, ex eo arguens, quia si Pontifex voluisset, expressisset, & non, diminutè respondendo, occasionem scrupulis reliquisset, & conscientiæ laqueos imposuisset. Quod quidem contra illud suum nouum præceptum aptiùs militat, quo grauissimum onus imponi iam vidimus, & grauamina non sunt admittenda, nisi exprimantur, præsertim quando scrupulis & laqueis conscientiæ innodantur. *Septimo.* Porro illo præcepto iam sententia illa erit improbabilis, iuxta dicta *supra* n.136. quod tamen erit qui admittat nullus, neque ipse, ex cuius hoc dicendi modò colligitur. Tandem, Pontifex ait, non reddere, futurum contra legem coniugij: ergo non erat opinio absolutè probabilis. Illationem probo: quia cum probabili opinione nullitatis matrimonij potest coniux non reddere, vt boni Doctores tenent apud Bossium *nu.1989.* tunc enim tantùm est probabile posse alium coniugem petere, præsertim de fundamentis sufficienter instructum, de quo ipse Pater *nu.46. §. Illud*, agens de dubio: quod cùm esse posset possibile iuxta ipsum, tunc locum habebit nostrum argumentum. Cumque probabilitati possit probabilitas obijci, non feciſſet contra legem coniugij, qui sic petenti minimè reddidisset.

Fit satis obiectis.

182. Cùm ergo hoc non videatur certum, quidquid in contrarium adducitur facilem habet solutionem. Quòd enim *Primò* dicitur in eo Textu nullum de dubio verbum haberi, admittitur iuxta materialem vocis huiusmodi positionem, negatur autem de æquialentibus, vt mox dicetur, & quamuis verum sit *non scire pro certo* etiam conuenire iudicio probabili, non ideò sequitur de illo esse sermonem, quia neque de eo præcesserat consultatio: coniux enim absolutè iudicans apud semetipsum, licet cum aliqua formidine, se non esse talem, poterat reddere, & non reddere, vt diximus: & poterat etiam petere, quia vtrumque probabile, & nulla erat Pontificia prohibitio, stabatque doctrina semper in Ecclesia recepta de vsu probabilium opinionum, & quidem si talis in coniuge consulente extaret assensus, sub ea debuisset forma proponi, quia multùm ex eo variari poterat resolutio. Cùm tamen nihil tale factum, vt est ex tenore capitis manifestum, vnde colligitur circa dubium institutam quæstionem?

183. Quod *Secundò* additur, illud *Credat* denotare assensum determinatum in vnam partem, quod non datur in vero dubio, eliditur clarè ex illis Pontificis verbis, *vtrum habeat conscientiam huiusmodi ex credulitate leui & temeraria.* Ecce credulitatem, & tamen sine probabilitate: ergo ex verbo *Credat* non benè arguitur. Iam quod ex probabili & discreta credulitate subijcitur, quæ assensum verè & propriè probabilem indicat inficiamur; in dubio enim potest id frequenter accidere vt omnes Doctores agnoscunt, dum de illo in diuersis materijs differunt: dicunt enim illud esse posse cum inclinatione ad vnam partem magis quàm ad aliam, pro vt rationes ad talem inclinationem occurrunt, siue æquales, siue inæquales, quibus vtitur ipse Pater *Disput. 26.§. Secundus casus n.15.* & Bossius *n.1195.* iuxta dictam distinctionem pluribus allegatis occurrentem determinans quæstionem. Addo ex eodem Patre *Sect. 4. in principio* id quod est pro præsenti causa minus quam tùm opportunum: ait enim ibi possessorem bonæ fidei, sed dubium an res sit sua, post factam diligentiam posse de illa disponere, & ita etiam vendere: subdit tamen ex P. Thoma Sancio teneri emptori dubium illud aperire; quæ monitio tunc præcisè (inquit P. Sancius) erit necessaria, quando est aliqua probabilitas cum tempore posse verum dominum reperiri, secus si esset desperata. Quam quidem doctrinam ille amplectitur: & in ea satis dilucidè apparet probabilitatem sumi pro verosimili coniectura, quæ cum dubio stare potest, & in casu præsenti cùm datur, in causa esse debet, vt possessor dictus de statu instruat, quem res habet, de qua distrahenda tractatur. Et quidem P. Sancij verba videtur hîc Auctor adducere, dum intra parenthesim apponit, *Inquit*, cùm tamen verba illa ipsius non sint, licet sit sententia: nec habet ille *Probabilitas*, sed *Spes*: vnde prius illud de suo reposuit, arbitratus, (& benè) posse vnum pro alio substitui: & ita iuxta ipsum probabilitas non dicit semper firmum assensum, sed verosimilem, vt dixi, coniecturam, quæ potest cum dubio componi. *Spes alit agricolas*, de futura tamen messe dubios, quia frequenter illud accidit Euangelici vatis, *& subuertet grando spem mendacij. Isaiæ 6.v.7.* Pro quo & stat communis doctrina Scriptorum circa dubium, ex quibus aliquos adducit Bossius supra *nu.1760.* & ex illis ait tunc contingere quando homo probabiliter iudicat eo quòd habeat probabiles rationes pro vtraque parte, sed tamen insufficientes ad iudicium probabile pro altera.

Verbum Credat non indicat determinatum assensum.

Dubium stare potest cum inclinatione ad vnam partem.

De venditore dubio.

P.Sancius.

184. Circa id quod *n.* 181. diximus de grauamine ex præcepto resultante, iuuat rationem subijcere ex P. Sancio dicente durissimum fore compellere culpæ immunes vt vitam cælibem ducerent. Quam tamen P.Arriaga *Disput.25:n.35.* iudicat non esse vllo modo efficacem, & ad illam respondet *§. secundum etiam*, dicens quòd si dubium fuisset ante contractum matrimonium, non potuissent in omnium sententia contrahere: & tamen etiam tunc essent culpæ immunes, & obligarentur ad vitam cælibem quousque depenerent dubium. Cur ergo dici non idem poterit etiam post matrimonium contractum? Quæ responsio non videtur tanto ingenio digna, cùm in dicto casu sit manifesta diuersitas: neque enim qui

P.Sancius.

P.Arriagæ *incongrua responsio.*

qui ante matrimonium dubitant, tenentur cælibes permanere, sed possunt cum alijs inire coniugia, & viris ac feminis plenus sit mundus.

Doctrina de ignorantia inuincibili congruè accommodata.

185. Accommodatior est responsio, quam alteri adhibet eiusdem Patris rationi ex eo arguentis, quia qui adhibita sufficienti diligentia adhuc est dubius, habet ignorantiam inuincibilem, quæ iuxta omnes à peccato excusat. Respondet enim id intelligi de ignorantia, quæ deponi non potest, quia circa rem, de qua agitur, non est dubium excitatum, secus de alio stante cum excitato dubio, nec post factam diligentiam superabili, vt constat in exemplo adducto de matrimonio, cuius impedimenti potest esse ignorantia inuincibilis ante illud contractum: quia tamen etiam post adhibitam diligentiam sufficientem illa remanet, nequit celebrari. Sed certè responsio non est prorsus exacta, quia in casu, de quo est quæstio, est iam possessio pro matrimonio, non ita in alio, & ita est valde diuersa ratio in illo, iuxta communem Doctorum sententiam, & ipsius Patris, qui loquitur secluso præcepto, quod ipse conatur inducere, licet non solus. Post diligentiam ergo ita formido ex dubio excitata sopitur, vt perinde sit, ac si minimè præcessisset: ad eum modum, quo credulitas leuis & temeraria repellenda est, iuxta id quod ab Innocentio vidimus imperatum.

Circa Indiarum matrimonia difficultas.

186. Tangit autem idem Pater *Disputat. 25. citata nu.41.* difficultatem ad Indos pertinentem occasione resolutionis ab ipso propositæ de neganda facultate petendi debitum etiam post adhibitam diligentiam, dum sibi objcit definitionem Pij V. pro illis, vt dum conuertuntur ad fidem, si facta diligentia non inueniatur prima vxor, maneant cum vltima. Ex eo enim habetur post diligentiam adhibitam posse reddere & petere. Et respondet id esse iuxta dispositionem iuris Canonici in *Cap. Gaudemus*, de diuortijs, statuente vt, si coniuge ad fidem conuerso, alius id renuat, possit in fauorem fidei matrimonium dissolui. Coniux autem in Indijs non comparens censetur nolle conuerti, vnde currit in eo casu dicta dispositio. De hoc dictum à nobis ex professo in Thesauro *Tomo 2.Tit.12.nu.399.* & solutio quidem non improbanda, pro qua & Bossius cum alijs *suprà nu.1942.* Ex qua tamen non exhauritur argumenti difficultas: Si enim ob fauorem fidei facta diligentia soluitur coniugium, & coniux altera permittitur, à qua peti debitum queat, quod est quasi portentum in hoc genere: ergo credibile est stante coniugio, & dubio exorto, neque illius inuenta solutione, posse sic dubitantem debitum petere in fauorem mutuæ charitatis coniugalis, ipsius matrimonij, & ob vitanda scandala, quæ inde oriri possunt, cùm sit illud multò proculdubio minus. Pro quibus hæc sit adnotasse satis, vt ad alia transitum faciamus, satis circa Appendicem, sed non inutiliter, vt æstimo diuagati.

Pius V.

Cap. Gaudemus.

SECTIO II.

De obligatione Regularium soluendi decimas. Vbi de Indijs præsertim.

Sententia pro Ecclesia Indicis obtenta.

187. NOn leui calamo de hoc à nobis in Thesauro disceptatum *Tomo 1.Tit.2. n.44. 56. & seqq. & Tomo 2. Tit.12. n.447. & seqq.* Sed post scripta illa, solicitudo omnium Ecclesiarum Indicarum sententiam sibi fauorabilem à Regio Indiarum Consilio obtenta est, cuius & executio per annos aliquot retardata, tandem imperata est Proregibus, Præsidibus, Auditoribus Cancellariarum, Gubernatoribus Prouinciarum, & inferioribus magistratibus iuxta munerum qualitatem nominatis. Ne autem illa locum haberet, vt aduersantes contendebant, ipsius sententiæ verba in caussa fuerunt: vnde elapso iam à transmissione Regiæ Executoriæ biennio, in sua Religionis possessione perdurant (licet contra Quitenses, vt audio seuerius actum, an verius nescio, vt hoc iudici omnium æternæ relinquam veritati) post acrem controuersiam, & allegationes hinc inde magno elaboratas studio, in quibus & Iura, & Theologia suas symbolas contulerunt: ex quibus hoc loco aliquid exhibendum, quod futuris etiam possit prodesse temporibus, quamuis caussa præsens ante huius operis editionem, vt creditur, sic erit terminanda.

188. Et posse quidem Religiones se opponere executioni ex regia curia scriptum, ob non leues difficultates in illa, viris ita sat doctis attestatis. Vbi & supplicatio interposita in tertia instantia cum mille quingentis duplis, vt vocant, quæ non obstat executioni, in cuius prosecutione non perfunctoriè agitur, magnanimo Serenissimæ Gubernatricis spiritu mouente rotas iudicum animatas, vt non debeat fortunatus exitus desperari. Et quidem dicta in controuersia atque allegationibus multa pro ea occurrunt, quæ indiuiduali velut litigio sunt propria, breui, vt creditur, finiendo, quæ hoc loco non videntur accommoda, vbi communibus instructionibus iuuare multos ingenua ambitione contendimus, vnde illa discutiemus solùm, dubiorum aliquot resolutione subiuncta.

189. Fundamentum contradictionis pro parte Religionum ex ipsius Executoriæ tenore desumitur, cùm in ea dicatur vt soluantur decimæ ex quibusuis prædijs, (hoc enim significatur verbo *Heredades*) & quibusuis ac fructibus decimalibus, qui aut iure, aut iuxta Regia rescripta (Cedulas) aut quauis alia de caussa, aut sunt, aut fuerint, quæque habuerunt, habent, aut habuerint dictæ Religiones & Conuentus. Cùm enim circa ea, ex quibus de iure decimæ à Religiosis debentur, ipso fauente iure, Religiosi priuilegiati in multis inueniantur, meritò inde patrocinium sibi adscisscere possunt, vt non debeat sententia dicta cum ea generalitate intelligi, quam ipsius verba præseferunt. Quod tamen non admittunt Ecclesiæ, & Regius Fiscalis acerrima impugnatione cõnititur, negans circa hoc posse Proreges, Præsides, Auditores, multòque minùs inferiores iudices, quibus est executio commissa, vllatenus arbitrari.

DVBIVM

DVBIVM PRIMVM.

An ex Noualibus in Indijs decimæ Religiosis debeantur.

Concessio pro Noualibus.

190. MAnifesta est circa Noualis significationem, quatenus ad præsentem causſam pertinere potest, Apostolicæ Sedis sententia in *Cap. quid per nouale*, de verborum significatione, in quo sic Innocentius Tertius post adductas alias huius vocis acceptiones: *Nos autem inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd eâ credimus prædecessorum nostrorum intentionem esse, cùm pijs locis indulgentiam de noualibus concesserunt, vt nouale intellexerint agrum de nouo ad cultum redactum, de quo non extat memoria quòd aliquando cultus fuisset.* Sic ille: qui statim de priuilegio circa illa limitationem quamdam adiungit. Ex prædecessoribus autem, qui indulgentiam talem concesserant, Alexander Tertius fuit, qui in Cap. Ex parte 1. de decimis mentionem inducens concessionis prædecessoris alterius, Adriani scilicet, huius nominis secundi, quem tamen alij quartum dicunt, & mihi est verosimilius, sic habet: *Sed prædecessor noster Adrianus Solis Fratribus Cisterciensis Ordinis, & Templarijs, & Hospitalarijs, decimas laborum suorum, quos propriis manibus, vel sumptibus excolunt & de nutrimentia animalium suorum & de hortis suis decimas non persoluant, quem sumus super his imitati. Quare hi, quibus hoc indultum est, hac occasione decimas de alijs rebus Ecclesiasticis non possunt subtrahere, vel sibi aliquid vlterius vindicare.* Sic Alexander: ex quibus & Adriani concessione videtur apertum Religiosos ad noualium decimas non teneri.

Cap. Quid per nouale.

Cap. Ex parte.

Decretalis Innocentij 3. amplius declarata.

191. Sed videtur Innocentius verbis illis, *Quibus hoc indultum est*. Concessionem ad eos tantum adstringere, quibus priuilegium pro huiusmodi fuerit exemptione concessum; alias verba prædicta essent superflua, quod nulla est ratione admittendum. Si autem priuilegium pro ea necessarium est: ergo nihil Alexander concedit, cùm manifestum sit eo posito exceptionem futuram, ita tamen vt sine illo esse non possit, & ita ad vsum priuilegij necessarium esse aliud priuilegium. Sed certè licet textus difficultatis aliquid videatur præ se ferre, ea prorsus cessat expeditissima intelligentia. Exemptionem circa noualia concesserat Adrianus, quam Innocentius imitatur. Iuxta quæ ait eos, quibus hoc indultum est, ab Adriano scilicet, quem imitatus ipse, intra limites se concessionis debere penitus continere. Non ergo nouum priuilegium requirit, sed vsum moderatum indulti præscribit. Illud igitur *Indultum est*, nihil de nouo designat indulto ad vsum necessario, sed prædecessoris concessionem indicat, cui addita confirmatio.

Neque noua Religiosi indigent concessione.

192. Et ita Religiosos sine noua concessione præfato indulto gaudere tenent Communiter Doctores, & nihil de iure communi immutatum post Concilium Lateranense, vt videri potest apud P. Suarium *Tomo 1. de Religione Lib. 1. Cap. 18. nu. 5.* P. Fagundez *circa Quintum Ecclesiæ præceptum Lib. 2. Cap. 3. nu. 10.* Dom. Solorzanum *Tomo 2. Lib. 3. Cap. 21. n. 23.* qui citatum Caput *Ex parte* adducit, Emmanuelem Rodericum *Tomo 2. 99. regular. q. 45. arti. 4. §. de noualibus* qui §. *antecedenti* ait priuilegium hoc sublatum per *Cap. Nuper*, quod nullatenus admittendum, cùm potiùs per illud fuerit comprobatum, dum in eo dicitur: *Decreuimus vt de alienis terris, & amodò acquirendis, etiamsi eas propriis manibus aut sumptibus excolunt decimas persoluant Ecclesijs, quibus antea soluebantur.* Sic Pontifex cum Concilio. Vbi cùm dicitur soluendas decimas de terris, ex quibus antea soluebantur, manifestè innuitur esse aliquas terras, ex quibus non est soluendi obligatio; noales scilicet, & alias, de quibus in citato *Capite ex parte*. Et habet prætereà contra se citatus Pater id quod *citato, §. de noualibus* asserit, Religiones scilicet non debere ex noualibus decimas secundùm præsentem statum, pro quo citat *Cap. Commissum*, eodem Titulo, in quo id innuitur verbis illis: *De terris cultis, in quibus olim domus constructæ fuerant* &c. Est autem Decretalis illa Adriani Innocentio antiquioris. Non ergo ab Innocentio quod ad noualia attinet est derogatum. Citat etiam *Cap. quid per nouale*, quod quidem eiusdem Innocentij est, cuius verba dedimus *n.* 190. vbi cùm concessiones circa noualia prædecessorum approbet, & quomodo sint intelligendæ declaret, nimis quàm apertè mentem suam explicat, vt de reuocatione illarum minimè pertractarit. Viget ergo Cap. *Ex parte*, id quod Bonacina vt certum proponit *Tomo 2. Disput. vltima de Præceptis Ecclesiæ Quæst. 5. Puncto 3. n 7.* & alij quamplures P. Suarium secuti, vt videri potest apud P. Vincentium Tancredi *Tract. 1. de Religione Lib. 2. Disput. 7. Quæst. 1.* P. Quintanamd. *Tomo 2. Tract. 10. Resol. 6. nu. 6.* P. Layman *Lib. 4. Tract. 4. Cap. 3. n. 4.* P. Palaum *Parte 2. Tract. 10. Disput. vnica Puncto 12. nu. 2.* Lezanam *verb. Decima quoad Regulares n. 11. & Tomo 3. in Mari magno* PP. *Prædicatorum n. 77.* apud quem Hieronymus Rodriguez, Tamburinus, Barbosa, & Rota Romana, & Barbosa quidem eumdem Lezanam citans idem tenet *Tomo 2. de iure Ecclesiastico Lib. 3. Cap. 26. §. 3. n. 17.*

Cap. Nuper.

Cap. Commissum.

Cap. Quid per nouale.

Bonacina.

193. Et hoc in regnis Hispaniæ vtpotè Canonico iure conforme statuit Rex Alfonsus *l. 4. tit. 2. part. 1.* vbi cùm iuxta dispositionem. *Cap. Nuper* decernat, limitationem subiungit verbis illis: *Fueras y de aquellas, que comenzaron a labrar nueuamente, derompiendo montes, è arracandolos, è metiendo los in labor.* Sic ibi. Quam determinationem adducit Ioannes Gutierrez *Lib. 1. Canonicar. qq. Cap. 21. nu. 134.* & laudato pro eo Gregorio Lopez in eiusdem legis exornatione. Licèt autem videatur limitatio *Cap. Nuper*, ideò est, quia nonalium concessio non ita ibidem videtur expressa; cùm tamen in eo contentam iam remaneat à nobis demonstratum.

Pro Hispania lex Partita.

Ioannes Gutierrez.

194. Quo non obstante Regius Aduocatus contendit Religiones Indiarum non esse à noualium decimis eximendas, quia generaliter decimæ concessæ sunt nostris Regibus sine vlla limitatione cum onere dotandarum Ecclesiarum, licet eas ipsi Ecclesijs redonauerint. Sed iure semper suo circa easdem reseruato; quod in causſa fuit vt Regium Indiarum Consilium huius negotij ad se cognitionem aduocarit. Cuius executorialis sententia cùm generalis sit, nihilque excipiat, eidem standum. Prætерquam quod si hoc subterfugium noualium admittatur, vix erit momenti

Regij Fiscalis contradictio.

menti alicuius sententia dicta: Religiones enim sua prædia noualia esse contendent, & probabunt, cùm post detectum nouum hunc mundum sint dispositа, & ad cultum illi sint agri ipsorum labore redacti, de quibus non extat memoria quòd aliquando culti fuerint.

Stat concessio pro Indijs.

195. Dico Primò. Religiones Indiarum immunes sunt, secluso quocumque priuilegio, ex vi iuris communis, à præstatione decimarum ex noualibus. Id probo.

Primò ex dictis. Quia cùm ius Canonicum id concedat, non est cur Religiones Indiarum de illarum adeò bene meritæ conuersione, vt historiæ, & rerum ipsarum experientia clamant, ab eo communi debeant beneficio remoueri. Durissimum sanè negotium, vt qui peculiaribus est beneficijs dignus, à communibus, nihil tale meritus, arceatur. Quod de Regum nostrorum pijssimo ac rèligiosissimo genio absit eorum Vassallis fideliſſimis suspicari.

Non obstante sententia Regij Consilij.

196. Secundò. Si propter aliquam rationem essent debitæ, maximè propter eam, quæ à Regio adducitur Aduocato, de omnimoda concessione, iuxta quam etiam executorialis sententia procedit, cum eo, quod additur: Atqui id non obstat: ergo non debentur. Maior constat, & Minor ostenditur: Nam in ipsa sententia exceptio continetur: ergo ex ea parte nihil est quod obstet. Antecedens patet ex adductis *n.* 189. *Aut iure, aut iuxta Regias schedulas, aut quauis alia de causſa.* Et, de iure non debitæ, vt constat: Regiæ schedulæ de hoc nullæ; neque alia est causſa pro huiusmodi obligatione: ergo nihil obstat. Iam quod de sententia ferè inutili futura dicebatur, nullius est momenti. Aut enim verè noualia sunt, prædia dicta, & sic contra ius non est credendum pro latam fuisse sententiam. Aut non sunt tales: & sic ex alio est capite contra illas litigandum. Demus autem sententiam fore inutilem. Quid inde? satis factum est Ecclesiarum importunissimæ contentioni. Si in causſæ conclusione inuentæ sunt minùs habentes, Regium quidem Consilium suo est functum munere: viderint ipsæ quid tandem essent suo molimine obtenturæ. Sic vidimus non semel post longa & strepitu plena litigia, lemurum euasisse diuitias, vt dici meritò posset: *& non est substantia.*

Sententia verba.

Vrgetur ex vi priuilegij contra priuilegium, cum prioris non est facta mentio.

197. Tertiò, Etiamsi in Executoriali sententia non esset exceptio præfata, sed simpliciter statueretur deberi decimas, non ideò essent debitæ: ergo talis sententia non vrget. Assumptum probo: Nam per concessionem priuilegiariam non derogatur priuilegio alterius, nisi de illo fiat mentio: Atqui Religiosi habent priuilegium præfatum: ergo concessione illi non derogatur. Maior quoad priuilegia non inserta in iure est constantissima Doctorum resolutio iuri omnino conformis. *l. Decurionibus Cod. de silentiarijs lib. 12. Cap. 1. de Constitution. in 6.* pro quo videri potest P. Suarez *Lib. 8. de legibus Cap. 15. nu. 8.* vbi & Doctores adducit, quibus addendi Rodericus Suarez *Allegat. 28. n. 9. &* D. Ioannes del Castillo *de Tertijs Regijs Cap. 38. Tomo 7. nu. 24.* Quoad inserta etiam in Corpore iuris, de quibus est quæstio præsens, est expressa sententia Panormitani *in Cap. 1. de Rescriptis.* Et licet sint qui contra sentiant, cùm de priuilegijs huiusmodi eadem sit ratio, quæ de iure ipso, cui derogatur, nulla etiam de eo facta mentione: sic tamen id accipiendum censent, vt si priuilegium possit effectum vel vtilitatem habere sine derogatione iuris communis, non habeat vim ad derogandum illi, nisi hanc extensionem expresse ac formaliter contineat. Hoc iuxta mentem omnium probat P. Suarez *supra n. 4. ex Cap. In his Cap. Patentibus. Cap. vt priuilegia*, de priuilegijs. Quod intelligendum ait de effectu & vtilitate sufficientibus ad explendam proprietatem verborum priuilegij, quia hæc semper attendenda est & seruanda, ex obuijs Textibus *eodem Titulo.* Exemplum adhibet in priuilegio ad commutanda vota, quod intelligitur inæquale, neque extendi ad inæquale potest, quia talis commutatio est iuri contraria. Idem ergo de priuilegio iuri inserto dicendum, quia eadem illius ac iuris ipsius ratio est. Ex quo pro causſa nostra euidens ducitur argumentum. Nam seruata proprietate verborum in priuilegio Regibus nostris concesso leuandi decimas, est in eo sufficiens vtilitas, & effectus eisdem verbis correspondens, cùm possint ratione illius eas leuare ab omnibus laicis & Clericis prædia habentibus minimè priuilegiata absque eo quòd circa Religiosorum noualia exactionem iure interdictam exerceant: ergo dum mentio de tali priuilegio in concessione non extat (& non extare est manifestum) ad illas nullatenus se extendit.

P. Suarez.

Exemplum de priuilegio ad commutanda vota.

L. Decurionibus. Cap. 1. de Constit.

Etiam de inseritis in Corpore Iuris.

198. Confirmari potest ex receptissima alia doctrina apud P. Suarium *supra Cap. 29. n. 17.* vbi circa regulam illam, priuilegium, scilicet fauorabile simpliciter, extendendum esse subdit, id procedere contra concedentem: *nam respectu aliorum restringenda sunt verba, vt præiudicium aliorum caueatur*: quod & textibus & Auctoribus exornat Ioannes Gutierrez *citato Cap. 21. nu. 121.* & de decimis agentes alij, quibus cum Lezana *verb. Decima quoad Regulares nu. 6.* Cuius ratio esse potest: nam quatenus præiudicium aliorum concernit est odiosum, vt ex terminis ipsis constat: est namque præiudicium, seu grauamen inducens. Vbi clara est pro casu disceptationis præsentis applicatio. Nam vt demus fauorabile esse priuilegium Regibus concessum, quia pro amplificatione Christianæ Religionis; si tamen priuilegia Religiosorum neutiquàm expressa perrumpit, præiudiciale esse incipit & odiosum, pro quo videndus P. Suarez *Lib. 1. de Religione Cap. 18. n. 6.* nec cauetur quod regula dicta præscribit: cum tamen caueri iure optimo possit, sálua verborum proprietate.

Regula iuris.

199. Tandem arguo ex Textu non obuio apud Auctores recentes de hac materia tractantes, qui habetur in *Cap. Consultationi*. De priuilegijs, vbi sic Gregorius Nonus: *Consultationi vestræ breuiter respondemus quòd terra, de qua non extat memoria quòd aliquando culta fuisset, redacta per Religiosos viros nouiter ad culturam, perpetuo debet quoad immunitatem de non soluendis decimis noualium iure censeri. Cùm aliàs nonnumquàm contingeret indulgentiam de noualibus plus eis dispendij quàm vtilitatis afferre.* Sic ille, vbi aliqua obseruanda. *Primum.* Religiosos, quorum opera redacta est ad culturam, de fructu sui laboris fuisse solicitos, an scilicet priuilegio noualium semper esset fruitura: si enim non ita contingeret, ab huiusmodi labore satiùs

Cap. Consultationi singulari obseruatione in fauorem sententiæ propositæ proponitur, & illustratur.

latiùs ducterent temperare. Ideò Pontificem consuluerunt, qui de perpetua immunitate securos eos, alioſque pariter laborantes reddidit. Debet ergo ſtare talis immunitas, dum expreſsè non aboletur; aliàs non ſtabit quæ pro Religioſorum bono, & communi vtilitate, in quam ſemper religioſorum prædiorum cultura reſultat, promiſſa ſecuritas. *Secundum*, valde durum Religioſis futurum, ſi id quod ſpe immunitatis elaboratum ab ipſis, magnis curis, ſudoribus, & expenſis, minus vtile, ſublata immunitate reddatur. Quod quidem attendens Pontifex, immunitatem perpetuam pollicetur. Hoc ergo, quod adeò durum eſt, quomodo credibile fuerit non attendiſſe Pontifices, cùm priuilegium decimale noſtris Regibus indulſerunt. Vbi maximè attendendum eſt, ob neceſſitatem maiorem in terris nouis ad ſuſtentationem, & nauatam ſtrenuè operam conuerſioni. *Tertium*, rationem illam à Pontifice redditam ſingulari eſſe conſideratione digniſſimam. *Cum* aliàs nonnumquàm contingeret indulgentiam de noualibus plus diſpendij, quàm vtilitatis afferre. Circa quæ Gloſſa. *Puta per magnas expenſas, quas facerent in reducendo terram illam inutilem ad culturam*, ſpe ſcilicet perpetuæ indulgentiæ. Non equidem ſic ſemper accideret, ſed quia aliquando accidere poterat, immunitatem perpetuam fore decernit Pontifex. Adeò enim piè & benignè erga Religioſos agendum putat, vt vel rarum grauamen auertendum velit indulgentia continuata. Non ergo aliter de Alexandro VI. exiſtimandum. Tandem, iuxta Gloſſam, *hæc videbatur fortè dubitatio, ſi poſt longa tempora, quæ ſufficerent ad præſcriptionem Canonicam debet talis terra dici nouale, vt poſtea cenſeretur iure communi cum alijs, vt decimæ poſtea ſoluerentur: quod hic determinatur.* Iuxta quæ iuuat etiam vrgere. Si enim præſcriptio, quæ tanti ponderis eſt, vt contra ius, decimandi prævaleat, de quo Doctores apud citatum Ioannem Gutierez *Capite illo* 21. *nu.* 59. non poteſt noualis prærogatiuam obruere: ergo neque generalis conceſſio, quæ optimè ſtare cum prædicta immunitatis prærogatiua poteſt. Si enim in fauorem præſcriptionis nequit Pontificis voluntas allegari, cur non & in generali conceſſione, quæ limitationes ſolet habere complures, ſimiliter faciendum?

In Indijs priuilegia rem faciunt omnino certam.

200. Dico Secundo. Attentis priuilegijs Religionum, certo certius eſt Religiones Indiarum ex noualibus decimas non debere: Priuilegia quidem omnium ampliſſima Societatis ſunt. An aliæ Religiones ciſdem gaudeant beneficio communicationis à Sede Apoſtolica conceſſæ incertum eſt, aſſerente id Lezana *ſupra n.* 8. & P. Pellizario *Tract.* 8. *Cap.* 7. *n.* 170. Sed contrarium ſæpiùs iudicante Rota, & negantibus alijs, quibuſcum P. Vincentius Tancredi *citata Diſput.* 7. *n.* 7. Diana cum alijs *Parte* 10. *Tract.* 12. *Reſolut.* 49. & Barboſa *de officio Parochi Cap.* 28. §. 3. *nu.* 41. alios adducens, *& Tomo* 6. *circa Cap. Nuper.* Vbi & plures congerit: de quo à nobis dictum alibi. Et affirmatiua quidem ſententia quoad forum interius iuuare poterit; cùm de fauore in externo ſpes ſatis lubrica tantùm eſſe poſſit. Etenim quæ ad decimas Religioſorum ſpectant parùm benignis oculis in tribunalibus inſpiciuntur, ſua tamen ſit laus DD. Sacræ Rotæ Auditoribus, qui pro Sanctitate benigniſſimè, ſed æquiſſimè ſemper pronuntiarunt, vt videri poteſt *in Deciſionibus* apud Dianam *Parte* 6. & 9. & apud P. Pellizarium *citato Cap.* 8. *n.* 7. 55. & 170. & apud P. Tancredi *citato n.* 7. *alij ſique.*

In terris decimalibus numquam fuerunt illem oſtenditur.

201. Dico Tertiò. Terræ, quæ numquàm decimales fuerunt, quia à Gentilibus poſſeſſæ, etiamſi iam pridem cultæ, in Religionum dominium aduocatæ iure legitimo, Regia ſcilicet donatione, aut compoſitione, pro noualibus habendæ. Colligitur ex P. Suario *citato lib.* 1. *de Religione, Cap.* 19. *nu.* 2. Quod probo ex *Cap. Nuper* cuius verba dedi *n.* 192. Clariſſima illa: *Decimas ſoluant Eccleſijs, quibus antea ſoluebantur.* Ex quibus illatio manifeſta deducitur. Ergo non ſunt ſoluendæ Eccleſijs, quibus numquàm ſunt ſolutæ. Conſtat etiam ex ratione decidendi ibi: *Ne occaſione priuilegiorum ſuorum Eccleſiæ vlteriùs prægrauentur.* Euidens enim eſt ex hoc non grauandas Eccleſias, quibus nihil ademptum; immò ſubleuandas: tum quia Religioſi congruam ſuſtentationem habentes minùs erunt fidelibus oneroſi, vnde plus habebunt, quo poſſint Eccleſijs ſubuenire. Tum etiam quia abundabunt fructus, & ſic minori pretio ſtabunt, quod in bonum redundat Eccleſiarum, ſiue in ijs, quæ ad ipſarum vſum neceſſaria ſunt, ſiue etiam miniſtrorum. Tum denique quia Religioſi minùs circa alimenta diſtracti, ad iuuandos Eccleſiæ Paſtores expeditiùs attendent, præſertim Mendicantes, eum aſſecuti finem, propter quem inſtituti, & ab Apoſtolica Sede ſingularibus priuilegijs decorati.

Limitatio pro laicis, in Rege non videtur locum habere.

202. Poteſt tamen contra præcipuam reſolutionem obijci. Nam licet communis ſententia ſit priuilegium laicis conceſſum non extendi ad noualia, ex *Cap. Tua* §. *finali*, de decimis, vbi inquit Textus, quòd in talibus licentia non eſt extendenda, ſed potiùs reſtringenda, quod & ſtatuit lex *Regia* 33. *Tit.* 20. *Dentita* 1. *verſ. Mas no valdria.* Quod allegato Gregorio Lopez, & Hoſtienſi tradit Ioannes Gutierrez *ſupra nu.* 27. Hoc tamen limitatur iuxta eumdem cum Antonio de Butrio, Abbate, & Decano, quando conceſſum eſt ius decimandi in vniuerſo aliquo territorio, vel in aliqua villa. Item quando præter decimam etiam ius decimandi conceſſum reperitur. Ex quo argui poteſt: Nam Regibus noſtris conceſſum eſt ius decimandi in vniuerſo Indico territorio; nec tantùm decima, ſed ius etiam decimandi reperitur conceſſum: ergo ad noualia ſe extendit.

Cap. Tua.

Lex Regia.

Sed habent oſtenditur.

203. Verùm hoc non vrget, & in primis ſententia communis deciſioni iuris innixa pro nobis facit, quatenus conceſſio decimarum laicis eſt facta Principibus. Limitationes autem dictæ non procedunt de noualibus Religioſorum à iure priuilegiatis. Sed de alijs, vt demus illis non ſolùm decimas, ſed & ius decimandi conceſſum. Stat enim ſtabilita doctrina de neceſſaria mentione vt priuilegio derogatum debeat reputari. Et hæc ſententia eſt Panormitani, vt vidimus *nu.* 197. vnde cùm à Ioanne Gutierrez adducitur pro dicta limitatione communi nomine Abbatis, non eſt credendus ſibi contrarius, ſicut neque alia, ſed iuxta datam explicationem conformanda doctrina. Neque limitationes illæ adeò firmum fundamentum habent, vt non poſſint improbari, vnde citati

Quid Territorium.

citati alij Doctores eas non adducunt. Addo id quod de territorio dicitur, ineptè ad totum Indicum orbem extendi, cùm mens ſic loquentium valde diuerſa ſit, vt conſtat ex eò quòd territorium Villæ coniungitur: vndè tantùm indicatur Parochiale ſpatium, quod territorium dici ſolet, vt videri poteſt apud P. Suarium *ſupra* Cap. 21. n. 4. *Vt prædia omnia ſeu terræ ſitæ in Territorio vniuſcuiuſq; Parochialis Eccleſiæ illi applicarentur, vt illi ſoluerentur decimæ ex omnibus illis terris*, &c. Vt territorium videatur complexio terrarum vni alicui ſubiacentium cum peculiari ab alijs diſtinctione. A quo non abit Pomponius, iuxta quem territorium eſt *vniuerſitas agrorum intra fines cuiuſque ciuitatis.* Alij aliter originationem nominis deducunt, ſed omnes in id reipſa conueniunt, quod eſt à nobis declaratum. Et quod de conceſſione iuris decimandi ab Auctoribus illis dicitur prout à conceſſione nuda decimæ diuerſum affirmant, cum eo eſt, quod de territorio aſſerunt, componendum: vt ſcilicet ius ſit in territorio aliquo, pago, fundo, villa &c. Cuius ratio eſſe poteſt, quia plus aliquid videtur conceſſio talis iuris importare, vnde ad noualia debet extendi. Quantum autem diſcrimen iſtud ita explicatum habeat fundamentum, facilè poterit eruditus quiſque diſpicere: cùm facilis ſit diſcriminis talis ratio ſine huiuſmodi extenſione: conceſſio enim iuris alios parit effectus, pro quibus videri poteſt P. Suarez *ſupra Cap.* 26. & 27. Vbi cum multis Auctoribus, & Canonici iuris Deciſionibus probat ius proprium decimandi non poſſe laicis concedi, quidquid de fructibus decimalibus ſit: pro quo & Bonacina, Diſput. citata Quæſt. 5. Puncto 5. n. 6.

Pomponius.

P. Suarez.

Obiectio ex Cap. Quid per nouale.

204. Erit etiam fortè qui obijciat citatum *Cap. Quid per nouale*, in quo poſt adducta verba reſolutioni noſtræ fauentia ita ſubditur: *ſed nec de quolibet tali nouali credimus eis indulgentiam fore conceſſam, niſi de illo dumtaxat, cuius decimam religioſos poteſt conuentus abſque graui detrimento Parochialis Eccleſiæ detinere: cùm talis ſit ſæpè locus incultus, de quo Parochialis Eccleſia magnos percipit decimarum ratione prouentus.* Sic ibi. Vbi difficilis apparet intellectus Pontificiæ deciſionis: quòd ſcilicet nouale aliquid ſit, & nihilominùs Eccleſia ex illo magnos potuerit percipere decimarum ratione prouentus. Ex inculto enim decimæ ſolui non poterant, vel ſi ſoluebantur, quomodo nouale? Si dicas ſiluam eſſe potuiſſe, in qua arbores fructuum ignobiliorum, vt glandium, ſimiliumque, ex quibus decima debet ſolui, quibus & abſciſſis, ac proſciſſa terra, ager ſit redditus nobiliorum fructuum ferax; occurritur ex communi ſententia, iuxta quam decimæ talium frugum ad eumdem ſpectent, ad quem priores illæ: pro quo videri poteſt Ioannes Gutierrez *citato Cap.* 21. *n.* 92. & *ſeqq.* & eſt textus irrefragabilis in *Cap. Commiſſum*, de decimis, vbi ſic habetur: *& ſicut etiam de paſcuis olim decimæ perſoluebantur, ita nunc de eiſdem ad frugum fertilitatem tranſlatis decimas volumus abſque diminutione perſolui.* Ita Adrianus ſecundus: vbi Gloſſa *verb. Paſcuis* ſic ait: *Illa dicuntur noualia, quorum non extat memoria quòd culta fuiſſent, & quæ prius erant quaſi inutilia, vt montana, paludes; vnde Paræcialis Eccleſia nihil ante percipiebat, vel ità modicum, quòd ſine læſione poterat amittere illud: & ita illa paſcua non erant prius inutilia, vel arca, ſiue domus, vnde non deberent dici noualia, per Cap. Quid per nouale.* Hæc Gloſſa. Quidquid autem de hoc ſit, id videtur extra dubium, non eſſe locum priuilegio noualium, quando ex eo Eccleſiæ prægrauantur: quæ quidem iuratiſſima Eccleſiarum querela eſt in negotio generaliter decimarum: vnde videtur priuilegio non futurus locus, ſi earum voces armatæ iuribus & Doctoribus inualeſcant.

Cap. Commiſſum.

Quid Nouale.

Gloſſa.

Explicatum dictum Cap. Quid per nouale.

205. Ad hæc reſpondeo locum incultum eſſe poſſe, & nihilominùs decimalem, talemque, qualis in Textu deſcribitur: & adducta efficaciter euincunt genus huiuſmodi noualium non eſſe à Religioſis ſine onere decimarum aſſumendum: quod & apertè habetur in *Cap. Dudum* de deci- *Cap. Dudum.* mis, & videri pro eo poteſt P. Suarez *Cap.* 19. *n.* 3. In Indijs autem nulla ſunt talia, ſi de ijs agamus, quæ cùm omninò indecimabiles ſub Gentilitate eſſent, Religioſorum ſumptibus aut labore cœperunt talis fieri conditionis. Si verò terræ aliquæ iam in Hiſpanorum poteſtate conſtitutæ, & ad cultum non redactæ, tales inueniantur, vt magnos inde Eccleſiæ recipiant decimarum ratione prouentus, deciſio præfata eiſdem ſuffragabitur, ſi fuerint ad culturam religioſa induſtria redactæ. Sed neque huius generis aliqua ſunt, ſi de ſiluis agamus aut montibus, ex ijs enim nihil ſolui ſolitum. In campeſtribus autem fortè aliquid, quod vrgere videatur, occurret, ſed rariſſimum, & circa illud obſeruandum: non quoſlibet Eccleſiæ prouentus priuilegio obſtare, ſed magnos. Et difficile erit in talibus euentibus deprehendere præiudicij qualitatem, quia ij qui emolumento priuantur aliquo, proni ſunt ad querelas, & præiudicium ſupra rei veritatem exaggerant. Vnde vt priuilegio locus negandus ſit, iudex eſt incorruptiſſimus adeundus, qui de læſionis enormitate pronuntiet: & generaliter recurrendum eſſe ad Pontificem bene obſeruat P. Suarez *ſupra Cap.* 24. *n.* 2. cum Panormitano. P. Palaus *citata Diſp. Puncto* 13. *n.* 1. & alij, tamquàm ad priuilegij auctorem. Sed quid in Indijs, vbi hîc negatus recurſus, & tota decimarum cauſſa per miniſtros Regios agitatur? Succumbendum neceſſitati, & orandus Deus, vt cum ſpiritu ſapientiæ & conſilij, à quo ipſis nomen, dicuntur enim Conſiliarij, ſpiritum pariter conferat pietatis.

P. Suarez.

P. Palaus.

DVBIVM SECVNDVM.

De hortis, & nutrimentis animalium, an eadem quæ de noualibus ratio apud Indicos Regulares.

Cap. Ex parte.

206. SAtis id videtur perſpicuum ex citato *Cap. Ex parte* 1. *nu.* 190. *& de nutrimentis animalium ſuorum, & de hortis ſuis decimas non perſoluant.* Cùm enim eôdem tenore verborum ab eôdem Pontifice ſit orta conceſſio, non videtur circa illam poſſe dubitari. Pro quo & extat alia Paſchalis Quarti 16. *q.* 1. vbi ſic ait: *Ceterùm à Monachis, ſiue Clericis communiter viuentibus nulla ratio ſinit vt milites, aut Epiſcopi, aut perſonæ quælibet decimas de laboribus ſeu nutrimentis ſuis proprijs extorquere debeant. Vnde Beatus Gregorius ſic ait:*

Varia conceſſiones pro illis.

Paſchalis Pontifex.

(lib.2.Epist.31.seu Cap.31.) *Communi vita viuentibus iam de faciendis portionibus, vel exhibenda hospitalitate, vel adimplenda misericordia nobis quid erit loquendum, cùm omne quod superest, in caußis pijs ac religiosis erogandum sit, dicente Domino: Quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis? Lucæ* 11. Sic Pontifex. Vbi illud *De laboribus* iuxta Glossam accipiendum *de prædijs, quæ suis sumptibus excolant.* In quo. Si ad huc vigeat concessio, magna est, & dignissima sanè Pontificiæ indulgentia largitatis, iuncta ratione ex Diui Gregorij subtili ac prouida consideratione. Si enim Religiosorum labores in id tendunt, vt necessaria sustentationi prouideant, sine quibus actum de obseruantia fuerit: & si quid supersit, in eleemosynas expendendum; non sunt equidem ad contributiones aliorum perurgendi, vt extorqueatur id, quod in aliorum manus veniens, in similes debet pios vsus impendi? Salua tamen futura semper Pontificia dispositio, vt eidem deferre Religiosi debeant, etiam si cogantur penuria incommodante iciunare; nam iuxta vulgare proloquium, *satis ieiunat qui malè comedit.*

Glossa.

Cap. Ex parte.

207. Et quod Glossa de prædijs affirmat, tenent etiam Turrecremata & alij, quod & satis probabile iudicat P. Suarez *Cap.18.n.3.* Nam illud *de nutrimentis suis propriis*, videtur ad prædiales extendi: non enim est verbum prioris synonimum, sed ampliat illud ad omnes labores, qui ad nutrimentum proprium ordinantur: huiusmodi autem sunt, animalium, quibus nutrimur, educatio, proprij agri & horti cultura. Sed certè vt de nutrimentis, & hortis sit certum fauere Textum, de prædijs adducta probabilitas parùm potest esse proficua, cùm de restrictione circa dicta ex *Cap. Nuper* constare videatur: immò & ante illud ex Cap. *Ex parte* 1. ibi enim Alexander Tertius sic ait: *Sanè nolumus latere quòd prædecessores nostri ferè omnibus Religiosis decimas laborum suorum concesserunt &c.* Hos autem fuisse Paschalem & Gregorium, de quibus in citato *Cap. decimas*, obseruat Glossa. Præfatam autem concessionem restringit Alexander decisione subiuncta, de qua *nu.* 190. Iuxta tenorem autem restrictionis huiusmodi habemus vt quod Paschalis *de nutrimentis suis propriis* dixit, de animalium nutrimentis debeat intelligi, & de hortis, quos ad proprium etiam nutrimentum soliti sunt excolere Religiosi. Vnde quod Alensis, Sylvester, & Angelus dixerunt, & alij apud P. Suarium *supra*, dictum scilicet *Cap. Decimas* intelligendum de personalibus, ex laboribus scilicet, dum in sudore vultus sui vescantur pane suo, probabile quidem est, sed minùs verosimile, vnde licebit illis ea se opinione tueri.

Pro laboribus etiam prædialibus.

Alexander Tertius.

Cap. Cùm dicat.

208. Simile priuilegium concessum est leprosis in communi viuentibus, vt habetur in *Cap. Cùm dicat* 2. de Ecclesijs ædificandis, ibi: *Statuimus etiam vt de hortis, & nutrimentis animalium suorum decimas tribuere non cogantur.* Hoc autem multò magis intelligi concessum Monachis & Clericis in communi, religiosè inquam viuentibus, affirmat P. Suarez *supra nu.*4. Quod quidem difficultate aliqua non caret, si aliunde Religiosi simile priuilegium non haberent, cùm priuilegiũ non extendatur de persona ad personã, & in leprosis esse ratio specialis potuit pro concessione præfata, eorum scilicet miseranda conditio. Vnde illud, *Quod illis ex pietate conceditur.* Et est simile in Hospitalibus, quæ ad decimas non teneri boni scriptores asserunt, ex quibus P. Fagundez *lib.2. Cap.3. nu.12.* impugnatus licet à P. Vincentio Tancredi *Disput.7.nu.4.* vbi & alios adducit. Et quidem pro Indorum Hospitalibus posset meritò opinio talis admitti, quibus fauendis & fouendis per vias licitas, eorum magna necessitas animos debet fidelium permouere. Estque pro eo peculiaris alia ratio. Nam Reges nostri Hospitalibus dictis nouenorum ex decimali grossa ipsis debitorum, portionem satis pro aliquibus copiosam assignarunt. Cùm ergo decimæ in eorum Hospitalia refundendæ veniant, æquissimum sanè videtur, vt Hospitalia ipsa à decimali onere debeant exempta censeri. Hoc autem quod de Hospitalibus, & alijs pijs locis, iuxta opinionem dictam verum habet, in Religionibus secus accidit grauatis in *Cap. Nuper*, vt simile aliquid in casu, de quo est sermo nequeat affirmari. Nihilominùs assertio P. Suarij potest iuridico fundamento probari ex *Cap.* in quam *ex parte el.*3. de decimis, in quo concessa exemptione de laboribus terræ, concessa pariter censenda noualia Innocentius Tertius pronuntiat verbis illis: *Cùm tibi quod maius est fit concessum &c. Quia vbi maius conceditur, minus concessum esse videtur.* Cùm ergo Religiosis multò maiora concessa sint, de minori illa leprosis facta concessione nequit verosimiliter dubitari. Et licet in casu, de quo est sermo, sit extensio de persona ad personam, qualis non est in casu, de quo in Cap. *Ex parte* dudum citato, id non vrget; nam & extensio fieri de persona ad personam potest, quando ratio ab auctore priuilegij reddita extensionem admittit, quia est vniuersalis, & aliunde etiam in fauorem religionis, vt hîc contingit: Priuilegium enim dictum Abbati S. Columbæ Senonensi concessum est; & cùm in exordio dictum fuisset, *Cùm tibi quod maius est, &c.* cõclusio vniuersalem rationem habet, *Quia vbi maius conceditur* &c.

Pro leprosis an Religioni communis.

P.Suarez.

P. Fagundez.

De Hospitalibus Indiarum circa decimas.

Cap. Ex parte el.1.

209. Quid autem nomine hortorum veniat, non magna scribentium diuersitate contenditur, cùm de huius nominis significatione videatur constare. Etenim hortus (siue Ortus, vt alij volunt, idque etymologiæ conformius) locus est arboribus & oleribus consitus, in quo scilicet arborum fructiferarum fructus, sicut & plantarum aliarum, ac florum pariter varietates oriuntur: siue hoc sit intra vrbes, siue extra illas. Sic sponsus *Cant.4.v.12. & seqq.* Sponsam allocutus: *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emißiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus, Cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula & cinnamomum cum vniuersis lignis Libani, myrrha & aloe cum omnibus primis vnguentis.* Quòd autem extra vrbem esse possint, vt experientia deficeret, testatur Salomon citato in Cantico *Cap.5.v.1. & cap.6.v.1. &* 10. in quo sic habet: *Descendi in hortum meum, vt viderem poma conuallium, & inspicerem si floruisset vinea, & germinassent mala punica.* In horto ergo esse & vinea potest, vel saltim ille adeò capax, vt vinea in eo plantari possit. Hinc petitio illa Achab multiplicium origo tragædiarum Naboth allocuti: *Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum. Reg.3.v.2.*

Quid hortus in ordine ad decimas.

Cap.4.v.12

Cap.6.v.10

Reg.3.v.2

210. Iuxta

Lezana.

Quid virgulta.

Machab.1. 4.v.38.

P.Gaspar Sancius.

210. Iuxta quæ videtur locum habere posse id quod habet Lezana *in Marì magno PP. Prædicatorum nu.75. & 76.* de priuilegio loquens eisdem Patribus concesso vt de virgultis & hortis decimas non soluant: ait hortorum nomine intelligi etiam vineas, oliueta, & similia. Quod videtur intelligendum de vineis & oliuetis intra hortorum conclusis circuitum: sicut enim hortus vineæ capax esse potest, ita & oliueti, & sic passim in hoc pago Limensi videmus. Et idem de virgultis dicendum, si ita esse contingat in hortis, & verum sit, vt ipse ex Calepino docet *virgulta esse multitudinem virgarum.* Sed certè eo nomine aliquid magis speciale, & ad hortos non pertinens, necessariò intelligendum; si enim ad hortos spectaret, non erat opus illud expressisse: & aliquid certè momenti alicuius, vt dignum fuerit Pontificia concessione. Videtur ergo virgultorum nomine designari syluam aliquam cæduam virgarum maiusculatum, ex quibus aliqui possint haberi prouentus. Pro quo est locus opportunus *Machab.* 1. *Cap.* 4. *v.* 38. *& viderunt sanctificationem desertam, & altare profanatum, & portas exustas, & in atrijs virgulta nata sicut in saltu, vel in montibus.* Quod venerabilis Pater Gaspar Sancius sua sic solita elegantia, & opportunè in caussam præsentem, exornauit: *Ex hac hominum solitudine, sacrique ministerij sublata frequentia, Ortum est vt atria agresti frutice efferata sylueſcerent.* Et inferius? *Vt syluam putes, & pecudum pascua, non religionis domicilium &c.* Iuxta hæc priuilegium prædictum poterit esse proficuum, licet locus incultus, iuxta id, quod ex *Cap. Quid nouale*, dictum *n.*205.

Quid nutrimenta animalium.

211. Iam circa nutrimenta animalium aliquod inter Scriptores discrimen occurrit. Nonnulli enim de pascuis eorum intelligunt: Sed communis sententia de animalibus ipsis, id quod in priuilegijs est PP. Carmelitarum expressum, vt videri potest in Lezana *num.* 106. & in Iure nostro Hispano *l.4. tit.* 20. *part.1. E otro si no deben dar diezmo de las guardas, que huuieren, ni de los ganados que criaren.* Pro quo & Pater Quintanad. *Tomo* 2. *Tractat.* 10. *singulari* 6. *nium.* 6. adducit Petrum Gregorium, Butrium, Rebuffum, Monetam, & Rotam Romanam in vna Conchensi, decimarum 23. *Iunij* 1624. coràm Manzanedo, vbi concluditur dispositionem *Cap. Nuper* solùm procedere de decimis prædialibus, & non gregum. Videndus etiam Barbosa de *Officio Parochi Cap.* 28. §. 3. *num.* 46. vbi & alios congerit. Quod autem Rebuffus & Moneta dixerunt oportere ad vsum priuilegij animalia vespere ad Monasteria reduci, solido fundamento caret, vnde nullatenus admittendum, & ita lex Regia de eo nihil, sicut nec priuilegium ipsum. Idem colligitur ex P. Suario *citato Cap.* 18. *num.* 4. P. Fagundez *supra num.*9. Tenet etiam Leander à Sacramento *Parte* 3. *Tractat.* 6. *Disputat.* 6. *Quæst.* 32. quamplures allegans, P. Escobar de Mendoza *Tractat.* 46. *num.* 194. Emmanuel Rodericus *Tomo* 2. *qq. regular. q.* 45. *arti.* 4. *vers. Quartum tempus*, vbi adducit Glossam *in Clement.* 1. *de decimis verb. Animalibus.* Fauet etiam Clementina ipsa ibi:

Lex regni.

Rota Romana.

seu qui de animalibus familiarium & pastorum suorum, vel aliorum etiam animalia ipsa eorum gregibus immiscentium &c. Vbi animalia propria supponuntur exempta: *sic enim adaptantur fraudes*, de quibus ibidem, vt Glossa obseruat. iuxta præfata autem.

Clementina 1. de decimis.

212. Dico Primò. De hortis non debentur decimæ à Religiosis ex dispositione iuris communis, siue intra Monasteria, siue extra illa habeantur; siue vnus sit, siue plures. Constat ex dictis, & est pro eo *l.4. tit.*20. *part.*1.

De Hortis non debitis.

Dico Secundò. Ex ijs, quæ in hortis habentur, etiamsi ampliſſimi illi sint, ex quibus tamen deberentur decimæ, si extra illos haberentur, illæ non debentur. Probatio desumenda ex dictis *num.* 209. & 210. Adde etiam si vendant aliqua: quod esse licitum probat P. Escobar *supra num.* 211. & 212. post Leandrum *supra Quæst.* 50. Et alios ab eodem adductos.

Ampliatio etiamsi magni.

Dico Tertiò. Ex animalium gregibus, quæ Religiosi pro nutrimento proprio nutriunt, non debentur decimæ. Patet ex dictis *num. præcedenti.* Ex eo autem quod iuxta Clementinam greges dicuntur, non obscurè apparet plura esse dicta animalia posse, nec ad paucas oues aut capras arctandam concessionem. Certè cùm esse Monasteria aut Collegia sat numerosa possint, iuxta eorum necessitates gregum est copia regulanda: sunt enim in Indijs aliqua, quibus opus sit plusquam duobus arietum millibus, & valde plus, etiam si ordinaria fercula sint satis moderata.

Neque ex animalium gregibus, ex quibus nutrimentum.

313. Dico Quartò. Si greges ita numerosi sint, vt emolumenta inde non exigua Religiosi percipiant vltra proprium nutrimentum; ex illis iuxta ius commune, decimæ persoluendæ. Id constat, quia ex gregibus iuxta ius commune debentur decimæ, vt patet *ex Cap. Non est*, de decimis. Et ex *Clementina citata.* Ergo sine speciali priuilegio nullus ab obligatione tali est eximendus: Atqui priuilegium circa hoc concessum solummodò de animalibus ad proprium Religiosorum vsum disponit: ergo quod excedit decimali oneri subiacebit.

Secus, si vltra nutrimentum.

Cap. Non est.

Dixi, *vt emolumenta inde momenti non exigui Religiosi habeant*, ad scrupulos submouendos. Cùm enim numerus pro sustentatione necessarius nequeat ad vnguem definiri, magnæ esset molestiæ id solicitiùs accurare: vnde non est credendum voluisse Pontifices cum eo onere gratiam concessionis exhibere. Si ergo supersit aliquid, & vendatur, aut permutatur, pro soluenda mercede pastoribus, nullum inde conscientiæ grauamen. Sicut de negotiatione Ecclesiasticis prohibita graues Scriptores sentiunt, vt scilicet quæ ex ordinaria prouisione supersunt, sine fraude priùs empta, vendi etiam immutata possint, de quibus in *Thesauro Tomo* 1. *Tit.*8. *n.*152. & 174. & *in Additionibus n.*130. Fauet etiam *Cap. Quid per* nouale citatum, iuxta quod paruum detrimentum Ecclesiæ pro nullo reputatur, solo graui attento, ex magnis prouentibus, pro quo benè id arguit Glossa *verb. Magnas.* Iuxta quod etiam in *Summario Capitis.* Leander tamen sine limitatione licitam asserit

Si magna inde emolumenta.

venditionem §. *Nec obstat.* Et prædicta omnia admittenda in Indijs nulla est quæ impediat ratio, in quibus & est peculiaris illa, quòd consuetudine est introductum, vt ex hortis neque laici decimas soluere teneantur: quamuis ex oliuetis, vbi illa sunt magna, secus id habeat.

DVBIVM TERTIVM.

Quid de prædijs dotalibus, & fundamentalibus, iuxta commune ius, & Indiarum.

Ex dotalibus deberi contenditur

214. CIrca hoc grauior habita concertatio, præsertim ex parte Societatis, quia eius Collegia fundamentalibus sunt dotata prædijs, siue dotalibus fundata, id quod in Religionibus alijs non ita euenit: cùm enim ex altario viuere possint, quia & altario deseruiunt, non ita prædialibus dotibus videntur indigere: quamuis reuera decursu temporum excrescente Religiosorum numero, minimè illis altaris subsidia sufficiant. Et Regius quidem fisci Patronus validè obsistit cuicumque priuilegio pro parte Religionum allegabili: tum quia exauctorialis sententia excludit omnia, tum etiam quia nulla esse talia in Iure contendit, cui fauent Couarrubias *variarum Lib.* 1. *Cap.* 17. *num.* 8. *vers. Secundò*, P. Azor *Tomo* 1. *Lib.* 7. *Cap.* 24. *Quæs.* 5. P. Reginaldus *Lib.* 19. *n.* 88. Bellitus *Disquisitionum Clericalium Parte* 1. *Titulo de Clerico debitore* §. 12. *nu.* 36. Rebuffus *de decimis. Quæst.* 5. *n.* 19. & 20. Moneta *de decimis Cap.* 5. *n.* 7. P. Lessius *Lib.* 2. *Cap.* 39. *n.* 23. Barbosa *in Collectaneis Lib.* 3. *Tit.* 30. *Cap.* 2. *n.* 4. & ante eos Panormitanus in *Cap. Nuper* n. 6. & ille quidem magis in terminis quæstionis præsentis est locutus, de dote scilicet pro Monasterio fundando, cùm alij de Ecclesia & Clericis in eadem beneficiatis ferè loquantur.

Qui pro eo auctores.

D. Thom Qui secus sentiant. Glossa.

215. Sed sunt qui secus sentiant graues etiam Scriptores, quorum agmen ducit D. Thomas 2. 2. *q.* 87. *arti.* 4. vbi Cardinalis Caietanus, Glossa in Cap. *Nouum genus*, de decimis, verb. *A decimis*, & in *Cap. Nuper*, eodem tit. circa verba illa: *Nisi forte pro Monasterijs nouiter fundandis.* vers. *Nouiter*, vbi, sic ait: *& ita in casu isto obtinet priuilegium adhuc antiquum.* Quæ verba vrgentiora sunt, cùm in maximè proprijs terminis quæstionis, determinent, cũ in priori loco de dote Ecclesiæ fuerit prolocuta, & Clericis in ea seruientibus, sic enim ibi: *Hoc intellige de dote Ecclesiæ, de quo Clerici non debent dare decimas.* Sed certè pro Societate allegari illa meritò potest, quæ est Religio Clericorum, Dominicus Sotus *Lib.* 9. *de iustitia Quæst.* 4. *Arti.* 4. Barbosa' *Lib.* 3. *de iure Ecclesiastico, Cap.* 26. §. 3. *n.* 8. vbi contra PP. Lessium & Reginaldum tenet, de dotalibus Ecclesiæ prædijs expresè locutus. Et vberiùs, §. *secundus est*, vbi plures adducens addit sic intelligendos omnes ferè Theologos. Et *de Officio Parochi Cap.* 28. §. 3. *n.* 11 cum Trullench in Decalogum *Cap.* 3. *Libri* 3. *Dub.* 10. Ioannes Gutierrez *Consilio* 5. quod militat solum Societati: sed quo etiam se possunt Religiosæ aliæ familiæ contutari. Illustrissimus Arauxo *in Selectis moralibus Tract.* 3. *Quæst.* 32. *nu.* 46. & 47. vbi ait sententiam D. Thomæ præferendam esse sententiæ Innocentij & Panormitani, insinuans Innocentium cum Panormitano sentire, quia cum pariter citat P. Azor *supra.* Sed certè P. Azor vniuersim eum locutum ait, ex quo non sequitur circa dotalia prædia cum Panormitano sensisse. Citat etiam eumdem P. Azorium *suprà Quæs.* 1. vbi nihil quod faueat inuenitur, sed tantùm laicos & Clericos etiam ad decimas teneri iuxta *Cap. Nouum genus*, quod est secundum de decimis. Syluestrum item. *verb. Decima Quæs.* 7. vbi reuera affirmat cum Alexandro Clericos ex patrimonialibus debere decimam, non ex bonis Ecclesiæ, cui deseruiunt, & decimas recipit. Sed hoc parùm causam præsentem promouere potest. Quid enim si Clerici recipientes decimas titulo ministerij in Ecclesia, cui ipsæ debentur, ad decimas minimè teneantur? Aliud certè est quod intenditur, dum de dotalibus prædijs illas non deberi iuxta *dictum Caput* sententia hæc priori opposita pergit demonstrare. Quamquàm non desint alij quidam eamdem explicationem amplexi, quos reijcit Barbosa *citato dudum loco de Iure Ecclesiastico.*

Arauxo.

P. Azor.

Sylueſter.

216. Possunt etiam pro illa citari quamplures Scriptores, qui Clericos beneficiarios omnino immunes ab onere decimarum arbitrantur, quos adducit & sequitur Leander *supra Quæst.* 17. 19. & 20. quamuis ad eas ex patrimonialibus prædijs adigantur, de quo *Quæst.* 21. idque non solùm ex consuetudine, sed etiam ex vi iuris communis, quod pro certo statuit, sicut & P. Escobar de Mendoza *suprà nu.* 181. post illius allegationem, & *n.* 184. post allegatos alios. Nam ita sentientes necessariò debent fateri de dotalibus Ecclesiæ decimas non esse soluendas. Quidam enim dotis nomine intelligunt quidquid ad Ecclesiam spectat, aut eiusdem fundationi, aut fabricæ ordinarijs sumptibus, aut ministrorum sacrorum sustentatione collatum. Si ergo ex nullo horum decimas tenentur soluere: ergo neque ex prædijs dotalibus, vt est euidens, quatenus illa fundationi respondent. Si autèm ex ijs non tenentur, benè tamen ex alijs, id profectò est, quod causæ præsenti apertè suffragatur. Iuxta quæ

Ex Benef. ciario arguitur.

Leander à SS. Sacramento.

217. Dico Primò. Attento iure communi Religiosi ex dotalibus prædijs decimas non debent. Sic citati pro secunda sententia, cui & fauent ex citatis pro prima Barbosa, vt vidimus, Rebuffus de decimis Quæst. 5. n. 6. de Ecclesiarum dote locutus, sicut & multi alij absolutè de Clericis negantes, qui prædia possident titulo spirituali, & non vt laici. Couarrubias *citato loco* sic scribit: *Consuetudine tamen aut præscriptione obtineri poterit libertas ab hac decimarum solutione; & ita plerisque in regionibus obtentum est, nec immeritò; cum iuxta iuris Canonici sanctiones decimas istas minimè deberi scripserint Glossa singularis in dicto Cap. Nouum genus, D. Thomas dicto Arti.* 4. *& ibi Caietanus Balb. dicta Quæst.* 1. *(scilicet de præscriptionibus Parte* 5. *principio) Regia lex* 2. *dicto Tit.* 21. *(Partita* 1.*) & dicta l.* 2. *Tit.* 5. *(Lib.* 1. *Ordina.) hodie Lib.* 2. *Tit.* 5. *Lib.* 1. *Recopilat.* Sic Ille. P. Azor non est apertè contrarius, sed rem esse dicit dubiæ quæstionis, & pro vtràque parte Auctores adducit.

Ex dotalibus non debita iuxta ius commune.

Couarrubias.

218. Probatur Primò ex citato Cap. Nouum genus, in quo sic habetur: *Nouum genus exactionis est, vt Clerici à Clericis decimas exigant, cùm nusquam in lege Domini hoc legamus: non enim Leuitæ à Leuitis decimas accepisse leguntur. Illi profecto Clerici, qui à Clericis spiritualium ministeriorum labores accipiunt, decimas eis debent.* Sic ibi, circa quod Glossam dedimus *n.* 219. & est illa Bernardi Parmensis pro Religiosis Textum facere, & pro Societate maximè, vt iam vidimus, eo quòd Religio Clericorum sit, & ita illam sicut & alias Clericales, non esse in citatis Capitibus comprehensas, in quibus decimarum solutio Regularibus imperatur; quia in illis fit tantùm mentio Monachorum, & Religiosorum, non autem Clericorum, tenet Barbosa *citato Cap.* 28. §. 3. *nu.* 35. Pro illa inquam & alijs facere Textum, ex eo ostenditur, quia nulla est ferè Religio, quæ non habeat plures habentes Ordinem Clericalem, & quia de dote Ecclesiæ agitur: Religiosi autem Ecclesias habent, quorum & domus Ecclesiastica immunitate Ecclesiarum more potiuntur, sicut & ipsi priuilegio fori & Canonis, & à Clericis spiritualia ministeria non accipiunt, quorum labori aliqua sit debita retributio: non ergo Ecclesiæ tales esse indotatæ debent, & ita ex dotalibus fundis nihil sæcularibus Clericis refundendum. Si qua ergo inter Ecclesias inuenitur diuersitas, in eo est quòd Religiosi in statu maioris perfectionis sunt; id autem in causa esse non debet, vt minùs eis Ecclesia faueat, sed potiùs vt maioribus fauoribus honorentur. Et quidem Religiosi ita semper sunt experti, vt ex amplissimis priuilegijs eisdem concessis apparet: quorum nihil tale in Clericis sæcularibus. Ex quo validum in præsenti negotio emicat argumentum, vt in citato *Cap. Nouum genus* eorum Ecclesiæ debeant præcipua quadam ratione comprehensæ censeri, ac valde à ratione alienum debere reputari, si quis velit eos à gratia illa Pontificia excluſos, qua digniores esse comperiuntur. Videatur Barbosa *Lib.* 1. *votorum decisiuorum &c. voto* 41.

Cap. Nuper.

219. Secundò ex Cap. Nuper etiam adducto, circa quod id habet Glossa, quod vidimus *n.* 215. Et modò ex eôdem vrgendum, sic enim ibi: *Si tales possessiones eis fuerint pro fidelium deuotione collatæ, aut emptæ pro Monasterijs de nouo fundandis, committantur alijs excolendæ, à quibus Ecclesijs decimæ persoluantur.* Quam quidem dispositionem ita Glossa intelligendam admonet, *vt committantur antequàm ædificentur Ecclesiæ, vt illi coloni soluant decimas de illis terris.* Id autem ex eo sic statutum videtur, vt fraudibus iretur obuiam: possent enim prædia retinere futuræ fundationis intuitu, ad quam tamen ferò deuenirent. Ex prædicta ergo diuersitate arguendum. Nam prædia dotalia solùm dicuntur ad decimas grauata quamdiu Monasteria non ædificantur: ergo iam ædificata ab eo sunt grauamine penitus immunes.

Glossa.

230. Dices Primò Glossam post adducta verba sic addere: *Idem esset, si ijdem colerent eas. Infra. Eodem Cap.* Sed hoc non vrget, nam ita reuera est, vt si ipsi Monachi colerent, decimas deberent, dum Monasterium non ædificaretur. Citatio autem plus videtur habere momenti: nam infra in eodem Capite habetur, vt de alienis terris, & amodò acquirendis, etiamsi eas proprijs manibus aut sumptibus excolant decimas persoluant Ecclesijs, quibus ratione prædiorum anteà soluebantur: quod ad omnes extenditur Regulares. Siue ergo committant, siue non committant, siue ædificetur, aut non ædificetur Monasterium, onus decimandi Regulares vrgebit, iuxta Glossæ expositionem. Sed certè Glossa non potuit statim sibi esse contraria, & ita dicendum decisionem Capitis sic applicandam, vt verissimè ster Monachos per se colentes terras ædificationi destinatas, dum ædificatio non succedit, decimali oneri subiacere: quod quidem decisio subiuncta conuincit, cùm iuxta illius tenorem, iunctis clausulis præcedentibus, deficiat ratio, propter quam immunes à prædicto onere possent reputari. Itaque illud, *Etiamsi eas suis manibus, aut sumptibus excolant*, modum excolendi præmissum inuoluit, vt debeat intelligi *Modo dicto.* Non enim esse absolutè necessarium vt terræ huiusmodi alijs colendæ committantur, cum multis, quos adducit, tradit Dom. Solorz anus *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Cap.* 21. *n.* 27.

Glossæ conciliatio.

231. Dices *Secundò* ex Panormitano Glossæ intellectum posse sic saluari, si antequàm ædificetur Monasterium, possessio, in qua est illud fundandum, sit onerata decimis; eo autem fundato cesset obligatio, quia non est iam ex quo soluantur, fundo in ædificium commutato. Sed hæc explicatio à viris doctis indigna visa est viro tanto iudicata, & meritò, quia omni est prorsus fundamento destituta. Et, vt alia omittam, ex quibus conuelli posset, vnum illud satis eiusdem falsitatem ostendit, quod ex verbis Glossæ eiusdem occurrit, dum ait: *& ita in casu isto obtinet priuilegium antiquum.* Sed ædificato Monasterio non est iam materia circa quam priuilegio, cùm non sit ex quo decimæ reddi possint: ergo explicatio dicta contra mentem est Glossæ manifestè. *Frustrà quærimus decimas, cùm ibi nihil recolligatur.* Verba Panormitani sunt. Quibus adde: Ergo & frustrà est antiquum priuilegium, quod dicitur obtinere.

Panormitani indigna viro explicatio.

Hostienſis non melior.

232. Dices Tertiò decisionem *Cap. Nuper* incipere ab illis verbis: *Decernimus*: præcedentia autem, *Ne occasione priuilegiorum suorum Ecclesiæ vlteriùs prægrauentur*, Iuxta Hostiensem esse statuti Cistercienſium: vnde & illa, & ea, supra quæ cadunt, ius non faciunt, sed quæ à Pontifice causam decidente proferuntur. Vnde quidquid Glossa dixerit, solido caret fundamento. Sed neque hoc premit. Tum quia totam illam dispositionem amplexum fuisse Ponrificem, communis est sensus Scriptorum. Videatur Dom. Solorzanus *n.* 22. *& seqq.* Pro quo & facit id quod Pontifex in illius habet exordio, dum ait: *Nuper Abbates Cisterciensis Ordinis in Generali Concilio congregati ad commonitionem nostrã prouidè statuerunt &c.* Fuit ergo Pontifex suo id Decreto complexus quod sua ipsius fuerat commonitione dispositum: aliàs quid erat opus mentionem de statuto illo ad negotium præsens prorsus inutili ipsum intulisse? Tum etiam quia in iudicando huiusmodi intellectum sæcra Tribunalia quasi indubitatum supponunt. Id quod constat ex *Decisione Rotæ* 1380. *nu.* 3. apud Seraphinum, quem adducit Dom. Solorzanus *supra n.* 26. circa quoddam priuilegium PP. Præmonstratensibus à Ioanne XXII. concessum: Sic enim inter alia ibi: *Neque etiam posse iuuari allegatione*

Cap. Nuper.

Decisio Rotæ.

gatione priuilegij Ioannis XXII. quia in illo non continetur expresse quòd Fratres emere possent de nouo prædia post generale Concilium &c. Atqui id quod ad emptionem spectat, ante verbum *Decernimus* extat, & ad prouidum Cistercienſium ſtatutum ſpectat: habet ergo illud Conciliarem vim.

Ex ratione dotis arguitur.

233. Tertio probatur ratione. Quia id quod pro dote datur Ecclesiæ, non debet esse peioris conditionis quàm dos pro coniugijs carnalibus attributa, vt videtur per se constans, cùm ad vnionem superioris excellentiæ dirigatur, vt habetur *Cap. Inter corporalia*, de translatione Episcopi. Atqui doti illi magna sunt per leges ciuiles & sacras priuilegia concessa vt illa integra conseruetur, & vt ciuiles, quæ multæ sunt, faciamus missas, de sacris loquentes habemus *Cap. Ex parte*, de consuetudine. *Cap. Ex litteris*, de pignoribus. *Cap. 1. 2. 3. & 7. de donationibus inter virum & vxorem.* Ciuiles dixi faciendas missas, quia sunt multiplices. *De iure dotium specialis est in Digestis tractatio, sicut & D. Soluto matrimonio. Cod. de rei vxor. actione, & Cod. de iure dotium*, alibique, ex quibus circa citata Capita multa habentur in Glossis. Vnde valida resultat illatio, dotem scilicet Ecclesiæ, & Regularis, nihil profectò minùs meritæ priuilegiatam esse quoad suam integritatem, & ita eximiam ab onere decimali. Neque enim dici potest priuilegiatam quidem esse, quia nequit alienari, nam priuilegium tale rebus, quibuslibet immobilibus, & pretiosis mobilibus est commune, & ita aliquid magis speciale pro illa debere assignari, idque esse quod ex citatis iuribus remanet comprobatum.

Cap Inter corporalia.

Dotis priuilegia.

Subſtitutorum priuilegia.

234. Dico Secundò. Eodem priuilegio, quo dotalia prædia gaudent pro ipsis subrogata, quando scilicet aut venduntur cum euidenti necessitate aut vtilitate, & ex pretio alia emuntur, aut aliter permutantur. Hoc doctè ostendit Ioannes Gutierrez *citato Consilio 5. n. 19.* & sapientissimus D. Didacus de Leon Pinellus, Togatus Indorum Protector & Fiscalis in Regia Limana Cancellaria, sacrorum Canonum Primarius Professor, dignissimus sanè primorum subselliorum ob egregias sapientiæ dotes, & singularem morum probitatem in *Allegatione pro Societate typis excussa.* Pro quo & multa Dom. Præses Valenzuela Velasquez *Consilio 160. per totum. & præcipuè à nu. 8.* Addo Marium Antoninum *Lib. 1. variarum Resolutionum Resolut. 111. n. 28.* Vbi Doctores adducit, & de priuilegio agit, quo fruuntur Coloni, qui in locum sunt seruorum Ecclesiæ substituti: & axioma receptissimum apud Iuris consultos est *subrogatum sapere naturam eius, in cuius locum subrogatur.*

P. Didacus de Leon laudatus.

Marius Antoninus.

Cap Nouum genus obiectum.

235. Obijcies Primò. *Cap. Nouum genus* non potest de Religiosis intelligi: ergo non debet in causam præsentem aduocari. Assumptum probatur. Nam Religiones, aliæ sunt Clericorum, aliæ non ita, vt constat ex earum varietate: ergo licet in istis ordo Clericalis inueniatur, non veniunt nomine Clericorum, aliàs omnes debeberent Clericales appellari. Quæ Clericales sunt non habent maiorem priuilegiorum amplitudinem quàm aliæ, ergo omnes eodem iure censendæ sunt.

Explicatur.

Respondeo negando Assumptum, & ad probationem dico ita quidem esse quod de differentia dicitur, vnde absolutè loquendo neque Monachales Religiones, neque Mendicantes, præter vnam Societatem, dici possunt Clericales: quia Clericalis Religio propterea aliqua dicitur, quia & habitu, & instituto iuuandi proximos per ministeria Clericis propria eosdem imitatur. Nihilominus in fauorabilibus nomine Clericorum, veniunt, quia verè habent Ordinem Clericalem, & in negotio, de quo agitur, nihil obstat discrimen aliarum, cum in illis militet eadem, immò & potior, vt vidimus, ratio respectu Clericorum sæcularium. Nequit autem dubitari Societati decisionem prædictam summa cum proprietate conuenire, vnde à Sede Apostolica singularibus est priuilegijs honestata.

Obiectio alia, quia non excepta in Bullis Pontificijs.

236. Obijcies Secundò. Pontifices concedentes priuilegia circa decimas, omnia ea enumerant, in quibus necessariò dotalia prædia includuntur, vt videri potest in Bullis pro Societate Pauli Tertij, Pij Quarti, & Gregorij XIII. & in *Mari magno* Lezanæ, & apud Barbosam §. 3. *citato à num. 18.* Ex quo videtur non obscurè deduci illa à decimali obligatione exempta non haberi.

Quæ dicuntur.

Respondeo rationem prædictam nihil euincere, conceduntur enim multa aliàs licita, ad dubia penitus submouenda. Vnde licet ius concedat exemptionem à decimis in hortis & pascuis animalium, in multis id priuilegijs exprimitur: & quod ad hortos spectat, in Bulla *Licet debitum* Pauli Tertij pro Societate, sicut & de PP. Prædicatoribus vidimus *nu. 210.* Habet etiam citata Pauli Tertij Bulla multa alia, circa quæ constans est Doctorum sententia cessare obligationem; vt ex hoc nequeat argumentum considerabilis efficacitatis desumi, & quidem idem Pontifex citata in Bulla de dote etiam expressam inserit mentionem verbis illis: *At bona quæcumque pro Collegiorum dote &c.* ad quod similiter respondendum.

Paulus Tertius.

237. Obijcies Tertiò. Ecclesiæ Indicæ, in causa decimarum non solùm pro adquisitis prædijs vltra dotem, sed pro dotalibus etiam decertarunt, vt ex actis processus constat, in quibus petitiones generaliter loquuntur, vnde & post sententiam pro eôdem instant, nec de compositione tractatum admittunt ijs exclusis, quo satis intentionem suam manifestant, quam probasse earum partem in sententia declaratur: ergo quidquid de illis hucusque dictum est non probat Religionum intentum, & ita ad soluendum ex ijs decimas manebunt obligatæ.

Item extentione Ecclesiarum, quæ probata in sententia dicitur.

Respondeo intentionem Ecclesiarum vix posse constanter explorari: & initio quidem litis pro acquisitis post fundationem certarunt, quia videbant prædia aliquot supra dotalia accrescere, non videntes, aut videre nolentes cum illis pariter obligationes augeri, & rerum pretia in multis ad excessum notabilem increuisse. Deinde quidam plus, quidam minùs ex collitigantibus exoptabant, & fuere qui de dotalibus nihil sibi post victoriam promittebant. Labente tempore, & Prælatorum quorumdam animos addente constantia, ad omnia extensa prætensio ad vnum procuratorem delata, sed eo mercatorum axiomate vsurpato, Iniustum petas, vt iustum feras. Et quidem cùm sententia de exquisitis loquatur: ibi,

Non fuisse constantem illam ostenditur, & super resistitur.

Que

Sententiæ executorialis verba.

Que han adquirido, y adelante adquirieren: visum est doctis Iurisconsultis eam ad dotalia non extendi, quia acquisitio cadit supra iam fundata Monasteria, aut Collegia; quando enim fundantur non dicuntur acquirere, sed esse incipere, ad quorum constitutionem dos est penitus necessaria. Et iuxta Latinam proprietatem, vt eruditi in ea facultate affirmant, *acquirere est augeri, seu augmentum accipere.* Id quod & in Scriptura sacra non semel occurrit. *Eccles. 3. v. 6. Tempus acquirendi.* Quod de mercatoribus exponit D. Gregorius Thaumaturgus, & alij, augentibus lucra, & quandoque perdentibus *Sapient. 13. v, 19. & de acquirendo, & de operando, & de omnium rerum euentu petit, ab eo, qui omnibus est inutilis*: Idolum scilicet. Vbi iuxta Græca, *De quæstu. & Cap. 14. v. 2. Illud enim* (nauigium scilicet) *cupiditas acquirendi excogitauit.* Id est lucri, vt ibi Interpretes, quod & habent Græca. Et verò cùm in sententijs interpretatio benignior, quæ scilicet minùs reum grauet, adhibenda sit, vt habet vulgaris Regula iuris in 6. *Cap. Cùm sunt*: quòd scilicet reo fauendum est potiùs quam actori: id quod Glossa non solùm de sententia ferenda, sed etiam de lata intelligendum tradit: & intelligentia sententiæ, de qua agimus, circa verbum *acquirere* fauorabilior Religionibus sit, contra quas Ecclesiæ actoris personam sustinent, debet profectò præferri, vel si ambigua significatio est, ad auctorem sententiæ deuolui, de quo *inferiùs.*

Verbum acquirere quid propriè signi fiet.

Eccles. 3. v. 6.

Sap. 13. v. 19

Et Cap. 14. v. 2.

Cap Cùm sunt. Glossa.

Sententiæ tenor.

238. Quidquid ergo de intentione actorum fuerit, eidem standum non est, sed sententiæ tenori, non obstante vulgari illa clausula: *Declaramos por bien probada la demanda puesta por el Fiscal de su Magestad.* Similis enim in sententia primus, seu *de vista*, apposita verbis illis: *Hallamos que la parte del Fiscal de su Magestad y dichas Iglesias, probaron su intencion, como probarles conuino.* In qua etiam condemnata Religionum pars vt decimas omnes à contestatione litis obtentas Ecclesijs redhiberent, quod erat sanè grauamen immensum, cùm litis contestatio ab annis ferè quadraginta successerit. Et hoc quidem in consequentiam benè probatæ intentionis, vt ibidem dicitur, *En consequencia de lo qual condenamos &c.* Nihilominus in sententia *de Reuista* grauamen illud sublatum, & a pronuntiatione illius tantummodò exequendam solutionem Regium Consilium iudicauit. Est ergo & Regij Fiscalis, & Ecclesiarum intentio, licet benè probata affirmatur, iuxta æquitatis regulas, vt Dominis tunc est visum, temperata. Eorum igitur sententiæ tenori hærendum, quidquid in præcedentibus actorum postulationibus habeatur. Et cùm in illa tantùm de ijs, quæ de iure debentur, sermo iudicialis sit, quæ non debentur iuxta ipsum, neque etiam vi sententiæ debebuntur. Non deberi autem ex dotalibus prædijs iam vidimus: quod licet non ita euidens sit, est tamen eximia probabilitate subnixum, & Regium Consilium tales amplecti sententias solet, in ijs præsertim quæ Rege dignam concernunt pietatem, & ciuili magis iudicantur iuri conformia, vt in causa nostra, in qua ius vtrumque doti fauere nouit quantum comperitur.

Illatio vrgentissima ex dictis circa sententiæ Regij Indiarum Consilij pro soluendis à Religionibus decimis suspendendam executionem, si eius non placeat hærere tenori.

Conclusio pro Indijs.

239. VIdimus neque ex noualibus, neque ex hortis, & animalibus pro Religiosorum sustentatione educatis, neque item ex dotalibus prædijs decimas à Religiosis iure communi deberi: ergo neque in Indijs. Illatio est clara: quia si deberentur in illis, maximè per Consilij Regij executorialem sententiam: Atqui Consilium illas excipit verbis dictis *n. 189. Que confirme à derecho, Cedulas Reales, d'otra qualquier manera &c.* ergo non debentur. Vbi quòd ad schedulas Regias attinet, nihil difficultatis potest ingerere, quia illæ nihil contra ius commune disponunt, sunt enim Regum maximè Catholicorum: & generaliter in Indijs quoad hoc maxima cum moderatione proceditur, licet in exactoribus non illa semper eluceat, præsertim erga Indos, quæ Christianam decet pietatem. Circa id autem quod additur de debitis quocumque alio modo, nihil etiam est quod obstet, quia si aliquid, maximè consuetudo, quæ circa Religiones nequit allegari, cùm nihil hucusque ab illis sit, nisi fortè litium vitendarum causa, persolutum. Solæ ergo decimæ ex iure communi debitæ relinquuntur, pro quibus illatio dicta concludit.

Sententia clausula explicata.

240. Sed Regij Fisci Patronus, & pars Ecclesiarum adhuc validissima oppositione resistit, executionem vrgendo. Quod certè non apparet quomodo possit salua æquitate fundari. Est enim momenti non parui quod à nobis remanet in superioribus demonstratum, & vt minimùm rem valde ambiguam esse conuincit, sic arbitrantibus multis ex ipsis etiam Regijs Auditoribus, immo & maiori eorum parte pro dotalibus iudicante, quorum sententia per vota consultiua, viuente, & præsidente Excellentissimo Prorege Comite de Sartisteuan iam vita eximiè Christiana perfuncto, mandata executioni fuisset, nisi dictus Dom. Fiscalis acriùs institisset contendens DD. Auditorum vota debere esse consultiua, & rem altiùs inspiciendam, in qua inspectione post menses multos existunt, cuius maturum partum expectamus. Debet ergo dubio stante ab auctore sententiæ genuinus eiusdem intellectus postulari. Sic factum constat ab Episcopo Xantonensi, & Capitulo, pro interpretatione verbi *Moderantes*, quo vsus fuerat Gregorius IX. vt videre est in *Cap. Transmissæ* de verbor. significat. & ita semper faciendum admonent Doctores, & est in iure Castellæ dispositum *l. 2. tit. 1. partit. 2.* ibi: *Otro si poder, si fuere obscuro de lo es clarescer. & l. 2. tit. 18. part. 3.* ibi: *Non lo debe Iuzgar ninguno, sino el mismo.* Pro quo & alia in *Allegatione citata.*

Fiscalis contradictio non debet obstare.

Cap. Transmissæ.

Leges Regni.

241. Quibus addo insignem Sacræ Rotæ decisionem apud Dianam *Tomo 9.* in causa decimarum *die 26. Iunij 1647.* collitigantibus Venerabili Capitulo Hispalensis Ecclesiæ, & Collegijs Societatis Prouinciæ Beticæ, in qua sic circa finem: *Postremò non obstat quòd agatur de executione*

Decisio Sacræ Rotæ, valde notabilis ad intentum.

Litterarum Apostolicarum, quæ ob exceptiones requirentes altiorem indaginem retardari non debet. Quia procedit obiectio, quando Litteræ Apostolicæ sunt vndique claræ, nullamque requirunt interpretationem, vel liquidationem, prout in casu proposito requiritur, in quo cùm S.M. Leo præmissa expositione priuilegiorum particularium Societatis tantùm, ac litium eorum occasione vertentium, iusserit decimam ac vigesimam respectiuè solui omnium rerum, quæ de iure, vel consuetudine decimari solent Ecclesijs, quibus alioquin, circumscriptis dictis priuilegijs, decima persolui deberet &c. Hæc vtiq; ipsa earumdem verba eiusmodi discussionem præseferunt, vt constet de quibus rebus quibusq; Ecclesijs, circumscriptis priuilegijs prædictis, de iure, vel consuetudine decimæ erant soluendæ. Quibusque de priuilegijs ac consuetudinibus fuerit ibidem derogatum. Quorum sanè congrua determinatio necessariam facti probationem præcedere postulat, vt certior inde resultet iuris decisio. Iuxta l. si ex plagis. §. in Cliuo, ibi: Respondi in caussa Ius esse positum. Vbi Glossa in verbo, In caussa ff. ad legem Aquiliam. Dicta l. Iudices, Cod. de iudicibus l. 1. in principio, ibique Glossa in verbo, Probatis his. Cod. Quæ sit longa consuetudo, dicto Cap. finali 30. q. 5. Ideoque omnino admitti debet, etiamsi longiorem dilationem exposcat, cùm oriatur & prodeat ex ventre ipsarum Litterarum iux. theor. Bartholi in dicta l. 1. §. & parui refert, sub n. 5. vers. Aut aliæ exceptiones descendunt. ff. Quod vi aut clam. Rota penes Cardin. Seraphinum Decisione 980. sub. n. 12. vers. Non obstat quod dicitur, & seqq. Vbi quòd aliàs pars grauatur, & Burat. decisione 122. n. 2. vers. & ista exceptio, ac seqq. in recentib. decis. 728. nu. 2. & vers. & ista exceptio parte 2. & 348. sub. nu. 2. vers. facit quòd ista exceptio parte 3. Hæc sacra Rota, quibus nihil pro caussa præsenti potuit opportunius inueniri.

Vrgetur ex eo quòd decimarum assumatur cognitio contra Bullam Cœnæ.

242. His addo, negata sententiæ suspensione quoad illius executionem, cùm iuxta Litteræ tenorem illa denegetur, necessariò instituendam quæstionem circa id, quod Religiones debent, aut non debent in negotio decimali, vbi quidem non iam de facto agitur, sed de iure decimandi, quod quidem ad laica nequit tribunalia pertinere: & tale iudicium vsurpare casus est in Bulla Cœnæ notissimus. Pro quo videri potest Leander *Disputat. 6. citata Quæst. 29.* vbi citatis multis id tamquàm certum statuit. Et quidem adeò certum est, vt debeat fidei dogma censeri: vt tale enim in Bulla citata proponitur, & est 14. licet non sub his terminis, sed vt pertinens ad generale illud de immunitate Ecclesiastica in personis & rebus ad illam spectantibus. Pro quo videndus P. Suarius *Lib. 4. contra Regem Angliæ Cap. 2. nu. 2. & 8.* Vbi se refert quantùm ad res spirituales exemptas ad *Lib. 4. de Legibus*, ex quo legendum *Caput. 11.* præsertim *n. 7.* Benè autem Bonacina de Censuris *Disput. 1. Quæst. 15. Puncto 1. nu. 10.* exponit quando de iure, & non de facto tantùm agatur, breui illa quæstione: *An hic ad solutionem decimarum teneatur?* Est autem quæstio eadem in præsenti: An Religiones ad decimas noualium, hortorum, animalium pro sustentatione educatorum, ac prædiorum dotalium, teneantur? & hanc videtur intendere Regius fisci Patronus agitari, dum pro affirmatiua parte textus, & rationes, de quibus est dictum, adducit, Religiones, iuxta suum placitum cõdeminari. Atqui pro caussa huiusmodi non extant iudices competentes, cùm tales esse nequeant Gubernatores supremi, neque Auditores Regij, aut alij, ad quos executoria dirigitur: ergo velle illos competentes facere, est ipsos magno conscientiæ implicari grauamine, id quod valde alienum debet credi à Christiano pectore, quale in præfato Regio Ministro recognoscimus, vt meritò debeat ab impetitione adeò feruida temperare.

Leander à Sacram.

P. Suarius.

Bonacina.

Laici vt cognoscen caussa decimalis queant.

243. Nec dici potest eo ipso quòd Regium Indiarum Consilium verbo & opere declarauit cognitionem caussarum decimalium ad se spectare, iam Indica Tribunalia in partem solicitudinis venientia circa illas iudicialem posse censuram exercere. Nam licet domus ita esse quod de supremis Tribunalibus dicitur, tenente id Barbosa cum Couarrubia, Gutierrez, Cabedo, Calisto, Ramirez, Barbosa seniore, Fontanella, Francisco Leone, Anastasio Germonio, Stephano Gratiano, Anguiano, Castillo, Feliciano à Vega, Didaco de Brito, & Dom. Solorzano, vt videri potest *Tomo 6. circa Cap. 24. A nobis Lib. 3. Decretalium nu. 4.* id certè non est ad inferioris subsellia deriuandum, quæ esset non concessi iuris, & in re adeò supra eorum iurisdictionis sphæram sublimis, damnabilis vsurpatio. Præterquàm quòd sola est executio, non iudicialis disquisitio, demandata.

Barbosa.

244. Si dicas sequi ex hoc, non posse eos, ad quos executio dirigitur, eamdem obire, Religionibus id concedendo, quod illæ contendunt, exemptionem scilicet in prædictis omnibus, quia idipsum, quod probauimus, ad examen aduocandum est, vt appareat quid iuxta dispositionem Canonici iuris debeant, aut non debeant: neque enim sine inuestigatione solerti, Religionum est postulationibus annuendum. Respondeo ita quidem esse vt examen aliquod præmitti debeat, sed extra iudiciale, sufficiente tamen, ita vt doctis Iurisperitis, & Theologis inuestigatio committatur, & iuxta eam fiat executio, suum ius partibus reseruando, vt à supremo Consilio id tandem expectent quod ipsi visum fuerit expedire. In quo quidem periculum est nullum, sed vtilis parti vtrique dilatio: ei quidem, quæ non soluit, dum præsenti liberatur onere, & ei, cui non soluitur, ne fortè posteà ad reddendum, quod acceperit, compellatur.

Roberatus ex eo quòd executio sub videatur conformio Regia voluntati.

245 Est & alia ratio pro non mandanda executioni sententia dicta cum eo rigore, quem pars aduersa contendit, quam breuiter proposuimus *n. 195.* quòd scilicet incredibile sit Reges nostros pijssimos, & erga res Indicas singulari obnoxios affectione, in caussa decimarum velle Religiones omni prorsus priuilegio priuare. Cùm enim à Sede Apostolica decimæ ipsis concessæ sint, in earum administratione iuxta eiusdem Sedis spiritum debent procedere, & id de facto contingere minimè dubitandum. Atqui Sedes Apostolica Religiones semper est specialibus priuilegijs prosecuta, vt ex Canonici iuris dispositionibus liquet, & concessiones extra illud magis peculiares manifestant: ergo & Reges nostri eodem ducti spiritu simile aliquid sunt credendi & velle modò, & anteà voluisse. Id quod existentibus in Indijs potius asserendum, quarum eisdem debetur conuer-

Ergo Religiosi quam propensa, pro rebus Indicis.

Cassiodorus.

conuersio, & pro qua vrgenda, ac Christiana in illis religione fundanda, non dubitant Reges Catholici sumptus non modicos facere, Religiosorum Missiones ad Procuratorum instantiam concedentes. Id quod Societas nostra passim experitur, nuper aperta porta ab ipsa Indiarum detectione præclusa, ne extranearum nationum Religiosi in ipsas aduentarent. Cùm enim Hispaniæ Prouinciæ difficilibus hisce temporibus vix eos habeant, quos necessarios exigunt pro ministerijs proprijs adimplendis, opitulari Indijs nequeunt: vnde Regiæ Maiestati placuit peculiari indulto, limitatione tamen quadam adhibita, transitum huiusmodi stabilire. De hoc ergo Regibus nostris communi genio quid non liceat in re tanta bene meritis expectare? *Quia fructuosus debet esse labor publicus*, vt meritò ad hæc Regium dictamẽ accedat, sic addente Theodorico: *vt quamuis obsequia nobis gratuita iure debeantur seruitia tamen per moderata compendia prouocemus.* Cassiodorus Lib. 3. 19. vbi & illud Magni huius Scriptoris opportune subdendum: *Dulce est aliquid sic mereri, vt nulla possit anxietate turbari.* Lib. 6. 12. & quas non turbas dabit prefata sententia, si eo cum rigore, quem partes moliuntur aduersæ, ad executionem deueniatur? Sed meliora Deus, & meliora alij fortè in huius caussæ patrocinium cumulabunt, quæ ipso fauente, benignis oblata auribus, fructum sint aliquem benedictionis ad Dei gloriam habitura. Quia vero Allegationes, de quibus facta mentio, dignissimæ sunt, quæ ad multorum notitiam, nihil tamen huiusmodi eorum Auctore curante deueniant, in fine huius operis natiuo suo decore immutato, si nihil post illum adeptum obstiterit, adijcientur.

SECTIO III.

De Episcopis Auxiliaribus Indiarum. Vbi peculiaris difficultas circa obligationem soluendi debita à Procuratoribus Religiosis contracta. Vbi & pro Societate aliqua.

§. I.

De eorum vtilitate cum primi eorum commendatione.

Reuerendiss. P. F. Antonij de Vigo notabilis cum eiusdem laude successus.

246. NOuum, & prouidentiæ singularis inuentum, Auxiliares Indiarum Episcopi, in eorum primo infeliciter inchoatum. Fuit ille Reuerendissimus Dom. Magister Fr. Antonius de Vigo Ordinis B. MARIÆ à Mercede Redemptionis Captiuorum, qui in hoc præclaro munere multa fecit mirabilia in vita sua, multis conciliata in Africa libertate, non dubius propriam, relictus obses, aliquando, charitatis hostia factus, ne in illis naufragaret fides, immolare. Post hæc præclara facinora nihil minùs quàm de Episcopatu cogitanti, à Rege nostro Philippo Quarto, cuius memoria in benedictione est, auxiliaris ea dignitas in Limensi Archiepiscopatu prouida præsentatione defertur. Obsecutus Regio Placito, transfretat, peruenit, & diu expectatas Apostolicas Litteras tandem accipit. Dies Consecrationis ab eo conferendæ, cui Auxiliaris venerat, designatus, Limano inquam Archipræsule, à quo pridie Episcopalibus ornamentis inuestitur. Vesper incubuit, vrgetur tibiæ dolore peracerbo, & dum remedia adhibentur, responsum mortis accipiens, & præpropera se confessione præmuniens, apoplectica passione sensum omnem absorbente grauatus, & sacro inunctus oliuo, inter manus & planctus Religiosorum expirat, Dominica ipsa luce, ea ipsa hora, qua ad consecrationem erat in maius templum iturus, ab eodem Archipræsule, cui datur adiutor, ad sepulchrum sacris ritibus est deductus. Vir equidem meliore fortuna dignus, si humanis oculis tragicum hunc euentum inspiciamus, sed prouidentiæ diuinæ, quæ sola fidelibus debet æstimari fortuna, altitudo, sublimitas, & profundum, electorum suorum modis humanæ sapientiæ in accessis, non solùm in medio terræ, sed in eius finibus, qualis hæc nostra, salutem operatur.

Qui mortem prætulerint Præsulatui.

247. Et eo quidem die, quo à Dom. Archiepiscopo ornamentum superhumerale suscepit (Mozzetam) ad imaginem Crucifixi ea in functione conuersus, ex animo sic affatus: *Domine, si munus hoc non sum pro dignitate gesturus, vt vitam mihi mox auferre digneris exoro. In quo magnorum virorum exempla secutus.* Sanctus Nilammon mori potiùs, quàm Episcopatum inire maluit, idque à Domino consecutus, vt est apud Sozomenum *Historiæ Ecclesiast. lib. 3. Cap. 19.* & apud Cardinalem Baronium *Tomo 5. anno 409.* Extat etiam historia apud Auctorem *Regulæ Monacharum Diuo Hieronymo attributæ Tomo 4. inter eius opera Cap. 15.* de illo, qui Episcopatum renuerat, breuique mortuus viro sancto patruo suo, prudentissimo ea in repulsa Consiliario; apparuit dicens: *Gratias, Pater, tibi refero ex dissuasione Episcopatus: nam scito quia nunc essem de numero damnatorum, si fuissem de numero Episcoporum.* Hinc ille S. Thomæ de Villanoua ingens & incessans timor, verba ad præfata, vt videtur, alludentibus, expressus, *ne scilicet excluderetur à numero beatorum, quia fuisset de numero Episcoporum* de quo *in Thesauro Tomo 1. Tit. 13. n. 1.* etiam à me dictum. Vnde par est credere egregio huic viro in ianua ipsa dignitatis extincto à diuina prouidentia singularis pietatis manifestatione consultum, vt qui à periculis & vinculis tot fideles eduxerat, in libertatem filiorum Dei adscitus, & Episcopalis Officij Summa pericula prætergressus, ad inamissibiles immensæ gloriæ & honoris infulas pertransiret. Pro quo obseruatum eo, quo & mortuus & sepultus die in Sacris Officijs Orationem occurrisse illam, quæ propria est Dominicæ septimę post Pentecosten: *Deus, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur.* In quo autem eluceat maximè statim additur: *Te supplices exoramus, vt noxia cuncta submoueas, & omnia nobis profutura concedas.* Sic enim factum possumus perquam verosimiliter coniectare, sub motam scilicet occasionum copiam, quæ in Episcopali solent emergere dignitate, & omnia profutura collata mortis sacræ compendio, dum vitæ ianua facta, in qua status obtinetur omnium bonorum aggregatione perfectus.

S. Nilammon.

Anonymus alius.

D. Thomæ de Villanoua oratio singularis.

Oratio Ecclesiæ obseruatione digna.

248. Ex

Auxiliares non expedire, quæ videantur ostendere.

248. Ex hoc autem oculis insipientium fatali successu erit qui suspicetur quispiam non placere Deo Auxiliarium huiusmodi in Indijs Episcoporum prouisionem. Et potest id fundari.

Primò, Quia aut dandi sunt impeditis, aut suo muneri aptis, indigentibus tamen adiutorio, præ diœcesium amplitudine, & Confirmationis Sacramento remotioribus conferendo. Primum raro euenit: quòd si impedimenta sint talia, vt nequeat Episcopus suo penitus officio vacare, quia dæmens, cœcus, surdus, humanoque conuictui ineptus, tunc non Auxiliaris, sed successor tribuendus. Cùm enim Concilium Tridentinum

Concilium Trident.

sic statuat *sessione 25. Cap. 7. de reformat. Quòd si aliquando Ecclesiæ Cathedrales, aut Monasterij vigens necessitas, aut euidens vtilitas postulet Prælato dari Coadiutorem, is non aliàs cum futura successione detur, quàm hæc causa priùs diligenter a Sanctissimo Romano Pontifice sit cognita, & qualitates omnes in eo concurrere certum sit, quæ à iure, & Decretis huius Sanctæ Synodi in Episcopis & Prælatis requiruntur: aliàs concessiones super his factæ surreptitiæ esse censeantur.* In casu autem totalis ineptiæ res ipsa loquitur, vt non sit opus profunda consultatione; quam adhibere solitum Pontificem in negotio præsenti ex Flamminio *de resignatione beneficiorum Lib. 7. Quæst. 20. n. 14.* & priuatim per Cardinales, & in Consistorio, affirmat Barbosa *Allegat.*

Barbosa.

118. *de potestate Episcopi nu.* 3. qui *nu.* 4. *& seqq.* causas sufficientes ad Coadiutorem cum futura successione quinque proponit, senectutem, ægritudinem, dementiam, suspicionem de dilapidatione bonorum Ecclesiæ, inhabilitatem, quia scilicet muneri suo nequit Episcopus incumbere.

Ex indigentia non vitè argui.

249 Iam quod ad indigentiam attinet ob diœcesis amplitudinem, itinerum difficultatem, ac loca distantissima, si quidquam probat, ex eo fiet omnibus ferè Indiarum Episcopis dandos esse Coadiutores, omnibus enim in diœcesibus id accidere est indigenis huius orbis noui notissimum. Id autem non esse admittendum adeò est perspectum, vt non egeat probatione. Quod si ea de caussa Confirmationis Sacramentum omnibus nequeat ab vno conferri Episcopo, id quod vti defuerit, supplebit alter. Est quidem constans Doctorum sensus teneri Episcopum sub reatu culpæ lethalis Sacramentum hoc subditis administrare, vt cum Diuo Thoma, Cardinali Toleto, P. Suario ab Antonio Genuensi citatis, & ipso etiam Gennensi tradit Barbosa *Allegat.* 30. *nu.* 9. sed addens cum eisdem id accidere quando diu negligenter omittit: qui autem propter difficultates dictas omittunt, non sunt rei culpæ mortalis habendi, quando vt muneri satisfaciant suo, moralem diligentiam constat adhibere.

Ignauia in Episcopo damnabilis.

250, Deinde ex Auxiliari dato Episcopo videtur ignauiæ periculum in proprietario futurum: quidquid enim graue fuerit, & molestum in ipsum reijciet, vt genio indulgeat, cùm Episcopalis dignitas sit *laborum pelagus, & abyssus ærumnarum*, iuxta D. Ioannem Chrysostomum Lib. 3. & 6. de Sacerdotio. Prætereà ea multiplicatione Episcoporum in eâdem diœcesi pauperum fit caussa miserior: dum enim inter illos decimales prouentus diuiduntur, manifestum est ad ipsos minùs subsidij deuenturum. Item. Non ea videtur adhibenda cura sacris Ordinibus initiandos, quam res adeò formidanda requirit cùm non adeò noti sint, neque ijs oculis, qui esse in proprietarijs solent, inspiciantur. Accedit etiam facilior cum talibus negotiatio, dum preces, & validiores instantiæ, tùm pro Ordinibus, tùm pro alijs Episcopalis muneris functionibus adhibentur: Quin etiam quòd Episcopalis sublimitas in contemptum venit, dum Episcopi tales, qui velut proprietariorum ministri reputantur, ad omnia inuitati, ad omnia inuolant, communes amici, & compatres matronarum. Quæ quidem licet nimiùm videantur probare, vt scilicet Coadiutores tales esse non debeant, contra Ecclesiæ vsum, & sacrorum Canonum dispositionem; in Indijs tamen quæ dicta sunt peculiari ratione procedunt, vt ijs constat, qui res earum norunt; vnde & qui minùs de notitia habent, plus de credulitate possunt beneficio fidelis testificationis haurire.

Quid pro illo facit.

251. Ad vnum ergo res ista reuocari videtur articulum, vt necessarius sit aliquando, aut valde vtilis Coadiutor; qui tamen conuenienter nequeat cum futura successione venire. Sunt enim in Indijs Archiepiscopatus aliquot opulenti, ac propterea condignis sunt condecorandi Præsulibus. Si ergo in ijs necessitas aut vtilitas dicta occurrat, non videtur condecens vt futurus successor Coadiutoris administratione præcedat: vnde alius minoris suppositionis, vt dicitur, prouidendus. Et ita factum nuper, dum Illustrissimo Archiepiscopo Limano ad omnia Pontificalia munera, graui licet annis, intento, Religiosus Pater, futurus Auxiliaris est datus, vt amplam visitaret diœcesim, Confirmationis Sacramentum conferret, & quandoque Ordinis, aliaque muneri tali competentia perageret, per quæ nihil diœcesanis seu nouis, seu veteribus Christianis deesse videretur. Quod cùm maturæ fuerit discussionis fructus, ex vtero dici potest ille translatus ad tumulum, cum quo & spes futuri leuaminis consepulta. Quid deinceps? Dicam. Detur petenti, de-

Iudicium auctoris.

tur & egenti, si de necessitate constiterit, etiam si non petat. Nullus, nisi futuræ vtilitatis conscius, postulabit: & cùm de futuro successore non agatur, in quo locutum Tridentinum, non est circa vtilitatis gradus scrupulosiùs agitandum. Vbi autem de necessitate agitur, altiori est opus indagine: datus enim inuito Coadiutor, grauium esse occasio poterit simultatum, si non sit adeò explorata necessitas, nam & auctoritati, & pecuniarijs commodis, fieri nequit quin aliquantulum, immò & aliquantulo plusquàm detrahatur. Respondens Sacra Rituum Congregatio ad dubia quædam sibi proposita sub nomine Cardinalis Paleoti Episcopi Veronensis *die* 31. *Ianuarij* 1591. circa Episcopum Coadiutorem, quorum vnum videtur fuisse an in eadē sessurus Sede, quo proprietarius, sic ad illud: *Ad quartum negatiuè: cum vna Sedes non capiat duos.* Sic ex Prospero Augustino, Piasecio, & Campanili Barbosa *Allegat.* 118. *citata n.* 10. Quod quidem de materiali dictum Sede est, ad sensum, in quo sumus, pariter aduehendum. Duos non capit Episcopalis auctoritas; & tunc maximè illi duo, cùm dissident. Si non inuitus Sedis supremæ possessor, *iam non sunt duo*: sed vnus spiritus; immò & humerus ipsis idem ad labores Ecclesiæ sustinendos, iuxta Propheticum illud:

Congregatio Rituum.

Sophon. 3. v. 9.

Pro eo exemplo.

illud: *& seruiant ei humero vno, Sophon. 3. v. 9.* Quo pacto Sanctus Franciscus Salesius, & germanus eius frater datus eidem adiutor, Domino ad magnam ipsius gloriam in Ecclesia Gebennensi seruierunt: at vetus illud exemplum non persequar Valerij, & Diui Augustini, aut Diui Gregorij Nazianzeni parentis sui Gregorij in Nazianzena Ecclesia, Coadiutorum. Dum enim non quærunt quæ sua sunt, sed quæ IESV Christi, non est *radix amaritudinis, quæ sursum germinans impediat, & per illam inquinentur multi. Hebr. 12. v. 12.* & benè conuenient, & in vna sede morari poterunt Maiestas & amor.

§. II.

An Episcopus Auxiliaris possit esse Conseruator in caussis Religiosorum, idque ante receptionem Litterarum Apostolicarum.

Ratio dubitandi.

252. Ratio dubitandi circa priorem difficultatis partem esse potest, quia licet Episcopatus sit dignitas in Ecclesia, & omnium quidem maxima, in Auxiliari tamen est illa tantùm titularis sine exercitio circa assignatas oues, quæ non sunt ex ouili Ecclesiæ, sed extra illud, in deuijs Gentilitatis pascuis constitutæ, vti sunt Darienis incolę ad cuius titulum præfatus erat Episcopus consecrandus. Sicut autem prædictus titulus iurisdictionem nullam aut facultatem circa alia muneri Episcopali propria eo gaudenti conciliat, sed quam Ordinarius dilargiri volet: ita & in casu quæstionis dicendum videtur, cùm reuera ad huiusmodi iudiciale negotium dignitas propriè dicta, & in suo genere prorsus ad operandum expedita requiratur, & licet Ordinarius concedere eam possit, ad hoc enim ipsi datur; non potest tamen illi conferre dignitatem, quia mera delegatio ad id sufficiens non est: nisi forte suum Vicarium Generalem constituat, quem esse Conseruatorem posse tenent aliqui apud Barbosam *Allegat. 106. nu. 13.* contra dicente tamen ipso cum

Vicarius Generalis an esse Conseruator queat.

aliis, quos citat. Et vt cum prioribus sentiamus, id ex eo habetur, quia Vicarius talis est Ordinarius, & vnum cum Episcopo tribunal faciens, & ita Vicariatum huiusmodi esse dignitatem docet cum alijs D. Thomas Sancius *Lib. 5. in Decalogum Cap. 5. n. 16.* His addendum Conseruatorem debere ex ijs eligi, qui in Synodo Prouinciali aut Diœcesana fuerint electi aut designati, iuxta Constitutionem Gregorij XV. hærentis determinationi Concilij Tridentini *sessione 25. Cap. 10.* & Decreto Clementis VIII. Quòd si Episcopi huiusmodi dignitatem non habeant aliàs ad iudicium Conseruatorium, ex electione prædicta eis non potest aduenire: quia sicut Episcopus se solo dignitatem conferre nequit, ita neque cum Capituli consilio, quod est ad electionem præfatam necessarium ex determinatis à Concilio *supra* & à Doctoribus circa illud adnotatis. Et in casu, de quo *inferiùs*, dictus Dom. Auxiliaris non est electione Synodi, quæ à multis retrò annis extat nulla, neque alio est modo designatus.

253. Circa alteram verò difficultatis partem de non acceptis Litteris Apostolicis, videtur in primis Regiam præsentationem ad id non esse sufficientem, quia reuera, illa non constituit Episcopum, vt nomen ipsum præsentationis insinuat. Sicut enim præsentatus ad beneficium non est beneficiatus, quia repelli potest, & ei canonica institutio ob caussas Collatori notas denegari: ita & præsentatus ad Episcopatum, beneficiorum maximum. Et licet in præsentato ad Ecclesiam iam erectam videatur id posse sustineri, quia ex vi præsentationis potest gubernationem assumere eidem à Capitulo tribuendam, vnde & gubernatorem ipse Ecclesiæ designare, vt praxis habet, quæ videtur Summorum Pontificum beneplacito illius notitiam habentium, nec repugnantium, approbari. In Episcopis tamen Auxiliaribus alia est ratio, quia ad Ecclesiæ nondum erectæ titulum promouentur, vnde nihil, quod ad gubernationem spectare possit ipsis delatum comperitur. Deinde stante necessitate legitimatæ personæ ad aliquem actum, non eidem creditur illud de se asserenti: id enim esset multis fallacijs, & præiudicialibus molitionibus ianuam aperiri, iuxta doctrinam Bartholi, Alexandri, Pauli de Castro, Osasci, Beccij, Turrecramatæ, & Surdi, quos adducit & sequitur Marius Antoninus *Variarum Resolut. Lib. 2. Resol. 60. casu* 14. & quamplurium aliorū, circa *l. Omnibus C. de testibus*, & de Episcopo specialiter loquendo Glossa in *Cap. Post cessionem*, de probationibus, varios textus adducens: pro quo & alij apud Barbosam ibi. Et generaliter vrget Decretalis *Iniunctæ*, de Electione Bonifacij Octaui Apostolicas Litteras ad exercitium Episcopalis muneris requirentis. Quod dum ante annos non multos in Bætica negligentiùs fuerit peractum, datus ex eo locus exitiali monstro, dum pro Episcopo se non Episcopus introduxit, & pro sacris Ordinibus erroneam persuasionem, eorum ritibus seruatis inducit: id quod lamentabili, digna tamen morte à summo vltore punitum, ijs qui perperàm ordinati fuerant, de errore admonitis, & apud veros Episcopos reformatis. His non obstantibus.

Solam præsentationem non videri pro eo sufficientem.

De se asserenti non creditur pro actu legitimo.

Marius Antoninus.

Glossa.

Extrauag. Decretalm. Iniunctæ.

254. Dico Primò. Episcopus Auxiliaris potest esse Conseruator in caussis Religiosorum. Id probo, quia Episcopus talis Episcopalem habet dignitatem. Id quod ex communi Scriptorum doctrina colligitur loquentium de Episcopo, qui renuntiauit Episcopatui, iuxta distinctionem, quæ habetur in *Cap. Post translationem*, de renuntiat. & in *Cap. Requisiuit*, quod est primum *de Ordinatis ab Episcopo, qui renuntiauit Episcopatui.* In priori enim sic: *Præsertim si locum tantùm, & non Ordinem resignauit.* Et inferius. *Si loco tantummodo cesserit meritato, & non Ordini, vel etiam dignitati.* In altero autem ita: *Respondemus igitur distinguendo vtrùm renuntiauit loco tantum, an loco simul & dignitati.* Iuxta hanc enim distinctionem sentire debent, vt sentiunt omnes, Episcopatum, dum non renuntiatur eidem, secum adducere dignitatem. Stante ergo, vt verè stat in Episcopo Auxiliari, cui peculiaris est Ecclesia, licet infidelis assignata, nihil est quod obstet quo minùs possit Conseruator eligi, cùm Pontificiæ de eo agentes sanctiones, sine discrimine aliquo Episcopos vti primò eligibiles pronuntiauerint.

1. Assertio affirmans absolutè.

Cap. Post translationem.

Cap. Requisiuit.

255. De-

Responsio Cardinalium fauens.

255. Deindè, pro eodem facit responsio Cardinalium sacræ Rituum Congregationis in Decreto, de quo *n.*231. apud eumdem Auctorem *nu.*10. Sic se habente: *Ad Tertium censuit* (Congregatio) Coadiutorem Pontificalia in Ecclesia exercentem absente Archiepiscopo, vti posse cappa, cùm ea sit tantùm ornamentum dignitatis Episcopalis: præsente autem Archiepiscopo vti debet mantelleto, & rocheto; neque licere vnquam Coadiutori vti mazzeto & rocheto, etiam absente Archiepiscopo, cùm hoc proprium sit eius, penes quem est dignitas & iuris dictio. Sic Congregatio: ex quo apparet dignitatem vt à iurisdictione distinguitur in Coadiutore Episcopo residere: quam etiam responsiones aliæ indicant, ad eiusdem honorem à Canonicis exhibendum pertinentes. Non ergo videtur de hoc posse cum sufficienti fundamento dubitari.

2. Etiam de non consecrato confirmato tamen.

256. Dico Secundò. Episcopus Auxiliaris etiam non consecratus potest esse Conseruator. Hoc etiam videtur certum stante confirmatione, quia per illam Episcopalis dignitas obtinetur, & spirituale cum Ecclesia Matrimonium celebratur, vnde omnia quæ ad iurisdictionem spectant Confirmato à Sede Apostolica conferuntur, vt constat ex *Cap. Inter corporalia* de translatione Episcoporum, vbi & scribentes id firmant. Sicut & in *Cap. Ex transmissa*, *Cap. Nosti* & *Cap. qualiter* de Electione. Neque enim in Auxiliari aliter philosophari licet quantùm ad dignitatem comparandam, vnde & ante consertationem ornamentis Episcopalibus vestiuntur, & absolutè vocantur Episcopi: non obstante pro spiritualis Matrimonij celebratione statu Ecclesiæ, quia, etiamsi in tenebris infidelitatis, conuerti tamen potest, & sponsale fœdus ad coniugale consortium peruenire.

Difficultas ex spirituali matrimonio cum datur Ecclesia non conuersa ob defectum consensus expedita.

257. Vbi suboriri videtur difficultas: nam ad coniugium, qualecumque illud sit, consensus exigitur contrahentium: non videtur autem quomodo hoc verificari possit in Ecclesia nondum extante, immò & fortè resistente, dum Catholicæ fidei se præstat aduersam, & suscipere prorsus imparatam. Ad quam responderi potest ex parte talis Ecclesiæ non deesse aliquem consensum: licet enim de præsenti illum absolutè non habeat, habebit tamen, si conuertatur; nam eo ipso parebit Pontifici, Ecclesiæ Capiti, & de eius manu Pastorem est, quem ille assignauerit, susceptura. Præterea, Christus Dominus tradens Petro Ecclesiæ regimen, omnem ei mundum, charitatis examine præcunte, concredidit, vnde totum est ille coniugali amore complexus: cùm tamen tùc Ecclesia peculiaris non esset, nec mundi consensus. Ex quo habetur ad spirituale coniugium non esse necessarium consensum absolutum & actualem, sed Christum Dominum illum posse supplere, sicut sponsalia solent cum impubere celebrari ex parentum voluntate conditione cum filiorum importante: vnde si tacitè postea consentiant, ratificantur, iuxta *Cap. vnicum.* de desponsatione impuberum §. *Porrò.* Pro quo P. Thomas Sancius *Lib.* 1. *de Matrimonio Disput.* 23.*n.*16.& 17.

3. Quamuis certam notitiam confirmationis sufficiens est.

258. Dico Tertiò. Quæuis certa notitia confirmationis sufficiens est, præcedente præsentatione, vt Auxiliaris esse possit Confortator. Hoc à fortiori concederet Dom. Solorzanus, qui in *Politica Lib.*4. *Cap.* 7. §. *Loque estos dies*, & *seqq.* tradit Litteras Apostolicas non esse necessarias ad assumendam Ecclesiæ gubernationem, & etiam ad consecrationem multis conatur ostendere, certa ad id per epistolas, aut aliter, notitia sufficiente. Et quidem licet multùm probent, quę tantus Doctor adducit, & ideò minùs vt *in Thesauro ostendi Tomo* 2. *Tit.* 13.*n.*23.& *seqq.* iuxta vulgare effatum, argumentum quod multum probat, nihil probat: nihilominùs ad negotium præsens aliqua satis commoda sunt. Et tacit maximè Nauarri doctrina in *Cap. Accepta* de restitutione spoliatorum *oppos.*8. *à nu.*13. dispositionem *Extrauag. Iniunctæ* exorbitari à iuris communis dispositione tantam fidem adhibentem testibus, quantam instrumentis *l. in exercendis C. de fide instrument.* & propterea non esse extendendam ad alium casum vltra ibidem expressum, quod varijs demonstrat exemplis. Atqui casus, de quo loquimur, in illa expressus non est, immò neque per legitimas potest consequentias inferri: ergo potetit stare quod intendimus.

Iam Confirmationis sufficere.

Dom. Solorzanus.

Nauarrus.

Extrauag. Iniunctæ.

259. Præterea (& est consequens ad dicta) loquendo magis in particulari, Confirmatio Episcopi, sicut & quæuis alia gratia Apostolica, potest per testes probari ex Sacræ Rotæ auctoritate *Decisione* 17. *de Rescriptis*, in nouissimis, quod & tradunt Ascanius Tamburinus *de Iure Abbatum Tomo* 1. *Disput.*16. *Quæst.*2. Salgadus *de retentione Bullarum* 2.*p.Cap.*26.*n.*30. & alij. Atqui hæc probatio aliquos habere debet effectus; aliàs esset inutilis: ergo & hunc, de quo loquimur, in quo nulla peculiaris occurrit ratio, propter quam debeat id negari. Item præsentatio per epistolam probatur. *Cap. Ea noscitur*, de his quæ fiunt à Prælat. ibi: *Eorum Abbates aut per se, aut per litteras, personas idoneas Episcopis diœcesanis præsentent.* Quod adducit Nicolaus Genua *de Scriptura priuata lib.* 3. *Cap.*26. *nu.* 1. & vtrumque Dom. Solorzanus. Cui tamen opponi potest non quascumque litteras pro præsentatione admittendas, sed sufficientes ad faciendam fidem in iudicio, quia sigillo, aut testibus munitas. Et deinde, modò non agimus nisi de probatione confirmationis, pro quo non benè videtur induci dispositio dicti Capitis, in quo litteræ non sunt præsentationis probatio, sed præsentatio ipsa, quæ quidem à Patrono absente aliter fieri non potest. Nihilominùs non est probatio ista penitus reijcienda, adiuncta doctrina Glossæ in *verb. Per litteras*, vbi sic ait: *Potest ergo quis per litteras præsentari, argumento* 62. *dist. q.* 1. 2. & 3. *Quid si contradicatur litteris? Stabitur eis, donec contrarium probatur. De probationib. Post cessionem. Vbi de hoc,& supra de testibus. Cùm à nobis.* Sic Glossa. Conseruator quidem non potest in causa procedere (illè inquam, de quo hîc agimus, vbi scilicet Rei sunt Religiosi) nisi annuente parte contraria, quæ exceptionem potest in casu nostro deficientis Confirmationis opponere & sic cessabit quæstio, iudice recusato: admisso autem, & sententia iam lata, nequit incompetentiâ obijci, habita notitia per litteras, quia *quod semel placuit, amplius displicere non potest*, vt est nota Regula iuris *in* 6. & *scienti ac volenti nulla fit iniuria*, vt ibidem. Sicut & *eum qui*

Poteſt per teſtes probari.

Cap. Ea noſcitur.

Præſentatio per Epiſtolam, vt ſtare queat.

Dom. Solorzanus.

Glossa.

Partis deſ. conſenſus accedere.

Regula iuris.

qui est certus, amplius certiorari non opertere. Et vt probationi locus detur, quid inde? Cum certum sit Confirmationem à Sede Apostolica iam obtentam: vnde contrarium nequit comprobari, & ita nec parti officere, in cuius fauorem sententia fuerit pronuntiata.

4. Solam præsentationem in Indijs sufficere, est probabile.

260. Dico Quartò tamquàm probabile præsentatum ad Episcopatum, in Indijs posse eligi Conseruatorem. Probatur, ex dictis *n.*153. Quia præsentatus pro Ecclesia iam erecta potest gubernationem assumere, & præsidere Capitulo, aliaque obire Episcopalia munera, quæ in illo arguunt dignitatem, vnde & esse Conseruator poterit, quod minus esse videtur comparatione aliarum functionum. Quod quidem, vt dixi, non sine Sedis Apostolicæ approbatione fieri credendum est, vt hoc pacto distantissimis Ecclesijs subueniatur. Atqui hoc idem in Auxiliari Episcopo suo modo locum habet, qui alijs par quantùm ad Episcopalem dignitatem, & pro necessitate datus, vnde & seruire in omnibus potest, quæ sine consecratione præstari valent, cui & Episcopales deferuntur honores, & eisdem titulis honoratur. Et quidem cùm esse Conseruator queat simplex Canonicus, quomodo non credibile sit iuxta Sedis Apostolicæ mentem fore vt Episcopus iam præsentatione in omnium oculis & conceptu talis, dignusque dignitate illa sublimi reputatus, id munus obire possit?

5. Non expedire.

261. Dico Quintò. Licet probabile sit quod diximus, non videtur in facti contingentia expediens. Id probo, quia cùm turbida sit iurisdictio, periculum subest nullitatis, cùm apud Sedem Apostolicam fuerit appellatum, & ita causa, circa quam est formatum litigium, per longa annorum spatia prorogabitur.

Censuris vt possit vti.

Dices ex conuentione partium posse iurisdictionem certiorari, dum illæ sunt qualicumque illa contentæ. Sed contra hoc est iam non futurum Conseruatorem, sed arbitrum, aut compromissarium. Vnde neque vti censuris poterit, neque in secunda instantia ad Sedem Apostolicam recursus haberi, vt tradit Glossa in *Cap. Arbiter* de officio & potestate iudicis delegati in 6. *Verb. Appellandum.* In casu autem admissionis vt delegati sub probabili illa ratione censuris vti poterit, quæ probabiliter ligabunt, & ad deferendum illis partes tenebuntur, quia & se, dum in iudicem conuenerunt pariter obligarunt. Quòd si non obstante inconueniente illo de litis protelatione, velint nihilominùs sub tali iudice litigare, pergant vt libuerit, sibi enim, & non alijs, quod molestiæ interuenerit, imputandum.

Glossa.

Defectum electionis in Synodo non obstare.

Ex ijs, quæ contra resolutiones præfatas fuere obiecta, illud tantùm videtur obstare, quod de electione in Synodis facienda futurorum iudicum Clemens & Gregorius Pontifices decreuerunt. Ad quod imprimis dici potest in Synodis posse Episcopos eligi, si id in illis necessarium videatur. Deinde priuilegium pro Indijs extare Vrbani Octaui, vt electio talis non sit necessaria, si quando causa instat Conseruatore indigens, nec taliter electi iudices inueniuntur. Pro quo & extat Decisio sacræ Congregationis roborata ab Innocentio X. in Breui pro causa Episcopi Angelopolitani, quod adducit Lezana *Consulto* 4. *in responsione ad Quæsitum* 7. *pro parte Societatis*, vbi tamen typographi incuria est incongrua collocatio. Præterea, In Episcopis non videtur dispositio illa procedere vt ex illius tenore colligitur, dum de dignitatem habentibus in Ecclesia, aut personatum, vel Canonicis loquuntur, sicut & Concilium, & Bonifacij Octaui constitutio, ad quam se referunt omnes dicti. Ex qua quidem id videtur elici posse, dum §. *Insuper* sic dicitur: *Insuper vt gratis,& cum omni puritate iudicium coràm ipso procedat, nullum munus, vel quidquid aliud, nisi forsan esculentum,& poculentum mera liberalitate oblatum, quod paucis consumi possit diebus, vel nisi cùm ipsum propter causam sibi commissam contigerit extra suum domicilium proficisci, moderatas expensas recipere ab eisdem partibus qualitercumque præsumat.* Sic ibi. Cùm ergo non sit verosimile Episcopum Conseruatorem extra suum domicilium profecturum propter causam, de qua agitur; ex eo videtur fieri de illis non esse sermonem, cùm de electione in Synodis decernitur. Præterquam quòd si in Synodis tales iudices electi non sunt, & causa indigens Conseruatore instat, non est sine talis recursus remedio pars indiga relinquenda. Tunc ergo deficiente eo quod specialiter est dispositum, ad ius est commune prouocandum, & ita iuxta dispositionem dicti *Cap. Statum* electio facienda, in qua nihil de synodali designatione.

Bonifacij 8. Constitutio.

§. III.

Circa recusationem electi Conseruatoris quid difficultatis attenta Pontificia dispositione, cum vtilibus adnotatis.

Constitutio Greg. 15.

263. Debent Episcopi iuxta illam, vt videre est in citato Decreto Gregorij XV. curare vt in Synodis diœcesanis aut Prouincialibus quamplures personæ habentes qualitates, de quibus Bonifacius VIII. in sua Constitutione, designentur, vt sint Regularium Conseruatores: & Regulares ipsi tenentur ex eisdem eligere, vt in casus contingentia apud eos conueniantur, statuto pro electione termino, & negata mutandi illos facultate, nisi ex causa ab Apostolica Sede, aut ab Ordinarijs approbata. In quo quidem aliqua notatu digna occurrunt. *Primum* Ordinarijs non imponi præceptum, sed admoneri tantùm vt id præstent, vnde non videtur circa illud stricta obligatio consurgere. Et ita in Synodis occurrere conuenientes aliquæ rationes possunt, vt designatio talis omittatur. *Secundum*, Cùm Pontifex de electione à Regularibus facienda vtatur verbis illis, *statuit, & ordinat*, debere illos eam formam seruare, stante prædicta designatione: ea autem non extante, liberos prorsus esse ab huiusmodi obligatione. *Tertium*, non propterea apud Ordinarios esse conueniendos, cùm per ipsos non steterit impositi oneris adimpletioni defuisse. *Quartum*, Cùm Pontifex in fauorem Regularium admoneat quamplures esse personas designandas, non adimpleri voluntatem istam paucis designatis, & ita cessare obligationem eligendi ex ipsis. *Quintum*, neque Ordinarijs obligationem incumbere designandi, quando non plures inueniuntur cum qualitatibus requisitis, immò & si plures, non tamen quamplures, quod plus dicit: & cùm

Aliqua notatu digna circa istam.

manifestè in fauorem Regularium sit ita dispositum, non sufficit pluralitas, quæ in duobus potest saluari *Cap. Hoc quoque dist. 1. de Consecrat. l. vbi numerus. D. de testibus.* & iuxta hoc procedere potest conuenientia, de qua dictum *in prima adnotatione*, vt non designentur in Synodis personæ dictæ, quia fortè sunt illæ perpaucæ, & in quibus non sit locus electioni inter quamplures Religiosis indultæ. *Sextum*, non esse necessarium ex vi Decreti prætati vt Religiosi ex pluribus designatis vnum tantùm eligant, sed posse plures, quia in illo obligationis huiusmodi fundamentum non apparet, cùm semper loquatur in plurali. Illud enim quod ait, *Eiusque electionis seu assumptionis documentum* &c. electionem ipsam seu assumptionem, non personam indicat, perinde ac si diceret, *Talisque electionis, seu assumptionis.* Quod ita necessariò intelligendum, vt leges Grammaticæ constent, cùm de Conseruatoribus in plurali sit præmissa locutio. *Debeant sibi eligere, siue assumere Conseruatores. Tandem* iuxta nuper allata verba, videtur obscurè innui omnes in Synodis designatos posse, vt Conseruatores admitti. Non enim tantùm electio conceditur, sed assumptio, quæ cùm distincta ab electione sit, ad omnes debet extendi: si enim ad aliquos tantùm, erit electio, quæ nihil est aliud quàm assumptio vnius præ alio.

Eliditur obiectio, vt non possint omnes designati in Synodis à Religiosis eligi.

264. Cui vltimæ adnotationi potest opponi id, quod in eodem Decreto disponitur, scilicet semel facta electione, non posse durante quinquennio amoueri, aut mutari deputatos, nisi ex caussa ab Apostolica Sede, aut ab Ordinarijs, approbanda. Id enim videtur innuere electionem faciendam, alias non posset habere locum amotio & mutatio, cùm ex assumptis possint alij eligi, si vnus aut alter ex eisdem, expectationi eorum, qui assumpserant, non videatur respondere. Ad quod dicendum dispositionem dictam locum habere commodè posse quando facta est electio determinatæ personæ, in quo non est difficultas. Item & in assumptis, quia fortè in omnibus aliquid potest occurrere, quod legitimam reddat caussam remotionis aut mutationis.

Quid amotis omnibus.

265. Sed quid tunc amotis omnibus, qui in Synodo fuerant designati? Non equidem substituendi alij ab Ordinario cum Consilio Capituli, quia id tantum ibidem statuitur in casu mortis, sicut à Concilio Tridentino *Cap. 10. citato.* Vbi Declaratio Cardinalium habet Textum hunc habere etiam locum in diuturna absentia, quæ æquiparatur morti. Non est ergo dispositio dicta ad casum, de quo agimus, extendenda, cùm de illo agens Pontifex nihil peculiare prouiderit, vnde ad ius est Canonicum recurrendum, & eligendus Conseruator habens reliquas qualitates, sicut in simili n. 262. dicebamus.

266. His præiactis, circa recusationem talis electi difficultas occurrit, an illa stare possit. Et *Primò* an à parte, quæ elegit. *Secundò* an ab alijs, & quibus de caussis. *Tertiò*, ad quem debeat caussa deuolui caussis recusationis probatis. *Quartò* apud quem debeat caussa recusationis agi, & consequentes aliæ dubitationes.

Recusari à parte eligente potest P. Fragosus.

Circa Primum variè Scriptores opinantur, & res in ambiguo est, vt videri potest apud P. Fragosum *Tomo 1. Lib. 5. Disput. 12. n. 218.* sententiæ affirmatiuæ vt veriori suffragantem, quam etiam tenet P. Thomas Sancius *Libro 6. Consiliorum Cap. 8. Dub. 3. n. 12.* sed difficultas hæc videtur in casu, de quo à nobis instituta quæstio, cessare. Cùm enim Pontifex suo in Decreto formam statuat circa eligendorum amotionem aut mutationem, vt vidimus, in eo est caussa recusationis inclusa; qui enim amouetur, aut mutatur, ob rationes ab Ordinario approbatas, vtique recusatur: nam recusatio ante litem inceptam stare potest. Quidquid autem circa nomen argutari libeat, videtur certè quoad rem ipsam nihil esse, quod negotium possit facessere. Nihilominùs quia post litem inceptam recusatio accidere potest, in eo casu locus videtur relinqui quæstioni, in quo Ordinarius iam esse iudex nequeat, quia Gregorius XV. in his terminis non loquitur, vnde caussa recusationis apud aliud videtur agitanda tribunal, arbitris inquàm à partibus nominandis; pro quo citatus Scriptor *n. 231. & seqq.* & est expressa decisio in Cap. *Suspicionis*, de officio, & potest. iudic. deleg. *Lib. 1. & in Cap. Legitima: de Appellation. in 6.* & ipso iudice recusato compellente vt suo muneri satisfaciant, sicut ibidem statuitur.

P. Sancius

Sicut & alijs.

267. Circa Secundum constat ex nuper dictis Conseruatorem recusari posse potiori ratione. Si ergo omnes designati iuxta formam Gregorianæ Constitutionis recusentur, non ideò sunt alij eligendi, sicut in casu mortis ordinatur, iuxta dicta *n. 265.* sed communis iuris sunt statuta seruanda, sicut *ibidem* quod & in casu præcedenti dicendum. Neque in Episcopo Auxiliari specialis est ratio, propter quam recusari nequeat, cùm possit Ordinarius ipse recusari. Pro quo Barbosa in *Cap. Cùm speciali, de Appellat. n. 10.* quamplures adducit. Et supponunt Scriptores quæstionem illam tractantes, An recusato Episcopo, sit etiam eius Vicarius recusatus: pro quo est Sacræ Rotæ Decisio affirmans 24. *Ianuarij* 1575. & generalis ipsorum doctrina, iuxta quam soli supremi Principes, & ita Concilium Generale, cui Papa præest, nequeunt recusari, vt videri potest apud citatum Auctorem n. 225. Patrem inquam Fragosum, & apud P. Thomam Sancium *supra nu. 9.* qui cum Franco, & Immola idem asserit de Cardinalibus.

De caussis Recusationis.

Modica caussa quæliter ad recusationem sufficiat.

268. QVod ad illas attinet sunt equidem quamplures, & decem & octo enumerat Hostiensis circa citatum *Cap: legitima.* Et ibidem prosequitur Ioannes Andreas in *sua Nouella.* Pro quo & Glossa in Cap. *Cùm R.* de Officio & potest. iud. deleg. *littera C.* vbi & multas proponit in venustis carminibus comprehensas. Vbi item affirmat ad recusationem sufficere modicam caussam, quod & aliqui Doctores amplexi, quibus se P. Fragosus opponit, quia experientia docet sæpe sæpiùs litigantes recusare iudices maximè, qui sunt integerrimi & incorrupti, eo animo, vt vel lites in infinitum prorogent, vel vt alios iudices flexibiles obtineant. Nam priores non debent facilè iudicari suspecti, teste Speculatore, quem refert & sequitur Abbas in *Cap. Postremo*, de Appellat. Alexander, *l. Qui iurisdiction. ff. de iurisdict. omni. iudic. nu. 6. & ibi* Iason *nu. 10.* & alij quos

P. Fragosus

quos allegat & pro eo laudat Menochius de *Arbitrar. lib. 2. Casu 152. nu. 7.* & Tiraquellus *de pan. legum Caussa 51. n. 60. & seqq.* Quod quidem negari nequit quin sit valde consonum rationi, præsertim si feminæ sint actrices: istę enim iudices notæ integritatis abhorrent, quos sciunt à se non esse suis artibus leniendos: & nullum non mouebunt lapidem, vt iudicem sibi arridentem consequantur. Vnde & litigium nimium quantum protelabitur contra Pontificis voluntatem de qua in citato *Cap. legitima* expressum habemus documentum.

Iudicem suum declarasse sensum vt obsset.

269. Inter caussas recusationis vna illa' communiter numeratur, si iudex animi sui votum circa sententiam aperiat, quia inspecto processu iustitiam vnius ex partibus deprehendit. Quam esse sufficientem tenent Ioannes Andreas, Abbas, & alij in *Cap. Irrefragabilis §. Excessus* de Officio Ordinarij, & Aufrerius *Tractatu de recusatione n. 15. vers. Decima octaua, si iudex,* & Iason *in l. Apertissimi n. 9. vers. Decima caussa 6. de iudicijs.* Quod tamen displicet P. Fragoso, nisi quando malitiosè id fit, vt pars desistat vel componatur cum parte altera ius non habente. Et Romæ fieri solitum se audiuisse affirmat à fide dignis: id quod ex Giurba tradit Barbosa Lib. 1. votorum decisiuorum &c. voto 66. nu. 20. eidem sententiæ adhærens, pro qua, sicut & pro contraria Doctores adducit. Dicunt enim Auditores Rotæ palàm quod sentiunt partibus aperire solitos, neque ob id liberè loquentes solent vt suspecti recusari. Posset autem media in hoc via teneri, vt si caussa concluſa non sit, & iudex animi destinationem aperiat, recusari queat, secus si iam sit illa concluſa. Quid enim apertio talis importat, propter quod iudex possit haberi suspectus? & idem esset si ante conclusionem caussæ diceret sic: *Iuxta probata hucusque pars N. non benè fundatam habet suam intentionem, & proculdubiò caussa cadet, nisi noua fundamenta succurrant.* In hoc enim cum sinceritate pronuntiato nihil est quod possit apud prudentes vel vmbram sinistræ suspicionis ingerere. Vnde audiui grauissimum & doctissimum iudicem, & Scriptorum suorum auctoritate notissimum, à quo cùm pro parte cuiusdam litigantis quidam ei familiaris litteris datis fauorem in sententia petiisset,' id datum responsi: *Faciam quod petitur: sed opus est vt Aduocati promouendo in iure laborent.* Planè significans pro petente non posse ferri sententiam, stante caussa in eo statu, quem tunc habebat.

Dom. Solorzanus.

Mortale in eo peccatum & cum infitutionis onere.

270. Sed numquid peccatum mortale erit animum propalare suum vt recusetur iudex, quia non vult partis alterius indignationem incurrere, aut eos infensos habere, qui pro illa vehementiùs intercedunt? P. Fragosus satis significare videtur ita esse, dum condemnat malitiosè facientem ob duos illos fines, vt scilicet desistat, aut componatur pars, cui ius manifestè assistat, & solùm sinceram detectionem excusat: quod quidem & in casu, de quo agimus, pariter locum habet, non enim sincera detectionis intentio est, sed profectò malitiosa, dum respectibus humanis iustitia posthabetur: quo & fit vt partis, quæ ius habet, indignationi reddatur obnoxius, & boni nominis patiatur iacturam: quæ quidem indignationis illius molestiæ non solùm pares sunt, sed & illam vi-

dentur superare. Vnde & restitutionis obligatio emergit, dum caussa est vt multiplicentur expensæ. Quòd si caussa in manus imperiti iudicis veniat, aut qui affectione ducatur, & ita sententiam pro parte recusante ferat, maior erit proculdubio obligatio, cùm damnum circa totum versetur interesse, quod in lite vertebatur. Immo & si sententia in fauorem feratur alterius, non erit ab obligatione restitutionis immunis, dum caussa est inutilium expensarum, quas non fecisset, si sententiam ille quando potuit & debuit, pronuntiasset. Nec dici potest expensas dictas nō esse inuolūtarias parti, & scienti ac volenti non fieri iniuriam, quia absolutè loquendo inuoluntariæ sunt, neque enim placent, & maluisset sententiam priùs fuisse contra se latam, quàm nouorum sumptuum occasionem exhiberi. Quamquam hoc vltimum non ita certum vt prius: fundaturque in doctrina communi, de quo P. Lessius *Lib. 2. Cap. 7. Dubit. 3.* iuxta quam non excusat obligationē restitutionis quæuis voluntaria consensio, si non penitus talis sit, quod in vsuris, & alijs, Doctores obseruant. Bene verum est quòd si iudex parti, cùi ius non fauet, animum aperiat suum, & illa peteret vt id palàm faceret, daturus recusationi sufficiens fundamentum, non esset obligatio dicta: ibi enim ex nullo capite apparet iniuria contra sic scientem & volentem, benè tamen contra partem aduersam, iuxta dicta. Videndus Barbosa *citato Lib. 1. votorum voto 24. in fine*, vbi ex bonis Auctoribus infamiam & pœnam taliter operantium expendit.

P. Lessius.

Exceptio quadam.

Ad quem debeat caussa deuolui caussis recusationis probatis.

Recusationis caussis probatis cessat penitus iurisdictio in recusato.

271. HOc est *Tertium*, circa quod inquirendum, & in quo statuendum in primis, caussis recusationis arbitrorum sententia probatis, principalem caussam nullo modo posse ad iudicem recusatum deuolui, quia in eo penitus iurisdictio cessauit, ita vt neque committere illam alteri possit. Ita expresè in *Cap. Iudex ab Apostolica*, de officio iudicis delegati *in 6.* in quo sic dicitur: *Post recusationem quoque propositam committere (nisi de recusatoris procedat assensu) non potest: sed eo volente hoc potest, etiamsi iam recusatio eadem sit probata: dummodò pronuntiatum non fuerit super ea. Ex tunc enim (cùm omnino iudex esse desierit) nulla etiam cum illius assensu potest fieri commissio per eumdem* Sic ibi. Pro quo P. Thomas Sancius *supra n. 38.* & P. Fragosus *n. 223.*

Cap. Iudex ab Apostolica.

Ex eodem Capite.

Vt possit suspectus caussam alteri committere.

272. Sed maior difficultas est circa priorem partem citati Capitis, in qua sic habetur: *Iudex ab Apostolica Sede datus, quamuis legitimè recusari valeat vt suspectus, potest licitè vices suas committere antequàm recusatio contra ipsum proponatur. Et si in totum commiserit, recusari vlteriùs, aut facta per eum commissio impugnari nequibit: quod posset, si sibi de iurisdictione aliquid reseruasset.* Iuxta quæ quatuor status possunt considerari in ordine ad recusationem. *Primus* quando iudex extra iudicialiter intelligens se haberi suspectum, caussam alteri committit. *Secundus*, quando si non commisit, recusatio iudicialiter proponitur. *Tertius* quando designati arbitrio recusatio est probata, id est, per testes concluſa caussa. *Quartus* quando

sententia lata est super huiusmodi probatione, & iusta declarata recusatio. In Primo currit dispositio dicta, vt committi causa principalis alteri possit. In duobus sequentibus etiam, sed de partis alterius assensu. In quarto nullo modo. Sed Glossa proponens speciem casus, tertium illum omittit, cum tamen eo proposito sic in Annotationibus dicat: *Nota præterea quod plus impedit exercitium actus sententiæ prolatio, quam sola probatio rei, super qua ferenda est sententia.* Sic illa. Bene verum est in *Cap. Secundo requiris*, de Appellat. causam probatam pro ea sumi, super qua est pronunciatum.

Gloſſa.

Cap. Secundo requirit.

273. Quidquid autem de hoc sit, ex dispositione circa priorem casum difficultas insurgit, An scilicet in iudice Conseruatore, qui delegatus est, id possit locum habere, ita vt causa alteri committi possit, aut etiam ad Sedem Apostolicam, parte etiam repuguante remitti, iuxta dispositionem *Cap. Cùm speciali §. Statuimus*, in fine, vbi sic habetur: *At ipsa* (causa suspicionis) *probata legitimè, de recusatoris assensu personæ idoneæ committat negotium recusatus: vel ad Superiorem transmittat, vt in eo ipso procedat secundùm quod fuerit procedendum.* Sic Innocentius Tertius. Vbi cum de recusatoris assensu id fieri possit, quando causa recusationis est probata, immò & sine illo, vt sentiunt Abbas, Iosephus Cumia, & Osascus apud P. Fragosum *nu.* 234. circa quod videri potest Barbosa *Bibro 1. de votis decisiuis &c. verb. 24. nu. 27. & seqq.* Videtur dicendum idem fieri posse ante propositam recusationem sine tali assensu, sicut enim sine illo committi potest alteri ita & transmitti ad Superiorem, quod magis apparet conueniens, sicuti & magis consequens ad iudicij legitimi conditionem, iuxta quem ille futurus iudex qui & superior, vel ab eo specialiter deputatus, quod non inuenitur in deputato deputati. Licet autem communis Doctorum sententia sit cum Glossa in hoc Capite sermonem tantùm esse de iudice Ordinario, non verò de delegato, pro quo & citati Patres Sancius & Fragosus: ille *n.* 39. & hic *n.* 223. non ideò vis rationis adductæ videtur elidi, & quia eadem apparet ratio, vnde eadem iuris dispositio, vbi contrarium non esse decisum comperitur.

Cap. Cùm speciali.

Quod & in Conseruatore locum habet.

Ex eodem Capite.

274. Dici etiam potest in fine prædicti Capitis sic concluisse Pontificem: *Ceterum has duas Constitutiones præmissas nolumus ad Regulares extendi contra suas speciales obseruantias.* Non ergo potuerunt illi in negotio conseruationis illam ad sui defensionem assumere, cùm pro eorum obseruantia id sit statutum à Sede Apostolica, quod iam est à nobis in superioribus explicatum. Constitutio alias de qua sermo, ad appellationem spectat, vt cum Innocentio, Ioanne Andrea, Abbate & Alexandro de Neuo tradit P. Sancius *Lib. 6. in Decalogum Cap. 8. n. vltimo.* statuente Pontifice vt friuola non admittatur: in dubijs causa probabilis coràm iudice sit exprimenda, quæ debeat legitima reputari? quam, si non prosequitur, iudex à quo in causa procedat, sicut si prosequatur, & non probet. Talis enim limitatio in fauorem Regularium non est, sed vt ipsi in suorum institutorum obseruantijs perseuerent: quod ab Alexandro Tertio statutum in *Cap. Deprehensibilis*, eodem titulo. Semper enim Sedi Apostolicæ Regularium appellationes odiosæ extiterunt, vnde & recusationes *citato in Capite* pariter propositæ: licet negari nequeat locum habere aliquando posse: pro quo P. Sancius *supra* & Lezana *Tomo 1 Parte 1. Cap. 9. nu. 8. & Tomo 2. verb. Iudex & iudicium Regularium* & verbo *Recusatio iudicis Regularis*, in cuius *n. 1.* illicitam & abominabilem vocat talem recusationem regulariter loquendo, qui & alios adducunt.

Quid obstare videatur pro Religione.

Cap. Reprehensibilis.

P. Sancius, Lezana.

275. Sed his non obstantibus positio superior potest sustineri, quia non est vllo modo obseruantiæ contraria, sed eidem consona: non enim agitur de recusatione propriorum Prælatorum, sed externorum, & causa ad Pontificem transmittitur, in cuius incorruptissimo Tribunali limpidius iudicatur. Id quod ex verbis eiusdem Alexandri habetur manifestum, dum sic ait *Præcipuè hoc in Religiosis volumus obseruari: ne Religiosi, cùm pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra regularem Prælati sui & Capituli disciplinam appellare præsumant, sed humiliter ac deuotè suscipiant, quod pro salute sua fuerit eisdem iniunctum.* Sic ille: qui & in Cap. *Ad nostram* eodem titulo. Sic locutus: *Quia verò remedium appellationis non ideò est inuentum, vt alicui à religionis & Ordinis obseruantia exorbitanti debeat in sua nequitia patrocinium exhibere: Mandamus quatenus si quando quilibet subditorum tuorum ad remedium appellationis conuolauerit, non ideò minùs eum iuxta tenorem mandati, quod in prædicta regula continetur, & institutionem Ordinis corrigas & castiges.* Hæc Pontifex, à quibus valde id distat, de quo est quæstio, in quo potiùs pro obseruantia regulæ & Ordinis, & nullo modo pro inobseruantiæ & nequitiæ patrocinio militatur: dum iudex ad Pontificem causam transmittit, cum omni religiosi nominis honorificentia iudicandam.

Sed nihil obstare ostenditur.

Cap. Ad nostram.

276. Videtur autem hoc in Indijs specialem difficultatem habere, esset enim grauamen ingens, si pars litigans, & de recusatione tractans compelleretur iudicium Papæ subire, in quo præter molestissimam dilationem sumptus etiam maiores faciendi, cùm tamen, vt vidimus n. 268. dilationes huiusmodi contra Sedis sint Apostolicæ voluntatem. Verùm neque hoc videtur obstare, quia pars, contra quam fuerit lata sententia, potest ad Sedem Apostolicam appellare, in cuius appellationis prosecutione dilationes maiores, nec minores sumptus, debebit, qui appellauerit, deuorare. Et in articulo ipso recusationis appellari ab arbitris potest, & appellatio ad Papam futura, vt ait Glossa *in Cap. Suspicionis lit. g.* Cùm enim pro Indijs non aliud sit ius Canonicum constitutum, dum speciale aliquid non statuitur, iuxta illud in causarum decisionibus procedendum. Est autem pro illis vitandis cautela facilis, dum de recusatione agitur, si is, qui iudicem habet suspectum, id seruet apud se, & eos, qui in lite sunt patrocinium præbituri, aduocatum scilicet, & notarium, ac procuratorem, ne iudici innotescat suspicio, nisi quando est proposita: tunc enim sine recusatoris assensu non poterit, sicut neque alteri causam committere, ita neque illam ad Apostolicam Sedem transmittere, iuxta ipsius Sedis dispositionem, de qua dictum.

Etiam in Indijs.

277. Poterit etiam nouum & inauditum videri vt iudex Conseruator alteri causam delegare possit præsertim inuito recusatore, cùm omnia ea, quæ ad Conseruatorem iudicem spectant, sine Apostolica auctoritate prouisa, & nihil tale in sic dispositis habeatur. Sed hoc non videtur vrgere; in primis non erat necessarium id in particulari exprimi, quod est pro iudice delegato ex vi iuris Canonici compertum. Deinde dum Gregorius agens de Conseruatorum obiectione, ad ius se commune refert, & Concilij Tridentini dispositionem alleget, competentiamque inter Conseruatorem & Ordinarium per arbitros in forma iuris electos statuat iudicandam, satis indicat in alijs etiam, quæ possunt occurrere, eiusdem etiam esse dispositionibus inhærendum. Et quidem neque Pontifex in *Cap. Statutum*, neque Concilium Tridentinum de Conseruatoribus, eorum sunt expresso nomine prolocuti, sed de iudicibus delegatis. Quia verò Conseruatores iudices delegati sunt, satis id visum Pontifici, vt quæ de iudicibus delegatis dicta fuerant, ad Conseruatores applicanda declararet. Præterea, quod de non vsu dictum, nimium probat, quia neque ex consensu partis vidimus causas alijs committi à iudicibus delegatis, cùm tamen certum sit id fieri posse. Conseruatorum munus valde solet esse molestum, & qui recusantur, facilè desistere solent, & se ab ea cura breuiter & libenter expediunt, si recusatio accedat, vnde ad terminos dictos rarò etiam deuenitur.

Id quod nec nouum, nec inauditum.

Circa recusationis iudicem resolutiones vtiles, & circa alia concernentia ipsam.

Causa recusationis agenda apud iudicem recusatum.

278. Circa Quartum apud quem debeat causa recusationis agi dictum iam; agenda enim est apud ipsum iudicem recusatum, quatenus ad arbitrorum electionem cõpellere potest, & terminum eis præfigere, iuxta ea, quæ in *Cap. Suspicionis*, de Officio iudicis delegati, & Cap. *Cùm speciali*, de Appellat. licet hoc in iudice Ordinario procedat, & in *Cap. Legitima*, de Appellat. *in 6.* iam citatis expressum habetur. Est autem in prædictis Capitibus obuia diuersitas. Nam in *Cap. Suspicionis* statuitur vt arbitri totum id præstent, quod ad recusationis articulum spectat, & ita possunt & debent terminum assignare. In *Cap.* verò *Legitima* assignatio termini iudici recusato defertur. Prioris verba sunt: *Possunt ad hoc terminum assignare*, scilicet arbitri. Posterioris: *Statuimus vt ipsis arbitris per iudicem competens terminus præfigatur.* Vbi Bernardus Glossator censet priorem Decretalem posteriore correctam. Sed Glossa in citatum *Cap. Legitima Lit. Q.* id negat, & Barbosa in *Cap. Suspicionis* nu. 5. vbi Suarez de Paz adducit. Prior enim Decretalis loquitur in termino partibus assignando ad probandum, id est, parti, quæ suspicionem vult probare, quem non qui recusatur, sed arbitri debent assignare, vt ibi. Posterior in termino assignato arbitris ad causam finiendam, quem non arbiter, sed recusatus iudex debet statuere. Idem habet Glossa in *Cap. Suspicionis Lit. a.* vbi ait anteà dici consueuisse. vt Bernardi sententia non debeat dici singularis. Sed videtur sanè nihil contrarium in dictis extare Capitibus; additum tamen in posteriori id quod ad conclusionem causæ cum litigantium com-

Circa terminum arbitris designandum difficultat. Cap. Suspicionis. Cap. Legitima.

Barbosa.

Quomodo compellendi, & compellere possint.

Cap. Legitima.

179. Arbitris quidem vt quidquid ad articulum recusationis spectat concludere possint, est commissum, & vt ad hoc possint terminum partibus assignare; additumque statim: *Ab ipso quoque iudice (cui sicut iurisdictio, sic & cetera sine quibus explicari causa non potest, intelliguntur esse commissa) idem vt conueniant (si discordes fuerint) in vnam sententiam, vel tertium concorditer aduocent, cum quo duo, vel alter eorum id faciat, sunt cogendi; ne huiusmodi occasione principale negotium plus debito prorogetur.* Iuxta quæ videtur manifestum posse iudicem talem cogere assignato termino, quod omnino est ad intentum Pontificis necessarium; aliàs non poterit explicari causa pro qua est iurisdictio commissa; cùm tamen commissa dicantur omnia: quandoquidem assignatio termini vnum ex maximè necessarijs adiumentis sit, ex cuius defectu ea visa incommoda, quæ Pontifex in citato *Cap. Legitima* commemorat: dum aliqui quod reuera statutum fuerat, quia non ita expressum, vti penitus inconcessum reputantes, ipsam excommunicationis pœnam à iudice impositam vilipendebant. Concludit Pontifex citatum modò Caput verbis illis: *Alioquin iudex ex tunc in principali negotio procedere non omittat.* Quod quidem in *citato Cap. Suspicionis* non extabat.

Virba ex eodem.

280. Sed certè in generali illa commissione inclusum apparet: vult enim Pontifex cum iurisdictione commissa omnia etiam committi, quæ sunt ad expeditionem causæ necessaria, & negotium plus debito minimè prorogandum. Vnde consequenter habetur arbitris in gratiam aut odium partium suo in munere claudicantibus, posse iudicem procedere in negotio principali. Et sic habetur in *Cap. Cùm speciali*, & circa terminum, & ita processum vsque ad causam terminandam, ibi: *Causa verò suspicionis legitima intra competentem terminum non probata, sua iurisdictione iudex vtatur.* Competens namque terminus ille est, quem iudex arbitris designauit, vt intelligunt Doctores apud Barbosam *in Collectaneis num. 4.* Sicut etiam est competens ab arbitris partibus assignatus. Licet autem iuxta communem intelligentiam citatum Caput de iudice Ordinario procedat, ex eo tamen non leue desumitur argumentum, quia in eo non datur forma specialis, iuxta quam iudex recusatus debeat arbitris competentem assignare terminum, quia nihil tale expresè dicitur; supponitur tamen, vtpotè quod est ad causæ expeditionem necessarium: & cùm in delegato circa hoc non videatur esse magis specialis ratio vt id non debeat concedi, quàm in Ordinario, de vtroque videtur pariter iudicandum. Et ita iudicem recusatum, cuius id arbitrio relinquitur, posse præfinire terminum, iuxta quem arbitri debeant allegatam suspicionem expedire affirmat ex Oldrado, & Papiensi P. Fragosus *nu. 232. & 233.* vtroque Capite *Suspicionis*, & *Cùm speciali*, allegato.

Cap. Cùm speciali.

Ad iudicem delegatum extendenda decisio.

Qui recusari possint.

Quia verò contingere potest vt non vnus aut alter iudex Conseruator ab actrice parte recusetur, sed quamplures, id quod absolutè fieri potest, vnde & quæcumque Vniuersitas & Collegium, sicut Concilium Prouinciale, & Consistorium

Decurionum, vt videri potest apud P. Sancium *nu.* 8. & 10. Parlamentum totum, & Senatus, & omnes Doctores vnius ciuitatis, immò & Respublica, vt ex multorum Scriptorum sententia proponit P. Fragosus *n.* 216. & 225. quòd minùs videtur difficultatis habere, quando non copulatiuè, sed diuisiuè id præstatur. Nihilominùs quia contingere potest vt in recusatione tali malitiosè procedatur, repellendo plures, vt ad aliquem manifestum fautorem deueniatur, iuxta dicta *n.* 268. videndum est an iudex friuolam recusationis causam esse cognoscens possit in negotio procedere, ita vt non sit opus ad arbitrorum electionem deuenire. Videntur enim iura adducta sine limitatione ita statuere, vt recusatione proposita, illarum causas arbitri examinent: Si enim friuolæ sint, id ipsi declarabunt, & ita sine offendiculo in principali causa iudex recusatus progredietur.

Iudex potest friuolam recusationem repellere.

Sed nihilominùs verosimilius videtur non esse necessarium vt ad arbitros deueniatur, quando recusationis causa frustratoria comperitur, & quæ prudenti nulli, & ab affectibus libero possit momenti alicuius reputari. Eadem enim quoad hoc est illius ratio, quæ & appellationis, quæ, cùm friuola est, repellitur, iuxta *Cap. Pastoralis* de Appellat. ibi: *Nos igitur attendentes, quod per appellationem frustratoriam, etiam si non fuisset inhibita, negotium non debeat impediri &c.* Vnde *Cap. Cùm speciali*, vbi de recusatione agitur in Titulo de Appellationibus habetur, & eas Pontifex in eo copulat verbis illis: *Volentes etiam prouidere ne fortè commonitus frustratoriæ recusationis vel appellationis obtentu, monentis possit declinare examen.* Sic Pontifex, pergens statim circa eam opportunum remedium prouisurus. Et circa recusationem sic: *Statuimus vt si allegauerit se iudicem habere suspectum, coràm eodem causam iustæ suspicionis assignet.* Iuxta hæc ergo vbi causa recusationis iusta non est, neque verosimilem habet iustitiæ apparentiam, debet profectò repelli, & in negotio iudex procedere, & ita tenet Lezana *verb. Iudex & iudicium Regularium n.* 13. alios adducens.

Cap. Pastoralis.

Cap. Cùm speciali.

Appellatio in eo casu ad Pontificem.

283. Si dicas posse recusantem appellare. Id concedo, sed ad Pontificem. Quod sciens recusator, in recusationibus multiplicandis erit temperatior. Et ideò remedium hoc vti commodissimum deberent Conseruatores amplecti. Quod quidem in Episcopo Auxiliari, de quo præsens instituta quæstio, locum præ alijs habebit: cui nihil opponi poterit, quod iniustitiæ possit ingenerare periculum, nisi nugas, mendacia, fabulas, de quibus non est conueniens ab arbitris iudicari: vbi non immeritò timeri potest falsos inducendos testes, quorum testimonijs bonum optimi Præsulis nomen infuscetur. Cùm tamen Episcopus non solùm mortifero peccato, sed & illius debeat suspicione carere, vt ex D. Gregorio Nazianzeno *Apologia* 1. proponit doctus & ipse, ac vitæ integritate conspicuus Episcopus Dom. Barbosa de *illius potestate Titulo* 2. *Glossa* 3. *num.* 1.

§. IV.

De Assessore iudicis Conseruatoris. Vbi vtiles obseruationes.

Cap. statutum.

284. Circa Assessorem sic statuit Bonifacius VIII. in *Cap. statutum*, de rescriptis *in 6. Assessorem autem (vt quandoque faciunt aliqui fraudulenter) nisi eo indigeat (quod conscientiæ relinquitur eiusdem) sibi nequaquam adiungat: alioquin de suo proprio prouidere teneatur eidem. Si autem indigeat, ipsum neutri parti suspectum assumens, ei de competenti salario prouidè moderando ab eo, faciat à partibus communiter prouideri.* Hæc ille. Iuxta quæ statutum à Sede Apostolica, vt in causis huiusmodi, in quibus Religiosi rei sunt, tum Assessor necessariò assistat iudici, quando simplex Theologus est, neque gradum in præclara habet sacrorum Canonum facultate, cuius stare debet ille iudicio. Quia tamen in citato Capite absolutè statuitur, vt possit iudex sibi Assessorem adiungere, quando coram Deo iudicat se adiutorio illius indigere, non videtur id denegandum, etiam si iudex talis Iurisconsultus sit. Quod adeò verum iudicat Glossa, vt ita scribat *Lit. F. Præterea posito quòd summus sit Doctor, & parùm occupatus, ex quo conscientia hoc dictat potest Assessorem assumere, vt hic: caueat autem sibi ne conscientia eius improbabilis sit. De Simonia. Per tuas* 2. Sic ille.

Quilibet iudex etiam si turisperitus potest illum eligere, si indigeat.

285. Quia verò ille partibus non debet esse suspectus, subsequitur nouum illud recusationis obstaculum, dum recusationes recusationibus succedunt, & decisio principalis causæ immensum prorogatur. Et quidem cùm circa recusationem iudicis id sit decretum quod vidimus, circa Assessorum reuocationem nihil in iure decisum inuenitur; licet recusari posse teneant tres Scriptores, quos adducit & sequitur Barbosa in *citatum Caput nu.* 86. Cùm tamen stante dispositione moderna circa illos, vt scilicet ad eorum iudicium causæ conclusio reducatur, dum contra illud ire nequit Iudex, idem pariter quod de iudice dicendum, de Assessore dicendum videbatur, vt videlicet eo recusato, ad arbitros fiat transitus, qui iuxta iuris communis dispositionem procedentes causam recusationis absoluant. Et verò cùm iudici ita seriò iniungatur vt Assessorem minimè partibus suspectum assumat, & credi debeat ipsum post attentam circumspectionem ita egisse, vt repetitis recusationibus obstrueretur via, id valde opportunum accidit, si designatus recusetur, vt arbitri circa recusationis articulum eligantur: quos valde verosimile est pro designato à iudice laturos sententiam, vel si in vno aut altero secus accidat, vltra tertium non esse processuros, ipsius iudicis consideratione ad id iterùm atque iterùm applicata.

Potest recusari.

286. Notat autem Ioannes Andreas id quod hoc loco opportunè accidit, dum sic ait: *Patet autem per hunc textum satis esse quòd Assessor non sit de suspectis, licet non sit de confidentibus, in quos forsan partes non conueniunt.* Sic ille, iuxta cuius mentem Assessoris designatio, qui circa neutram ex partibus peculiarem affectionem præsefert, & si ob

Ioannes Andreas.

Non tamen quia ex non confidentibus si aliàs non sit suspectus

specialem aliquem titulum nihil sibi polliceri fauorabile queant, nec propterea placeat, non posse recusari, quia reuera suspectus non est, cùm nihil de sinistro affectu in eo possit deprehendi. Hoc ergo stante, si recusatio accedat, penitus repellenda. Quòd si erga partem vtramque æquè deprehendatur affectus, & confidentia de illo æqualis haberi queat, omnis suspicio cessat, vnde neque recusationi locus tribuendus, si fortè pars aliqua illam intentet, eo quòd ita erga se affectum vellet, vt circa partem aduersam nullus in eo dignosceretur affectus, quod est à ratione penitus alienum. Iuuat textus in *l. Non solùm §. Decimò*, de ritu nuptiarum, vbi quòd par affectio suspicionem extinguit. Pro quo & Abbas in *Cap. Postremò n.* 5. & Decius *n.* 7. & Glossa *Lit. B. de Appellat.* Iuxta hæc ergo si procedat iudex recusationem excludens, dilatoriæ cessabunt, & principali negotio finis rationabilis imponetur. Quòd si recusans appellauerit, appellatio similiter repellenda, quia friuola & frustratoria, sicut dictum *n.* 283. vel admittenda iuxta dicta *nu.* 284. quod quidem vix credi potest parti placiturum actrici, cui molesta non potest non esse dilatio: secus aduersæ, quæ cùm ordinariè possideat, dilatione causam facit meliorem. Nihil ergo appellationi deferendo habetur incommodi, dum nulla grauatur pars, si actor appellet; si autem reus, suo iure vtitur, & cùm actor non possideat, nihilque exhibere iterùm debeat, non est adeò considerabile damnum dilationis: præterquàm quòd instare potest ne iudex appellationi deferat, quia friuola & frustratoria. Et hoc quidem videtur absolutè dicendum: nam reuera si recusatio talis est vt admitti nequeat, ob eamdem prorsus rationem appellatio submouenda.

Nec si æqualiter erga partes affectus.

Lex. Non solùm.

Recusatio repellenda, & appellatio.

Possitne secreta esse designatio & quid contra illam faciat.

287. Illud operosioris quæstionis est, an designatio Assessoris possit esse secreta, in eo scilicet casu, quo iudex potentiorum intercessionibus grauaretur, & periculum designato impenderet, si contra partem iudicaret potentiorum fauoribus exultantem, aut eius odium, nec leue, nec contemptibile subiturus. Ratio dubitandi est iam indicata, dum Pontifex in citato *Cap. statutum* verbis vsus illis: *Ipsum neutri parti suspectum assumens.* Debet ergo illis assumptio innotescere, vt videant nun suspicioni locus sit, quod magis ipsis explorare licebit quàm iudici: qua de causa recusationes inuentæ: quia licet Princeps iudices, aut Ordinarios, vel delegatos designans, de eorum iuxta iustitiæ regulas agendi ratione confidat, nihilominus quia partes habituræ litigium, propiùs & solicitiùs personam iudicis intuentes, deprehendere in eo aliquid possunt, quod ipsis incommodet, ideò recusationis beneficio succursum, quia grauissimum sanè est sub suspecto iudice litigare, & periculosum, vt habetur 3. q. 5. Cap. Quia suspecti, & C. de iudic. l. Apertissimi. vnde & in citato *Cap. Postremò* iubet Lucius Tertius, vt si alicui, etiam appellatione remota, fuerit à Sede Apostolica causa aliqua delegata, *si sit iusta causa suspectus, huiusmodi delegatus non immeritò poterit recusari.*

Cap. statutum.

Cap. Postremò.

Oppositum nyolunt.

188. Nihilominùs dicendum videtur id fieri posse, immò & debere in concursu dictarum aut similium circumstantiarum. Id clarè ostenditur ex dictis, quia iudex potest Assessorem minimè suspectum eligere, & ita irrecusabilem: ergo & secretum. Patet illatio. Quia si ob aliquam rationem publicus esse deberet, ideò equidem, vt partibus, quibus non satis faceret, esset facultas recusandi: atqui talis non est obligatio publicè designandi. Deinde, Id quod in contrarium adducitur, est nullius momenti: nam iudex, cui cura amouendæ suspicionis iniungitur, id debet diligenter exquirere: qua diligentia præmissa iuxta rei exigentiam, securè proceditur: vnde non est simile quod de iudicum designatione dicitur, quos Principes etsi iustitiæ amatores agnoscant, aut certè credant, dum absentes eligunt, nequeunt omnia dispicere quæ in ipso litis ingressu possunt occurrere, & collitigantium qualitates. Neque periculum imminet, cui iura conantur occurrere, eo quòd periculosum sit coràm iudice litigare suspecto, quia reuera suspectus non est. *Caput* autem Postremò fauet potiùs, dum pro suspecto iudice non habet eum, qui iusta de causa talis non est. *Si iusta causa suspectus.* Si ergo non iusta, suspectus immeritò reputatur. Et quidem Pontifex de Assessoris assumptione agens, nihil de publico addit, sola suspicionis cauendæ animaduersione contentus: non est ergo ad publicam designationem requirendam solidum fundamentum.

289. Dici potest designationem coràm Notario faciendam, & Assessorem ipsam subscriptione sua id quod iudicauerit firmaturum, & coràm Notario priùs causam acturum, ita vt ostendat à se visum processum, & partium iura per otium expensa, & comprehensa, ne obiici possit Assessoris assumptionem meram fuisse cæremoniam, & iudicis voto clausulis oculis adsensisse: Atqui hæc nequeunt secretò peragi, vt constat, vnde necessarium apparet, vt illius assumptio partibus innotescat, post sententiam saltim, vnde non vitatur inconueniens publicæ nominationis, quod secreto vitandum dicebatur.

Obiectio ex Notarij fide, & subscriptione Assessoris.

Sed hoc non obstare ex eo ostenditur, quia & assumptio fide Notarij firmanda, & peroratio coràm eodem habenda, stare cum secreto possunt, impositio Notario præcepto, aut iuramento ab eodem accepto, pœna, si illud violauerit, designata, & executioni per iudicem mandanda ante causæ conclusionem. Quod autem ad subscriptionem attinet, omitti potest, fidem faciente Notario de adhibito Assessore cum requisitis qualitatibus, & ob iustas causas iudici notas non subscribente, & ad abundantiorem probationem vocari duo testes possunt secreti tenaces, qui cum Notario concurrant, & iuramento consimili ad illius obseruantiam adigantur. Potest item Assessor subscribere in chirographo alio instrumentali secretè asseruando, vt si forte necessarium fuerit, tempore non incommodo publicetur. Et de hoc ipso possunt & Notarius & testes fidem facere. Quòd si appellari contingat, poterit transumptum Romam mitti, sub prædicta cautione, ne scilicet fiat publicum tempore intempestiuo: si autem appellatio aut nullitas proponatur, negandum posteriùs, & admittendum prius, & causa ad Sedem Apostolicam transmittenda.

Fit illi satis congrua praxi apposita.

290. Sed quid si appellatione proposita, & dicto de nullitate iudex moriatur, secus reuera accidit in eo, de quo *n.* 246. Cùm enim dati Apo-

Quid si iudex post appellationem

& ante datos Apostolos moriatur.

stoli non sint, qui tamen omnino sunt ad expeditionem causſæ necessarij, pro qua appellatum, vt habetur in *Cap. Cordi nobis, Cap. vt super, Cap. Ab eo,* de Appellat. *in* 8. *in Clement. Quamuis*, eodem tit. & esse de substantia appellationis communiter tradunt Scriptores, vt videri potest apud P. Thomam Sancium *Tomo* 1. *Consilior. Lib.* 3. *Cap. vnico Dub.* 32. *nu.* 120. *& seqq.* De substantia quidem quantùm ad illius effectum: si enim litteræ testimoniales à iudice æquo non petantur intra triginta dies à die sententiæ, vt volunt multi, vel à die notitiæ illius, vt sentiunt alij, & quidem probabiliùs, vt videri potest apud eumdem Patrem & apud Barbosam, qui cum alijs, quos citat in adductum Caput *Ab eo*, ait praxim habere vt à die interpositæ appellationis computentur. Si inquam non petantur, appellatio manet deserta, licet à principio valida fuerit, vt P. Sancius obseruat *nu.* 54. *Dubij citati.* Sed cùm deserta maneat, perinde est ac si ab initio nullius roboris extitisset. Cùm scilicet hæc ita se habeant, & daturus Apostolos morte fuerit ab huiusmodi functionibus præpeditus, neque aliam actionum suarum possit reddere rationem, nisi eam, quæ ex processu constat, quid est appellanti parti faciendum? Quod enim impedimentum dictum obesse non possit, ex communi sententia Doctorum habetur, iuxta quam impedito non currit terminus, quod est receptissimum axioma, & in casu nostro id colligitur ex tenore ipso Canonicarum sanctionum excusantium eum, qui Apostolos *cum debita instantia, loco, & tempore congruo requisiuit*, nec tamen potuerit obtinere.

Sine illis prosequi licet appellationem.

291. Prosequatur ergo si lubet, appellationem suam, quia sine Apostolis potest causſa concludi, vt tunc accidit, quando à iudice fuerunt denegati, pro quo in Clement. citat. sic habetur in fine: *Appellationem suam ex tunc prosequi possit appellans, ac si expressè fuissent eidem Apostoli denegati.* Sic ibi. Quia verò processus transmittendus, authographo reseruato, & ad huiusmodi actionem auctoritas est iudicis necessaria, iuxta *Cap.* 1. *de fide instrumentorum*, vbi sic habetur: *Si scripturam authenticam non videmus, ad exemplaria nihil facere possumus.* Circa quod sic Glossa: *Dicitur hic quòd si non apparet authentica scriptura, non potest fieri exemplaribus fides, nisi supple esset transcriptum per iudicem.* Et inferiùs *verb. Exemplaria*: *Nisi ipsa exemplaria sumpta & publicata sint iudicis auctoritate C. de testamentis. Publicati. Et infra eod. Cap. vlt. argumen. C. de Emplyt. l. vlt. §. & siquidem Dominus, circa finem. C. de regul. iur. Gesta.* Sic Glossa. Cùm ergo iudicis requiratur auctoritas, & huiusmodi exempli traditio ad prosecutionem causſæ in secunda instantia ad iudicem primæ pertineat, isque mortuus sit, ex hac parte videtur nullum alium se intromittere posse, cum delegatus Pontificis fuerit, & ita exemptus penitus ab Ordinarij potestate, & consequenter causſa, pro qua concludenda designatus. Accedit acta causſæ ad Superiorem transmissa fidem non facere, nisi partibus citatis fuerint exemplata, vt tradit cum Rota, quam citat Caldas Pereira *Tractatu de Emptione & venditione Cap.* 35. *nu.* 29. *in fine.* Nullus autem ad huiusmodi citationem iudex auctoritatem habet ob rationem dictam exemptionis personæ & causſæ. Benè verum est quamplurium Scriptorum esse sententiam exemplum sumptum manu Notarij eiusdem, qui originale scripsit, plenam facere fidem absque alia solemnitate, ad quam sit iudicis auctoritas requisita: pro quo Auctores congerunt Barbosa *in citatum Caput* 1. *n.* 3. *& in Cap. Cum P. Tabellionum n.* 3. *& in Cap. finale vers. Quando verò. Rota in Toletana*, apud Lezanam *in Consultis, Consulto* 40. *nu.* 6. & Caldas Pereira *citato Capite n.* 8. Quia tamen in actis ad Superiorem transmissis specialis videtur esse ratio, pars tali exemplo contenta se exponit periculo nihil suo labore & expensis obtinendi,

Clement. Quamuis.

Cap. 1. de fide instrum.

Glossa.

Quæ exemplaria sufficiant ad faciendam fidem.

Caldas Pereira.

Sine indicis auctorium quis Notarius fuerit.

Quod remedium si exemplari non integra instauctoritas.

292. Vnum ergo illud videtur extare remedium, si partibus appellante & aduersa præsentibus & non contradicentibus, exemplo fore fidem adhibendam pronuntietur, pro quo Aleiatus & Iaso apud citatum Pereiram *n. illo* 29. apud quem Decius expressum consensum exigit, & Bartholus originale exemplum approbatum esse, etiam si sumatur extra iudicium: pro quo & plures alios scriptores inducit. Sed certè etsi conuenire partes possint, quæ tamen appellanti est aduersa, ad id non poterit vlla ratione compelli, & fortasse neque commodum sibi huiusmodi consensum iudicabit, quia & prorogatio litis commoda esse potest possidenti: licet negari nequeat futurum illum ingenuo pectore dignum: cùm enim pro se habeat iam fauorabilem sententiam in priori instantia, & de causſæ iustificatione confidat: eo ipso quòd ita libenter annuit appellanti, causſam videtur facere meliorem, alieno grauamine non exultans, quando & suum etiam habeat commodum à molestia prolixi letigij, cum timore semper ambigui exitus liberari. Pro quibus hæc satis.

§. V.

Grauis difficultas incidens circa obligationem Religiosæ domus pro mutuo à Procuratore accepto, quarentigioque instrumento roborato.

Casus speciei propositus circa mutuum à Procuratore acceptum.

293. QVia Dom. Episcopus Auxiliaris, de quo *nu.* 246. in causſa proposita iudex extitit: cuius decisio non parùm vtilis esse, poterit, licet non pro Indijs singularis, iuuat eam in præsenti non leuiter discussisse, & casus species ista fuit. Procurator Collegij Limani. N. temporalis Coadiutor, qui post huiusmodi curam, quia non fidelis seruus & prudens super IESV familiam, ab eius est Societate dimissus, à vidua quadam nobili decem mille & octingentos octo regales mutuos accepit, ex quibus octingenti lucrum erat reuera annuum ceterorum; quod tamen in quarentigio instrumento non expressum, testatus in illo se prædictam quantitatem in res Collegio vtiles virtute procuratorij mandati, quod amplum habuerat, accepisse. Cùm autem prædicta ei cura sublata fuisset, & seriò fuisset iniunctum vt debita omnia à se contracta redderet manifesta, & id circa alia fecisset, de hoc nec verbum quidem. Processum vltra, & demissus ille è Societate, in quo & turbæ non modicæ excitatæ, litem mouente illo circa votorum valorem, eo quòd impedimento

pedimento substantiali, quo minùs esse Religiosus Societatis posset, etsi iam in ea Formatus, laboraret. Quod quidem probauit vt potuit, & obtinuit bona cum gratia Societatis, id libenter, etiam ipso non procurante facturæ: & nouem ferè ab instrumenti præfati confectione transierant anni, nec Domina illa quidquam à Collegio exegerat, sed cum dicto confidente suo rem agebat, annuum præmium accipiens, cui & maiores ad ea, quæ sibi benè visa fuerant, tradiderat quantitates, vnde & rationes dati & accepti suis in libris aut schedis extabant. Post septem ergo annos decem mille dictos & octingentos octo regales à Collegio postulauit, quo postulatum repellente, Vicarium Generalem Archiepiscopi adijt, vt iuxta stylum, aut solui sibi faceret, aut iudicem Conseruatorem compelleret nominare: & quia instrumentum paratam executionem continebat, id intra decem dies, peremptorium scilicet terminum fieret, validissima instantia & multis è potentioribus coadiuuantibus, nitebatur. Quod & ferè obtinuit: designatus enim iudex mandatum executionis fulminis instar iaculatus est, & magno cum scandalo itum ad proximum prædium, Maiore Cancellariæ Alguatello cum ministris peruolante, & inde Æthiopiorum mancipiorum copia, in quibus facta executio, per publicas vias ad Depositarij domum abducta. Sed deferuescente iudiciali illo æstu, & dato petitionibus loco, lentius cæpit negotium procedere, & multò plures quàm decem dies in causſæ prosecutione consumpti agnoscente iudice iustitiam pro Collegio stare: quod cùm, siue incautè, siue sciens ac prudens coràm quibusdam aperuit, à parte aduersa, id vt resciuit, recusatur, & recusatio ab electis arbitris approbatur. Electi deinde alij, & alij, quia non placebant priores, nec verò ex electis vllus, suæ confidentiæ aliquem quæritanti, donec post longa mensium spatia ad prædictum Dom. Episcopum, est deuentum, qui de confirmatione sua, postquàm à parte aduersa est admissus, ex parte Collegij requisitus, ne quidquam posteà opponi posset, quod iudicio incommodaret, certum se de illo respondit per litteras, quibus non poterat non sufficientem ad negotij expeditionem, sicut & ad alia plura, fidem adhibere. Et rem ita se habere probauit euentus, acceptis non multò post latam in causſa sententiam Litteris Apostolicis, eo infausto, iuxta humanæ considerationis ineptiam, successu, de quo dicemus *n.* 246. & 247.

Vtriusque partis in casus specie fundamenta, vbi peculiaria pro IESV Societate.

Procuratorij mandati verba, ex quibus fundamentum pro obligatione videtur desumi posse.

294. FVndamentum quidem pro parte aduersa ad suam intentionem fundandam ex verbis procuratorij mandati desumptum, sic enim in illo post facultatem datam ad obligandi bona & redditus Collegij pro emendis quibuslibet generibus ceræ, mercantilium, alijsque ad creditum: *& pro quibuscumque quantitatibus pecuniæ quas mutuas velit sumere à quacumque persona aut personis ad dictum effectum, & pro vno & alio: ac in se recipiat, & possit obligare, atque obliget dicta bona & redditus ad solutionem, pro temporibus & terminis, & iuxta, ac in ea forma & modo, quem iudicauerit, ac sibi benè visus fuerit &c.* Iuxta quam etiam formam ab alijs Rectoribus mandatum procuratorium eidem attributum, & quæcumque ab eo accepta sine vlla difficultate soluta. Ex quo contra Collegium argumentum non leue desumi posse videbatur.

Cap. Quod quibusdam *pro parte Collegij facientes.*

295. Pro parte autem Collegij faciebat in primis *Cap. Quod quibusdam*, de fideiussoribus, in quo sic Innocentius Tertius: *Quod quibusdam Religiosis à Sede Apostolica est prohibitum, volumus & mandamus ad vniuersos extendi: Ne quis videlicet Religiosus absque maioris partis Capituli & Abbatis licentia pro aliquo fide iubeat; vel ab aliquo pecuniam mutuam accipiat vltra summam communi prouidentia constitutam: alioquin non teneatur conuentus pro his aliquatenus respondere. Nisi fortè in vtilitatem domus ipsius manifestè constiterit redundasse, & qui contra istud statutum venire præsumpserit, grauiori disciplinæ subdatur.* Sic Pontifex, ex quibus subsequentes positiones elucent pro causſæ decisione penitus inconcussæ.

1. Petitio statuitur ex illo, quod scilicet licentia Prælati requisita, quæ desunt.

296. Prima. Sine consensu Prælati, & maioris partis Capituli nullum Religiosum posse mutuam pecuniam accipere vltra summam communi prouidentia (seu ordinatione, sic enim exponit Glossa) constitutam. Dicitur autem communis ordinatio, quæ iuxta ibidem dicta, debet esse Prælati cum maiori parte Capituli: nec, si acceperit, obligationem solutionis in Conuentu aut Collegio resultare. Quod quidem in casu prædicto defuit, quia Rector cum maiori parte Capituli non processit, quod in Societate non habetur: neque cum eo, quod eidem respondet, cum licentia scilicet R. P. Generalis, ad quem spectat potestas ad contractus celebrandos: sic enim habetur *Parte* 9. *Constit. Cap.* 3. *n.* 5. vbi Sanctissimus Fundator ita: *Est item penes Præpositum Generalem omnis facultas agendi quosuis contractus emptionum aut venditionum quorumlibet bonorum temporalium mobilium tam Domorum, quàm Collegiorum Societatis &c.* & nu. 7. sic subdit: *& Præpositi Prouinciales aut locales, & Rectores, & alij eius Commissarij, eam partem huius facultatis habebunt, quam ipsis Generalis communicauerit. Neque verò Collegiales ad huiusmodi actus collegialiter erunt congregandi.* Sic ibi.

Quid in Societate contractus statuum.

Constitutio Societatis.

297. Quid autem Prouincialibus concessum in hac parte sit extat *in Congregationis Octauæ Decreto* 54. vbi sic decernitur: *Positum est vt declararetur, An & qualem facultatem habeant Prouinciales in suis Prouincijs ex vi muneris faciendi contractus in bonum Prouinciæ vel Collegiorum, aut Residentiarum suarum.*

Decretum Congreg. 8. circa facultatem Prouincialium.

Censuere PP. Definitores Prouinciales facultatem habere faciendi contractus in bonum Prouinciæ, vel Collegiorum, aut Residentiarum in suis Prouincijs, & sic intelligendam regulam Prouincialis nonam. At quamuis id validè possint, nullo tamen modo facere debere, contradicente, aut etiam inconsulto Superiori locali: nisi vrgens necessitas contrarium suaderet: in quo casu monere debebunt

Gene-

„ *Generalem, quas ob cauſſas id fecerint.* Sic Con-
„ gregatio, iudicium Definitorum Patrum pro
„ rebus temporalibus deputatorum amplexa.

Regula Rectoris.

„ 298. Iam quod ad Rectores attinet in Re-
„ gulis ipſorum habetur, ſic enim 63. *Si ineundi*
„ *contractus, ſi fabrica alicuius momenti &c. rem ad*
„ *Prouincialem deferat.* Sic ibi. Et in 57. ſic præ-
„ miſſum: *Caueat autem ne Collegium are alieno*
„ *grauetur.* In Capite etiam 20. Ordinationum
„ Generalium adductis priuilegijs à Pio V. &
„ Gregorio XIII. pro celebrandis contractibus
„ Societati conceſſis Generalis licentia in Recto-
„ ribus vti omnino neceſſaria, perhibetur, pro
„ quo formula in hunc modum præſcribitur, n. 3.

Formula contrahendi illorum.

„ *Perſonaliter conſtitutus. N. Rector. N. aſſerens ſe*
„ *ad infra dictam venditionem, vel permutationem,*
„ *ſufficientem habere poteſtatem à R. P. Generali*
„ *Præpoſito, penes quem omnis facultas celebrandi*
„ *contractus reſidet &c. & de licentia dicto Rectori*
„ *conceſſa litteris patentibus, manu eiuſdem Præpoſiti*
„ *Generalis ſubſcriptis, eiuſque ſigillo munitis, qua-*
„ *rum tenor talis eſt: Claudius Aquauiua &c.* Pro

Inſtructio ex Congreg. 8.

„ eodem facit Inſtructio auctoritate Congrega-
„ tionis Octauæ confecta, & ad Prouincias tranſ-
„ miſſa, in cuius *nu.* 5. ſic habetur. *Depoſitum pe-*
„ *cuniarum (ſi fortè aliquo raro caſu neceſſarijs de*
„ *cauſſis admittat) ſeruet intactum, nec illo vtatur:*
„ *mutuum autem nullo modo accipiat, niſi ob vrgen-*
„ *tem neceſſitatem victus ac veſtitus Noſtrorum: &*
„ *tunc ſumma non excedat ſcuta 30. ter tantùm in*
„ *anno accipienda, idque de ſententia Conſultorum,*
„ *prauio examine de reſtituendi facultate: nec maio-*
„ *res ſummas accipere mutuò fas ſit abſque Prouin-*
„ *cialis licentia.* Sic ibi: quibus dici nihil liqui-
„ dius potuit.

„ 299. Quia vero in Formula Ordinationis
„ adducta mentio Litterarum patentium habetur
„ manu Præpoſiti Generalis ſubſcriptarum, &
„ eius munitarum ſigillo, quarum tantùm eſt
„ initium appoſitum, nomen inquam eiuſdem
„ R. P. Generalis, illæ profecto Patentes Litteræ
„ veniunt accipiendæ, quæ Rectoribus, cùm ad
„ Officium huiuſmodi ſunt electi, tribuuntur. Ex
„ quibus erit fortè aliquis, qui argutari velit, quia

Patentes Rectorum littera. ex quibus argui poteſt contra Collegium.

„ in ijs ſic habetur, *& omnem auctoritatem, gra-*
„ *tias, & facultates, quæ Rectoribus ordinariè con-*
„ *ferri ſolent, & nominatim circa inſtrumentorum,*
„ *tam procurationis, quàm contractuum quorumlibet*
„ *Collegium iſtud concernentium celebrationem (non*
„ *tamen alienationum, aut obligationum, ſeu grauа-*
„ *minum, quæ vel Collegium, vel Societas ipſa ſubire*
„ *debeat) tibi ad commodiorem huius muneris fun-*
„ *ctionem, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*
„ *conferimus.* Sic iuxta communem formulam: ex
„ quibus apparet Rectoribus facultatem ad cele-
„ brationem contractuum cum ipſo officio con-
„ ferri: dare ergo poſſunt procuratorium man-
„ datum ad omnia, quæ ſuis vtilia eſſe Collegijs
„ poſſunt, & ita ad mutui etiam acceptionem.

Sed nihil obſtare ſit manifeſtum.

„ 300. Verùm in eiſdem verbis ſolutio eſt ob-
„ iectionis manifeſta, & ijs venit ampliùs poſitio
„ noſtra roboranda. Cùm enim expreſsè caueatur
„ ne contractus fiant, ex quibus Collegium ali-
„ qua debeat ſubire grauamina, nihil dici aper-
„ tiùs potuit ad obligationem mutui adeò exce-
„ dentis cum annuo præmio, quæſtuoſo etiam non
„ parum illo, ſubmouendam. Poſſunt ergo ij con-
tractus à Rectoribus fieri, quos in eiſdem Pa-
tentibus Litteris R. P. Generalis inſinuat, qui
ſcilicet neceſſarij ſunt ad commodiorem mu-
neris Rectoralis functionem: quales ſunt loca-
tionum, emptionum rerum neceſſariarum, ven-
ditionum fructuum, in quibus multoties inſtru-
menta fieri eſt opus, ſicut & neceſſarium eſt
de procuratorio mandato: & quando contra-
ctus tales ſunt, non eſt obligatio rem ad Pro-
uincialem deferendi, iuxta Regulam propoſi-
tam, ſed quando illi ſpeciales ſunt, & de qui-
bus in Patentibus litteris mentio habetur, quan-
do ſcilicet grauamen aliquod ſit à Collegio
ſubeundum, quod ordinarium non ſit, nec ad
commodiorem pertineat Rectoralis muneris
functionem; cùm conſtet nihil magis incom-
modare, quàm mutui, cenſus, & ſimilium aſ-
ſumptionem. Vnde Inſtructio adducta mode-
rationem tantam in mutuo accipiendo præſcri-
bit, vt portenti loco haberi debeat ſumma illa
tot millium octo regalium cum lucro, quod
alicubi ſufficere poſſet ad Collegij fundatio-
nem.

Mandati Procuratori expreſſus caſus mutuum vt accipiendum.

301, De mandato ergo procuratorio Re-
ctoris præfati erit fortè qui dicat quod Sacra
Rota ſæpiùs, id minimè facere potuiſſe, &
ſuam exceſſiſſe id, quod præſtitit, facultatem, vt
videri poteſt in duabus Deciſionibus apud Dia-
nam *Parte 6.* P. Pellizarium *Tract. 8. n. 170.* vbi
quod & de Prouinciali pariter pronuntiatum.
Sed vt moderatius aliquid dicamus, primò id
fieri potuit quodam beneuolentiæ affectu erga
Procuratorem, quem ſtuduit ille demereri, &
ad honorem tantùm, quod cum ſecreta potuit
inſtructione coniungi. Deinde, id voluiſſe con-
cedere quod potuit amplitudine illa verborũ ad
habilem materiam coarctanda: & quidem cùm
ex mandato prædicto nullum poſſit ſolidum
fundamentum deſumi, illud quiſque vt libuerit
interpretetur.

Caſus iſte ſcitu dignus, & propter incidentes paſſim difficultates in praxi frequens, in communi & abſtrahendo à certa aliqua Religione, quia vnicuique facile erit cum ad peculiaria iura ſua deriuare; Mihi proponitur diſputandus. Et vt ſine faceſſente negotio viam deciſioni muniam, placet Innocentij III. mentem in Cap. quod quibuſdam de Fideiuſſoribus, puncti reſolationum omnino ſtatuente, præmittere, *Quod quibuſdam Religioſis* (inquit) *à Sede Apoſtolica eſt prohibitum; volumus eſt mandamus ad vniuerſos extendi: ne quis videlicet Religioſus abſque maioris partis Capituli, & Abbatis ſui licentia pro aliquo fide iubeat; vel ab aliquo pecuniam mutuam accipiat vltra ſummam communi prouidentia conſtitutam: alioquin non teneatur conuentus pro his* aliquatenus reſpondere. *Niſi forte in vtilitatem domus ipſius manifeſte conſtiterit redundaſſe. Et qui contra iſtud ſtatutum venire præſumpſerit, grauiori diſciplinæ ſubdetur.* Sic Pontifex. Ex quibus ſubſequentes poſitiones elicio pro cauſæ deciſione penitus inconcuſſas.

Prima. Sine conſenſu Prælati, & maioris partis Capituli nullus Religioſus poteſt mutuam pecuniam accipere vltra ſummam communi prouidentia (ſeu ordinatione, ſic exponit Gloſſa) conſtitutam. Dicitur autem communis ordinatio, quæ iuxta ibidem dicta, debet eſſe Prælati cum maiori

eum maiori parte Capituli. Nec, ſi acceperit, obligatio ſolutionis in domo Religioſæ reſultauit.

Poſitio dicta ad omnes Religiones ſpectat.

302. Et hæc pro Societate ſpecialiter dicta, cùm tamen Poſititio propoſita ad omnes Religiones ſpectet, vnde eam, vt dixi, Doctores generaliter amplectuntur, vt videri poteſt apud Barboſam circa citatam Decretalem. Vbi nullius conſiderationis eſt quod neſcio quis excogitauit; Pontificem ſcilicet in citato Capite de Procuratoribus non fuiſſe locutum, cùm nullum pro illis verbum reperiatur. Nullius inquam conſiderationis, quia deciſio Pontificia eſt vniuerſalis, ver-

Nec de Solu Procuratoribus procedit.

bis illis: *Ne quis Religioſus.* Anne Procurator Religioſus non eſt? Item, manifeſtiſſimum erat nullum Religioſum poſſe mutuum accipere ſine licentia Prælati, & ad commoda propria poſſe illam Prælatum concedere, neque neceſſariam eſſe maioris partis Capituli conceſſionem. De mutuo ergo agitur ad conuentus ipſius ſtatum pertinente, vt communi neceſſitati conſulatur. Quamquã & dici poſſet communi prouidentia poſſe conſtitui ſummam mutuò accipiendam à quibuſlibet Religioſis, ſicut in aliquo, aut aliquibus eſt conſtitutum Ordinibus, vt pro ijs quæ ad eſculenta

Sicut neque de quacumque neceſſitate.

pertinent, aut alia quotidiani vſus, nullus creditò accipiat vltra talem ſummam à tabernarijs venditoribus. Sed hoc extra intentionem Pontificis fuit, qui de Conuentibus loquitur, in quibus communes illæ leges ſtatui nequeunt, eſſetque negotium ſanè difficile, cùm Religioſorum neceſſitates occurrentes pares eſſe nequeant, nec debeat iunior heri profeſſus antiquiſſimis coæquari.

Neque de peculiaribus Religioſorum.

303. Et quidem eam non fuiſſe mentem Pontificis conſuetudo, quæ optima eſt legum interpres, declarauit: numquàm enim illa iuxta prædictam intelligentiam videtur inducta. Sicut neque illa, quòd ſcilicet ad receptionem mutui in quocumque Religioſo pro ſuis peculiaribus commodis Capitulum ſit ad licentiæ conuenientiam per videndum, & conceſſionem eiuſdem, congregandum. In quo quidem caſu, cùm talis muturi acceptio ad Conuentus vtilitatem non ſpectaret, non erat cur ad illam ſoluendam teneretur, quia Conuentus non tenetur ad ſolutionem debiti, quod eſt cum illius licentia contractum, nullo habito ad ipſius vtilitatem reſpectu: ſicut non tenetur Prælatus quando eam concedit, ſupponens Religioſum vnde poſſit ſoluere opportuno tempore habiturum: quemadmodùm & Prælatus ipſe cùm pro ſuis commodis id præſtat, obligationem nullam in Conuentum deriuat: quod non ſolùm eſt verum quando proprio nomine id agit, ſed etiam quando nomine Conuentus, ſed ſine illius conſenſu, vbi Capitulariter ſolent congregari, vt ex Bordono, Tapia, & P. Thoma Sancio tradit P. Pellizarius *Tract. 9. Diſput. 8. n. 123. verſ. Illud etiam,* & ſeq. & tenet etiam P. Azor *Tomo 3. Lib. 2. Cap. 3. Quæſ. 6.* Qui licet ſecus eſſe dicant quando Conuentus conſenſit, licet poſtea non ſit pecunia in eius vtilitatem conuerſa; id quidem ex eo fit, quia reuera Conuentus talem vtilitatem attendit, quæ per accidens non eſt talem effectum conſecuta: quod tamen in licentia data Religioſo pro ſuis proprijs commodis non ita contingit, ſicut neque in ea, quam ſibi Prælatus aſſumit.

Mutui acceptè à Prælato pro ſuis commodis non tranſit in Conuentum. P. Pellizarius P. Azor.

304. Pontifex ergo in prædicta diſpoſitione id habuit ſine vlla dubitatione reſpectum quod pro Religioſis ſolet communitatibus euenire, vt ſcilicet acceptione mutui occurrentibus neceſſitatibus ſubueniatur: quod vel Prælatus ipſe, vel Procurator Conuentus, aut alius apud ſæculares benè acceptus, facere conſueuerunt. Et ideò ſpecialis non eſt Procuratoris inſerta mentio, & vt Procurator Pontificia ſic deciſione comprehenſus, ex eo etiam euidenter oſtenditur. Nam ſi comprehenſus non eſt, ergo poterit qualicumque mutui acceptione Conuentum obligare: Atqui hoc dici nequit: ergo neque illud. Maior eſt aduerſantis illius, quicumque ille ſit: vel ſi non eſt, ceſſat concertatio. Minor probatur. Nam ſi vltra ſummam taxatam accipit, tranſgreditur limites mandati: quo euentu mandatarium & Procuratorem iura omnia condemnant, & Doctores, & mandantem ab obligatione immunem remanere conſentiunt. Si taxata non eſt, nec conſtat id quod eſt acceptum in Conuentus vtilitatem fuiſſe conuerſum; ergo Pontificis prouidentia in eo, quod erat magis neceſſarium in huiuſmodi cauſſa defecit: quod patet. Nam à Procuratoribus poſſunt maximè Conuentuum ruinæ ex mutui acceptione timeri, vt experientia docuit, & docet ſemperque docebit, ſi dormitent Eccleſiæ Rectores. Hinc eſt vt Doctores de hac agentes materia, & ex citato Capite fundamentum reſolutionis propoſitæ deducentes, æconomum, adminiſtratorem, ſyndicum, aut Procuratorem inducant, vtpotè quibus præcipuè ciuſdem Capitis congruat diſpoſitio, vt videri poteſt apud Couarrubiam *Variarum Lib. 2. Cap. 17. §. Ceterùm,* P. Molinam *Diſput. 300. §. Circa hoc* & ſequenti & *§. Denique,* Belletum *Parte 1. Diſquiſit. Clericali Titulo de Clerico debitore nu. 44.* P. Rebellum de Iuſtitia *Parte 2. Lib. 8. Quæſt. 2. Sect. 3. nu. 21.* P. Reginaldum *Tomo 2. Lib. 25. Quæſt. 4. nu. 178.* Menochium *de Arbitrar. Lib. 2. Centur. 5. Caſu 432. n. 25. & 26.* Cardinalem Lugo *Tomo 2. de Iuſtitia, Diſput. 25. Sect. 1. nu. 2.* P. Leſſium Lib. 2. Cap. 20. n. 14. P. Onante *Tomo 4. Diſput. 101. n. 132.* & complures alios.

Procuratoris non facta mentio nil obſtat, & quare omiſſa.

Communis pro eo Doctorum ſententia.

305. Secunda Poſitio Prælatus non poteſt in mandato procuratorio liberam & abſolutam accipiendi mutuum facultatem conferre. Vt conſtat ex verbis Pontificis citato in Capite: *Vel ab aliquo pecuniam mutuam accipiat vltra ſummam communi prouidentia conſtitutam.* Vbi ſupponit pecuniam mutuò accipiendam ſuos limites habituram: quos quidem ſi non habeat, erit ſtatum Religioſarum domorum manifeſtis expoſuiſſe periculis, vt neceſſarium quandoque ſit non ſolùm bona mobilia, ſed pretioſa, ac immobilia alienare pro ſolutione, iuxta communem Doctorum ſententiam, circa quam citati, & alij: & quidem negotium hoc accipiendi mutui adeò graue, & conſideratione dignum Eccleſia iudicauit, vt circa illius acceptionem Prælati, & maioris partis Capituli conſenſum poſt deliberationem ſeriam vti omnino neceſſarium pronuntiarit. Quomodo ergo credibile fuerit iuxta ipſius mentem eſſe, vt Procurator liberam & expeditam habeat pro eo poteſtatem, ſuam tantùm in caſibus occurrentibus auiditatem habendi, ne deficiat in neceſſarijs immò & ſuperabundantibus, vt Prælato, & alijs de

2. Poſitio, negans Prælato abſolutam accipiendi mutui concedi facultatem.

Cap Quod quibuſdam

de Consilio gratificet, consulturus? Vidit hoc periculum sacra PP. Minimorum Religio, in qua, vt ex Peyrino habet P Pellizarius *supra nu.* 122. non potest Prælatus de rebus alicuius momenti contrahere sine consensu Capituli: immò nec vendere quæ superfluunt ex ordinaria Monasterij prouisione, aut emere quæ desunt, absque consensu dicti Capituli, aut saltim Seniorum. Quid autem in Societate habeatur dispositum vidimus *nu.* 298. Ex quo elicitur mandatum illud procuratorium ex hac parte claudicasse,

3. Positio excessus summæ taxatæ Conuentui non nocet, si in eius non est conuersa vtilitatem.

306. Tertia. Stante licentia Prælati, & Capituli; ac summa mutui, quæ possit accipi, constituta, si excedatur, & in conuentus non sit vtilitatem conuersa, non est in illis ad solutionem obligatio. Constat ex tenore Pontificiæ decisionis, & concordant alij textus & Doctores, de quibus Barbosa in *idem Caput num.* 8. & ex eo argui potest in casu, de quo controuersia: Nam licet in mandato dicto non fuerit summa limitata, est tamen per Constitutiones, Regulas, Ordinationes, & Instructiones, quibus se debuit mandans conformare: immò & sic voluisse credendum est: cùm ergo adeò exorbitans fuerit excessus, ex quo nulla in Collegium deuenit vtilitas, nulla in eôdem obligatio resultabit. Accipi in Societate 30. scuta possunt, eaque ter in anno, cum præuisione opportunæ solutionis, idque cum Consilio Consultorum; sint in Indijs centum, semel & iterùm repetita, quod his abundantius est, à malo est, & à pessimo, si lucrum accedat, nisi summa necessitas superueniens ingruat, quæ caret lege.

4. Positio si conuersa sit obligatio cessat, si necessarium sit vendere bona immobilia &c.

307. Quarta etiamsi cum licentia Prælati & Capituli sit mutuum acceptum sine excessu summæ ab eisdem constitutæ, si tamen in Conuentus vtilitatem non est conuersa, non tenetur ille ad solutionem, si ad eam faciendam necessarium sit vendere bona immobilia, aut mobilia pretiosa. Sic Menochius & Redoanus, quos allegat & sequitur Barbosa *supra n.* 9. P. Molina, & apud eum Innocentius, Panormitanus, & Bartholus, Rebellus, Cardinalis Lugo *locis citatis*, P. Lessius *n.* 13. P. Baunij *Tomo* 3. *Lib.* 2. *Quæst.* 8. *Dicto* 1. P. Onanti *nu.* 129. & alij, & idem est in Societate quando aut Superior ipse, aut alius ex ipsius licentia mutuum accepit. Et præsens quidem Positio non est in citato *Cap. Quòd quibusdam* expressa, ex eo tamen deduci potest, quatenus in eo statuit Pontifex vt mutuum nonnisi communi prouidentia taxatum accipiatur, apertè insinuans in hoc moderationem magnam adhibendam, & ita bono statui Conuentus consulendum. Atqui hoc stare non posset, si ad soluendum mutuum in magna quantitate acceptum, neque in vtilitatem domus sacræ conuersum, necessarium esset res immobiles, aut mobiles pretiosas alienare, quod iam erat ab Ecclesia prohibitum, nisi stante euidenti necessitate, Cap. *Ea enim* 10. q. 2. Cap. *Placuit* 12. q. 2. & in Concilio apud Siluanectum, de quo in *Cap. Nulli*, de rebus Eccles. non alienan. & idem est de euidenti vtilitate *Cap. Ad aures, & Cap. vt super §. Possessiones.* Et alibi. Et de vtilitate manifestum est nullam in casu nostro Ecclesiæ ex venditione dicta prouenire: de necessitate autem non minùs, quia stante prohibitione, contra illam iri non potest, nisi in casibus ab auctoribus prohibitionis expressis, inter quos hic, de quo agimus, non inuenitur.

Obiectum obligationis certa quædam de conuersione constat.

308. Dices stante euidentia conuersionis rei mutuò acceptæ in vtilitatem Ecclesiæ, obligationem esse soluendi etiam immobilium venditione, ac mobilium pretiosorum; nec tamen casum illum exceptum inueniri, & ita necessitatis venire nomine, cum necessarium sit eum, qui aliquid accepit, siue per se, siue per alium de ipsius mandato, danti satisfacere: & ita in nostro casu dici etiam posse, non obstante dicta ratione.

Dilutur ad obiectum.

Sed contra est: nam in casu priori vtilitas ab Ecclesia accepta necessariò debet compensari, vnde obligatio solutionis aptè venit nomine necessitatis: Atqui illa nihil habet quo compensare queat nisi immobilia, ac mobilia pretiosa: ergo debet illis venditis, aut in compensationem traditis satisfacere. In casu autem de quo loquimur, alia est ratio, quia cùm nullam vtilitatem acceperit, nihil habet quod debeat compensare, & licet reuera acceperit, aut alius eius nomine, alienationem pro satisfaciendo, Ecclesiæ statuta non permittunt, & optima quidem ratione, minus inconueniens vt particularis quispiam creditor aliquid detrimenti, quàm quòd Ecclesia bono communi militans, patiatur.

In de Collegij obligationem esse monstratur.

309. Ex prædicta autem positione euincitur in casu, de quo fuit controuersia, Collegium ad solutionem illius ingentis summæ non fuisse obligatum, quia vt eam solueret necessarium fuisset aut immobilia aut mobilia pretiosa distrahere. Cùm enim eam non haberet, & redditus prædiorum ac possessionum aliarum æris alieni grauamine, ac multorum onere censuum adiuncto, vix ad sustentationem alumnorum, & fatalem debitorum solutionem sufficerent, nisi ad immobilia, & pretiosa alia securis adhiberetur, obligationi tali satisfacere omnino impossibile debuit iudicari. Nec dicas pecunia mutuò ad lucrum accepta, aut census adiectione satis fieri potuisse: quia ad hoc obligari nequit; aliàs priuilegium dictum de non soluendi obligatione, cùm ad illud opus est immobilium, ac pretiosorum distractio, nullius esset momenti, quia semper dici posset pecunia mutuò accepta, & censu sumpto posse perfici solutionem. Prætereà stante misero illo statu sacræ domus, solo mutuo accepto & censu sustinendæ, non occurritur damno, quod Ecclesia nititur euitare. Cùm aliàs mutuum sine lucro inueniri vix possit, quod & Religiosis est peculiari Decreto prohibitum, pro quo Angelus Bossius *Tomo* 3. *Titulo* 18. *nu.* 8. vbi ait pecunias ad cambium seu mutuo acceptas cum solutione lucri cessantis vel damni emergentis, comprehendi Decreto Sacræ Congregationis, quod prohibet Religiosis quamcumque alienationem bonorum immobilium, & mobilium pretiosorum. Quod adducit Diana Parte 10. Tractat. 16. Resolut. 53. neque improbat. Vide etiam infra num. 322.

Angelus Bossius.

Cap. Nulli Executio exorbitans in casu dicti circa mancipia.

310. Ex decisione autem citati *Cap. Nulli* manifestum habetur quàm fuerit à iure ac ratione aliena executio in Æthiopicis facta mancipijs: in illo enim sic habetur: *Nulli liceat, alienare rem Ecclesiæ suæ immobilem, siue agrum, siue rusticum mancipium, neque specialis hypothecæ titulo obligare.*

Sic

Sic ibi. Si ergo vnum mancipium res pretiosa est, quid de illo dicendum numero, de quo *nu.* 293. vt taceamus ciuilium circa hoc legum prouidentiam, ne scilicet executio in ijs fiat rebus, quibus oppidum instruitur, ne agricultura ex qua tot beneficia in mortales redundant, impediatur: vnde & restitutionis obligatio proculdubio inde oritur, iuxta qualitatem damni inde secuti faciendæ.

1. Conuersione in vtilitatem non extante nunquam nititur obligatio. Bonacina.

311. Quinta. In quocumq; euentu, si mutuum acceptum non est in vtilitatem domus sacræ conuersum, non est obligatio, saltim in conscientiæ foro, ad illius solutionem. Hoc non est ita certum vt præcedentia, quod tamen tenent aliqui apud Barbosam *n.* 9. *citato.* Bonacina *Tomo* 2. *Disput.* 3. *de Contractibus Quæst.* 3. *Puncto* 1. *n.* 6. vbi hæc habet: *Quando aliquid mutuò traditum est Ecclesiæ, vel loco pio, vel oppido; Ecclesia, vel locus pius, vel oppidum, non tenetur ad restitutionem, nisi mutuans probet pecuniam mutuatam versam fuisse in vtilitatem Ecclesiæ, vel loci pij, vel oppidi.* l. ciuitas. *ff. Si mutuum petatur, & Authent. Hoc ius porrectum. C. de Sacros Eccles. & l.* 1. *C. de solution.* Sic ille citans deinde PP. Molinam, Lessium, Reginaldum, & Rebellum, quos tamen cursim legisse videtur. Idem tenet Eligius Bassæus *Tomo* 1. *verb. Mutuum n.* 5. *& Tomo* 2. *verb. & num. ijdem.* Antonius de Amato *variar. Resolut. Parte* 1. *Resolut.* 3. *Arti.* 53. vbi plures pro eo Auctores adducit, affirmans contrariæ sententiæ fautores non de mutuo, sed de emptione & venditione locutos, de quo diuersa est ratio, quam & ex Panormitano proponit P. Molina *supra §. Cum Innocentio.* Nam in venditione rei Ecclesiasticæ, pro qua est prohibitio, non debet emptor esse solicitus de conuersione pretij in vtilitatem Ecclesiæ. Quod quidem de Doctoribus aliquibus ita est, non de omnibus, vt apud citatos videri potest, de quibus & pro eodem plures congerit P. Oñate *supra n.* 128. generaliter loquentes, in quibus Gregorius Lopez l. 3. tit 1. parti. 5. in qua id habetur his verbis: *Y aquel que lo prestò, no lo puede demandar, fueras si pudiere probar que el empreſtado entrò en pro decada vno de ellos: casi fuere hecho en sudaño, no vale.* Sic ibi.

Diuersa est ratio in venditione productorum.

L. Partita.

Ex lege citata roboratur.

312. Et facit lex dicta non parùm pro huiusmodi Positione, quia Rex Alfonsus Partitarum conditor in ijs, quæ ad res Ecclesiasticas spectant, dispositionibus iuris Canonici solet inhærere, viris doctissimis ad leges disponendas vsus, & hoc in genere Ecclesia etiam Imperiales approbauit in Decreto repertas, inter quas citatum Authent. *Hoc ius porrectum* vt videri potest 10. *q.* 2. *Cap. Ea enim*, vbi sic habetur: *& is creditor hic intelligatur, qui quod crediderit, probat in vtilitatem diuinæ domus processisse.* Sic ibi. Et vti ex tenore Textus liquet, de omni debiti genere procedit dispositio, cuius ratio est satis digna Christianis pectoribus Leonis & Anthemij Imperatorum, sic enim illi: *Ea enim quæ ad beatissimæ Ecclesiæ iura pertinent, vel posthac peruenerint, tamquàm ipsam sanctam & religiosam Ecclesiam intacta conuenit inuiolabiliter custodiri.* Sic illi, addentes statim: Hoc ius porrectum est ad omnem locum venerabilem, omneque Collegium, quod actio pia constituit &c. vt Collegium D. Pauli Limanum, Indicorum omnium præcipuum, & paucissimis in vniuersa So-

Cap. Ea enim.

Leonis & Anthem Imperatorum verba.

cietate secundùm, signatùm diuinitùs videatur.

Ratio Positionis.

313. & Positionis præsentis ratio ea esse potest, quæ ex prædicta dispositione ab Ecclesia admissa desumitur, grauium Scriptorum auctoritate firmata, quæ quidem reuocata per aliam legem non est: si enim per aliquam, maximè per dictum *Cap. Quod quibusdam*: quod tamen non ita esse ex eo ostenditur, quia in eo nullo modo dispositio præfata reuocatur, vt fieri solet, cùm ius nouum volunt statuere Pontifices, & dispositionis verba minimè contradicunt, quamuis sic ex Bernardo Parmensi arguat Glossa: *Istud benè notabile est quòd creditor probet in vtilitatem Ecclesiæ credidisse* 10. *q.* 2. §. *Hoc ius, vers. Is creditor. A contrario sensu videtur quòd vsque ad summam à Capitulo constitutam non teneatur creditor probare in vtilitatem Ecclesiæ processisse, ex eo quòd de alia probare tenetur, vt hìc dicit Bernardus.* Sic Glossa. Itaque ex contrario sensu arguitur: Pontifex quando summa taxata exceditur, probationem conuersionis in vtilitatem Ecclesiæ requirit, & non in acceptione alias iuxta constitutam moderationem: quod ergo de vno assertum de alio negatum; sed ad hoc dici potest. *Primo* non benè semper à contrario sensu argui, vt cum Peregrino aduertit P. Pellizarins *Tract.* 8. *Cap.* 3. *n.* 82. Deinde esse quidem verissimum aliquod diuersum voluisse Pontificem de vtroque acceptionis modo, non tamen absolutè oppositum decisioni *Cap. ea enim*, quia in neutro vult obligationem subesse soluendi quod non est in vtilitatem Ecclesiæ conuersum. Pro quo notandum est verbum illud *Respondere*, quo Textus vtitur: *Alioquin non tenetur Conuentus pro his aliquatenus respondere.* Itaque quando summa exceditur, & ad Conuentum mutuator recurrit, non est obligatio respondendi illi. nec rationem reddendi, sed fit satis dicendo: Quid ad nos? ætatem habet, ipsum interrogato. Si autem summæ taxatæ excessus non fuit, tenetur Conuentus respondere, & rationem reddere, probareque vtilitatis nihil ex tali mutuo se vllatenus percepisse. Vnde notandus loquendi modus. Pro priori enim casu omnem depellit responsionem: *Pro his aliquatenus respondere.* Pro alijs ergo obligatio vrget modo aliquo respondendi, præfato inquam. Qui rem hanc componendi modus satis videtur genuinus, & Textui accommodatus. Ex eo autem quòd Conuentus probet, non tollitur quo minùs mutuator possit contrariam probationem opponere, & sic stat decisio *Cap. Ea enim* quam *Cap. Quod quibusdam* non excludit.

Glossa. Cap. Quod quibusdam.

Glossæ argumento fit satis.

Cap. Quod quibusdam

6. Remedium restitutionis in integrum suffragari.

314. Sexta, vt demus cum probabili sententia obligationem extare soluendi quando summa taxata mutuò accepta est, etiam si non sit in vtilitatem Ecclesiæ conuersa, ex remedio à Doctoribus receptissimo irrefragabilis redditur, ex priuilegio scilicet restitutionis in integrum, quod Ecclesiæ competit, sicut Minori. Sic Couarrubias, Redoanus, & Mascardus, quos adducit & sequitur Barbosa in *citatum Cap. Quod quibusdam num.* 14. & de Minore in casu simili id habet P. Molina *Disputat.* 300. *citata Cap. vltimo.* Quòd autem Ecclesia Minoris priuilegio fruatur habetur *in Cap.* 1. *& Cap. Auditis, de in integrum restitut. & l. Omnia C.* de sacros. Eccles. Vbi scribentes.

Quis iudex in eo casu futurus.

315. Quis autem in nostro casu iudex sit futurus in puncto dictæ restitutionis, quæstionis est non contemnendæ, & generaliter loquendo Ecclesiam debere sequi forum Rei tenent Couarrubias *variar. Lib.*1. *Cap.*4.*n.*2. Caldos, Pereira, & Barbosa senior apud Illustrissimum Iuniorem in *Cap. Requisiuit, de in integ. restit. n.*9. & ita apud iudicem sæcularem, quando Reus est sæcularis. Contrarium autem tenent multi & grauissimi Scriptores apud Couarrubiam *suprà*. Et apud Iuniorem citatum in *Cap. Causſa, eodem tit.* quos & ille sequitur. Priorum assertum in generali illa doctrina fundatur de foro Rei ab actore sequendo: in causſa autem restitutionis in integrum, qui eam petit est actor, & à quo petitur, Reus. Posteriorum etiam est recepta ex Iure doctrina, quòd quoties Ecclesia vtitur priuilegio aliquo, seu iure speciali contra laicos, coram Ecclesiastico iudice agere potest. Et videtur addendum, etiam debere: quia cùm priuilegium examinandum sit, seu ius illud speciale, hoc nequit laicæ potestati competere, cùm res spiritualis sit, aut illam concernens, propter quam rationem laicis tribunalibus decimarum causſæ denegantur.

Couarrubias.

316. Sed vt in casu nostro causſa restitutionis non sit apud iudices Ecclesiasticos agitanda (suppono enim apud Conseruatorem agi non posse, qui prolata sententia, & ijs peractis, quæ ad illius executionem spectant, iam est suo functus munere, & monstro esset simile ab eôdem destrui, quod fuerat paulò antè ædificatum) obstat id quod adducti pro ea sententia Doctores affirmant, vt videri potest apud Couarrubiam, non esse recurrendum ad extraordinarium iudicem, cùm Ecclesia proprium habeat, Ordinarium scilicet, aut ab eôdem delegatum, iuxta id quod in citato Cap. *Causſa* decisum habetur, cum exceptionibus ibidem appositis circa delegatos. Atqui Ordinarius aut illius delegati non sunt proprij iudices Regularium: non ergo ad illos potest pro restitutionis beneficio recurri. Erit ergo ad Pontificem recurrendum, quod aliquando factum propter negotij æqualitatem Couarrubias asserit, bonis, vt ipse ait, ductus coniecturis. Sed quia recursus talis propter distantiam est molestus, & quæstuosus esse solet, placebit potiùs aliquibus contraria fortè sententia, sanè probabilis. Vnde in casus contingentia poterit Conseruatoris extremo iudicio grauatus, quod sibi magis expediens visum fuerit, amplexari.

Pontificem futurum concluditur.

317. Et hæc quidem circa casum, propter quem ista est susceptа disceptatio, in quo vt sententia in fauorem Collegij fuerit pronuntiata à Dom. Auxiliari, non solum ea, quæ à nobis sunt adducta, valuerunt, sed alia etiam, quæ in processu extant, ex quibus aliqua in casus propositione iam dedimus *n.*295. Item solutam iam iam dictam quantitatem, multis partis aduersæ male sartis, ne plus dicam, captiosis argumentis, cùm inter testes pro vtrâque parte notabilis extiterit & merito & numero differentia, vnde sententia plausu est communi recepta, licet potentium quorumdam aduersantium sensus suo fuerit consonus desiderio. Alia autem quæ in fauorem Collegij sunt allegata, quia forensis negotij sunt, non est opus adiecisse: etsi fortè (de quo agitur) typis mãdata fuerit iuridica informatio à peritissimo & solertissimo Aduocato Doctore Don Gregorio de Roxas, y Azeuedo sacrorum Canonum Professore Limana in Academia, confecta, huic operi cum alia, de qua dixi *in fine Sect.*2. si nihil, quod obstaculo esse possit, interuenerit, adijciatur: si & modò vnum aut alterum ad controuersiæ huius complementum proferamus.

Collegij in lite victoria.

APPENDIX

Circa præfatam controuersiam vtilium Assertorum.

Instrumentum quarentigium non semper vrget pro termino executionis.

318. PRimum sit instrumentum quarentigium non semper vrgere, vt intra decem dies debeant omnes exceptiones proponi, ne exercitio in fine dicti termini facienda proueatur. Habet enim legum nostrarum dispositio valde notabiles limitationes, ex quibus præcipua illa est, quæ circa valorem ipsius instrumenti versatur. Quis enim dubitet, si illi obijciatur falsitas, aut probatio terminum ampliorem exigat, non esse illum denegandum: cùm sit contra ius naturale, in quo nequeunt humanæ leges dispensare, vt aliquis scilicet, fauente iudice, falsis testibus opprimatur. Vbi non fit satis ex eo quòd possit post solutionem via Ordinaria suam iustitiam prosequi: quia ex eo notabile grauamen incurrit, quod etiam ius naturale vitandum iniungit. Quomodo autem indicijs & coniecturis falsitas instrumenti probetur, & vnde illæ desumantur, eruditè ostendit Barbosa *Lib.*1. *votorum decisiuorum & c. voto* 68. ex quibus constat non esse opus illud adeò breuis termini. Item obijci potest iam facta solutio, licet Scriptura ob negligentiam partis non fuerit cancellata. Et ad id testibus euincendum necessaria est copia temporis amplioris. Vbi dici nequit quòd sibi imputet præsentem molestiam, qui causſam ob suam negligentiam eidem præstitit. Esset enim hæc ratio tolerabilis, si pars aduersa fauorem talem mereretur; quando contrarium potiùs est dicendum, vt iniquè petenti, licet Scripturam exhibeat, fauor denegatur. Licet autem non appareat iniquitas petitionis, stante Scripturæ integritate, quia tamen ita esse potest quod Reus opponit, & ex dilatione graue non sequitur detrimentum, huic potius est fauendum, præsertim si talis persona sit, cuius dicto debeat meritò fides adhiberi.

Commissionis excessus potest opponi in Procuratore.

319. Deinde elidi vis Scripturæ potest, si virtute mandati procuratorij confecta fuit, esse in illa commissionis excessum opponi potest, quæ oppositio ex visceribus illius oritur, sicut oppositio falsitatis. Leges namque rigorem executionis disponentes, scilicet 1.2.3.4.5. & 6. *Recopilationis Tit.*21. *Lib.*4. optima sunt ratione dispositæ contra morosos debitores, qui hilariter alienas pecunias, aut res pecunia æstimabiles, accipientes, illis triumphant, & in termino creditoribus susque deque excusationibus quæsitis imponunt, & licet contingere aliquando possit sine culpa ad eum statum redigi debitores, vt satis facere in termino constituto nequeant, id est per accidens, quod leges non debent attendere, sed bono publico, & humani commercij stabilitati, licet in Dei foro sua cuique possit conscientia suffragari.

Neque

Neque credibile est pijssimos Principes legum conditores id earum prolatione voluisse, vt naturalis iuris defensio tolleretur, iuxta quod nullus adigi potest vt vltra id, quo se obligare voluit, non extendat in se solutionem. Verè enim inauditus dici potest, qui competenti spatio ad sui iuris defensionem egens, & id exigens, ad breuissimum arctatur. Id quod in casu isto benè expendit doctus Dom. D. Franciscus Salgadus, quando scilicet Procurator limites inaudati excedit in *labyrintho* 1. *par. Cap.*32. *nu.* 11. & 10. *iuxta l. ex causſa* §. 1. *ff. de Procuratorib.* & *Cap.*1. *de sponsalibus Lib.*6. Pro quo & est notabile aliud in Cap. qui ad agendum, de Procurator. eodem Libro, dum sic dicitur: *Qui ad agendum ac defendendum, ac generaliter ad omnia, etiam si mandatum exigant speciale, constituitur Procurator, ex vi generalitatis huiusmodi ad aliquem articulum, in quo speciale mandatum exigitur, admitti non debet.* Sic Bonifacius VIII. Quod quidem pro Scriptura, de qua controuersia fuit, satis est opportunum. Cùm ergo audiri nequeat qui mandati limites est transgressus, etiamsi generale illud fuerit, ad ea etiam quæ speciale requirunt: quomodo non sit à ratione alienum, vt qui id opponit, pro quo tale mandatum non dedit, neque dare potuit, audiendus non sit, quando talis mandati excessum opponit?

Salgadus.

Cap. Qui ad agendum.

Etiam in generali mandato.

Ex iure naturali ad defensionem agitur.

320. Insuper, contra omnem æquitatem & rationem videtur, ac propterea ius naturale resistit penitus vt Scripturæ obiectu vrgeatur quis ad ingentis summæ solutionem, quæ tunc primò in eius notitiam incurrit, ita vt defensioni locus nullus tribuatur? Et quidem exceptionibus locum esse posse, ex legibus est ipsis manifestum, decem dies ad illas proponendas concedentibus: Stat ergo inconcussum naturale illud principium Reo pro sui defensione locum esse tribuendum. Atqui locum aut tempus tribuere, quo id obtineri nequeat, perinde est ac si minimè tribueretur: quod quidem in casu præsenti contingit, præsertim quando ex circumstantijs apparet Reum ab hac obligatione immunem so penitus reputare, vt in casu controuersiæ accidit. Quis enim crederet post nouem annos instrumentum producendum ab actrice parte, quæ vt illud præsentaret ante totum illud spatium, neque distantiæ, neque metus, aut alterius rei impedimento potuit retardari? Tunc certè instrumentum suspicionem secum suæ infirmitatis adducit, vnde iudex in prorogando termino non debet esse difficilis, quamcumque verosimilem viam ab Aduocatis proponendam amplexus. Pro quo facit id, quod de executione Rescripti habetur *l. si quando* 2. *C. de dilationibus*, vbi dilationem à iudice extraordinario concedendam statuitur, quando illam ad sui defensionem is habet necessariam, qui Rescripto vrgendus venit: *Quoniam instructus esse non potuit*: quæ sunt verba legis. Audiri enim debet pars obijciens vitium aliquod precum, seu informationis, vt ita executio impediatur, & iudex, cui committitur executio, cognoscit etiam de impedimentis & obiectionibus aduersus Rescriptum, pro quo Pinellus, Verallus & Borrellus, quos allegat, & quibuscum sentit Barbosa in citatam legem *n.*4. & 5. videnda etiam *l. Quoniam eod. tit.* 1. vbi de dilationibus piè

...si quando.

Et ex Rescripto.

Barbosa.

dispsonunt Imperatores Diocletianus & Maximianus, crudelissimi illi Christiani sanguinis profusores, à quibus vinci Christianos iudices non potest non valde indecorum iudicari. Videndi Cassaneus *Decisione* 20. & Parludorus *Lib.*2. *rerum quotidian. Cap. vlt.* 5. *p.* §. 11. *n.*26. & 27.

Etiam in Religione in qua Capitulariter non celebrantur contractus locum habet oppositio excessus.

321. Secundum, etiamsi in aliqua Religione non celebrentur contractus Capitulariter, aut eo modo, quo in *Cap. Quod quibusdam*, licentia accipiendi mutuo pecuniam tribuatur, non ideò ex generali à Prælato data argui posse, vt non debeat conuersio in vtilitatem à mutuatore probari. Ex quo repellendi illi, qui eo quòd in Societate Capitulum non habeatur, & generalis licentia Procuratori data sit, contendunt non esse obligandum mutuatorem ad huiusmodi probationem. Vt enim demus citatum Caput non habere locum in hoc casu; res est tamen ad communis iuris dispositionem alibi repertam reuocanda, iuxta quod iam vidimus obligationem subesse huiusmodi probationis *n.*307. Deinde, intentum Pontificis in eò Capite est vt Conuentus non grauetur alieno ære contracto supra moderationem conuenientem, ne penitus illius bonus status destruatur: ergò quoties vltra moderationem accipitur probari debet versio in vtilitatem, vt ibidem disponitur. Priuilegium enim concessum vt Capitularis non debeat concursus haberi, non debet in Religionis incommodum, seu maius grauamen, quam ceteri habeant, retorqueri. Præterea, quod ad Societatem attinet, iam vidimus moderationem appositam, & ita excessum non posse contra eam allegari. Quòd si dicas moderationem dictam non esse Capitulariter dispositam, vt in citato Capite dicitur: in primis iam dictum ad iuris communis dispositionem recursum habendum, & cum sit excessus in mandato procuratorio, ex eo capite obligationem probationis incumbere petitori. Deinde, licet non sit in Societate Ordinarium Capitulum, quod multoties paucorum esse Religiosorum solet, sunt tamen Congregationes Generales summæ auctoritatis, solo nomine à Capitulis Generalibus Religionum aliarum differentes, quarum auctoritate, ea quæ opportuna videntur, & maioris momenti sunt, aut per se, aut Generali Præposito cum Assistentium consilio demandata cura disponuntur, & tale est illud, quod ad causſam præsentem attinens vidimus *nu.* 298. vt nihil certè ex requisitis in eo Capite de esse, sed superabundantem potiùs, & magis communem, vt ibidem dicitur, prouidentiam interuenire, ac proinde suffragari, meritissimò affirmare debeamus.

Et etiam Societate.

Decretum S. Congreg. Conc Trid. duplex circa alienationem immobilium, & mutuum quomodo dotes Indiis conferre queat.

322. Tertium. Sacræ Congregationis duplex Decretum extare, de quo *n.*309. vt non possint Religiosi alienare bona immobilia, aut mobilia pretiosa sine licentia eiusdem Sacræ Congregationis Concilij Tridentini, interposito mandato Vrbani Octaui. Cui additum aliud, ne possint pecunias ad Cambium accipere, aut mutuò cum obligatione lucri cessantis, vel damni emergentis, vt videri potest apud Barbosam *Lib.*3. *de Iure Eccleſiaſt. Cap.*30. *nu.*15. & 16. Quibus non videmur in præsenti causſa iuuari, quia in priori dicitur, dum de Religionibus agitur, *Intra fines Europæ existentibus*: in alio autem licet de Europa non habeatur mentio, videtur absque dubio eam-

dem limitationem excipiendam, quia illius declaratio est: *S. D. N. approbante dictauit & declarauit huiusmodi contractum esse contra mentem Decreti vt supra editi.* Quæ sunt illius verba. Sed certè licet Indiæ non videantur huiusmodi Decretis comprehensæ, nisi quatenus in eis ius commune ampliùs explicatur; nihilominùs negari nequit quin contra mentem Sedis Apostolicæ sit mutui acceptio sub terminis assignatis lucri & damni. Pontifex enim Religionum voluit detrimentis occurrere præfata cautione, quod ex tenore eiusdem constat, nec de Indijs mentio habita, quia in illis ob regionum abundantiam, secus ac in Europa res se habere iudicauit; vel certè quia pro eisdem non ea erat experientia, quæ pro Europa, de quo ibidem: *Rerum experientia edocta* (Congregatio) *quantum Religiones accipiant detrimenti &c.* Cùm in Indijs similia detrimenta sint, quomodò dubitari queat ad eas etiam se Pontificiam prouidentiam extendisse?

Contractus vbi tantùm fructus obligantur, est etiam inualidus. Thomas Hurtadus.

323. Sed quid si mutui acceptione prædicta non obligantur bona stabilia, aut mobilia pretiosa, sed fructus & redditus, critne id licitum? Estne id etiam præfata lege prohibitum? Negat Thomas Hurtadus, & ita obligationem extare affirmat *Lib. 1. de congrua §. 4. Tit. Quæ sint res immobiles, quæ alienari prohibentur, Sub responsione 7.* quia sola immobilia & mobilia pretiosa prohibentur: Si ergo obligentur alia, stabit obligatio. Sed hic nihil ad præsens conducit institutum: licet enim ex vi præfatæ dispositionis non oriatur obligatio peculiaris, nequit negari illa stando iuris communis dispositioni, quod obligationem remouet, quando id quod mutuò est acceptum, non est in vtilitatem domus Sacræ conuersum, iuxta iam dicta & probata *superiùs*. Deinde, peculiaria Religionum statuta moderantia summam recipiendam, similiter obligationi prædictæ obstant, sicut in Societate oftensum. Addo, in prædicto Decreto hoc videri prohibitum: nam licet in priori illo non videretur expressum non posse ad cambium & mutuum sumi, sed tantùm ad censum perpetuum aut vitalitium, hypothecam, locationem, & conductionem vltra triennium, & feudum, dum Religiosi aliqui verbis præfatis innixi, ad cambium & lucrum, de quibus non facta mentio, id sibi licitum sentiebant, & iuxta talem operabantur sensum: declaratum est etiam eos contractus comprehensos, quia

Verba Decreti.

aliàs *eluderetur mens Sacræ Congregationis*, vt in eodem Decreto dicitur, *cui in primis in votis fuit consulere Religionum indemnitati, quæ ex impositione censuum huiusmodi plurimùm læduntur*, quæ sunt illius verba. Cùm ergo ex obligatis bonis mobilibus, & redditibus plurimùm lædi posse sit manifestum, contra mentem Sacræ Congregationis & Pontificis, ex cuius illa iussu & approbatione processit, esse dicendum est, si illa contractibus prædictis obligentur. Pone enim per annos aliquot redditus obligatos, vnde Conuentus sustentationem Religiosorum emunget? & qualia inde Religionis dispendia? immò & scandala subsequentur? Et ad redditus quidem mobilia ferè reducuntur, quia præter eos vix est aliquid, quod possit obligari. Nullus enim mutuum daturus, rebus vilioris pretij erit contentus: pretiosa autem obligari nequeunt. Tandem, Decreta dicta disponunt etiam cum Prælatorum Licentia obligationem remouendo: in casu autem, de quo concertatio illa tumultuosa fuit, sub alia specie processum, excessu scilicet mandati, vnde, vt dixi, non potest citati Auctoris doctrina in adiutorium aduersæ partis aduocari. Pro quibus hæc satis.

SECTIO IV.

De probabilitate sententiæ, iuxta quam matrimonia in primo gradu transuersali, non iure naturæ prohibita, & sic à Pontifice dispensabilia.

Dispensationem in primo gradu transuersali stare probabiliter posse statuitur.

324. EGi de hoc in *Thesauro Tit. 12. n. 289.* vbi plures & grauissimos Auctores adduxi sic tenentes, scilicet Basilium Legionensem, Dianam, Franciscum Ramos, Camuelem, P. Baunij, P. Gasparem Hurtadum, P. Coninckium, P. Tannerum, P. Palaum, P. Martinum Perez, & alios, qui licet non ita sentiant, affirmant tamen esse valde probabile: Sic enim P. Thomas Sancius, & P. Fragosus dicentes conuersos non esse separandos, si id ægrè ferant, quod & asserunt Veracruz & Vega. Quod autem citati Auctores circa probabilitatem censent, tum ipsi, tum alij, quos dedi ibidem *nu. 388.* de quocumque gradu, excepto primo, inter ascendentes & descendentes arbitrantur. Itaque auus nepti, auia nepoti per dispẽsationem iungi potest, neque ita in Gentilismo coniuncti iuxta suas ipsorum leges separandi. Ex eo autem quòd non solùm probabile, sed probabilius P. Thomas Sancius existimat *Lib. 7. de Matrimonio Disput. 51. nu. 19.* validum argumentum pro sententia prædicta desumi pariter ostendi: maior siquidem reuerentia auis debetur quàm fratribus, & indecentiam præ se fert maiorem nepotem & neptem supra corpus aui & auiæ potestatem habere, quàm in fratribus videatur, si præsertim fratres non sint ex eôdem patre & matre, sed ex vno aut alio, de quibus vulgatum illud *Medius frater hostis integer.*

Dom. Arauxo opposium contendit ostendat.

325. Sed insurgit Dom. Arauxo, quem, dum hæc scribo, audio è viuis excessisse, vt egregiorum virtutum præmia digna dignitatis contemptor nobilis obtineret, & sententiam dictam esse improbabilem in praxi asseuerat in *Dispensationibus decisiuis Disput. 11. Quæst. 2. n. 10.* id quod *nu. 11.* pergit probaturus, *Primò* ex *Cap. Gaudemus*, de diuortijs, vbi Innocentius Tertius interrogatus à quodam Episcopo, nun pagani coniuncti in quouis gradu prohibito lege Canonica, conuersi ad fidem debeant in coniugio permanere: Respondet in secundo, tertio, aut vlteriori gradu coniunctos non esse separandos, eo quòd tantùm lege Canonica, qua illi non tenentur, sint tales gradus introducti. Id quod Summarij illius Capitis ita exponit: *Pagani iuncti in gradu prohibito lege Canonica tantùm, conuersi ad fidem non separantur.* Sentit ergo Innocentius gradum primum alia lege præter Canonicam esse prohibitum: nam iuxta regulam iuris, interrogatus de duobus, & vnum affirmans, atque alterum tacens, quod tacet negare videtur. Neque est simile quod adducit

Cap. Gaudemus.

cit P. Thomas Sanchez ex Concilio Tridentino, quod dum *Sectione 14. Cap. 3. & Canone 7.* determinat circumstantias peccatorum mutantes speciem, de necessitate esse in Confessione pandendas, subticendo alias non mutantes speciem, non ideò determinat has non esse confitendas: nam Concilium sine interrogatione processit simpliciter declarans materiam necessariam Confessionis; ideoque de circumstantijs peccatorum loquens, quod erat certum determinauit; quod autem incertum ac dubium, ob diuersas Doctorum opiniones, disputandum Scholis reliquit: vnde licet non erroris nota, benè tamen improbabilis practicè opposita sententia ex dictæ Decretalis tacita determinatione inuritur.

Concilium Tridentin.

Ex naturaquam sic facile arguitur.

326. Quod ampliùs vrget. Nam sicut signum euidens est naturam non posse facere id, quod numquàm fecit, ita signum euidens est Sedem Apostolicam non posse facere id, quod numquàm fuit. Atqui Sedes Apostolica numquàm dispensauit in coniugio fratrum: nam duo coniugia fratrum tantùm legimus facta in Annalibus Gallorum: Primum initum à Carolo Magno cum Sorore, ex qua genuit Rolandum filium, & nepotem, & ipse fuit pater & auunculus, cuius meminit D. Antoninus *3. p. tit. 1. Cap. 11.* Secundum Comitis Armeniaci, quod refert Paulus Æmilius in vita Ludouici Vndecimi. Ex quibus Primum potiùs fuit concubinatus, quàm coniugium, quia nulla legitur dispensatione factum. Secundum initum fuit ementita dispensatione per quemdam Notarium Romanæ Curiæ muneribus corruptum, negata à Pontifice dispensatione, & ita falsarij pœnas exoluit, & Comes à Rege Christianissimo requisitus vt sororem relinqueret, renuens armato milite est inuasus, & Comitatu spoliatus. Rex quoque noster Philippus Secundus volens suum Primogenitum Philippum Tertium Elisabethæ Sorori iungere *anno 1589.* ob vrgentissimam caussam, quia neque illi æqualis vxor, neque isti æqualis vir tunc inter Catholicos Principes inueniebatur, consuluit Theologos quamplures, num Papa in eo coniugio inter non vterinos posset dispensare. Quorum vnus fuit Mag. Ludouicus Legionensis, qui dedit responsum affirmatiuum, quod tamen parui pensum fuit, siquidem Rex assensum præbuit responsis negatiuis aliorum, de quorum numero fuit Mag. Orellana Dominicanus, qui tunc Matriti commorabatur, & nuntio Regis dicitur respondisse, Mallem esse Vasallus pauperis pastoris, quàm regis nubentis sorori.

D. Antonius.

Quid circa Philippum 2. fuerit.

Censura Soti depulsa.

327. Hæc cùm pro firmanda improbabilitate præmiserit, subdit minùs benè Sotum sententiam istam erroris nota esse inurendam dixisse ob Decretalis prædictæ auctoritatem: quia tacita determinatio non tantùm operatur, quantùm expressa, quia non tam litteræ, quàm discursui innitur. Colligit deinde magis falsò dixisse P. Thomam Sancium esse valde probabilem: Nam opinio valde probabilis est illa, quæ speculatiuè & practicè est probabilis, id est, quæ & speculatiuè defendi potest, & ad praxim sine vllo scandalo & periculo reduci, quod in præsenti non accidit: Rogat enim citatum Patrem: Si frater iunctus sorori de infidelitate transiret ad fidem, vtrum à Sede Apostolica permitteretur in eo matrimonio permanere? Minimè quidem, ait. Videret enim Pontifex id sine scandalo fidelium stare non posse; & aliàs periculo se exponere conseruandi matrimonium irritum iure naturæ, pro vt probabiliter tenet sententia, quæ fortè vera est, & illius veritas in eo consistit. Neque lateret summum Pontificem quod Innocentius Tertius in dicto *Cap. Gaudemus* id tacitè negauit, cuius tacitæ determinationis oppositum exequi non auderet. Sic ille.

Esse valde probabile cur dici neget ex citato Scriptore.

328. In cuius vltimis verbis id videre est assertum, quod toto discursu improbari contendit: dum enim dicitur periculo se expositurum Pontificem conseruandi matrimonium irritum naturæ, prout probabilior sententia tenet, iam oppositam qui sic loquitur, confitetur. Et dum addit, *Quæ fortè vera est*, formidinem agnoscit, quæ tamen respectu solius opinionis probabilis esse potest, quia vt certa debet teneri, vt ipse de hac, in qua sumus, *citato n. 10.* affirmat. Stante ergo probabilitate, quam, & si ipse aliàs neget, & affirmat modò, & tot graues Scriptores firmant, ratio adducta ex periculo conseruandi matrimonium irritum iure naturę, nimis quantùm probat: quia ex eo fieret non posse Pontificem dispensare in matrimonio opinionem probabilem amplectendo. Id quod contra se habet agmen Theologorum, & Pontificiæ ipsius Sedis praxim iteratis dispensationibus manifestam. Cum professis enim solemniter castitatem non solùm ratione Ordinis, sed etiam Religionis, aliquoties dispensatum, cùm tamen valdè probabile sit oppositum, vt videri apud eumdem potest Scriptorem in *Decisionibus citatis, Tractatu de Ecclesiastico statu. Quæs. 19. n. 36.* vbi pro eo plures Auctores congerit, quorum agmen ducit D. Thomas *2. 2. q. 88. arti. 11.* contrarium amplexus *nu. 40.* Quid ergo si tunc (vt alijs ex caussis dispensationes omittam) opinio negans vera sit? An non periculo se exponit Pontifex; non solùm conseruandi, sed & initiandi, & auctoritatem præbendi irrito matrimonio? Quid ad hæc? Equidem quod in eo casu dicendum, alteri, de quo est sermo, & in quo probabilitas agnoscitur, applicandum. Scandalum, quod futurum dicitur, negandum profectò, quod auctoritate dispensationis Pontificiæ cessabit, cùm in raro aliquo tantùm casu continget: sicut de dispensatione cum Religioso Professo præfatus Magister attestatur. Iam ad alia.

Probabili volens nolens admittit.

Dispensatio à Pontifice concedi soliti tam iuxta opinionem probabilem.

329. Et quod ad Cap. *Gaudemus* attinet, facilem habet solutionem, neque responsio P. Sancij sufficienter improbata: cùm enim ad cognoscendam vim statuti Pontificij id attendendum sit, quod reipsa disponitur in materia habente diuiduam extensionem, dum vnum exprimitur, & de alio tacetur, quid interest quid ad interrogata respondendo, aut aliàs disponendo, statuatur? Deinde, quidquid de differentia illa sit, in casu nostro cessat penitus illius fundamentum: nam interrogatio circa ea tantùm est proposita, iuxta quæ & adhibita responsio, sic enim ibi: *Vtrùm Pagani vxores accipientes in secundo, vel tertio, vel vlteriore gradu sibi coniunctos, fic coniuncti debeant post conuersionem suam in simul remanere, vel ab inuicem separari, edoceri per Scriptum Apostolicum postulasti.* Ecce interrogationem. Cùm ergo Pontifex respondet taliter coniunctos non esse separan-

Cap. Gaudemus non obstare.

Illius verba.

dos

dos, huic affirmationi nulla est tacita adnexa negatio: quod accidere posset, si interrogatio fuisset absoluta, an scilicet in gradibus prohibitis coniuncti deberent separari. Quo etiam euentu fortè etiam esset locus aliter opinandi. Cur autem Episcopus non ita interrogauerit, ratio esse potuit, vel quia opinabatur in primo gradu dispensari non posse; vel quia apud Paganos illos, de quibus agebat, talia matrimonia in vsu non erant.

In naturalibus nequit impossibilitas ex inexperientia colligi quo ad casum quæstionis.

330. Iam quod de inexperientia dispensationis additur, ex eo quòd in hoc genere sicut in rebus alijs est philosophandum, vt esse non possit, quod numquàm fuit, parùm videtur vrgere: quia & in multis id fallit, quæ esse possunt, etsi non fuerint: & ita si de nonnullis antequàm acciderent, ita fuissemus protestati experientia deceptos demonstraret. In cælis noua conspiciuntur multa, prodigiosissimi partus ex gestato vtero vltra menses inauditos, infirmitates, quæ quia extra Medicorum notitiam, dicuntur ab eisdem aliquando diuinæ. Et quidem de diuina dispensatione nequit dubitari in primis fratribus, quæ coniugij ratio eo vsque durauit, dum paulatim charitas effecit vt homines, quibus cordi esset concordia, diuersarum vicissitudinum vinculis necterentur, ne vnus in vna multas haberet, sed singulę diffunderentur in singulis, ac sic ad Societatem vitæ studiosiùs conciliandam plurimæ necessitudines plurimos complectuntur. Hinc ad consobrinas & neptes, ad aliasque minùs propinquas transitum est, vt scribit Polydorus Virgilius *Lib. 5. de Inuent. Cap. 1.* Quod ergo ita in vsu fuit, non talem præ se fert absurditatem & indecentiam, vt penitus naturæ legi repugnet, quando necessitas grauis id videtur postulare. Quæ quidem ratio vrgentissima est, cui alias Auctores adijciunt, vt positio ista vtrimque roborata, auctoritate scilicet & ratione de suæ probabilitatis possessione triumphet.

Quid de Carolo Magno.

331. Quod ad Carolum Magnum attinet, & illas ipsius incestuosas nuptias, graues Francicarum rerum Scriptores non agnoscunt, quinque illi quidem, & alij quatuor tantùm tribuentes, nec impuris parcentes amoribus, & repudio Bertæ, aut Theodoræ illius sororis, iuxta diuersas eorum sententias. Et Bertam quidem affirmat P. Ioannes de Bussieres *Historiæ Francicæ* elegantissimus Scriptor *Parte 1. Lib. 5. pag. 167.* & 268. Cuspinianus vero Theodoram. Quidquid autem de hoc fuerit, nullius est in caussa præsenti considerationis, sicut neque id, quod de Armeniaco Comite dicitur, quod est in præfatis historijs exploratum, & de quo P. Bussieres *Parte 3. pag. 48.*

P. Ioan. Bussieres.

Quid & Philippo Tertio.

332. Plus videtur habere momenti quod de Philippi Tertij nuptijs cum Sereniſſima Isabella Sorore in consultationem adductum, postremò est additum. Ex quo habemus in primis magno illi Philippi Secundi iudicio non ita rem illam à natura abhorrere visam esse, vt non posset de dispensationis potestate dubitare. Deinde eruditissimum illum Magistrum Luysium Legionensem affirmatiuæ sententiæ suffragatum, qui certè vnus pro multis, quamuis non sit credibile solum in ea fuisse. Quòd Mag. Orellana, & alij Dominicani Patres dissenserint, non mirum, cùm D. Thomam sibi fauentem existiment. Neque ideò res vsque ad effectum petitionis progressa non est, sed quia necessitas non erat reuera talis, vt vrgeri pro dispensatione Pontifex debuisset. & Princeps & Soror nobilissimas nuptias consecuti, quas nouit mundus.

Probabilis roboratur.

333. Quid ergo huic sententiæ deficit quominus probabilis haberi debeat, inspectis omnibus quæ de probabilitate Doctores tradunt, de quibus nos cum eodem doctissimo Scriptore in *Appendice Sectionis Secundæ*? Aliæ profectò, nec paucæ illæ, probabiles iuxta communem Doctorum sensum habentur, quæ neque auctoritate tanta, neque rationum momentis adeo solidis fulciuntur. Quibus addo id quod eruditissimus Tiraquellus *de legibus Connubialibus lib. 7. n. 31. & seqq.* prosequitur, ostendens quòd non solùm singulares personæ, sed gentes consuetudinem tantum habuerint nuptiarum: neque omnes illæ barbaræ, vt videri apud ipsum potest: qui pariter de coniugio parentum cum filijs alicubi introductum ostendit: sed id rarius, vt non debeant pariter iudicari. Sicut neque etiam plurium vxorum apud multos consetudo, de qua Auctor idem *nu. 20. & seqq.* id enim à Christo Domino est penitus abrogatum, de quo in *Thesauro Tomo 2. Tit. 12. n. 381.*

Tiraquellus.

334. Ad maiorem autem probabilitatis firmitatem accedit D. Thomæ irrefragabilis auctoritas *in 4. Dist. 40. Quæst. vnica Arti. 5.* vbi id habet quod ex Polydoro præmissimus, & auctoritate Rabbi Moysis addit, quòd propagato iam genere humano omnes illæ personæ exceptæ sunt *à matrimonio, quæ in vna familia cohabitare solent, quia si inter eos licitè carnis copula esse potest, magnum incentiuum libidinis præstaretur*: quæ sunt illius verba. Iuxta quæ planum fit coniugium dictum non esse naturæ iure prohibitum. Nec satis facit citatus Scriptor dum *nu. 13.* ait solùm colligi ex dicta D. Thomæ doctrina dispensatum à Deo fuisse initio mundi ob necessitatem declaratam, in eo quod est lege naturali interdictum, quod Deus in eo casu, sicut in multis alijs, facere potest. Non inquam satis facit, quia cum dispensatio dicta adeò vniuersalis fuerit, & vsque ad tempus datæ Moysi legis durauerit, vt ibidem ait Sanctus Doctor, cuius illa verba: *Postmodum autem multiplicato humano genere, per legem Moysi plures personæ exceptæ sunt &c.* id sanè ostendit non ita esse naturali legi contrarium, vt aliquando dispensationi locus esse non possit, stante grauissima necessitate. Ex eo enim quòd in Lege id sit prohibitum, non sequitur dispensationis facultatem in statu gratiæ Pontifici fuisse subtractam: aliàs neque in gradibus vlterioribus dispensare posset, quod nequit salua fide dici, qui tamen in Lege fuere prohibiti.

D. Thomas irrefragabilis Assertio.

Rabbi Moyses.

Exposita responsio.

335. Item *2.2. q. 154. arti. 4. ad 3.* Sic habet: *In commistione personarum coniunctarum aliquid est secundùm se indecens & repugnans naturali rationi. Sicut quòd commistio fiat inter parentes & filios, quorum est per se & immediata cognatio: nam filij naturaliter honorem debent parentibus &c. Aliquæ verò personæ, quæ non coniungantur secundùm se ipsas, sed per ordinem ad parentes, non habent ita ex seipsis indecentiam, sed variatur circa hoc decentia vel indecentia secundùm consuetudinem, & legem humanam vel diuinam, quia vsus venereorum, qui ordinatur*

D. Thom.

tur ad bonum commune, subiacet legi: & ideò sicut Augustinus dicit Lib. 16. *de Ciuitate Dei Cap. 16. commistio sororum & fratrum quantò fuit antiquior, compellente necessitate, tantò postea facta est damnabilior religione prohibente.* Hæc Doctor Sanctus, iuxta quem tota indecentia in coniugio fratrum & Sororum, non ex personis ipsis habetur, sed ex lege, aut consuetudine: quia cùm solam commistionem inter parentes & filios excludat, eo quòd inter seipsos immediatam cognationem habeant, alios omnes euidentissimè assertione præfata comprehendit.

Non satisfieri adhibita responsione.

336. Ad hæc prædictus Scriptor satisfieri existimat dicens iuxta S. Doctorem tantùm haberi maiorem reuerentiam & pudorem in caussa esse vt non liceat coniugium inter parentes & filios, quod tamen non tollit quominus inter fratres idem accidat, quia magis & minus non variant speciem: *Quis enim neget* (ait) *inter fratres & sorores non esse naturalem pudorem & reuerentiam contrariam carnali copulæ, vtpotè quæ sine pudore & reuerentia petit fieri?* Quod quidem non potest non esse mira bile, carnalem scilicet copulam petere vt sine reuerentia & pudore fiat. In vxoribus solet pudor esse frequentissimus, vnde tradunt Doctores etiamsi expresè ob illum non petant debitum, exigendum viris, vt sic reddant, & reuerenter quidem, quia pudibundæ honestati suus est honor tribuendus; & generaliter loquendo, vxores non violentia, sed blanditijs decentibus ad vsum coniugalem alliciendæ. Sic monet D. Petrus cum ait: *Viri similiter cohabitantes secundum scientiam quasi infirmiori Vasculo mulieri impertientes honorem 1. Pet. 3. v. 7.* quod de redditione debiti ex P. Turriano exponit P. Lorinus, vt iubeat D. Petrus illud vxoribus reddi, *sed honestè, non petulanter & inhonestè, instar equi & asini. Hoc est quod ait Paulus 1. Thessalon. 4. v. 5. vt abstineatis à fornicatione, vt sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij, sicut & Gentes, quæ ignorant Deum.* Vbi vasis nomine iuxta prædictos, venit intelligenda vxor. Circa quod & Tertullianus audiendus *Lib. 2. ad vxorem Cap. 3.* vbi nuptias fidelium cum infidelibus acriter insectatus, post alia sic ait: *Gentilem enim obseruando, Gentilia exhibebit, formam, extructionem, munditias sæculares, blanditias turpiores, ipsa etiam matrimonij secreta maculosa; non vt penes sanctos officia sexus, cum honore ipsius necessitatis, tamquam sub oculis Dei modestè & moderatè transigantur.* Sic ille: quibus nihil dici aut opportuniùs aut elegantiùs potuit.

Pudorem à coniugali copula minimè esse alienum.

P. Lorinus.

1. Pet. 3. v. 7.

1. Thes. 4. v. 5.

Tertullianus.

337. Potuerant ergo dictæ D. Thomæ auctoritates à Luisio Legionensi & P. Thoma Sancio pro sententia dicta adduci: vnde immeritò eos carpit citatus Scriptor, & speciatim P. Sancium vt minùs attentum, & verba S. Doctoris ex. 2.2. truncata referentem: cùm tamen illa integrè prolata non excludant coniugium fraternum à prohibito lege diuina naturali: responsio autem loci alterius expresè exemplificans casum certũ, qualis est prohibitio parentum cum filijs, tacuit minus certum, qualis est cõmistio fraterna, de qua erat aliquale dubium inter Doctores: vnde non clarè (quod P. Thomas asserit) sed obscurè fauet contrariæ opinioni. Sic ille: sed immeritò, vt dixi: nam P. Thomas Sancius in asserenda claritate assertionis Doctoris sancti, eiusdem assertionis claritate illustratus pro eâdem pronuntiauit. Nec truncata verba protulit, sed summariè sententiam totam; vnde ex relictis nihil, quod obstare possit, omisit, vt eadem inter se componenti constabit. Vnde si truncata, vt dicitur, sententiæ affirmanti clarè suffragantur, idem profectò integro contextu præstabunt. Neque satisfacit quod de exemplificatione dicitur circa locum alium, in quo id quod apponi dicitur exempli gratia, ita peculiare est, vt id, quod de eo dicitur, non possit contrapositæ parti conuenire. *In principio humanæ generationis solus pater & mater à matrimonio repellebantur, eo quòd quia tunc temporis erat paucitas hominum &c.* de quibus *nu. 335.* de incompetentia talium personarum. Si hoc exemplum dicitur, cedo alios, quibus id congruat, nam exemplum rationem communem multis in vno aliquo designat. Quinam illi? Non equidem fratres, neque minoris cognationis personæ, quia omnes excusæ: non est ergo parentum coniugium exempli gratia propositum, sed vti id, in quo ea incompetentia, quæ in nullis alijs, apparebat. Sed calamum iam ab inofficiosis huiusmodi obiectiunculis, venturi ad alia, retrahamus.

P. Thomas

Basilius Legionensis & P. Sancius immeritò carpitos ostenditur.

SECTIO V.

Cur DD. Inquisitores tradentes reos brachio sæculari extremo supplicio afficiendos, non contrahant irregularitatem. Vbi casus in Indijs peculiaris, circa quem doctrina vtilis.

Concessionet Pontificiæ pro Inquisitoribus circa irregularitatem.

338. REs est quoad praxim non multùm implexa, cùm extent Pontificiæ declarationes ad omne periculum in hoc genere submouendum, Pauli Quarti & Pij Quinti, circa Inquisitores, Consultores, Commissarios, & officiales alios S. Tribunalis, de quibus post alios Diana *Parte 4. Tract. 8. Resolut. 51.* apud quem etiam inter Litteras Apostolicas ad Officium dictum spectantes habetur Pauli Decretum cum Pij extensione, de quo & nos in Thesauro Tomo 2. in *Additionibus ad Tit. 20.* illud hîc obseruantes, præfatos omnes ideò irregularitatis vinculo immunes haberi, quatenus intra limites Officij se continent, vt ex tenore Pontificiæ declarationis elicitur: vnde si excedant, more aliorum iudicandi, iuxta id, quod in hac materia Canones Sacri, & Doctores eorumdem interpretes comperiuntur tradidisse, & ita in Litteris Pauli Quarti sic dicitur: *Ac quoad præterita, si aliquam forsan irregularitatem incurrissent, cum omnibus prædictis dispensamus*: Ex votis inquam coràm Romano Pontifice in caussis fidei prolatis irregularitatem non incurrisse omninò certum reputari debebat, quando iudex ipse supremus, & iuris Canonici auctor, sic eos in consilium adhibebat: sed quia fortè aliquis in eo fuerat excessus, scrupulum censuit eximendum. Et idem de Inquisitoribus quibuscumque, Consultoribus, Commissarijs, & Officialibus alijs certum etiam debuit

Non iurant si excedant illi.

Paulus Quartus.

Communes omnibus S. Tribunalis ministris.

buit iudicari. Cùm enim auctoritate Pontificia institutum fuerit Sacrum Tribunal, & consequenter Officiales futuri designati, omne debebat irregularitatis abesse periculum, vt ritè suum obire possent officium, aliàs non esset ab Apostolica Sede prouidè in materia adeò graui consultum. Extensio tamen à Pio V. pro eisdem facta, ad scrupulos submouendos, etiamsi aliquis non adeò grauis admisceatur excessus, qui ex zelo solet non semper secundùm sententiam obuenire.

Non egent protestatione. Cap. Nouimus.

339. Hinc est vt Inquisitores Curiæ sæculari tradentes reum vltimo supplicio afficiendum, non egeant protestatione, de qua in *Cap. Nouimus* de verborum significat. quia scilicet ad omnia, quæ sui muneris sunt, sine irregularitatis obstaculo expeditam habent facultatem. Et ita etiam instare possunt vt sæculares iudices sententiam exequantur. Quod quidem est contra Couarrubiam In *Clementina 1.parte 2.n.6.* & alios. Sed defenditur à Barbosa, Medina, Tabiena, PP. Henriquez & Auila, Cenedo, Sayro, PP. Filliucio, & Reginaldo, Penna, quos adducit & sequitur Diana *suprà*, idem de Officialibus affirmantes cum P. Auila, P.Molina, Vgolino, Sayro, & alijs ex citatis, & ita etiam tenet Dom. Arauxo *in Decisionibus moralibus ad statum Ecclesiasticum pertinentibus Tract. 1. Quæst. 5. nu. 1.* qui progreditur ad inuestigandum quid sit de iure communi dicendum, & statuit *Primò* in ordine ad vitandam irregularitatem, cùm reus Curiæ sæcularis relaxatur, nihil referre vti verbo tradendi, aut relinquendi, in quo Couarrubias multùm censuit discriminis interesse, sed non firmo ductus fundamento. *Secundò* necessariam esse intercessionem pro reo interponendam, de qua in citato *Cap. Nouimus. Vt citra mortis periculum sententia moderetur*, vt ibidem habetur. Quod tamen in Inquisitoribus negauit Roffensis *Arti. 33. contra Lutherum circa finem*, ea ratione: Nam intercessio talis, aut vera est, aut ficta? Primum dici nequit, quia iniquum est pro hæretico rogare, quem iudex, si non capite plectat, peccabit grauissimè, & contra eum, vti de hæresi suspectum, ij, qui eum condemnauere procedent. Neque secundum, quia fictiones tales valde sunt Ecclesiæ tribunalibus indecentes. Ad quam quidem vt respondeat, congruos conatur intellectus adhibere, circa quos non vacat immorari.

Quid de iure communi iuxta Arauxum.

Roffensis.

340. Et mihi quidem inclyti Martyris Roffensis sententia non potest non placere, quam ex citato *Cap. Nouimus* videor mihi non obscurè comprobare, dum in eo sic dicitur: *& sic intelligitur tradi Curiæ sæculari: pro quo tamen debet Ecclesia efficaciter intercedere, vt citra mortis periculum* &c. Sic Innocentius Tertius. Intercessio ergo, si adhibenda est, non qualiscumque, sed efficax est futura; id est talis, quæ quantùm est ex se, id quod contendit, valeat obtinere. Atqui Inquisitores efficaciter intercedere nequeunt, quandoquidem pro executione instare debent, & non exequentem grauissimarum pœnarum ad illā interminatione compellere: ergo intercessio, de qua Pontifex, ad eos nequit pertinere. Est autem in illis & alijs Ecclesiasticis iudicibus nota diuersitas: nam alij, si sæcularis Curia mortis supplicium non infligat, pro inflictione non instabit Ecclesiasticus, quod tamen Inquisitores nequeunt nisi grauissimè delinquendo præstare. Id quod ratione Officij eisdem competit: nam aliàs enormissimum peccatum hæresis posset manere impunitum satisfactione condigna, cùm tamen Ecclesia eo infectos de superficie terræ tollere corditus adnitatur. Pro quo Lucius Tertius in Cap. *Ad abolendam*, de hæreticis, vbi dignam satisfactionem in sola pœna à iudice sæculari cum effectu imponenda recognoscit, ibi: *Sæculario relinquatur arbitrio potestatis animaduersione debita puniendus, & inferius Iudicis arbitrio relinquetur debitam recepturus pro qualitate facinoris vltionem.*

Innocentius 3.

Intercessio pro hæreticis non futura efficax.

Cap. Ad abolendā.

341. De alijs autem loquendo iudicibus, videndum quam obligationem dispositio præfata Pontificis inducat, dum verbum *Debet* apponit: nam citatus Scriptor contra P. Suarium insurgit, qui *Tomo 5. in 3. p. Disput.47. Sect.1.nu.12.* iudicat non inducere præceptum rigorosum, quia id tantùm accidit quando materia vel aliæ circumstantiæ litteræ ad hoc cogunt, quod in illo textu non habet locum. Maximè cum non dirigantur verba ad iudicis personam, sed in genere dicatur: *Debet autem Ecclesia efficaciter cedere.* Quod quidem minùs verè dictum ait, & ex eo impugnat, quia & ex grauitate materiæ & circumstantijs videtur præceptum indicari, & si non obligans ad culpam lethalem, sed venialem, quæ sufficit vt irregularitas ex defectu lenitatis incurratur, non tam ratione delicti (quamuis illud adsit) quam ratione signi, seu Sacramenti significatione, quam habere debent sacris Ordinibus initiati. Quæ doctrina seipsam destruit: nam si grauitas materiæ, & circumstantiæ præceptum arguunt, illud quidem non veniale, sed lethale futurum, dum ex mente legislatoris, aut communi intellectu aliud non habetur. Deinde, inest necessaria intercessio iuxta Auctorem dictum, vt ea non extante irregularitas incurratur, & euitetur adstante: vnde ad illius positionem aut defectum totum hoc negotium reuocatur: & aliàs est obligatio illam adhibendi, & conseruandi in Sacro statu lenitatis. Ergo ea deficiente irregularitas incurritur ratione delicti. Vlteriùs. Ergo si in aliquo euentu sine culpa omitteretur intercessio, nihilominus irregularitas incurreretur. Illatio est clara. Atqui illa non consonat doctrinæ eiusdem *nu.8.* dum ait ex traditione Clerici aut laici brachio sæculari non haberi concursum aliquem iudicis Ecclesiastici, & ita neque Inquisitorem (de quibus præsertim agebatur) in ordine ad mortem relaxati, per se, proximè, & moraliter talem, quia non tribuit illi iurisdictionem, si iudex sæcularis sit, cùm ipse eam habeat: neque etiam si Clericus, quia est priuatus priuilegio Clericali: nec profert sententiam sanguinis: Tantùm ergo remotè & per accidens concurrit, permittendo vt à iudice sæculari capiatur & iudicetur. Sic ergo deficiente intercessione non incurretur irregularitas: quæ videtur euidens consequentia.

Quid de aliis iudicibus.

P. Suarez *defensus ab impugnatione.*

M. Arauxo

Cap. Nouimus.

Verbum Debet, *quam vim habeat.*

342. Sed addit, quòd licet ratio fortis illo sit, conditio tamen in iure requisita ad maiorem securitatem, & tollendum omnem irregularitatis scrupulum, est dicta intercessio; debita quidem tum propter ius Commune, tum propter receptam consuetudinem, quæ ferè iam obtinuit vim præcepti. Tum quia præ se fert pietatem & lenitatem,

Pro necessitate intercessionis arguitur.

tatem, quam Ecclesia per suos iudices debet repræsentare, ne propter eius defectum inepti significationi Sacerdotij reddantur.

Sed non vrgere grauiter præceptum ostenditur.

Verùm hæc illationis præfatæ robur non labefactant, quia stante proximi concursus defectu, quidquid prætereà additur rationem quidem poterit habere præcepti, sed non talem, vt ex eius omissione irregularitas incurratur, siue præceptum ex vi iuris, siue ex vi consuetudinis sit. Neque significationi sacerdotij aliquid est quod obstet, dum concursus proximus non interuenit, & ita prædictus Auctor in sententiam P. Suarij tandem recidit, ex quo ferè omnia prædicta transcripsit, dum in fine Sectionis docet, quòd in rigore propria ratio cur irregularitas non incurratur, ex defectu concursus petenda sit; neque propterea omittendam intercessionem, prædictis allatis rationibus.

Verba Pontificis ad iudices non dirigi, & quomodò ad Ecclesiam.

343. Illud autem quod pro excludendo præcepto iam vidimus addidisse, verba scilicet Pontificis non ad personam iudicis relata, sed ad Ecclesiam, sic Auctor idem refellit: quia id non obstat quo minùs ad iudices Ecclesiasticos referantur, in quibus Ecclesia repræsentatur, & per quos operatur: quinimmò illa actio intercedendi non ab Ecclesia in abstracto, sed à iudicibus Ecclesiasticis potest ac debet particulariter exerceri, cùm operationes non naturarum, neque Communitatum, sed suppositorum sint ac singularium. Sed impugnatio non videtur vrgere, & perstat P. Suarij subtilis obseruatio, quòd scilicet ad iudices verbum *Debet* non dirigatur, quod consequenter videbatur dicendum, cùm de illis Pontifex loquetur: *Vt Clericus per Ecclesiasticum iudicem degradatus, sæculari tradatur Curiæ puniendus.* Atqui non ita factum, & ita respectu eorum non ita videtur præceptum vrgere. Nec dubitari potest quin id, quod de Ecclesia dicitur per singulares sit personas faciendum, & ita P. Suarium indicasse: sed non ideò habetur quod intenditur: quia licet iudices id non faciant intercessione iuridica, potest precibus nomine communi propositis exorare, pro quo est debitum condecentiæ, & eius valde consonum pietati. Potest etiam deprecari iudex, sed non ex præcepto, nisi vt pars Communitatis, ac si iudex non esset. Quod quidem nullo modò tenetur agere, quando à sæculari iudice in suo tribunali peracta causa damnantur, licet quandoque valde expediat: quia obligatio dicta qualiscumque illa sit ex eo imponitur quod reus in Ecclesiastico iudicatus tribunali tradatur sæculari, in quo aliqualis concursus, remotus licet, ad mortem inuenitur. Addo P. Sancium id quod pro excludendo debito docuit, non omnino asserendo posuisse, cùm ibidem dicat fortè esse probabilius intercessionem necessariam esse ad euitandam irregularitatem, & n. 13. Roffensis expositionem tanquàm nouam & singularem non admittat. Quod ergo ex eodem dedimus, tamquàm probabile dictum est accipiendum; quamquàm negari non possim Roffensis sententiam mihi ante alias arridere. Iam ad casum, de quo in Titulo sectionis.

P. Suarez *defensus.*

Cap. Nouimus.

P. Sancius.

Circa peculiarem casum vtilia documenta.

Casus propositio circa irregularitatis incursionem.

344. DAmnatus Iudæus quidam in Actu fidei conuictus & confessus, flammis tamen dignissimus, licet conuersus, ob causas in sententia prolatas, cùm alligatus stipiti faucifragium subijsset, recedente carnifice, qui mortuum existimauerat, viuus à Sacerdote, qui ei in illo adstabat articulo animaduersus est. Quid tunc is faciat? Nam admoneri iustitiæ ministri sine irregularitatis periculo fieri non posse videbatur: quod etiam imminebat, si ad eumdem accederet, vt agonizantem extremo in discrimine constitutum adiuuaret: certum siquidem erat iustitiæ ministros id esse conspecturos, & ita ad mortem penitus infligendam accursuros. Accessit ille, nihil allocutus satellites, & morientem opportunis monitionibus illius articuli proprijs animauit: quo obseruato, reuersus carnifex faucifragium consummauit. Et sine periculo id irregularitatis fieri potuisse ex eo ostenditur, quia nullum circa mortem directum concursum præstitit, sicut nuper de iudice tradente reum Curiæ sæculari dicebamus, & de eo, qui circa patibulum Confessionem suspendendi aut decollandi excipit, & absolutione impertita, eo ipso talem in manu carnificis derelinquit; suo statim officio functuri. Quid enim? an simulando Confessionis prolixitatem, executionem iustitiæ sine vllo termino retardabit?

345. Et præfata quidem resolutio in difficilioribus terminis apud Dianam extat *Parte 8. Tract.* 7. *Resolut.61.* vbi quærit an cùm carnifex super patibulum existimasset reum expirasse, & vnus clamauit: *Viuit, viuit:* vnde carnifex denuò pedibus collum calcauit, & sic mortuus ille, sic clamans irregularitatem contraxerit? & negatiuè respondet ex alio fundamento, de quo *Parte 3. Tract. 3. Resolut.79. & in Additionibus Resolut. 15.* quia scilicet irregularitas non incurritur, nisi sit expressa in iure, ex celebri Textu ex *Cap. Is qui, de sent. excommunicat. in 6.* Sed iura imponentia irregularitatem ex defectu lenitatis loquuntur tùm de ministris iustitiæ, & ijs, qui concurrunt ad causæ probationem, vel pœnæ executionem, vt patet ex lectura Canonum hanc irregularitatem inducentium, vnde ad alios non debet extendi. Quod præter P. Vasquez, P. Luisium Turrianum, quos *citata Resolut.* 79. adduxerat, tenent P. Gaspar Hurtadus, P. Baunij, Machadus, & Cælestinus apud eumdem *citata Resolut.61.* Licet ex aduerso stet P. Bussembaum in *Medulla Theologiæ moralis Lib.7. Cap.5. Dub.5. §. Dicitur* IV. vbi & casum, de quo Diana, adducit, sicut & ipsius fundamentum, quod non censet admittendum. Sed est illud probabile, vnde in casus contingentia poterit esse subsidio. In nostro autem minor est difficultas, si fortè vlla, iuxta receptissimam scribentium doctrinam.

Diana.

Vrgentior alius.

Solet iustitiæ ministros ius comprehendere circa irregularitatem.

Bussembaum.

346. Pergit autem Diana, & supposito iuxta aliorum sententiam irregularitatis incursu, posse in illo dispensare Episcopum affirmat iuxta id, quod à se traditum *Parte 4. Tract.2. Resolut.6.* vbi pro eo allegat Barbosam *de potestate Episcopi. Parte 2. Allegat.39.* apud quem Emmanuel Rodericus, Couarrubias, Campanilis, Viualdus, & Medina,

Qui dispensare in ea possit.

dina, ijs addens Nauarium, Plazam, P.Sa, & Hieronymum Rodriguez. Licet autem respectu Episcoporum id minùs probabile reputet, secus de Prælatis Religionum censet: nam iuxta P. Auilam, Caietanum, Mercerum, & alios, qui habet priuilegium dispensandi in omnibus irregularitatibus, exceptis bigamia & homicidio voluntario, potest dispensare in irregularitate ex defectu lenitatis. Tale autem habent Prælati dicti, & ita in terminis hanc sententiã tenent Villalobos & Lezana apud eumdem, sicut & Commissarius Cruciatæ, pro quo & in posteriori loco Machadum adducit. Quod autem ad Episcopos attinet negat Dom. Arauxo *supra Tractat. 2. Quæst. 11.* cum alijs præter citatos nonnullos, addens contrarium esse valde probabile, & in materia fauorabili, qualis est ista de dispensatione in irregularitate, non requiri intrinsecam probabilitatem, sed sufficere extrinsecam virorum non infimę notæ, ob quorum auctoritatem non potest euidenter conuinci contrarium. *Quis enim* (inquit) *dicere audeat opinionem relatam, quæ pro se habet tot tantosque Auctores Iuris & Theologiæ strenuè peritos, vt Caietanum, Nauarrum, Suarium, Couarrubias, Lessium, & alios recensitos,* (in quibus & Trullenck ac Ludouicus à Cruce) *non esse probabilem saltem extrinseca probabilitate, & sufficienti excusare à culpa Episcopos, qui ei conformentur?* Sic ille. Circa quod duo addiderim. *Primum*, ex auctoritate prædicta non solùm probabilitatem extrinsecam, sed intrinsecam esse deducendam, similiter arguendo, Quis enim credat viros tantos sententiam aliquam sine magnis fundamentis docuisse? *Secundum*, talem philosophandi modum debere sententijs alijs constimilibus auctoritatis præsidijs roboratis penitus applicari. Quod quidem si obseruatum à præfato Auctore fuisset, non ita improbalitatis censuram sententijs aliquibus, de quibus actum in superioribus, impegisset.

De Episcopi difficultas.

Dom. Arauxo.

De Prælatis Religionum.

347. De Prelatis autem Religionum nihil ille iuxta eorum priuilegia, de quibus tamen Barbosa *in Remissionibus ad Cap. 7. Sessionis 14.* Concilij Tridentini, vbi aliquos Auctores adducit de casuali homicidio pariter affirmantes. Et in Societate nostra extat illud, de quo in *Compendio Verb. Dispensatio §. 2.* à Paulo Tertio concessum, vt in *Bullario pag. 48.* iuncto per communicationem quod in *Monumentis Minorum habetur fol. 144. Concess. 352.* Sic enim ibi: *Præpositus Generalis, & de eius licentia Prouinciales, ac eorum Vicarij & loca tenentes, possunt cum Religiosis Societatis defectum natalium quouis modo patientibus, & quauis ex caussa irregularibus, præterquàm homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum, postquàm in Societatis Ordine vota emiserint, dispensare, vt ad Sacros Ordines, & eorum vsum, & vt prædictum defectum natalium patientes ad quamlibet administrationem Societatis, eligi, recipi, & assumi, licitèque eam exercere possint.* Sic ibi, addita iuxta vsum huiusmodi facultatis statim explicatione ita se habente: *Hæc facultas conceditur Prouincialibus. Si quis verò post ingressum in Societate inciderit in irregularitatem, quæ dicitur ex defectu lenitatis, conceditur etiam reliquis Superioribus & Confessarijs facultas cum eo dispensandi.* Vbi dubitari potest an cum Nouitio, qui talem post ingressum Religionis defectum incurrit, possint præfati dispensare? quia Nouitius vere dicitur ingredi Religionem, & hoc solùm videtur exigere declaratio, dum dicitur, *Si quis verò post ingressum in Societatem.* Aliunde autem non videtur admittendum, quia declaratio regulanda venit per tenorem priuilegij, supra quod cadit: in illo autem dicitur: *Postquam in Societatis Ordine vota emiserint.* Quod quidem distinctione videtur componendum, vt qui in eo, qui in Nouitiatu ante biennium vota emisit dispensent omnes prædicti, sed non cum alijs: quia tenor priuilegij de votis post biennium minimè cum ea præcisione proponitur, neque Paulus Tertius id in sua appositi concessione, sed verbis eisdem vsus: & cùm res fauorabilis sit extendenda, est iuxta nuper exhibitum Dom. Arauxo doctrinam. Quòd si circa hoc quispiam hæserit, & rem scrupulis obnoxiam reputauerit, habet in Bulla Cruciata perfugium, cuius circa hoc vsus non est in Societate prohibitus, quidquid circa reseruata cum Nouitijs sit, de quo in Thesauro à nobis dictum *Tomo 1. Tit. 5. nu. 285. & 340. & seqq.*

Priuilegium Societatis.

Explicatio illius.

348. Si quæras quid nomine homicidij voluntarij intelligatur, Respondeo in Societate suas esse speciales leges sibi notas, pro quibus & specialis declaratio prodijt auctoritate Congregationis Generalis vndecimæ, recognoscenda Superioribus cùm casus occurrerit circa admittendos. Circa admissos autem, si quidquam (quod Deus auertat) generis huiusce contigerit, communis doctrina est homicidij voluntarij nomine illud intelligi, quod est iniustum. Et ita intelligendum Concilium Tridentinum *Sessione 24. Cap. 6. de Reformat.* Nec solùm iniustum, sed intentum & volitum in se, pro quo Doctores complures congerit Barbosa in *Collectaneis ad Concilium idem n.* 30. Licet de casu in eodem Capite contento sint plures aliter sentientes, quibus videtur non posse Episcopum in homicidio dicto dispensare, quos recenset *num. 31. §. Contra.* Licet autem Dom. Arauxo existimet quodlibet homicidium etiam iustum propriè dici tale, & ex ea parte posse in citato Capite Concilij ptohibitum reputari; nihilominùs id negat, & prohibitionem circa homicidium iustum aliunde existimat deducendam, quia scilicet non est irregularitas ex delicto. Sic *Quæst. citata n. 8. & 1. 2. Tomo 1. Quæst. 76. Arti 4. Dubit. 4. n. 13.* vnde casus omnes, quos stante prædicta intelligentia homicidij voluntarij Doctores asserunt esse ab Episcopo dispensabiles, possunt etiam à Prælatis Religionum virtute priuilegij dispensari, de quibus citatus Barbosa *nu. 32. & seqq.* Dispensari inquam siue ad Ordines Sacros, siue ad eorum vsum in Ordinatis.

Circa homicidium voluntarium.

Concilium Trident.

Barbosa.

D. Arauxo.

349. Sed quia Concilium limitationem addit satis notam *Ex delicto occulto*, dubitari meritò potest an si delictum homicidij in Religiosis occultum non fuerit, tale tamen vt nomine homicidij voluntarij non veniat, quod etiam secundùm aliquos debet esse per industriam, aut ex proposito, vel per insidias, possit nihilominus dispensatio supra illud cadere, cùm non videatur excepta, & priuilegium debeat amplè interpretari; quod quidem in casu præsenti retenta proprietate significationis secundùm receptam Doctorum acceptionem, pro qua Barbosa *supra nu. 35.* & apud eum Nicolaus Garcia &

In Religione quomodo non occultè accipiendum circa dispensationem.

& Bossius: etiam sine ampliatione videtur locum habere: neque enim ampliatur quod iuxta proprietatem significationis accipitur, neque fauor aliquis pro eo est necessarius, & ita quidem videtur. Pro quo circa dispensationem Episcopi iuxta facultatem Concilij stat Diana *Parte 7. Tractat. 2. Resol. 31.* pro eodem adducens PP. Henriquez & Auilam, Carpensem, Suarium, & Marchinum loquentes de homicidio casuali. Et tale etiam esse cùm est volitum in se, sed ex repentina rixa exortum, tenent apud ipsum *Resolut. 32.* Caspensis, & Mazuchellus. Sed *Parte 12. Tract. 1. Resol. 104. §. Nota tamen*, vbi pro sententia à se tradita citat Verricellum *in Quæstionib. moral. Tract. 8. Quæst. 60. nu. 3.* sic scribit: *Tamen re meliùs considerata nunc talem sententiã non approbo, & ideò dico quòd in irregularitate ex homicidio, si homicidiũ sit publicum, Episcopus non potest dispensare nisi ad Ordines minores, & ad beneficium simplex. Ratio est, quia iure antiquo hoc tantùm poterat, & Concilium circa hoc nihil innouauit: & ita tenet Lessius in 3. p. D. Thomæ. Cap. 5. de irregularitate Dub. 4. nu. 36. & alij, & obseruat stylus Curiæ Romanæ.* Sic ille: qui licet ita à se dicta retractet, non tamen prioris sententiæ probabilitatem inficiatur, quæ præter auctoritatem Doctorum eumdem propugnantium magnum habet Tridentino in Concilio fundamentum *Sessione 14. Cap. 7.* Sic enim ibi. *Cùm etiam qui per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab altari auelli debeat, qui sua voluntate homicidium perpetrauerit &c. Si verò homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, vt quis se à morte defenderet &c. committatur loci Ordinario, aut ex caussa Metropolitano, seu viciniori Episcopo, qui non nisi caussa cognita, & probatis precibus ac narratis, nec aliter, dispensare possit.* Sic Concilium: vbi vltima verba satis indicant non agi de homicidio occulto, cùm & caussæ cognitio, & probatio precum ac narratorum debeant præcedere, vt sit locus dispensationi. Et illa quidem tunc iure quodammodò debita asseritur, quando homicidium neque per insidias, neque per iudustriam factum deprehenditur: quibus additur, *Non ex proposito*, vt sit præcedentium explicatio: vnde homicidium ex repentina rixa subsecutum fauorabili dispensationi substernitur.

Quod dicatur casuale iuxta aliquos.

Diana.

Si publicum an possit ab Episcopo dispensari.

Concilium Trident.

Exacta pro eo explicatio, iuxta Concilium.

350. Licet ergo verba illa, *Qui sua voluntate homicidium perpetrauerit*, omne illud videantur comprehendere, in quo absolutè occidendi voluntas directa fuit, non ita tamen accipienda, sed quasi explicatio præcedentium: vnde non addita particula *&*, aut alia similis, sed homicidij qualitas explicata, de quo in Sacro textu, scilicet *Exodi 21. v. 14.* ita habetur: *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias: ab altari meo auelles eum, vt moriatur.* Esse autem diuersam rationem habendam de occidente aliter, ex ibidem dispositis patet, dum sic dicitur *vers. 12. & 13. Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur. Qui autem non est insidiatus, sed Deus illum tradidit in manus eius, constituam tibi locum, in quem fugere debeat.* Non ergo decreti rigor super aliud cadit homicidium ab eo, quod sacra lex, cui inniti placuit, indicauit. Et idem quod in illa occisionis discrimen appositum, pro regula est dispositionis acceptum; aliàs non aptè diuinæ legis ordinatio pro fundamento fuisset collocata.

Exodi 21. v. 14.

Vers. 12. & 13.

351. Quidquid autem de hoc sit, etiamsi demus homicidium, circa quod est controuersia, à dispensatione Episcopali Concilij fuisse auctoritate reiectum: in Religiosis tamen alia videtur esse ratio, quia priuilegium eisdem concessum non habet illam differentiam à Concilio appositam, publici & occulti, sed est absoluta concessio, non limitanda, cùm à Pontificibus non fuerit limitata. Neque incredibile videri debet plus illis quàm Episcopis fuisse concessum, cùm in hoc genere id exploratum habeamus: quilibet siquidem Confessarius Societatis potest cum eiusdem Societatis alumno circa irregularitatem ob defectum lenitatis incursam dispensare, vt vidimus *n.* 347. quod tamen, vt etiam vidimus, negant Episcopis plures grauesque Scriptores. Quod & in dispensatione circa gradus prohibitas pro matrimonio contrahendo in priuilegijs Indicis est cernere, quod alibi dedimus, eius imparitatis reddita ratione. Quia verò Religiones omnes circa delictum hoc peculiares habent leges (quamuis in Societate nulla hucusque posita reperiatur) rarissimè eueniet vt ad dispensationem publicam veniatur. Vnde non est cur ex prædicta ampliatione scandalum, aut graue aliud inconueniens possit timeri.

Religiosum amplius quam Episcoporum facultas erga alumnos.

352. Et quidem casu notæ maioris id graues non causantur Scriptores, dum dicunt posse Episcopum dispensare, quamuis delictum sit deductum ad forum contentiosum, si iam fuit finito iudicio punitum, & ita circa maximè notorium, sic accipientes quod est à Concilio Tridentino dispositum *citato Cap. 6.* prohibente absolutionem quando delictum est ad forum contentiosum deductum. Sic enim Patres Henriquez, Auila, Reginaldus, Sancius, Santarellus, Gaspar Hurtadus, Diana, & Marchinus apud Barbosam *ibi nu. 4.* Id quod etiam est cernere in eiusdem Concilij dispositione *citato Cap. 7.* de quo *nu. 349.* dum enim caussæ cognitio ijs committitur, de quibus *ibidem*, res aut supponitur, aut redditur notoria. Et quamuis Barbosa *ibi n. 17.* dicat huiusmodi caussæ cognitionem posse ab Ordinario fieri sine ordine ac figura iudicij, & testibus non receptis in forma iudicij & non iurantibus, quod multis firmare ait P. Thomam Sancium *Lib. 3. de Matrimonio Disput. 8. nu. 4.* vbi tamen nec verbum circa præsentem dispositionem, sed generalis alia circa casus, in quibus aliquorum conscientiæ, aut iudicio prudenti remittitur, an quidquam fieri aut non fieri oporteat, quod in negotio præsenti aliter se habet. Quamuis inquam ita sit quod dictus Auctor affirmat, id quidem necessitatem iudiciariæ probationis in Ordinario remouet, sed non potestatem: vnde potest vt sibi bene visum fuerit in cognitione caussæ procedere. Et etiam si non ita procedat, talis esse potest cognitionis necessitas, vt multi in ea interuenire testes debeant, ex quo dubitari nequit quin publica sit reddenda. Non ergo debet publicitas effectui dispensationis in casibus summo consilio & animaduersione à Sede Apostolica concessis, obstare.

Ampliatio facultatis Episcoporum etiam in non occulto, iuxta aliquorũ sententias.

SECTIO

SECTIO VI.

circa approbationem Confessariorum & Prædicatorum, pro Religiosis præsertim vtilia multa.

Lezana *vt explicet Breue* Innocentij X. *circa controuersiam Religionum cum Episcopo Anglopolitano.*

353. DIcta de hoc in *Thesauro non pauca Tomo* 2. *Tit.* 12. *nu.*180. *&* 181. *&* 331. *& seqq. & Tit.* 16. *num.* 91. quoad Confessarios. Circa prædicationem autem *Tit.* 12. *nu.* 329. 331. 332. 333. *&* 339. & hoc loco tantùm addendum aliquid, cui Auctores postmodùm visi materiam præstiterunt. Longa illa Religionum cum Angelopolitano Antistite concertatio eum habuit exitum, quem Innocentij X. Breue peremptorium dedit à Lezana adductum *Consulto* 40. circa quod *n.*111. *& seqq.* hæc habet: *Primo* non dici in eo *Ad perpetuam rei memoriam*, sed *Ad futuram*: quia Congregationi suum reseruatum ius, vt melius informata possit aliter iudicare. *Secundo* decisionem dictam directè & per se de Episcopo, & eius Episcopatu ac de Patribus ac Prouincia, aut Nouæ Hispaniæ procedere, quia fuerunt partes litigantes: indirectè verò ac veluti per accidens de alijs Episcopis, Episcopatibus ac Religionibus Indiarum, maximè in illis partibus. *Tertio*, in prædicto Breui supponi Bullam Gregorij XV. quæ incipit *Inscrutabili* Dei prouidentia non esse pro regnis Hispaniæ suspensam ab Vrbano VIII. in Breui à se viso, & ab alijs relato. Nihilominùs quia in registris eiusdem Vrbani non est inuentum post tres menses diligenter quæsitum: ideò sacram Congregationem in Decretis & Declarationibus ab Innocentio approbatis supposuisse semper dictam Bullam Gregorij esse in viridi obseruantia in Hispaniarum regnis. Cùm verò posteà repertum fuerit (Deo sic prouidente) nec reuocatum fuerit ab Innocentio, sicut nec fuerat ab Vrbano, censendum esse manere sua in vi ac vigore, & proinde iuxta ipsum in hac & similibus causis in regnis Hispaniarum indies emergentibus, esse iudicandum. Sic ille habet, statim dictum Vrbani Breue subnectens. Ex quibus habetur responsionem ad *Quæsitum* 4. de quo in Breui Innocentij pro parte Societatis, scilicet, *An Episcopus possit cum censuris procedere contra Regulares exemptos, si inobedientes fuerint in Confessionibus audiendis, vel prædicatione verbi Dei? & hoc an vigore Concilij Tridentini, vel per quem Canonem?* Ad quam sic: *Respondetur posse procedere, non quidem in vim Concilij Tridentini, sed in vim Constitutionis Gregorij XV. quæ incipit, Inscrutabili Dei prouidentia.* Habetur inquam vim non retinere, sicut neque etiam ad *Dubium* 10, ex parte aduersantis: vbi de necessitate approbationis ad Confessiones, & licentiæ ac benedictionis ad prædicandum agitur, & eodem modo procedit.

Dom. Arauxo. *quid sentiat circa illud.*

354. Circa Controuersiam eamdem locutus D. Arauxo *Tract.* 1. *Quæst.* 8. *n.*17. *& seqq. & Tract.* 3. *Quæst.* 30. *n.* 11. *&* 14. Et concludit Declarationem Innocentij habendam pro re iudicata, nec Societatis priuilegia, quæ refert, maiorem vim habere, quàm sit ea, quæ præfata Declaratione statuitur: Fecerat autem mentionem Constitutionis Gregorij XV. & reuocationis eiusdem per Vrbanum VIII. *nu.*16. pro quo & citat Lezanam *Tomo* 1. *Cap.* 10. vbi de eo nihil; de quo tamen *Cap.*19. *n.*36. Itaque videtur huic Scriptori, qui pro Societatis iustificatione in progressu causæ doctè discurrerat, stante Declaratione prædicta, eidem penitus inhærendum. Benè verum est non videri ab ipso perlecta Lezanæ Consulta, quæ tamen videri, vtpotè ante annos aliquot edita, potuerunt. Quibus præmissis.

Responsio Innocen. X. Vrbani VIII. *dispositioni non obstare.*

355. Dico Primò. Responsa Innocentij X. de quibus dictum, non tollunt id, quod Vrbani VIII. Breue reuocatorium importat, & ita iuxta illud accipienda. Id constat verbis responsorum prædictorum attentis: *In vim Constitutionis fel. record. Gregorij XV. In vim Constitutionis Gregorij XV.* Igitur non maiorem vim suæ vult decisioni conferre, quàm sit ea, quæ ex vi Constitutionis Gregorij constet haberi. Atqui ex vi Constitutionis prædictæ nullam habet, cùm euidenter constet fuisse reuocatam: ergo neque Innocentij decisio. Vbi nequit dici voluisse Innocentium Gregorij Constitutionem suo Decreto roborare, quidquid de Breui Vrbani fuerit, cuius nullam fecit conditionalem mentionem. Nam contra hoc est voluntatem Pontificis & Sacræ Congregationis satis exploratam circa hoc fuisse, dum diu est retardata resolutio Breui diligenter quæsito, neque inuento, ne scilicet contra illud dispositio Religionibus incommoda proferretur: aliàs quid opus erat adeo prolixa inquisitione?

Ampliatio & probatio.

356. Explicatur ampliùs & roboratur. Nam Breue Vrbani non est reuocatum: ergo vim suam retinet. Consequentia est legitima, & antecedens probatur. Quia si reuocatum fuisset, maximè responsis Innocentij adductis: Atqui illis reuocatum non est: ergo absolutè dicendum est non fuisse reuocatum. Maior est certa, quia nullum aliud reuocationis extat fundamentum. Minor autem ostenditur, quia in verbis responsorum talium nullum est quod reuocationem indicat, & decisio stare cum Breuis eiusdem conditione potest, vt scilicet dum non apparet, priori stetur decisioni, & in materia adeò odiosa Religionibus non quælibet contrarietatis vmbra, sed apertum est lumen requirendum. Exemplo res clarescet. Petit quis ab aliquo debitum, pro quo instrumentum legitimum repræsentat. Respondet debitor iam solutum, & solutionis chirographum apud se extare, de cancellando aut rumpendo alio minùs prouidus. Quærit, nec inuenit, vnde à iudice ad solutionem compellitur in vim legitimi instrumenti. An propterea si chirographum solutionis postea inueniatur, sententia iudicis vim habebit? Minimè gentium: quia conditionem illam præ se ferebat imbibitam, dummodò solutionis chirographum non exhibeatur. Ita ergo in præsenti casu.

Episcoporum censura ad forum interius non transeunt in casu dicto.

357. Dico Secundò. Nolentibus Episcopis præfatæ resolutioni deferre, & censuras iaculantibus, nihil illæ in foro conscientiæ valent: vnde id tunc faciendum quod in similibus prudentia admonet, vt scilicet vitentur scandala, & ijs cessantibus sine scrupulo aliquo sacris operentur. Quod quidem circa prædicationem non videtur ita

ità fieri posse, cùm sit publica futura. & de prædicatione loquendo, præter auctoritatem, quam Gregorius XV. sua in Constitutione præbet Episcopis, existimat Dom. Arauxo eam etiam habere in vim Concilij Tridentini Lateranensis Tertij sub Leone X. *Sessione* 11. vbi de hoc extat Decretum, de quo & in Bulla eiusdem Pontificis, vbi excommunicatio, & interdictio ab officio prædicationis contra illos in officio eôdem præcipites decernuntur. Pro quo in *citata Quæst.*30. *n.* 12. *&* 15. Propter quod etiam censet potuisse Episcopum cum censuris Religiosum ab officio prædicationis non solùm pro Ecclesijs suæ diœcesis, sed penitus arcere: qui cùm fuisset prohibitus ob iustam causam, ne in Ecclesijs Parochialibus, aut etiam in sui Conuentus propria prædicaret, nihilominùs contra Episcopi prohibitionem, & monitorium ipsi notificatum, semel in Ecclesia sui Ordinis prædicauit. Sed certè excommunicatio illa, sicut & aliæ eiusdem Concilij, valdè dubiæ sunt, & graues Scriptores affirmant illas non fuisse receptas, in quibus sunt Caietanus, qui Concilio interfuit, Bertholomæus Carranza, & Nauarrus, quos adducit P. Suarez *Tomo* 5. *in* 3. *p. Disput.*22. *Sect.*6. *nu.*8. vbi pœnam prædictam valde rigorosam esse asserit, & ob in certitudinem valoris illius, sicut & aliarum Concilij eiusdem, ipsarum declarationem omittendam iudicauit. Pro quo & P. Filliucius *Tomo* 1. *Tract.* 15. *nu.* 177. Bonacina *Tomo* 3. *Disput.* 2. *Quæst.* 5. *Puncto* 2. *num.* 1. & alij passim. Præterquam quòd non quilibet prædicationis excessus præfatis pœnis dignus à Concilio reputatus, sed qui ibidem expressus, scilicet contra sensum Scripturæ in Ecclesia receptum pronuntiare, prophetias fundamento carentes vt de tempore Antichristi, proferre, de Episcopis ac Prælatis alijs, & Superioribus scandalosè detrahere, ac eosdem intemperanter reprehendere. Si ergo causa illa, quæ iusta dicitur, ob quam dictus Religiosus est prædicare prohibitus, aliquid ex prædictis non habuit, non potuit in vim præfati Concilij Decreti pœnis ab eodem constitutis aggrauari.

Excommunicationes Concilij Lateran. 3. *non receptæ.*

P. Suarez.

Quæ excessus Prædicatorum censura subjaceant.

358. Addit citatus Scriptor miracula falsa aut incerta in eodem Decreto comprehensa, supra quæ cadere ait pœnas ibidem assignatas. Sed hoc negat P. Suarius *suprà*, & post eum Bonacina *nu.* 10. quia licet in narratione illius Constitutionis mentio fiat de huiusmodi miracula prædicantibus, nihilominùs verba dispositiua illos comprehendunt: dispositio enim illius Bullæ incipit ab illis verbis: *Sacro approbante Concilio statuimus & ordinamus &c.* nec vllo modo exprimit denuntiantes huiusmodi miracula: in materia autem pœnali non est facienda extensio vltra verba dispositionis. Quæ quidem doctrina est obseruatione digna, licet hoc loco non careat difficultate, quandoquidem in narratione falsorum miraculorum eadem videtur esse ratio, nec appareat causa, propter quam à pœnarum debuerit incursione secerni, cùm valde aduersetur Christianæ fidei sinceritati, & ex eo fiat vt verissima miracula in dubium possint reuocari. Sed nihilominus Doctorum adeò grauium iudicio plurimum est hac in parte, sicut in alijs deferendum.

Quid circa falsa miracula prædicantes.

359. Sed quia non videtur carere probabilitate Decretum Concilij prædictum vim habere, quod & tenet Naldus *verb. Prædicare num.* 5. sicut & id, quod de falsis miraculis est dictum, si fortè Episcopus excommunicatum declaret Religiosum circa ea prolapsum, quid tunc faciendum? In primis id statuo, diuersam esse rationem in istis, ac in casu, de quo est quæstio, & nostra resolutio procedit. Nam cùm euidenter constet de Breui Vrbani VIII. intento, pro certò habendum est Episcopum vti Censuris non posse contra delinquentes; vnde secluso scandalo possunt ita se gerere, ac si nihil contra ipsos fuisset ea de causa probatum. Si autem quis contendat id tantùm esse probabile, occurrit aliquorum doctrina asserentium in his casibus standum esse pro iudicio, & ita teneri sic excommunicatum parere, tam in exteriori hominum coniuctu, quam in occulto, quia sententia iudicanda iusta; & si contra quis fecerit, incidet in omnem pœnam à iure stabilitam, quin iam est peccatum inobedientiæ etiam in occulto contra sententiam excommunicationis. Sic P. Vasquez, *de Censuris Dub.* 11. *de Excommunicatione nu.* 23. secutus ex parte solum. Contrarium tamen tenet Diana *Parte* 5. *Tractatu* 9. *Resolut.* 29. secutus P. Luisium Turrianum, Villalobum, Caietanum, & Nauarrum, in casu, in quo reuera valida non sit sententia, secus si valida: nam si valida est, ergo & excommunicatio. Videtur autem prædictus Auctor in Assertione sua non penitus conquiescere; adductis enim verbis Henrici de Villalobos, qui ait talem sententiam ligare, quamuis secundùm alios sit nulla, nec posse subditum agere contra illam, quamuis contrariam amplectatur, subdit: *Quod est valde notandum à iudicibus laicis quando excommunicantur ab Episcopis, licet pro se habeant opinionem probabilem.* Villalobos. Diana.

360. Videtur autem in prædictorum omnium assertis non leuis difficultas. Nam eo ipso quod quis opinionem sequitur probabilem, non peccat mortaliter: ergo neque excommunicationem incurrit. Antecedens eam habet certitudinem, quam vidimus in Appendice sectionis 1. & esse saltim moralem, etiam quando quis sequitur opinionem minùs probabilem, de quo præsertim *num.* 151. *& seqq.* Consequentia autem admittitur communi sensu Doctorum. Ex quo in casu nostro id habemus, quod est contrarium prædictorum Doctorum positioni, scilicet excommunicationis sententiam contra eum latam, qui opinionem est probabilem amplexus, eum in foro animæ non ligare.

361. Si dicas ex opinionibus, in quorum aliquis operatur conflictu, vnam esse veram debere, aliam falsam: si ergo Episcopus excommunicet eam secutus, quæ re ipsa vera est, necessariò illam effectum habituram, aliàs vera non erit, cùm omnino careat effectu: & ita semper excommunicationes tales erunt frustraneæ, immò & illicitæ, propter eamdem rationem. Si inquam hoc dicas, distinctione illud expediendum. Aliquando enim excommunicatio cadit supra culpam manifestè talem, licet sub opinione sit potestas iudicis ad eamdem infligendam. Et tunc si reipsa sententia affirmans posse

illam pœnam infligere, vera sit, ligabit coràm Deo & hominibus delinquentem. Item, potest contingere vt potestas iudicis certa sit circa culpam aliquam, est autem tantùm probabile quempiam in eamdem fuisse prolapsum: tunc etiam si reuera culpa mortalis fuit, excommunicatio delinquentem implicabit. Præterea cadere potest supra actionem probabiliter culpabilem, si secundùm se inspiciatur, quia secundùm vnam sententiam talis est, cùm iuxta aliam non sit talis: practicè autem honesta est, aut saltim non grauiter culpabilis, quia operans probabilem esse opinionem sciens eam à culpa vindicantem, ei se accommodat, & ita inculpabiliter operatur. Et supra hanc cadere excommunicatio nequit, quæ reipsa habeat effectum; neque esse opinio probabilis potest, iuxta quam fulminari pœna talis possit. Quòd si nihilominùs inueniantur Doctores asserentes in casibus quibusdam posse id fieri, non ideò est quòd existiment supra actionem inculpabilem posse cadere; sed quia cùm iudici de actionum qualitate, & sint generis periculo obnoxij, id faciunt in externo foro, suo animæ foro reseruato, & exempli ratione habita, vt alij in officio contineantur.

Ioannes Sancius.

362. Et iuxta hæc procedit doctrina Ioannis Sancij in *Selectis Disput.44. n.27. & 28.* vbi probat non posse Episcopum punire eum; qui in administratione Sacramenti Pœnitentiæ probabili est vsus opinione: est enim contra omnem rationem, & diuinas ac humanas leges innoxium puniri, cum pœna supponat culpam. Adducit autem ibi casus speciales, de approbato ab vno Episcopo, vbique excipiente Confessiones, & de Parocho in aliena diœcesi eadem auscultante habentium priuilegium, aut proprijs Parochis consentientibus, præsertim si constaret Confessarium de incertitudine opinionis pœnitentem monuisse. Et tandem quidquid de hoc sit, ex mente propria concludit Sacerdotes posse eligere Confessarios vbicumque approbatos ex consuetudine à Prælatis consentientibus approbata, ne ex defectu copiæ Confessariorum omittant celebrare, quod Beia, Viualdus, & Nauarrus apud ipsum iam anteà fuerant affectati. Et eum adducit Diana *Parte 3. Tract. 4. Resolut. 110.* Quod quidem cùm de pœna absolutè proferat, de excommunicatione est à fortiori accipiendum, quæ grauissima sanè est. Quia verò illa post factum imponi nequit, iuxta communem Doctorum sententiam, ex ea parte benè infertur sic Confessiones audientibus infligi non posse. Vt ergo casus habere locum possit, sic debet ille constitui, vt Episcopus in sua diœcesi sub excommunicationis pœna præcipiat ne quis Sacerdos nisi à se approbatus, Confessiones audiat tempore Iubilei, aut virtute Bullæ Cruciatæ. In quo quidem currit resolutio prædicta. Quia cùm sit probabile audire posse, idque ratione iurisdictionis à Pontifice concessæ, non potest Episcopus probabilitatem opinionis talis euertere, quam neque Pontifex inficiandam arbitratur. Si autem probabilitate non negata, nihilominùs pœnam prædictam ipso facto proclamaret, id tunc, quod iam diximus, faciendum,

Episcopus an punire eum possit qui probabiliter operatus.

Diana.

363. Non probat autem prædictus scriptor id quod tradit P.Thomas Sancius *Lib.1. in Decalogum Cap.12.n.38.* scilicet excusari Episcopos punientes peregrinos, qui legibus oppidi, per quod transeunt, non subduntur, ex eo quod Episcopi opinionem probabilem sequantur. Nec scire se ait qua ratione P. Henriquez *Lib.7.Cap.12. nu.4. in Commento.I. O. in fine*, prædictam sequens opinionem dicat temperatè vtendum ea esse, vbi Episcopi ægrè ferrent, aut multi ex sapientibus contradicerent, communi scandalo exorto: cùm scandalum passiuum esset, sumptum iniustè, & non datum. Sed certè in P.Sancio nihil improbandum occurrit, quia ipse non probat modum illum procedendi, sed excusat ex eo qnòd probabilem sententiam sequantur, iuxta quam iudicat se punire posse: licet enim, vt diximus, certum sit eum, qui secundùm opinionem probabilem operatur, non peccare, & ita nec posse puniri legitima consequentia deducatur, non tamen illa est adeò certa, vt opposita apud omnes sit improbabilis: & ita possunt prælati iuxta eandem procedere, cùm sibi viderint expedire. Quo euentu circa eorum animæ nihil efficient, cùm absit culpa: quæ tamen probabiliter est in actione ipsa secundùm se, de cuius inculpabilitate non constat Episcopis, vt nuper dicebamus. Monitum autem P.Henriquez prudentissimum est: quis enim temperatum vsum opinionis non esse laudandum asseueret? qui & in priuilegijs vbi extra opinionem res agitur, omnes admonent retinendum. Neque ita exploratum est an scandalum in eo casu passiuum sit, & non datum, licet quis iure suo vtatur. Cùm enim grauissimi sint Doctores asserentes multoties præceptum sub mortali obligans esse prætermittendum ne sequatur scandalum, vt videri potest paud Dianam *Parte 5.Tract.7. Resol.21.* quantò id potiùs existimabunt actionibus, de quibus præceptum nullum est? Pro quo & videndus Auctor idem *Resol.31.* Licet autem circa dicta sint diuersimodè sentientes, & citatus Sancius cum eisdem sentiat, non ideò iuxta opiniones alias procedentes debent reprehendi, & quidquid aliquis ex proprio iudicio profert, tamquàm oraculum venditandum.

P. Sancius.

P.Henriquez.

Vtriusque doctrina defensa.

364. Circa id verò quod de Sacerdotibus dictum est, potentibus eligere quemlibet approbatum, obseruandum est iuxta Decretum Sacræ Romanæ Generalis Inquisitionibus *die 24. Septembris an. 1665.* auctoritate SS. Dom. Alexandri. VII. roboratum, hanc propositionem tamquàm scandalosam vt minimùm prohiberi: *Qui beneficium Curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum.* Videri autem posset alicui assertam illam à P.Gaspare Hurtado *Disp. 10. de Pœnitentia difficult. 12. §. Tertiò idem*, vbi sic ait: *Tertiò idem conuenit Parochis, & omnibus alijs Sacerdotibus etiam simplicibus, ex iure consuetudine introducto.* Sic ille. Sed verò res aliter se habet, nam intelligendus est de electione Confessarij approbati iuxta sententiam, de qua diximus à bonis Auctoribus approbatam. Id quod colligitur ex ijs, quæ circa electionem alijs concessam ibidem adstruit, in quibus absque dubio approbatio est asserenda, id quod Difficultate sequenti ampliùs declarat, & tantùm posse concedit vbi non est Decretum Concilij Tridentini receptum. Vnde non benè aliqui sententiam à Pontifice damnatam dicto Patri tribuerunt.

Decretum Alex. 7. contra Propositionem à facultate Parochi ad confitendum non approbato.

P.Gaspar Hurtadus eam non docuit.

365. Ne-

Non solum Parochos, sed Sacerdotes seculares damnatio tangit.

365. Neque ex eo quòd damnatio Pontificia circa Parochos tantùm decernat, colligere vllo modo quisquam possit de simplicibus Sacerdotibus aliam esse rationem, eo quod exceptio firmet regulam in contrarium. Pro quo & adduci ea ratio possit, quòd scilicet ad conscientiam Parochi dirigendam maius sit scientiæ & prudentiæ præsidium requisitum, quia Parochiales obligationes multæ & grauissimæ sunt. Non inquam colligere id quisquam, nisi cum enormi errore potest, quia præfati Decreti alius est sensus valde tali existimationi contrarius. Constat enim ex Concilio Tridentino Sessione 23. Cap. 15. de *Reformatione*, nullum etiam regularem posse sæcularium, etiam Sacerdotum, Confessiones audire sine Episcopi approbatione. Circa quod respectu Sacerdotum nullum est priuilegium hucusque concessum, sicut neque consuetudo. Immò neque vt approbati eligi generaliter possint, illa ostendi potest, vt benè probat Cardinalis Lugo, *Disput. 19. de Pœnitentia nu.6.* licet sit probabile illam extare, vt dictum *nu.362.* Vnde communis Doctorum sensus pro hac irrefragabili veritate iam inde à Concilij Tridentini publicatione scribentium militauit. Pontifex ergo id supponens, exceptionem illam sua damnatione percellit, quæ alicui placuit existimanti in Parocho specialem esse rationem, propter quam ei possit facultas dicta censeri concessa. Cùm enim iuxta sententiam aliquorum, de qua Diana parte *Parte 3. Tract.4. Resolut.110. & 146. Parte 10. Tract.16. Resol.75. & Parte 11.Tract.4. Resol.13.* Parochus possit exponere non approbatos, pro suis ouibus, valde rationi consonum apparet, vt & ipse eligere non approbatum queat. Et vt demus sententiam dictam esse improbabilem, vt debemus dare iuxta citatum Scriptorem, ob Decretum Sacræ Congregationis contra illam publicatum, cuius tenorem adducit Bassæus *Tomo 1. verb. Confessarius 3. n.2.* in quo præiuerat P. Suarius *Tomo 4. in 3. p. Disput.28. Sect.4.n.12. & 13.* potest adhuc ratio aliqua ex eo desumi, quòd Parochus in ijs, quæ non sunt ipsi specialiter prohibita ab Episcopo, amplam facultatem habet, etiam ad dispensandum, iuxta multorum sententiam, & talem videri exceptionem dictam, cùm aliàs Parochi non videantur expressè Decreto Concilij generali Sacerdotis nomine comprehensi: sicut iuxta aliquos nomine *Regularis* non intelliguntur Prælati. Quæ quidem licet parui momenti sint, quia tamen hominum ingenia sunt varia, possunt quidem non parui, sed magni ab aliquibus reputari. Contra quos Pontificia insurgit auctoritas damnatione præfata. Ex quo fit tantùm abesse vt sententia illa sit aliquatenus approbata, dum supra illam damnatio non cadit, quòd potiùs eidem contraria ampliùs firmata sit, & ita eadem improbata.

Concilio Tridentin.

Diana.

Parochos posse exponere non approbatos, est improbabile.

366. Videtur autem disquisitione dignissimum, cur sententia illa improbabilis de facultate Parochi ad exponendos non approbatos, tolerata à Pontifice sit cum Sacra Congregatione, ex qua sententia prædicta de electione ipsius Parochi pro seipso videtur fundamentum desumpsisse. In ea enim maiora inconuenientia occurrunt, quàm in vnius Parochi audita Confessione: cùm ad huiusmodi sic expositos possint omnes concurre-

Bassæus.

Cur sententia dicta sit tolerata, cum possit conuenientissimè prohiberi.

re, inter quos esse valde implicatæ conscientiæ possunt ob diuersos hominum status: vnde in vsu apud Episcopos, & Regulares etiam Prælatos esse solet, vt non omnibus expositis generalis facultas pro omni hominum genere tribuatur. Neque enim videtur dici posse opinionem dictam iam à doctissimis Scriptoribus improbabilem iudicatam: eo enim non obstante erunt qui secus circa id sentiant, vt experientia constat. Iam siquidem P.Suarez, P.Fagundez, Ioannes Sancius, & alij apud Dianam *citata Resolut.75.* de improbabilitate pronuntiauerant; & tamen post eos prodiere in lucem quidam non solùm arbitrati probabilem, sed penitus amplexati, de quibus *ibidem* Diana, & *Resolut.13.* Circa quod Thomas Hurtadus *Tomo 2.variar. Resolut. Tract.12. Cap.1. §.2. Dub.1.* alijs ampliùs probationum cumulum amplificans exspatiatus. Freno est igitur validiore opus, de quo vigilantissimus prouidebit forsitan Moderator, cui & se præfatus Scriptor aptauit in dubij citati fine, & alij obsequentissimi Ecclesiasticæ quadrigæ ductores accipient. De quo & *infra Parte 2. Sect.10.*

Thomas Hurtadus.

SECTIO VII.

Emissio votorum post biennium in Societate IESV an dici professio possit, vbi circa id casus in Indijs decisio peculiaris.

Casus pro ponitur.

367. CVm in Patentibus litteris cuidam è Societate dimisso legisset quispiam eum in eadem Societate Professionem non emisisse, statim intulit eum Religiosum non fuisse, quia sine aliqua Professione verus nequit esse Religiosus, & assertionem vrgebat suam ex eo quòd audijsset sæpè post biennium in Societate Professionem fieri, idque necessarium ad veram Religiosi constitutionem iudicabat. Cui Simile aliquid apud Dom. Arauxo occurrit in Decisionibus moralibus *Tract.2. Quæst.12. nu.4. & seqq.* vbi de quodam ciue Montensi apud Belgas, qui litigans super hereditate obtinenda contra quemdam Societatis Religiosum, qui se dicebat Religiosum non Professum, sic arguebat; *Non est Professus, ergo nec Religiosus.* Circa quod quid sentiret præfatus Magister rogatus, iudicium suum iuxta rei exigentiam, & veritatem, vt putat, irrefragabilem prolaturus pergit, in quo & ego.

Emissio votorum post biennium potest dici Professio.

168. Dico Primò. Emissio votorum post biennium in Societate potest dici Professio. Sic citatus Scriptor. *n. 6. §. 1. & n.7.* vbi ait istum sensum esse verum & conformem modo sentiendi ac loquendi alumnorum sapientium Societatis. Lezana *Tomo 4. Consulto 33. in principio*, & colligitur ex P. Suario *Tomo 4. de Religione Tract.10. Lib.3.Cap.5 n.2.* vbi ait vocem hanc *Professio religiosa* posse generaliùs sumi pro quacumque firma, ac stabili vnione cum Religione approbata per traditionem & vota substantialia Religionis per legitimam potestatem Ecclesiasticam publicè admissam. Et hoc modo dici Scholarium admissionem in Societatem esse veram Professionem.

P.Suarez.

Et sic etiam generaliter pro quocumque tempore, & tam de facto, quàm de possibili, verum esse per omnem Professionem huiusmodi, & per solam illam, verum ac proprium statum Religiosum constitui. Iuxta quæ progreditur, & conuenire sic vota emittentibus affirmant multa, quæ in Iure ac Decretis Pontificijs de Professis loquentibus disponuntur. Pro quo & P. Thomas Sancius *Lib. 5. in Decalogum Cap. 5. nu. 12. & 13.* & modus communis loquendi apud Scriptores occurrens, dum solemnem Professionem dicunt; eo enim ipso videntur innuere dari aliam non solemnem Professionem.

Ratio assertionis, cum responsionis Consultatione.

369. Ratio autem videtur clara ex nuper dictis, quia cùm Iura, & Pontificiæ sanctiones multa statuant Solis Professis conuenientia, & illa constet emittentibus vota post biennium in Societate congruere, non videtur de conuenientia nominis posse dubitari.

Si dicas congruere quidem, quia veri Religiosi, non quia Professi, cùm Professio plus dicat aliquid.

Contra est. Quia hoc ipsum quod est veris Religiosis proprium, propter quod dispositionibus Pontificijs in Iure & extra comprehenduntur, significatur voce Professionis, ergo necessariò fatendum est illam etiam veris Religiosis quocumque modo vota emittentibus conuenire. Patet illatio. Nam si non conuenit, igitur neque significatum per ipsam, quia illa ad significandum id, cui significatum conuenire potest, est instituta. Antecedens autem est manifestum: quia aliqua voce id significari debet: Atqui non est alia: ergo illa. Quibus addendus sapientium vsus, de quibus diximus, vnde nihil prætereà videtur ad intentum posse desiderari.

Propriè & non analogicè talis.

370. Dico Secundò. Vox *Professio* non tantùm analoga dicenda est, si eo loquendi modo significetur solùm esse talem secundùm quid eam, quæ post biennium in Societate fit, vt vult Dom. Arauxo *citato n. 6.* Cuius oppositum, fauens apertè assertioni nostræ, tenet P. Suarez, *adducto loco*, vbi affirmat talem votorum emissionem esse veram Professionem, licet generaliùs sumptam. Quod ex dictis ostenditur. Nam sic professis conceduntur illa, quæ in Iure, & Pontificijs Decretis veris professis conceduntur: sunt igitur verè tales, & non tantùm secundùm quid; nam quæ secundum quid talia sunt, non dicuntur absolutè talia, neque in illis absolutè verificatur axioma vulgare, analogum per se sumptum stare pro famosiore significato, sumpta analogia secundùm dialecticum rigorem, & non vt analogum secundùm proprietatem significationis sumitur, iuxta quam idem est ac conueniens cum alio, seu illi proportionatum. Iuxta quam significationem P. Becanus eruditum opus edidit de analogia veteris ac noui Testamenti: cùm constet vtrumque verum testamentum esse, & nullum eorum secundùm quid tale.

P. Suarez.

Ex dominij retentione in validum argumentū.

371. Arguit autem præfatus Scriptor vt suam positionem probet in hunc modum: Nam verè & simpliciter professi abdicant à se dominium rerum temporalium, cùm Professio simpliciter dicta, & quæ de iure communi fit in Ecclesia, non inueniatur absque abdicatione dominij, ex *Cap. Cùm ad monasterium*, de statu Monachorum. Sed ex Bulla Gregorij XIII. quæ incipit, *Quantò fructuosius*. Religiosi Societatis per tria vota simplicia non abdicant à se dominium bonorum temporalium: ergo non sunt verè & simpliciter professi: & tamen sunt verè & simpliciter Religiosi: ergo latiùs patet in Societate Religiosus quàm Professus: ac per consequens ista duo non se habent conuertibiliter, & qui oppositum asserat cum pertinacia, dictæ Bullæ contradicit. Addere & poterat censuram, quam contradictio talis meretur, quæ sanè grauissima est, vt iam in Tribunalibus fidei iudicatum.

Quia circa vsum abdicatio prohibitio.

372. Sed certè adducta ratio neutiquam videtur vrgere: Nam licet per vota Biennij in Societate non fiat dominij abdicatio, fit tamen vsus, ita vt sine Superioris licentia contra votum paupertatis sit, quod ad Religiosum statum constituendum sufficit, & eo ipso ad Professionis veram rationem. Neque ex *citato Cap. Cùm ad monasterium*, quidquam adduci potest quod momenti sit alicuius, in quo Professionis mentio nulla, & si vis sit in eius dispositione tacienda, ex eo fiet non solùm contra Professionem, esse retentionem dominij, sed etiam contra substantiam Religiosi status, sic enim ibi Innocentius Tertius concludit: *Nec æstimet Abbas quòd super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare: quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis, adeo est annexa regulæ Monachali, vt contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Sic ibi. Vbi quidem non de Professione, sed de statu Religiosi agitur, contra quem id dicitur esse, quod iuxta omnes conuenientem debet habere explicationem, stante irrefragabili veritate de vera ac propria ratione Religiosi status in ijs, qui vota post biennium in Societate emiserunt.

Cap. Cùm ad Monasterium.

Et ille maximè attenditur.

373. Et quidem quod à Pontifice videtur ad proprietatem status Religiosi requiri, vsus videtur esse rerum propriarum, ne scilicet independens à voluntate Prælati sit: sic enim ibi: *Ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat; sed si quis aliquid habeat proprij, totum incontinenti resignet.* Sic ibi. Stare ergo potest proprium cum Monachatu, sed non vsus independenter à Prælati voluntate. In quo & ex voto castitatis argui potest: nam cùm coniux post consummatum matrimonium, seruatis Ecclesiæ legibus, in Religione profitetur, solus vsus redditur illicitus, quia vinculum non soluitur, vnde si accedente vsu nasceretur proles, esset illa legitima, licet sacrilega, quod ut probabile defendit P. Thomas Sancius *Lib. 9. de Matrimonio Disput. 38. num. 7.* Quod ad vinculum autem spectat, extra controuersiam est, vtpotè certissimum: vnde in sæculo manens alio profitente, nequit eo viuente contrahere. Quidquid autem de prolis legitimitate sit, ad institutum nostrum id est satis, quod circa vinculum & vsum diximus.

Cap. idem.

P. Sanctus.

Nequeunt dici sic votentes Religiosi ex priuilegio.

374. Dico Tertiò. Sante proprietate locutionis dictæ cum verissima Religiosi status ratione, nequit dici vota post biennium emittentes esse Religiosos ex priuilegio. Hoc videtur omnino certum, vnde contrariam assertionem defendi à Tribunali est Sanctæ Inquisitionis prohibitum. Id probo

1. Ratio ex addito diminuens.

Primò. Quia modus ille loquendi præ se fert additum diminuens, sicut cùm nobilem aliquem

ex priuilegio dicimus; cùm tamen certissimum sit vota dicta emittentes non minùs esse Religiosos, quàm sint Professi proprijssima Professione, vt definit Gregorius XIII. citata Constitutione *Quantò fructuosius*.

2. Quia repugnantia in asserto.

Secundò. Nam cùm dicitur esse Religiosos ex priuilegio, aut asseritur non esse cum omni proprietate tales, aut esse, sed per priuilegium id haberi, à Gregorio concessum. Primum stare nequit, vt vidimus. Nec secundum, quia nullus per priuilegium constitui Religiosus potest: priuilegium enim cadit supra subiectum in suo esse constitutum, & ita dicuntur priuilegia Religionum, quæ scilicet illas in suo esse peculiari constitutas supponunt, vnde accidentarium quid sunt. Ex eo item quòd peculiarem aliquam viuendi rationem nonnulla ex illis habeat, vt habet Societas, non dicitur esse talis per priuilegium, alias de multis alijs idem etiam dicendum: quod tamen ij, quibuscum agimus, non affirmant, de vna Societate pro suo bono zelo soliciti. Maius profectò fundamentum ad huiusmodi loquendi modum in Religiosis Militaribus suppetebat, veris iuxta multorum sententiam Religiosis, in quibus admittitur castitas coniugalis, nec tamen de illis tale aliquid pronuntiatum, & ea quidem ratione, quia modus ille castitatis ad constitutionem status spectat, vnde talis per priuilegium dici nequit, quod accidentarium quid est.

Thomas Hurtadus.

375. Ex eo autem quod ex iure Ecclesiastico sint inhabiles ad matrimonium, non sequitur esse Religiosos per priuilegium, aut ex priuilegio, vt loquitur Thomas Hurtadus *Libro 1. Resolutionum de Congrua. num. 363.* & alij ante ipsum apud P. Thomam Sancium *citato Cap. 5. nu. 23.* eosdem refellentem *nu. 26.* & admittentem priuilegium, quia sic videtur loqui Gregorius XIII. licet non sit necessarium eum sic interpretari; sed quod de priuilegijs profert, ad ea, quæ supra Religionem iam constitutam cadunt, referendum. Præfatum etiam loquendi modum ex Mag. Ioanne de la Cruz *Lib. 1. de Statu Religionis Cap. 2. §. Ex dictis patet*, videntur aliqui collegisse, ait enim ibi differentiam inter solemniter professos, & per vota simplicia Societatis, ex eo haberi, quòd illi essentialiter & ex iure diuino sunt inhabiles ad matrimonium; quam vim ab Apostolorum tempore habet Professio: neque extat aliqua lex Ecclesiastica, quæ eam vim ei tribuat, per quam etiam homo totaliter Deo traditur & consecratur per internam voluntatem, iuxta D. Thomam *2. 2. q. 88. arti. 7.* At Religiosi Societatis voti simplicis, ex iure Ecclesiastico Gregorij XIII. & sic in omni sententia possunt dispensari per Ecclesiam ad matrimonium contrahendum: immò & dimitti à votis liberi à Generali ex caussa rationabili. Sic philosophatur Scriptor iste, qui veros Religiosos sic vota emittentes agnoscit, nec de priuilegio locutus, sed ius speciale ex vi Decreti Gregorij circa eorum statum recognoscens, quod admitti sine inconuenienti posset; non ita ea, quæ præmittit, quia & Decreto ipsius Pontificis, & iuri communi contraria: ex quibus habetur solemnitatem votorum iure Ecclesiastico introductam, & quod ad primum attinet: scilicet de Pontificio Decreto, constat ex Bulla celebri *Ascendente Domino*, in qua Pontifex ait tria vota *ex Apostolico indulto emitti* quod quidem priuilegium non sonat, sed peculiarem, vt diximus, dispositionem.

Ex Greg. XIII. *quid habeatur.*

D. Thom.

Bulla Gregorij 13.

Solemnitas ex auctoritate Ecclesiæ habetur.

376. Quod verò ad solemnitatem attinet, in eadem Bulla sic refellitur: *Non considerantes voti solemnitatem sola Ecclesiæ constitutione inuentam esse.* Pro quo citatur *Cap. Quod votum*, de voto, & voti redempt. *in 6.* vbi id expressum habetur verbis illis: *Nos igitur attendentes, quòd voti solemnitas ex sola Constitutione Ecclesiæ est inuenta.* Sic Bonifacius VIII. doctissimus Pontifex, sicut & Gregorius, ex quo infert ille in hunc modum. *Præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis illud solum votum debere dici solemne, quantùm id post contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum fuerit per susceptionem sacri Ordinis, aut per Professionem expressam vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis.* Sic Bonifacius: cuius oraculo manifestè aduersatur assertio ista: *Religiosi voti solemnis essentialiter, & ex iure diuino sunt inhabiles ad matrimonium.* At illa est citati Scriptoris, qui dum ait non extare legem aliquam Ecclesiasticam, quæ vim Professioni tribuat, inhabiles reddendo ad matrimonium, mirum est se huius insciam, cùm adeò fuerit doctus, indicare. Si autem dicatur Bonifacium non legem condere, sed declarationem antiquioris in Ecclesia vsus adhibere, rogarique posse vbi inuenerit ex sola Ecclesiæ constitutione solemnitatem inductam, vt matrimonium post contractum per illam dirimatur? Id quidem non est iam contra nos arguere, sed contra ipsum, & eiusdem oraculo contraire. Et quidem si cum Pontificiæ Sedis hostibus ageremus, qui oraculum prædictum vti fundamento destitutum impeterent, valde deberemus esse soliciti circa inuestigationem antiquioris Ecclesiasticæ legis, quam fuerit ille secutus. Cùm autem res aliter se habeat, & cum Catholicis pijs, ac doctis agamus, illis profectò satis esse debet sic duos definire Pontifices, vt etiamsi antiquior non appareat lex, debeant penitus ipsorum Decreta complecti. Circa quod Doctores nostri consulendi, qui omnia Scriptorum contra nitentium effugia ita præcludunt, vt nullum dubitandi relinquant locum finceris amatoribus veritatis.

Cap. Quod votum.

Mens D. Thomæ circa solemnitatem votorum, vt ab aliquibus explicata.

377. Circa D. Thomam autem, pro cuius tuenda sententia videtur aliquorum ex discipulis contentio in hac controuersia militare, extat Nuperi cuiusdam discursus, iuxta quem saluari videtur & Pontificium Oraculum de solemnitate per Ecclesiæ auctoritatem introducta, & obligatio ex diuino iure in Professione cum effectibus annexis, de quibus vtrique. Ait ergo *Primo* iuxta S. doctorem solemnitatem voto adhibitam ex institutione Apostolorum per exteriorem aliquam benedictionem aut consecrationem cadentem supra votum, vt est promissio Deo facta, sicut in alijs actionibus accidit, per quas aliquis Deo consecratur, alteri cuiquam muneri mancipatur, noui status assumptione. *Secundo* falsum esse quod eidem imponitur, solemnitatem scilicet voti habere vim ligandi ex Apostolorum institutione, & ex iure diuino, cùm tantùm de exteriori solemnitate loquatur: de vi autem interiori ligandi, vtrùm proficiscatur à Deo, an ex institutione Ecclesiæ, ne vel verbum dicit in *Corpore. Tertio*

in responsione *ad Primum* innuere vim ligandi esse ex iure diuino primordialiter, ministerialiter verò ex institutione Ecclesiæ, quia scilicet Deus statuit, vt vbi adesset solemnitas ab Ecclesia dispositа, illis esset obligatio indispensabilis, iuxta illud *Numer. 6. Inuocabunt nomen meum super filios Israel. Quarto* quòd cùm dicitur à quibusdam votum simplex non minùs obligare quàm solemne, verum est in hoc sensu, quòd vtriusque transgressor peccat mortaliter; absolutè tamen votum solemne habet maiorem obligationem apud Deum, grauiusque peccat illius transgressor. Nihil ergo Pontifices contra D. Thomæ doctrinam statuerunt.

Num. 6.

Contra quem nihil ab Ecclesiâ statutum.

378. Circa quæ cùm S. Doctoris pateat littera, non est cur in eius explicanda mente diutiùs immoremur, & magni certè æstimari debet eum ita sensisse, vt nihil ab ipso contra Ecclesiæ decreta posteà emanantia fuerit pronuntiatum. Nihilominùs contra illius summi magisterij auctoritatem non facit, si nouum aliquid Ecclesia statuat contra id, quod ab ipso traditum inuenitur.

D. Thom.

Vnde cum S. Doctor *Arti. 11. citata Quæst. 88.* statuat votum castitatis in Religioso non esse dispensabile, quia ad essentiam status illius spectat, in illius Commentario ita scribit Cardinalis Caietanus; *& quoniam eiusdem est interpretari Canonem, cuius est condere illum: si Auctor vidisset summum Pontificem declarasse, quòd Decretalis illa* (Innocentij scilicet Tertij, de qua *n. 372.*) *intelligitur stante Monachatu, proculdubio non suscepisset onus huius opinionis ad defensionem huius Decretalis non interpretatæ. Videtur autem pluries à Romanis Pontificibus interpretata Decretalis illa, vt diximus, dum dispensauit cum multis Religiosis.* Sic ille. Cùm etiam ibidem S. Doctor asserat solemnitatem voti consistere in quadam Consecratione seu benedictione vouentis, & ideò non posse circa illam dispensari, quia res sacra nequit non esse Sacra, idem celebris Commentator, sic habet, §. Aliter igitur: *Vnde ad rationem litteræ diceretur, quod minor propositio, scilicet esse Religiosum, consistit in benedictione, sicut esse sacrum in calice consistit in consecratione, cùm reuerentia est falsa: quoniam non ex vi benedictionis est quis Religiosus, sed benedictio, si quandoque fit, est inuocatiua tantùm.* Hæc Princeps Thomistarum.

Caietanus

Modus dicendi moderni Scriptoris circa solemnitatem.

379. Iam quòd ad Scriptoris illius doctrinam attinet de solemnitate per Ecclesiam adhibita, qua stante inhabilitas veniat primordialiter ex iure diuino, vnde & indispensabilitas oriatur: videtur confirmari posse ex doctrina multorum, qui dicunt respectu aliquorum Sacramentorum Christum Dom. non determinasse materias, sed dispositioni eas Ecclesiæ reliquisse, quod in Ordine præsertim est cernere. Illis enim positis, ministerialiter per Ecclesiam, Sacramenti ratio perfectè constat, & vis operatiua. Itaque facta per votorum nuncupationem perfecta sui traditione in Religione approbata, quæ approbatio ad Ecclesiæ dispositionem spectat, eo ipso redditur quis ad matrimonium inhabilis; vnde duo illa, obligatio scilicet ex iure diuino, & solemnitas ex statuto Ecclesiæ, videntur ritè componi.

Non admittitur.

380. Sed certè neque hic dicendi modus admitti potest, licet alijs minùs inuerosimilis videatur. Stat enim contra ipsum duorum Pontificum adducta *superiùs* auctoritas, dum statuunt voti solemnitatem ex sola Ecclesiæ constitutione inuentam: quod quidem ad solam Religionis approbationem referri nequit. Præterea stare potest traditio, & assumptio noui status in Religione approbata, & nihilominùs eidem solemnitatem non assistere, vt in Societate accidit, de quo Gregorius in citata Bulla *Ascendente* sic habet: *Non considerantes voti solemnitatem sola Ecclesiæ constitutione inuentam esse: triaque huiusmodi Societatis vota, tametsi, simplicia, vt substantialia Religionis vota, ab hac Sede fuisse admissa; illaque emittentes in statu Religionis verè constituì: quippe qui per ea ipsa se Societati dedicant, atque actu tradunt, seque diuino seruitio in ea mancipant: in quibus votis nullus præter Romanum Pontificem potest manum apponere.* Hæc quibus liquido intentum apparet.

Bulla Greg. 13.

381. Neque dici potest, licet sit traditio ad statum Religiosum sufficiens, non tamen esse perfectam, cùm & retineri dominium bonorum possit, & ab eo ad sæculum varijs de caussis resiliri, quod in solemni votorum emissione non cernitur. Nam contra hoc est traditionem prædictam statum perfectum constituere, eo modo, quo Religio status perfectus dici potest, id est, in ordine ad illam, prout à statu Episcoporum distinguitur illam requirente. Id quod ex eiusdem doctissimi Pontificis verbis apertissimè liquet, loco enim eodem sic ille: *Insuper asserunt non posse vota aliqua in sæculo emissa in tria hæc substantialia Societatis commutari: cùm tamen hæc vota sint status, vt præfertur, Religiosi, adeò vtilis & perfecti, vt illa in hac possint, hæc verò in aliorum Ordinum etiam solemnia vota commutari sit ab hac Sede iustis de caussis interdictum.* Hæc Pontifex, adeò perspicua, vt nullum relinquant contradictioni locum, vbi sincerè res agitur, nec vult aliquis meridiano in lumine cespitare. Perfectum statum Religiosum vota ista constituunt: vnde etiamsi in Societate gradus alij non essent, ad eum constituendum sufficerent: & eo quidem perfectionis gradu, vt nequeant in vota solemnia aliorum Ordinum commutari. Vbi nequit dici id iustis de caussis à Pontifice interdictum, non ex status ab eisdem constituti perfectione. Nam si status huiusce perfectio non esset alijs saltim æquabilis, non esset talis interdictio conueniens, quæ, ne quis ad perfectionem tenderet, & animæ saluti vtiliùs prospiceret, impediret. Vnde id respectu Carthusianæ Religionis impeditum non est prioribus illis temporibus, vt ex citata Bulla Gregorij, & aliàs constat. Qui robur robori, & firmitati firmitatem addens sic effatus: *Sed & Scholares ipsos, ac supradictos alios omnes, & quoscumque, qui in dictam Societatem admissi, biennio probationis à quolibet eorum peracto, tria vota substantialia prædicta, tametsi simplicia, emiserint, aut emittent in futurum, verè & propriè Religiosos fuisse, & esse, ac fore, & vbique semper, & ab omnibus censeri, & nominari debere, non secus atque ipsos, tum Societatis, tum quorumuis aliorum Regularium Ordinum Professos.* Hæc Gregorius: iuxta quæ legitimè inferimus in hunc modum, Ergo per tria prædicta vota perfecta fit traditio ad statum Religiosum sufficiens: ergo ex illius defectu non benè statuitur discrimen inter illa & solemnia. Ergo ad dispositionem Sedis Apo-

Traditionem in voto Societatis esse perfectam.

Ex eadem Bulla.

Notanda alia in ista.

Apostolicæ, ex qua habetur solemnitas, est reducendum.

Confirmatio veritatis.

382. Confirmo autem rem istam, & explico. Si Pontifex vellet nouam Religionem instituere, in qua post Nouitiatum vota emitterentur more Societatis sine vlteriori gradu, vt nuper dicebamus, velletque talem emissionem dici solemnem Professionem: tunc tota illa solemnitas à Sede Apostolica diceretur inuenta. Neque in compellatione tali aliquod esset absurdum: quia licet Bonifacius VIII. aliter videatur solemnitatem accepisse; reuera tamen cùm solemnitatem in ordine ad dirimendum matrimonium explicuerit, vbi idem effectus est, idem etiam loquendi modus posset vsurpari: & votorum simplicium nomine illa venirent, quæ statum Religiosum non constituerent. Tunc sic. Ergo & in Professione solemni vt nunc est in vsu idem pariter est dicendum. Illationem probo. Nam quidquid circa traditionem ponatur, dum Ecclesiæ auctoritas non accedit dicentis velle se vt talia vota dirimant matrimonium (de Militaribus non est sermo) nihil, quod Religiosum statum constituere possit, habetur: & tali dispositione Pontificis accedente status constituitur: ergo ad illam est tota solemnitas referenda, siue hoc nomine, siue alio, assumptionem Religiosi status libeat compellare.

Ex Sacramentorum materijs Ecclesia dispositioni relictis non bene arguit.

383. Neque id quod de materijs Sacramentorum Ecclesiæ dispositioni relictis dicebatur (nec ab aduersarijs adductum illud, sed à nobis est pro explicatione doctrinæ illius additum) negotium facessere debet. Quia in primis ostendere debent vbinam promissio illa Christi extet, vel vnde constet traditio, si scripta non est, cùm oppositum ex Ecclesiæ Constitutionibus videatur potiùs à Christo traditum, & traditione acceptum, vt Religiosus status dispositioni Ecclesiæ eiusdem fuerit relictus, solemnitatibus prout expedire visum fuerit institutis. Deinde, designata materia Sacramenti ab Ecclesia, & sic illo confecto, non subest illud Ecclesiæ potestati, ita vt circa ipsum possit aliquid, quod varietatem inducat, operari. Atqui circa solemnitatem non ita se habet, quia illa subest potestati eiusdem: est ergo diuersa in illis ratio. Præterea, de Sacramento, etiam in casu dicto, nequit dici ex sola Ecclesiæ constitutione inuentum, & ita ratio est valde diuersa de illo. Item, Pontifices adducti ad probandam inhabilitatem ad matrimonium contrahendum ab Ecclesiæ dispositione procedere, ex solemnitate arguunt, quæ ab illius constitutione tantùm habetur: ergo non debet reduci ad solam Religionis approbationem. Illatio est legitima. Nam post approbatam Religionem vti statum Ecclesiæ conuenientem, deliberari potest circa modum Professionis, iuxta diuersitatem, de qua in Assertionibus supra roboratis.

Dispensatio in votis solemnibus ex eo habita, quid de iure Ecclesiastico sit solemnitas.

384. Insuper, Etiam posita solemnitate, adhuc Ecclesia potest dispensare, vt ex Caietano vidimus, qui *citato loco* nonnulla producit exempla; non ergo ex iure diuino obligatio illius oritur. Et quidem Pontifices ad vsum dispensationis, ex eo principio sunt permoti, quòd scilicet solemnitas ex Ecclesiæ constitutione habetur. Neque dici potest principio tali tamquàm probabili vsos fuisse, quia principium huiusmodi vti certissimum statuunt, vnde contrarium asserentes inconsiderantiæ arguunt, & defectum intelligentiæ in ipsis reprehendunt. *Horum votorum naturam, & pœnarum vim, vel non intelligentes, vel eludere conantes, quæ sunt Gregorij verba:* cuius & illa: *Non considerantes* &c. de quibus *nu.* 380. Tandem posita solemnitate dicitur oriri obligatio ex iure diuino non contrahendi matrimonium, cum illius diremptione, si post ipsam contrahatur, instar Sacramenti, sola Religionis approbatione: Atqui designatio materiæ in illis suos terminos habet, de quibus per Traditionem constat, nec est illa omnino voluntaria. In solemnitatibus autem secus accidit, quæ ab Ecclesia penitus inuentæ sunt, sicut Pontifices asserunt: ergo diuersa est in illis ratio. Ex quo fit non oriri ex diuino iure inhabilitatem dictam, quæ in re adeò voluntaria habet fundamentum, de quo hæc satis. Iam

Greg. XIII. *verba.*

385. Dico Quartò. Iuxta vsitatiorem modum Societatis loquendo, Professio pro solemni sumitur, & quia illa esse potest trium aut quatuor votorum, ideò in Petentibus dimissorum litteris dicitur nullam eos fecisse Professionem. Sed hoc non tollit quin aliquando possit vox illa aliter vsurpari iuxta dicta, præsertim apud sæculares, qui assueti sic audire & loqui, cùm de Religiosis Ordinum aliorum agitur, vix effici capaces valent diuersi in Societate vota nuncupandi modi, sicut in hoc potest sine inconuenienti acquiesci: sicut & coadiutoribus pariter loquentibus, & sic æstimationem sui status indicantibus. Neque enim cùm vota Formatorum emittunt quoad rem ipsam plus aliquid quoad substantiam, quam res habeat apprehendunt. Neque est insolens vt cùm ratio aliqua principaliter cuiquam conuenit, illud per excellentiam tale nominetur, hinc enim antonomasticè Apostolus, Dilectus Discipulus, Romanus Orator, & alij aliter compellantur; cùm constet appellationes illas alijs, in quibus propriè fundamentum earum extat, esse communes. Sic etiam in Societate quatuor vota professi, non addito Professionis genere solent Professi vocari, cum certissimum sit verè esse Professos, qui tria tantùm solemnia vota nuncuparunt, ob illorum excellentiam supra reliquos. In quo, cùm de nomine quæstio sit, non est cur ampliùs immoremur.

Professio absolutè dicta pro solemni communiter vsurpatur.

Quid circa casum pro Societate.

386. Dico Quintò circa casum propositum, eum qui affirmauerit non esse Religiosum, qui in Societate nullam emisit Professionem, de suæ assertionis sensu requirendum. Communiter autem loquendo, cùm de eo, qui post biennium tria emisit vota, fermo fit, vt in casu Montensis illius Equitis, & alijs sæpiùs occurrentibus, præsumptio est contra proferentem, cùm valde iam notorium sit ita vota emittentes veros esse Religiosos, quidquid de qualitate votorum sit, vnde & tales ad Tribunal S. Inquisitionis deferendi, in quo iam aliàs sic errantes conuenienti sunt animaduersione mulctati, & Gregorius quidem in citata Bulla *Ascendente* falsas & temerarias propositiones circa hoc prolatas, non sicut priuatus Doctor, sed vt Pontifex è Cathedra docens, vt ibidem dicitur, pronũtiauit. Quæ censuræ graviores alias non excludunt, vt constat ex quinque Propositionibus contra Iansenium damnatis ab Inno-

Greg. XIII. *censuræ quæ graviores alias admittant.*

centio X. & Alexandro VII. & ita illas iudices S. Tribunalis addiderunt, vsque ad supremam: quia post definitionem Gregorij dictam, supremum est adiectum firmamentum veritati. Et verò vt propositio aliqua vti certa de fide haberi debeat satis esse videtur, si contraria vt falsa proscribatur. Sic Pontifice è Cathedra pronuntiante, cùm omnino certum sit errare non posse: & cònsequenter illius pronuntiatum esse omnino certum: Vbi autem omnimoda certitudo est in propositis ab Ecclesia, ibi fides, vnde & fidei oppositum debet contrarium affirmari. Quod in quinque illis Propositionibus locum habuisset, etiam si censuræ non fuissent adiectæ, quæ in Bullis extant; conuenienter tamen expressæ ad earum execrationem, & dubitationem omnem penitus submouendam,

De fide est enim cuius contrarium vt falsum à Sede Apostolica proscribitur.

APPENDIX

Circa Censuras aliquas quarumdam Propositionum.

QVia forsitan opportunior locus non occurret, visum est hoc loco, vbi de Censuris nonnihil diximus, circa nonnullas non sine vtilis operæ pretio distineri.

Dom. Arauxo. *intoleranda censura, circa sententiam de filiatione naturali Christi vt hominis respectu Dei.*

387. Dominus Arauxo in *Decisionibus moralibus Tract.* 3. *Quæst.* 22. cùm ex occasione in sententiam P. Vasquij incidisset circa filiationem Christi vt hominem respectu Dei, contra eam nimis est ardenter inuectus, sicut & contra eumdem Auctorem: ait enim n. 14. esse falsissimam, & periculosam, nec parùm dissonam dictis eiusdem Auctoris & *n.* 17. post alia in viro tanto certè miranda, eum audaciæ arguit, & animi minùs affecti ad Ecclesiæ Patres. Quæ quidem iuuenili calore ab eo videntur scripta, & ab aliquo minùs attento ad volumen Decisionum confarciendum adiecta, cui præfatus Magister, curis maioribus auocatus, eam permiserit, quæ pro eisdem edendis vtcumque commoda fuerit reputata. Et sententiam dictam cum P. Vasquez tenuerat P. Suarez *Tomo* 1. *in* 3. *p. Disput.* 49. *Sect.* 2. §. *Sextam rationem, & seqq.* Duo inquam fulmina Scholastici belli, vt eos vocat Basilius Legionensis, Virgiliano vsus loquendi modo: quos & complures alij secuti, qui sententiam dictam probabilissimam reddere potuerunt. Et quidem contra illam citatus Scriptor nihil, quod ab ipsis non fuerit disiectum adducit. Et, vt verum fatear ad modum loquendi tota videtur quæstio reuocari. Sanctificari enim Christi humanitatem per vnionem hypostaticam communissima & probabilissima sententia est, & ratione illius deberi eidem hereditatem beatitudinis, consequentia est, quam admittunt, non solum dictam sanctificationem formalem agnoscentes, sed etiam negantes, & caussalem tantùm admittentes. Restat ergo an ratione talis sanctificationis, cui est ius ad hereditatem annexum, filiatio dicenda sit Christo vt homini conuenire. Et sunt qui negent, quia non omnis sanctitas cum iure hereditatis est filiatio, vt patet in Spiritu sancto. Affirmant alij, quia nullum in eo inconueniens deprehendunt, ex filiatione per habitualem gratiam arguentes, qua nobilior multò est ea, quæ per vnionem hypostaticam habetur. Et quia sanctificatio huiusmodi opus fuit totius sanctissimæ Trinitatis, ad illam filiationis dictæ relatio terminatur. Quid iam in prædicto loquendi modo ita dissonum, vt acerbitatem illam censurarum & iniuriarum mereatur? Videantur Patres Becanus *Tractatu de Incarnatione Cap.* 18. *Quæst.* 4. & 5. Petrus Hurtadus *Disput.* 83. *Sect.* 5. Gaspar Hurtadus *Disput.* 17. *Difficult.* 3. Bernal *Disput.* 66. *Sect.* 1. §. 4. Martinus Perez *Disput.* 31. *Sect.* 3. Georgius Rhodes *Disput.* 4. *Sect.* 1. §. 3. & alij, inter quos suum etiam est circa modum loquendi discrimen. Nam P. Bernal asserit Christum vt hominem esse proprium filium, non verò naturalem: quem impugnat P. Aldreta *Diput.* 85. *Sect.* 2. Et si Pater aut Spiritus Sanctus assumerent humanam naturam, non dicendos filios Trinitatis contendit P. Martinus Perez, qui tandem id concedit Christo. Est ergo de voce quæstio, & cùm ad eam vsurpandam non leue fundamentum sit, & sufficiens auctoritas, non est cur ita loquentes praui debeant censura percelli.

P. Suarij & P. Vasquij *elogium.*

Sanctificatio ratione vnionis hypostaticæ.

Circa filiationem Christi vt hominis variè dicendi modi.

389. Et potest illud non leue sibi præsidium adsciscere ab Hadriani I. auctoritate in *Epistola ad Episcopos Hispaniæ, in Concilio Francofordiensi*, vbi verba illa adducens ex *Matth.* 3. *v.* 17. *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*, ita scribit: *Si secundùm diuinitatem dixisset, nequaquam diceret.* In quo mihi benè complacui, *Sed tantummodò.* In quo mihi complacui: *Sed dum dicit.* Complacui, *totam simul Trinitatem comprehendit, quia in homine Christo tota complacuit Trinitas.* Sic ille: in quibus non obscurè innuitur Christum Trinitatis dici Filium posse. Benè verum est verba prædicta ad Patrem tantummodò Doctores communiter esse referenda apud citatos videndos, affirmare, & ab aduersantibus explicationes, quæ Pontificis sententiæ congruere possint, afferri, vt videri potest apud Dom. Arauxo, & apud P. Martinon *Tomo* 3. *Disput.* 14. *n.* 45. Sed ad intentum nostrum satis est in illis pro sententia, de qua agimus, quæ de modo loquendi est, fundamentum haberi, vt non debeat vlla ratione damnari. Dicunt quidam Patrem esse qui loquitur, & complacentiam in Christo aliarum personarum vt est homo denotare. Sed certè si hæc est expositio sustinenda, id quod præmisit Pontifex, non videtur quomodo sit conuenienter assertum: quod scilicet, si de diuinitate Christi loqueretur, non dixisset *Complacui*, sed *Placui*: Nam etiam de diuinitate loquens dicere, *Complacui* posset, quia in Christo vt Deo tota complacet Trinitas. Aliud ergo significare voluit, scilicet Trinitatem in eo vti in Filio complacere, quatenus homo est per gratiam vnionis à tota Trinitate deriuatam. Qui discursus satis fundatus est, licet non sit qualiscumque euasio defutura.

Grauem inde asserenti præsumunt. Hadrian. I. *Matth.* 3. *v.* 17.

Verba Patris de Christo commodè explicata.

390. Neque contradictorium aliquid ex eo habetur inter assertum citati Pontificis, & aliorum Patrum, de quo nuper, iuxta quod præfata verba Patri tribuuntur, ex quibus consubstantialitatem Filij contra hæreticos conantur demonstrare. Nam dum Trinitas loquitur, Pater loquitur: & licet de Christo vt homine, quia tamen vt Filio per gratiam vnionis, eo ipso eius diuinitas indicatur, quam & in Baptismo, & in Transfiguratione plenæ maiestate significationes comprobarunt,

barunt, cum voce pariter Patris, quod & in oratione, quæ in Sacris Officijs Transfigurationis habetur, eleganter commendatum. Neque est inconueniens vt in eadem clausula de Christo vt Deo, & etiam vt homine habeatur sermo, sic enim in casu, de quo loquimur, constat accidisse. Nam cùm Pater verba prætata protulisset in Transfiguratione, subdidit: *Ipsum audite.* Atqui non vt Deus, sed vt homo, erat locuturus, Deo tamen verbis doctrinę eius auctoritatem tribuente. Fuisse autem vocem illam Patris in Transfiguratione testatur D. Petrus verbis illis: *Accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam voce delapsa ad eum de nube &c.* 2. Pet. 1. v. 17. Quod non tollit quominùs ad totam referri Trinitatem queat, cùm in diuinis personis communicatio sit idiomatum, vt exponit P. Vasquez *Cap.* 10. Quibus addi potest, ad Patrem specialiùs referri posse, quia sunt in ordine ad Filium, erga quem specialem magis respectum habet: qua ratione creatio attribuitur ipsi in Symbolo fidei, quia est prima persona ceterarum fons, & ita etiam rerum omnium, quarum est *Creatrix ac gubernatrix Trinitas*, vt in diuinis habetur Officijs. Et Spiritus sanctus dicitur per Prophetas locutus, quia illi per diuinam inspirationem tales facti, & Spiritus sanctus ab spirando dicitur talis, qui & inspiratione productus. Nec plura circa hoc, vbi de censura depellenda agere, institutum ei solummodò est: nec laborandum censeo in propulsanda calumnia in P. Vasquium iactata, de minori in eo erga Sanctos Patres affectu, cùm illum eius opera manifestè talem euincant, & ratione peculiaris erga eos studij ac obseruantiæ laudem sit peculiarem etiam eximiorum Scriptorum consecutus.

2. Pet. 1. v. 17.

Erga D. Thomam obseruantia Auctoris.

Quantùm eam moderni Scriptor extollat.

391. Venio ad alia, & de cuiusdam turbulenti Scriptoris sententia acturus, præmitto me D. Thomam corditus diligere, eius magnificare, semperque fecisse doctrinam, & ab eo exorare quotidie, vt me suis precibus apud Deum adiuuet, sicque suum doctrinæ ac vitæ puritate imitatorem efficiat. Qua protestatione præmissa, quidquid dixero pro veritate dictum æstimari velim, & ita etiam pro Doctore sancto, patrono iuratissimo veritatis. Iuxta quæ rogo, an sententiæ D. Thomæ in omnibus & per omnia ita certæ habendæ sint, vt nequeat sine erroris periculo eisdem contrairi? In quo citatus Scriptor ita sentit, quia post diuinam Scripturam illius doctrina est authentica, à Christo Domino vt vera commendata, ter dicente: *Benè scripsisti de me, Thoma.* A Summis Pontificibus supra omnes alias collaudata, ab Innocentio scilicet sexto, Vrbano Sexto, Ioanne 22. Clemente Octauo, & alijs, qui eam ab errore alienam pariter protestantur: Vnde sic scribit: *Idcircò, salua reuerentia omnibus debita, cùm Ecclesia ipsa D. Thomæ doctrinam collocauerit statim sub Scriptura Canonica, affirmetque eam præ omnibus alijs doctrinis habere proprietatem verborum, & veritatem sententiarum: Ecclesiæ declarationi, totiusque orbis plausui aduersari videtur, qui cuiusuis alterius Patris doctrinam cum doctrina D. Thomæ, vel conferre, ne dum præferre, aut æquare contenderit: quidquid sit de sanctitatis æqualitate aut inæqualitate, de qua erit iudicium & visio in cælo.* Sic ille: qui excellentiam hanc supra reliquos, non solùm in diuinis, de quibus tantùm locutus videtur Christus, dum de se benè scripsisse testatur; sed in omnibus alijs asserendam censerit, argumento à maiori ad minus facto.

P. Vasquez *immodestè tractatus.*

392. Et cùm Pater Vasquez *Tomo* 1. *in* 1. *p. Disput.* 3. *Cap.* 4. cum Victoria & laude dixerit occurrente D. Thomæ sententia, expendendam eius rationem, & dum melior non occurrat, eidem assentiendum; ait locutionem esse conditionatam, conditione numquàm ponenda in esse, quia numquàm fiet vt melior suppetat. Et quemadmodùm D. Augustinus dicere solebat de locis Scripturæ, quòd quando non intelligimus aliquem Scripturæ locum, non est dicendum illum esse in se falsum, sed quòd nostra imbecillitas eius veritatem non assequitur, ita circa rationes D. Thomæ dici debet cum proportione quando nobis occurrit ratio magis placens ratione D. Thomæ, id non esse quia nostra sit melior, sed quia illam D. Thomæ plenè non assequimur, & excogitata à nobis nostræ tenuitati magis quadrat. Itaque quod nulli Doctorum datum, quòd scilicet in nullo errauerit, id D. Thomæ in omnibus, & per omnia concessum: quia gratia data est à Deo pro suæ voluntatis beneplacito dispertita, sicut Salomini, etsi aliàs in moribus damnabili, datus sapientiæ principatus.

Moderni Scriptoris suo in asserto moderatio.

393. Qui discursus ad eum certitudinis gradum omnes D. Thomæ sententias euehit, vt iuxta illum, si consequenter loquendum sit, nulla earum negari sine graui censura possit, vnde & sine peccato qualitati eorum proportionato. Cùm enim earum veritas sit post Scripturas sacras authentica, in quibus quæ continentur, de fide sunt, suprema inquam certitudine: quæ eidem proxima talia erunt, vt erroris censura, aut errori proxima, eis contraria debeant affirmari, & quis hoc audeat sanæ mentis profiteri? vnde Scriptor ille sic tandem concludit: *Concedo igitur in disputationibus extrà fidem, non solum auctoritatis, sed etiam rationum momenta quærenda esse. Ceterùm nego rationem meliorem, judicio (non huius aut illius priuati Auctoris) sed iudicio vniuersali totius orbis aliquando occursuram, ob quam à ratione D. Thomæ recedere expediat. Fateor tamen vbi non interuenit iuramentum sequendi D. Thomam (vt interuenit inter Fratres Ordinis Prædicatorum) non esse in rebus arbitrarijs peccatum à D. Thoma recedere. Itaque aliud est non esse peccatum, aliud esse expediens: si non est peccatum, non expedit tamen recedere: quia qui Aquinatem in omnibus sequitur, securus est in nullo se vnquam erraturum: qui autem ab eo discedit, & impugnat, saltim exponit se periculo errandi. Quis autem prudens periculo se exponat, & non potiùs viam ingrediatur, in qua ab omni errore tutus existat?* Hæc ille: circa quæ occurrunt.

Ex qua illius infirmatur assertum.

394. Primò omnem illum apparatum pro certitudine doctrinæ Doctoris Angelici fundanda non eam habere vim, quam fundamenta præ se ferunt iuxta Scriptoris huius infixum altè conceptum: ex illis enim deduci consequenter debuisset contrarium sine graui censura, & consequenter sine peccato non posse teneri, & multò magis impugnari, ob rationem adductam. Cùm ergo talis non inferatur Consequentia, argumentum euidens est certitudinem non esse talem, qualem

qualem ſtabilire conatur ille, cùm ad ſolam conuenientiam negotium totum reducatur.

Et vis rationis deficit circa periculum errandi.

395. Secundò, ſtante prædicta certitudine non benè dicitur contrariam aliquam ſententiam amplectentem ſe exponere periculo errandi, ſed manifeſtè errare, cùm ſit contra Doctorem, qui in nullo errauit, iuxta multiplices illas & magnas auctoritates. Si dicas cum addito dictum *ſaltim ſe exponit*. Tunc ſic. Hoc additum aut ideò apponitur, quia doctrina habet certitudinem dictam, aut quia non eſt adeò certa? Si prius dicatur, periculum eſt certum, & ita ex eo non elicitur argumentum. Si poſterius, quæ ædificata fuerant, deſtruuntur, dum iam nutat certitudo. Niſi dicatur etiamſi doctrina D. Thomæ non omnino certa ſit, eſſe tamen ſaltim magis veroſimilem, & ita illam refutantem, periculo ſe exponere errandi. Sed certè cùm res iam in terminis opinionis probabilis relinquatur, nihil eſt quod negotium faceſſere poſſit, iuxta dicta in *Appendice Sect. 1. de opinionum probabilitate*.

Graue inconueniens ex eo, quod D. Thomæ ſententia non eſſent opiniones.

396. Tertiò, ſequeretur ſententias D. Thomæ non eſſe opiniones. Conſtat, quia in illarum amplexu ſine vlla eſt formidine circa partem aduerſam procedendum, neque proximo, neque remoto, reſpectu eorum, qui ab eo doceri norunt. Si dicas poſſe formidinem intercedere, quia non omnes fundamenta formidinis penetrant. Tum ſic. Ergo abſolutè loquendo opiniones non erunt, ſed tantum per accidens ratione dictæ ignorantiæ: ſicut multa aliàs euidentia, aut de fide, reſpectu aliquorum talia non ſunt ob ignorantiam. Id autem admittere, alienum valde à veritate eſt, quod neque maximi Thomiſtæ ſomniarunt. Et illud quidem aſſerere non ſine inſigni temeritate ſtaret, cùm ſit contra omnium Theologorum ſenſum, qui D. Thomæ ſententias in Scholis controuerſas vt opiniones, accipiunt, quibus contrariæ paſſim defenduntur.

Aliud circa Virginis Conceptionem.

397. Quartò, ſequeretur ſententiam de Conceptione Virginis, in Originali, quam communiter PP. Prædicatores eſſe D. Thomæ exiſtimant, eſſe omnino certam, & Eccleſiam ipſi contrariam amplectentem in eo errare, aut ſaltim ſe periculo erroris exponere, neque id ſecutàm, quod fuiſſet expediens, & iuxta prudentem agendi modum decuiſſet. Sequela eſt euidens iuxta Auctoris præfati, quam vidimus, aſſertionem. Quàm autem grauis error in eo extet, manifeſtè apparet, circa quem, ſi ſequelam concedi (quod abſit) contigerit, fidei Tribunalia iudicabunt. Et quidem cùm in eo, pro quo acerrimè depugnatum ab ipſis, non ea certitudo ſit, ex eo inferri, nec leui coniectura poteſt, idem de alijs proferendum. Et verba Chriſti, *Benè ſcripſiſti de me, Thoma*, ſupra Quæſtionem illam, in qua S. Doctor prædictam ſententiam inſeruit, cecidiſſe, communis eorumdem Patrum ſententia eſt, cùm ſit in 3. p. & ita refert P. Ferdinandus del Caſtillo *Lib. 3. hiſtoriæ Cap. 24.* dicens id accidiſſe ante paucos menſes morti proximos, cum Tertiam Partem ſcriberet. Et hæc fuit præcipua allocutio, nam duæ aliæ circa Scripta ipſius in materia Euchariſtiæ dicuntur accidiſſe, vt ex eodem Scriptore habetur *citato in Capite*. Quamuis non omnino certum ſit an tempore allocutionis Chriſti ad Quæſtionem dictam Doctor ſanctus peruenisſet. Quæ enim erat eius in elucubrando facilitas, paucis menſibus potuit id quod in eo opere imperfectum habetur, perficere, à *Quæſtione 27.* illud poſt fauorem dictum proſecutus. Quod quidem myſterij puriſſimæ Conceptionis fautores, & quis iam non fautor? poterunt in myſterij eiuſdem ſubſidium deriuare.

D. Thomæ doctrina quando laudata à Chriſto.

P. Ferdinandus del Caſtillo.

Abeo tuto dere ſine periculo poſſit.

398. Quintò, ſi quando D. Thomæ ratio non placeat, quia eius profunditatem quis non aſſequitur, aliam ſibi magis placentem amplecti vult, ſuam profeſſus tenuitatem: non erit contra prudentiam eo modo procedere. Atqui ex eo fit in primis non ſe exponere errandi periculo, aut taliter exponi non eſſe damnabile, cum commune id ſit in probabilium opinionum amplexu, quibus cum formidine præbetur aſſenſus. Deinde regulariter loquendo, qui à D. Thomæ ſententijs recedunt, eo modo ſe gerunt, non quidem cum Caietano dicentes, *Cum reuerentia eſt falſa*, vt vidimus *nu. 378.* ſed modeſtioribus verbis, quod in Societatis Auctoribus præcipuè, qui eos euolauerit, deprehendet. Ex quibus P. Suarez *Tom. 1. in 3. p. Diſput. 29. Sect. 1. in fine* ſic ait: *Denique contra hanc ſententiam nulla difficultas occurrit, quia fundamentum D. Thomæ iam ſolutum eſt, & in re pia & probabili, & quæ maiorem perfectionem Chriſto tribuit, non mirum eſſe debet, quòd à ſententia D. Thomæ diſcedamus.* Sic ille, reuerentiſſimè ſemper de S. Doctore locutus, cui illuſtre ſatis teſtimonium perhibuit *Tomo 1. de Gratia, Prolegomeno 6. Cap. 6. n. 28.* Iuxta prædictam ergo procedendi copiam factum ab Scriptore dicto, latiſſima aperitur porta ad ſententias D. Thomæ doctrinæ oppoſitas conſectandas: nullus enim ſententiam quampiam amplectitur, niſi quia ratio pro illa plus placet. Quod quidem cùm verum ſit, cum irrefragibili illo pro certitudine armamentario non videtur poſſe componi. Sicut enim in rebus fidei, ex quibus exemplum inſtruitur, ex eo quòd locum Suripturæ, in quo veritas aliqua continetur, non benè calleamus, minimè licet contrarium amplecti, etiam tenuitatem intelligentiæ cauſando; ita ſuo modo in caſu noſtro dicendum, vt ſcilicet clauſis oculis veritatem certò latentem in ratione, quam penetrare non poſſumus, amplectamur.

P. Suarez modeſtiſsimè à D. Thomæ recedit.

Summis Doctoribus comparandus.

399. Sextò, ad comparandum D. Thomam ſummis Doctoribus magnum ex præfatis argumentum deſumi poſſe, pro quo etiam Sixtus Senenſis in ſua Bibliotheca, quem adducit Laurentius Beyerlinck *in Theatro verb. Theologia & Theologi*, de quo & ego alibi dixi, & Suarez loco nuper adducto ſic locutus: *ſolum hoc loco D. Thomam adiungimus, quia ſicut in explicandis fidei myſterijs ceteris Scholaſticis Theologis antefertur, & primis Eccleſiæ Doctoribus comparatur, & in illuſtrandis difficillimis de gratia & libero arbitrio controuerſijs ipſi Auguſtino cùm ſupparem reputamus. Nam & illius doctrinæ ſectator eſt, ac defenſor acerrimus, & in rebus obſcuris & ambiguis mentis eius eſt diligentiſsimus indagator, & fideliſsimus interpres.* Hæc ille, quibus alia ex Cardinali Toleto, PP. Poſſeuino & Pererio, ab ſcriptore, quocum res agitur, adductis, veniunt adiungenda, ſicut & multa ab alijs Societatis Scriptoribus haurienda.

P. Suarez.

Et D. Auguſtino ſuppar.

400. Septimò, ad excellentiam prætenſam ab

Lux fundamentum ad motum ab eo amotum erroris.

ab Auctore dicto, & priuilegium ſingulare, vt S. Doctor in nullo errauerit, aſſerenda, non eſt ſufficiens fundamentum, vt ita confidenter pronuntiandum videatur. Id probo. Nam in primis quod de teſtimonio Crucifixi adducitur, commodam habet explicationem: duæ enim priores allocutiones circa Euchariſtiam, & prior circa ſpecies Sacramentales, de quibus difficultates aliquæ in Academia Pariſienſi occurrerant, & quales illæ fuerint ignoramus, directæ ſunt, vt diximus *nu. 397.* Tertia erga Tertiam Partem, & huius tantùm mentio in diuinis Officijs habetur, & eum commodum habere ſenſum poteſt, quem P. Mag. Ferdinandus del Caſtillo illis verbis, de magiſterio S. Doctoris locutus, indicauit citato Lib. 3. Cap. 15. *En muy pocas palabras (por ſerpropias, ſignificantes, y nacidas para las materias de que trata) comprehende mucho. Y con ſu mucha diſtincion, concierto, y orden, es clara y facil. Y an los fundamentos que lleba, cierta y ſegura, no ſolo en las coſas pertenecen à la fe, pero en las otras, que nolo ſon. Porque à todas guarda ſus leyes, y conforme à ellas nos da la Fe como Fe: la ciencia, como ciencia, y las opiniones, como opiniones.* Sic ille. Iuxta cuius elegans & illuſtre præconium de Chriſti approbatione dicendum: approbaſſe ſcilicet in Tertia Parte tunc inchoata, iuxta dicta *citato nu. 397.* quæ de fide, vt de fide: quæ ſcientifica, vt ſcientifica: & opiniones, vt Opiniones, certò & ſecurè probabiles. Sic enim citati ſunt Magiſtri componenda verba, dum & certam & ſecuram doctrinam ſtatuit in ijs etiam, quæ ad fidem non ſpectant; & aliàs aſſerit Opiniones vt Opiniones à S. Doctore propoſitas: & quamuis piè poſſimus credere in nulla earum errorem extare; ſi tamen extet, eo non obſtante, quod à D. Thoma ſcriptum eſt potuit à Chriſto generaliter approbari. Quemadmodum ſi quis reuiſendum pro editione librum à Magiſtratu ſuſcipiat, & aliquid in eo contentum certò ſciat eſſe falſum, ſi tamen iuxta alios probabile ſit, poteſt illud cum alijs indiſcriminatim probare, quatenus alijs probabile eſt, & ſine detrimento fidei ac morum poteſt publicari. Vnde ex approbatione huiuſmodi, ad infallibilitatem omnimodam nequit argumentum irrefragabile conformari.

Mag. Ferdinandus del Caſtillo pro magiſterio D. Thomæ.

Vt patuerit eo non obſtante à Chriſto laudari.

Quid à Pontificum laudibus.

401. Præterea, ex auctoritate Innocentij in Sermone illo robuſtius deſumi nequit, quia in rigore ſuſtineri non poteſt: ex eo enim fieret Concilijs, Pontificijs Decretis, ac iuridicis ſanctionibus eſſe præferendam Doctoris ſancti doctrinam: Omnia enim illa poſt Scripturam ſunt. Item, de illius certitudine ſunt qui dubitent. Præterquam quòd Pontifex in Sermone vt priuatus locutus Doctor, ſicut in ſuis Ioannes XXII. qui Doctorem ſanctum Catalogo ſanctorum adſcripſit. Qui etiam dixiſſe refertur ad honorem præfatum D. Thomæ exhibendum, opus non fuiſſe miraculis; cùm quælibet ab eo ſcripta Quæſtio, vel vt aliqui dicunt Articulus, eſſet miraculum. In quo quis non videat exaggerationem hyperbolicam inueniri? & ita loqui in Concionibus ſolet. Illud certius quod in Bulla Canonizationis habet idem Pontifex, ſcilicet D. Thomam inter Sanctorum agmina velut matutinum ſydus collocatum. Sic exaggerationes aliæ in *SS.* Patribus occurrunt alios alijs Sanctos præferentibus, vt Ioannem vtrumque, Petrum, Paulum, Ioſephum, *S.* Latronem, quæ cum grano ſalis accipiendæ, vt ipſe Doctor ſanctus non vno in loco monſtrabit eius ſcripta percurrentibus.

A Clemente 8.

402. Iam quod ad Clementem VIII. ſpectat, ſtat ritè eiuſdem aſſertum de errore à D. Thomæ operibus relegando: demus enim libenter ita eſſe, quia nullus in illis apertè deprehenſus. Quòd non tollit quominùs aliqua eius opinio poſſit eſſe certitudine deſtituta, & ipſi non ſubeſſe veritas, quod in opinione Conceptionis communis iam Fidelium ſententia habet ſibi firmiſſimè perſuaſum, & in votorum ſolemnium indiſpenſabilitate, de qua dictum *nu. 378.* Neque alia congero, quia non eſt animus huiuſmodi inofficioſa congeſtione quidpiam detrahendi magnæ Doctoris ſancti auctoritati, & ſic nouas turbas excitandi; ſed veritati litando, me, ac nonnullos ex Noſtris collocandi in tuto, ſi aliquando accidat ab eius placitis aliquantulùm diſcrepare, quod erit certè perrarum; in me quidem conſcientia teſte, & in alijs vt ſpero, quia generaliter video affectum erga ipſum cum debita æſtimatione vigere. Et vt de me teſtimonium iteratò perhibeam lectorem obſecro, vt Epiſtolarium meum conſulat, in quo quàm dignè de S. Doctoris ſanctitate ac ſapientia ſentiam teſtatiſſimum deprehendet. Pro doctrina illud: *Pedes eius vt columnæ. Quod ad fundatiſsimam eius doctrinam trahendum, ſecuram, ſtabilem, principijs ſemper certioribus innixam, roboratam. In qua ſuus ignis contra hæreticos; nihil enim illi magis horrent, quàm rationes ex igneo Doctoris Angelici armamentario depromptas. Libellus apertus in manu eius, Theologia dilucidè declarata, elucidata myſteria, ea perſpicuitate, ordine, elegantia, quæ in illo præ alijs admiranda.* Hæc ibi & alia ad locum Apocal. 10. quæ in PP. Prædicatorum ſuggeſtibus maiori meo cum rubore quàm honore declamata: & hoc loco adſcribenda volui, vt quæ præmiſſa circa Doctorem ſanctum à me ſunt, nullus ſiniſtrè interpretetur, habens pariter antidotum eius, quæ ſubire poteſt, minùs ſanctæ ſuggeſtionis. Et in Epithalamio dictis addenda, quæ in Amphitheatro extant, vbi locupletior in laudes S. Doctoris excurſio.

Teſtimonium Auctoris.

Apocal. 10.

In extollendis Scriptoribus quanta adhibenda moderatio.

403. Et vt præſentis cauſſæ concluſionem congruam adhibeam, à comparationibus, quæ odioſæ, & rixis excitandis obnoxiæ ſunt, iudico pacis amatoribus abſtinendum, ex quibus abeſt tantùm vt is, qui præferri intenditur, in poſſeſſione prætenſæ excellentiæ pacifica ſtatuatur, vt detrimento ei potius ſit, & quod pro gloria ipſius agitur, in gloriæ diſpendium conuertatur. Suos enim habent Scriptores magni, ſicut & Sancti patronos, qui ægrè ferunt immodicas prælationes, & dum pro ijs apologias conficiunt prouocati, quidquid pro extollendis præſtant, aliorum depreſſione contingit, vt dum vna bilancium aſcendit, altera deprimatur. Quomodò pro Diuo Auguſtino non ſui militent, cuius egregia ſcripta in materia gratiæ vti Catholica dogmata recepit Eccleſia: pro quo P. Suarez *Prologemeno & Cap. citatis.* Pro Diuo Bonauentura in Doctoratus ſacri gloria iudicio Eccleſiæ exæquato D. Thomæ, & magnis Doctorum præconijs celebrato, an ſui ſileant, licet pro Doctore Scholæ non eum, ſed ſubtilem Doctorem elegerint? Vt de Doctore ipſo ſubtili taceam, cuius nulla ſententia ab Eccleſia

cleſia proſcripta, vt hinc laudis illius videatur nutare credulitas, iuxta quam quiſquis D. Thomæ doctrinam eſt impugnaſſe repertus, eo ipſo fuerit de veritate ſuſpectus, cùm conſtat Doctorem dictum D. Thomæ omnimodis obſtitiſſe.

Eccl.44. v.1. 404. *Laudemus ergo viros glorioſos*, ſed cum inoffenſa moderatione laudemus, & cùm Magnos data opportunitate dixerimus, eumdem titulum alijs reſeruemus, Eccleſiæ ſanctæ exemplum amplexi, quæ laudem, *Ecce Sacerdos magnus*, multis facit eſſe communem. Et illam pariter: *Non eſt inuentus ſimilis illi, qui conſeruaret legem Excelſi*: quæ Abrahami eſt *Eccli* 44. *v.*20. Ne autem ita videretur extollere, vt ſimilem non haberet, appellatus ibidem *Magnus pater*: pro Moyſe *Cap.ſequenti* ſic expreſſum v.2. *Similem illum fecit in gloria Sanctorum.* Et quibus ſimilem? *Id eſt ſimilem Sanctis, Putà Patriarchis, Henoch, & Abraham, Iſaac & Iacob*, ait P. Cornelius. Ad quem modum cum Chriſtus Ioannem apud turbas elogio celeberrimo ſuſtuliſſet: *Inter natos mulierum &c.* addidit ſtatim: *Qui autem minor eſt in regno cælorum, maior eſt illo.* Quis autem minor iſte ſit non aperuit, vt contentiones de maioritate in Ioanne, ſicut & in Abrahamo, adſerta Moſis ſimilitudine ſopirentur. Sint ergo omnes Magni, quorum comparatione vtinam & nos minimi mereamur in cælorum regno vocari, dummodò vocari eiſdem feliciter aſſociatis detur, qui modo ipſos *pace in idipſum* Patronos pariter & Magiſtros inuocamus.

Cap.45.v.2 *P.Cornel.* *Matth.11. v.11.*

405. Occurrunt (vt tranſeamus ad alia) in Auctore quodam ex citatis ſuppreſſo nomine, multæ graueſque cenſuræ contra Pronuntiata aliqua Scriptorum Societatis, contra quas, quia non tam cenſuræ, quàm iniuriæ ſunt, non videtur laborandum, vt earum violentum impetum retundamus. Auctores quidem, contra quos præfatus Scriptor inuehitur, adeò probatæ doctrinæ ſunt, & excellentis famæ in Republica litteraria, vt nihil ſit ſuo aſſecuturus labore, qui cenſurarum fulmina in eos iaculatus fuerit, niſi opinionis propriæ diſpendia, & grande illud periculum, quod iam ab ipſo operis exordio conſtat imminere. Quis enim non cum ſtomacho, & ſcribentis ludibrio excipiat, poſt adductam P. Vaſquij ſatis doctam, ſubtilemque doctrinam, ſic loquentem: *Audiri poſſunt, replico ego, diſparata maiora? Quis non rideat audiens affirmari &c.* Cui non irreuerentiæ plenus, & cordato homine indignus non appareat ille §. cuiuſdam titulus: *Suarez debachatio in Caietanum*, vt de illo non loquar §. alterius, *Intolerabiles Baezæ iactationes.* Ad quem & illud: *Proh immeritas, ne dicam, inſanas voces!* & quænam illæ? Quòd dixerit Societatis Auctores, præcipuis nominatis, ab aura Spiritus ſancti, & non proprio labore ſcripſiſſe. Propter quod ſcriptor alius Commilitij eiuſdem, in eum fuerat iam priùs inuectus, cui doctus Pater reſpondit *Lib.4. in Danielem* §.21. inſiſtens dictis, & iteratò pronuntians Doctores Societatis à Deo habere quòd ita facilè, & promptè, & ſine labore, tot ſapientia ediderint Commentaria: nec poſſe ſuperbientis animi accuſari, quòd ſuam, ſuorumque ſapientiam, Deo cenſeant tribuendam. Vbi quidem ille firmiſſimum fidei dogma proponit, vt non appareat quomodo poſſit propterea à viris Catholicis incuſari.

Intoleranda Neotorici in Societatis Scriptores irruptiones.

Ium P. Baeza pronuntiatum.

406. Et quidem Doctores ſacros ab Spiritu ſancto illuminatos ſcribere, indubitatæ doctrinæ apud eoſdem Doctores poſitio eſt, in quo ſi excellat quiſquam, peculiari venit titulo prædicandus, vt in Franciſco Mayronio accidit, qui dictus eſt Doctor illuminatus, cui tamen alij compiures exæquati. Cur ergo P. Suarez laudem in eo peculiarem non mereatur, quem Paulus Quintus Pium & Eximium Doctorem, & ſapientia in Dei Eccleſia diuina gratia eminentem compellaſſe, notiſſimum eſt, vt Breuia in eius vitæ narratione inſerta manifeſtant? Cur non & alij clariſſimi in Dei Eccleſia Magiſtri, pro Eccleſia ipſa ſtrenuè ac laudabiliter militantes? Quorum aliqui adeò plura elucubrarunt, vt mirum ſit quomodo ad id eorum vita ſuffecerit, cùm ad eos legendos non ſufficere ſtudioſorum vita, vt audimus frequenter, videatur. Illi profectò quando ad ſcribendum animum & calamum applicant, Spiritus ſancti gratiam exorant, & orationis fructum cumulatiſſimum referunt, lucubrationibus numero, eruditione, elegantia, & attenta virium imbecillitate mirandis. Qui ergo dubitari poſſit ab aura id diuini Spiritus aduenire? *Quo illuſtrantur Prophetæ, Reges inunguntur, Sacerdotes ſanctificantur, Doctores declarantur*, vt loquitur D. Ioannes Chryſoſtomus *homilia* 1. de Pentecoſte. *Qui inſpirator fidei, Doctor ſcientiæ*, vt habet D. Leo *Sermone* 1. *de eodem.* A quo & dantur *pignus ſalutis, robur vitæ, ſcientiæ lumen*, iuxta D. Bernardum *Sermone* 1. *de illa.*

Illius veritas comprobata.

Scripturæ egregiæ peculiaris aura Spiritus ſancti tuetur & illuſtrat.

D. Ioan. Chryſoſt.

D. Leo.

D. Bernard.

407. Sed erraſſe illos, aut eorum aliquos fortaſſe accidit, & ita ab Spiritus ſancti peculiari aura ipſorum opera non fuiſſe exorta, ſed generalibus tantùm auxilijs conſtructa debere affirmari contendet obiector. Nam ex generali Dei concurſu non fieri ſpecialem denominationem conuincit experientia, (verba ſunt Scriptoris illius) nam Eraſmus, Caluinus, Lutherus, & alij ſimiles hæretici, maxima facilitate, & promptitudine ob peritiam linguarum, præſertim Latinæ ac Græcæ plurima ornatiſſima Commentaria in ſacram Scripturam ediderunt continentia innumeras veritates, quæ à ſolo Spiritu ſancto eſſe poſſunt, aliquot tamen erroribus aſperſa, ſicut Origenes, & Tertullianus, ac ſimiles. Et tamen quis dicere præſumpſerit eorum Commentaria tam promptè, tam eleganter, facileque edita, ex aura Spiritus ſancti & non ex proprio ſcripta: labore ſcribentium fuiſſe? Contra illud Philoſophorum iudicia, denominationeſque rerum, non ex remotis, ſed ex proximis cauſſis fieri habent. Vnde infert periculoſum, ſi non ſcandaloſum, Patris Baeza eſſe locutionem: idque poſtquam ipſe pro ſe adeo euidenti confutatione inpactæ calumniæ reſpondit.

Etiam errores aliqui in illis, quos peperàm obiectum.

408. Sed quod in præfata obiectione ad cenſuram P. Baezæ attinet, nullius profectò momenti eſt, cùm iniuriosè, non Theologica moderatione ac conſideratione iactatum, vt *ſuperius* dicebamus, & habet elegantiſſimus ac ſubtiliſſimus ſcriptor ex aduerſantis familia tot pro ſe patronos, vt non ſit cur debeat infenſorum ſibi quorumdam flammidicentiam extimere. Illius eruditi diſcurſus accipiuntur auidè, & in pulpitis tamquàm Oracula, tacito licet nomine, proponuntur, & de alijs loquendo, ex præfati Scriptoris diſcurſu,

Ampliùs Confirmatio.

diſcurſu, eiuſdem eſt argumentatio manifeſtè refellenda. *Iudicia, denominationeſque rerum non ex remotis, ſed ex proximis cauſſis fieri habent.* Cùm ergo in Auctoribus Societatis Catholica doctrina emineat, & vt talia ſint eorum opera in Dei Eccleſia, præmiſſa eorum examinatione, & ſacrorum iudicum ſubſequenti approbatione, & litterariæ Scholæ amplexu ac commendatione recepta: ab eo eſt ferendum iudicium, & denominatio deducenda. Ex quo ſit quòd ſi error aliquis quandoque, vt lolium inter lætas ſegetes miſceatur, ille non debeat denominationi, quæ à præcipuo deſumi debet; obſtare. Vt in hoc ipſo ſegetum exemplo eſt cernere: ſeges enim triticea abſolutè, ſimpliciter, & ſine addito dicitur, etiamſi lolij quidquam, aut auenæ ſterilis habeat admixtum. Quo in genere ſi nota excellentia ſit, ab aura Spiritus id haberi, nequit à viro Catholico dubitari. Immò etiamſi excellentia non ſit, pium tamen & vtile opus, idem dicendum. Si enim *nemo poteſt dicere, Dominus IESVS, niſi in Spiritu ſancto* 1. *Cor.* 12. *v.* 3. quomodo elaborari opus poſſit, in quo toties ſacrum illud occurrit nomen, & quod ipſius gloriæ, ac profectui militat animarum?

1. Cor.12. v.3.

Ex hæreticorum Scriptu intoleranda, obiectio.

409. Id autem quod ex hæreticis Scriptoribus adducitur, ineptiſſimum, & falſitate compactum. Nam in illis errores manifeſti contra fidem ſtabiliri curantur, quibus eorum ſcatent ſcripta. Si quæ autem veritates admiſcentur, ab Spiritu ſancto non ſunt, niſi ex generali concurſu: non enim eas Catholicè proferunt, ſed quia ſibi perſuadent, iudicio ac ſpiritu proprio ducti, illas eſſe tales, nihil de iudicio Eccleſiæ curantes: ſi enim curarent, alia etiam ab ipſa propoſita amplecterentur dogmata, ſtante eâdem pro aſſenſu ratione; vt eleganter oſtendit D. Thomas 2. 2. *q.*5. *arti.*3. ita in Corpore concludens: *Vnde manifeſtum eſt quòd talis hæreticus circa vnum articulum, fidem non habet de alijs articulis, ſed opinionem quamdam ſecundùm propriam voluntatem.* Sic ille: cuius oportuit virum Thomiſtam meminiſſe: cùm aliàs doctrina S. Doctoris communiter recepta ſit, vno Durando repugnante, *in* 3. *diſt.*23. *Quæſt.* 9. quidquid de potentia abſoluta ſit, de quo luculenter Scriptores noſtri, & Cardinalis Lugo diſtinctione ſatis accommodata præſenti ſtatui vtitur, ac D. Thomæ doctrinæ conformi. Vnde videri poteſt *Diſput.*17. *de fide Sect.*6. *nu.* 134. Irreuerentias, impietatem in SS. Patres, & genus dementiæ, ac nonnullas alias notas indignitate pleniſſimas, grauiſſimo, doctiſſimo, celeberrimo, & erga D. Thomam ſingulari affectione propenſo, ab Scriptore prædicto paſſim inflictas non proſequor. *Eſtqui quærat, & iudicet.* Ioan.8.v.50. Nec deerit, qui id, quod apud Eraſmum *Lib.* 6. Apophtheematum extat me meliùs exequatur. Marcus Seruilius M. Pinario ſic effatus: *Dic mihi M. Pinari, ſi contra te dixero, num mihi maledicturus es, vt ceteris ſoles? Vt ſementem, inquit Pinarius, feceris, ita & metes.* O malè & cogitatum & actum, cùm in benedictionibus ſeminando, de benedictionibus meti potuiſſet 2. *Cor.*9.*v.*6,

D.Thom.

Ex vno errore in hæretico fides erga omnia amittitur.

Cardinalis Lugo.

Maledicentia citati Scriptoris notata.

Ioan.8.v. 50. Eraſmus.

SECTIO VIII.

Circa funebrem apparatum vt queant ſæculares manum apponere Magiſtratus.

Dom. Arauxo dicendi modus in caſibus peculiaris contingentia.

410. QVia ſimile aliquid in Indijs accidit; Cordubenſi illi, de quo Dom. Arauxo *in Deciſionibus moralibus Diſputat.* 12. *Difficult.*1. iuuat hoc loco caſum; vt apud eumdem extat, agitare. Cordubæ Monopolium funebris apparatus cuidam ob datum pretium Regia eſt auctoritate conceſſum, vt ſcilicet ſolus poſſet quæ ad eum ſpectant locare; omnibus alijs, etiam Eccleſijs, non ſolùm locare, ſed & commodare prohibitis accepto pretio. Circa quod rogatus præfatus Scriptor reſpondit *Primò* non poſſe impediri Eccleſias quo minùs poſſint paramentis nigris proprijs vti, & alijs, quæ vſui eſſe ſolent, ſicut etiam emere. Quia cùm id poſſint laici, non debent Eccleſiæ deterioris eſſe conditionis. Quòd autem laici poſſint ex eo conſtat, quia id in conceſſione Regis non eſt expreſsè prohibitum, & debet ſine damno tertij intelligi, & vt odioſa reſtringi, iuxta vulgares regulas. *Secundò* Eccleſias & earum Rectores impediri poſſe, quia conceſſio indiſcriminatim procedit, omnes incolas comprehendens. Quòd ſi quid obſtaret, immunitas eſſet Eccleſiaſtica, quæ tamen non læditur: quia tunc tantùm hæſio talis accidit, quandò tollitur ius, quod competit Eccleſiæ inquantùm tali, ſecus in profanis, aut indifferentibus, communibuſque Eccleſiaſticis ac laicis, per ea, quæ benè notat Bonacina *Tractatu de Cenſuris Bullæ Cœnæ Diſput.* 1. *Quæſt.* 16. *Sect.*1. *Puncto* 2. & talis eſt locatio dicta, prohibita aliàs Clericis & Monachis, cùm ſit genus negotiationis *in Cap. Multa & Cap. Secundum*, Ne Clerici, vel Monachi. Poterunt ergo commodare gratis, non tamen ſub contractu oneroſo, etiam ſi illis faueat conſuetudo, à qua deijci poſſunt, vel ſaltem prohiberi ne illam inchoent, qui eam nondum habuiſſe fuerint deprehenſi.

Apparatum funebrem ad ciuilem prouidentiam ſpectare.

411. Deinde probat ex recepta doctrina circa leges ciuiles, quæ Eccleſiaſticos obligant in ijs, quæ politicum regimen concernunt, qualis eſt iſta, de qua agitur: neque enim apparatus dictus ad animarum vtilitatem conducit, iuxta id, quod habetur in *Cap. Animæ* 13. *q.*2. ex D. Auguſtino *Libro de cura pro mortuis agenda Cap.*2. ſic dicente: *Animæ defunctorum quatuor modis ſoluuntur: aut oblationibus Sacerdotum, aut precibus Sanctorum, aut charorum eleemoſynis, aut ieiunio cognatorum: curatio verò funeris, conditio ſepulturæ, pompa exequiarum, magis viuorum ſolatia ſunt, quam ſubſidia mortuorum.* Sic ille. Vnde Reges Catholici ſuis Pragmaticis moderationem circa dicta ſtatuerunt Doctorum grauium doctrinæ conformem, vt Turrecremata in *Cap. Animæ citatum nu.*8. & Panormitano in *Cap. Finale* de rebus Eccleſiæ non alienandis.

Cap. Animæ.

D. Auguſt.

Quibus inuentur defunctorum animæ.

412. Pergit Auctor, & affirmat *Tertiò* non poſſe prohiberi Eccleſijs vſum eorum, quæ ad apparatum pertinent, in Eccleſijs ipſis cum emolumentis;

mentis; id enim esset contra Bullam Cœnæ; cùm Ecclesiæ libertas minuatur. Quod intelligendum cùm Ecclesia in possessione est talis vsus, sicut etiam si non fuerit: hoc autem secundum non est ita certum. Pro quo adducit P. Suarium *Tomo 1. de Religione Lib. 4. Cap. 15. nu. 7.* sic dicentem: *In funeribus oportet distinguere varios actus, quia non omnes spirituales sunt, & pro his, qui spirituales non sunt, licitum erit pretium exigere.* Et inferiùs. *Huc etiam spectant omnia, quæ ad pompam funeris merè humanam ordinantur, vt tumulum facere, & ornare, & mundare &c.* Et tandem Quartò statuens & confirmans prioris asserti doctrinam, exemplum adducit in monopolio salis Ecclesiasticæ libertati non opposito, licet Ecclesiæ sale opus sit ad aquæ benedictionem. Quod & in thure ac cera, & oleo posset accidere, aliisque ad ornatum illius pertinentibus: in quibus esse aliunde iniustitia potest, non tamen ex hoc capite. His præmissis.

P. Suarez.

413. Dico Primò. Ea quæ præfatus Scriptor *Prima & Tertia* Assertione statuit, vti certa accipienda sunt, in quibus vlteriori non est opus confirmatione.

Dico Secundò. Prohibitio locationis, de qua in *Secunda Assertione*, est contra Ecclesiasticam libertatem. Sic censuerunt Theologi omnes dictæ ciuitatis, qui neque numero, neque qualitate inferiores ijs, qui integram instituere Academiam possunt. Quorum auctoritati vt faciat satis, ait *n.* 15. solùm damnasse immoderatum vsum dicti priuilegij, quatenus prohibitionem vsus intra Ecclesias, quibus erat apparatus proprius, se priuilegiarius extendebat: vel quia nimio zelo Ecclesiasticæ libertatis ducti fuerunt; qui tamen scientia & prudentia est temperandus. Sed Primùm adducta pro parte ipsorum fundamenta non ita esse conuincunt, cùm generaliter procedant. Secundum sine ipsorum stare iniuria nequit, dum zelus sine scientia ac prudentia eisdem imputatur: cùm tamen inter eos & scientia & prudentia præditos fuisse non paucos nequeat dubitari. Illis ergo rem præsentem habentibus potiùs standum, quàm vni alicui, aut alteri, nil quod momenti sit magni in contrarium adducentibus. Ratio pro *Assertione* militans à me est in *Thesauro* adducta *Tomo 1. Tit. 3. n. 109. & seqq* quæ modò ex communi scribentium doctrina roboratur, paucis explicanda. Antea poterant locare: hac posita ciuili dispositione non possunt: igitur læsa manet Ecclesiasticorum libertas.

Ecclesijs nequit vsus funeralium prohiberi, sicut neque locatio.

Euasio præclusa ex eo quòd vt priuata persona Ecclesiasti habeantur.

Dices Primò antea eos potuisse, non quà Ecclesiasticos, sed quà priuatas personas communi cum ciuibus alijs iure gaudentibus.

Sed contra. Nam hæc ratio nimiùm probat: ex ea enim fieret in ijs, quæ ad victum pertinent posse Ecclesiasticos communi impositione grauari; quia non comedunt & bibunt vt Ecclesiastici, sed hominum more: quod quidem prædictus Dominus non admitteret. Vnde cùm ante annos aliquot, dum Segoulæ esset Episcopus, gabella in carne fuisset imposita, & Ecclesiastici ad eius solutionem vrgerentur, illius Ecclesiæ Clerus, Portionario quodam ad procurationis curam designato, Dominum Episcopum requisiuit, vt non obstante Regij Consilij mulcta quatuor mille ducatorum ipsi ni decreto obsequeretur grauiter interminata, penitus resisteret; id quod à se fuerat Scripto traditum suis in libris opere ipso iuxta rei exigentiam confirmando. Est etiam eiusdem generalis doctrina *Disput. citato Difficult. 3. nu. 13.* vbi probat Ecclesiasticos non posse etiam indirectè grauari, dum scilicet ij grauantur, qui cum eisdem sunt commercium habituri: cùm tamen in nostro casu, & indirectus hic grauaminis modus interueniat, cùm laici non possint paramenta conducere: & etiam directus, dum locare ijsdem prohibetur.

Neque ratione vllius negotiationis. Vbi quid illa dicat.

415. Dices Secundò non lædi libertatem, quia anteà non poterant licitè locare, cùm sit illis interdicta negotiatio.

Sed contra, quia negotiatio talis prohibita non est: non enim commodum Rectorum Ecclesiæ interditur, sed ipsius Ecclesiæ, cuius necessitatibus consulitur ijs in rebus, quibus emolumentum conquiri potest, dum in Ecclesijs ipsis apparatus talis exhibetur. Id autem fieri posse in Citato *Cap. Multa* expressum habetur; in quo sic dicitur: *Nec tamen iustum negotium est interdicendum propter necessitates diuersas.* Et in *Cap. Secundum*, etiam citato, dum eadem extante prohibitione sic dicitur: *Sub interminatione anathematis prohibemus ne Monachi vel Clerici caussa lucri negotientur:* Glossa ibidem verb. *Caussa lucri* ita habet: *Sed caussa necessitatis possunt. Supra, eo Cap. 1. ad finem.* & verb. *Firmas* sic scribit: *Quia suspicionem habet cupiditatis, & quasi negotiatio est, argum. supra Cod. Cap. 1. Hoc intelligè non suo nomine, vt hìc dicit, sed nomine Monasterij caussa necessitatis licitum est supra eod. Cap. 1. in fine.* Sic Glossa. Habere autem ad formam est habere titulo conductionis. Ex quo habetur intentum. Nam aut necessitàs adest, aut lucrum proprium non intenditur: & præterea fit nomine Ecclesiæ, & cùm per alium negotiatio instituitur, non est prohibita: pro quo Barbosa ad citata Capita quam plures Doctores adducit. Addit Farinacius absolutè loquendo posse Clericum negotiari mercaturam exercendo, quia potest locare animalia. *Sic fragmenti Crimin. Parte. 1. Lit. C. Verb. Clericus nu. 172.* Est etiam multorum sententia, quos in *Thesauro* adduxi, dicentium ea quæ alicui supersunt ex ijs, quæ pro vsu proprio emit. posse illum vendere: id quod casui præsenti aptari potest: nam apparatus dictus pro Ecclesiæ, ad quam pertinet, est vsu emptus, & quasi per accidens euenit, vt locando illum, aliquod possit inde lucrum reportari. Cùm ergo tot sint viæ vt locatio liceat, ex titulo prohibitionis per Ecclesiasticas leges, nequit à ciuili potestate prohiberi.

Cap. Multa.

Cap. Secundum.

Glossa.

Barbosa.

Farinacius.

Nec ex obligatione erga leges ciuiles.

416. Dices Tertiò vt *supra* Clericos legibus ciuilibus teneri, vt ciues alios, quod in casu præsenti locum habere videtur.

Sed contra, Quia concessio prædicti monopolij non est lex, sed indultum peculiare: *lex enim est ordinatio rationis ab eo, qui curam gerit Reipublicæ in commune bonum legitimè promulgata:* quod quidem in præfato indulto non accidit, cùm non sit in bonum commune directum, sed priuati ciuis, ob datam pecuniam, sicut pro officijs alijs dari solet, legem enim vendi posse quis vnquam affirmauit? & certè concessionem talem incommodam potiùs fuisse Reipublicæ, contradictio eiusdem ostendit, & pro eo efformatum scriptum Theologorum omnium subscriptionibus roboratum.

417. Dico

Rectoribus Ecclesiæ præ dicta licentiatione ne egestatis.

417. Dico Tertiò, si Rectores Ecclesiarum proprio nomine prædicta locent cogente ad id necessitate, vt scilicet sibi de necessarijs secundùm decentiam sui status prouideant, non potest illis contractus huiusmodi prohiberi. Id colligitur ex Doctoribus à Barbosa allatis *supra*. Et ratio est eadem, quia nomine Ecclesiæ veniunt Rectores, vt illius Viuæ partes: ad Ecclesiæ namque decentiam spectat vt eius ministri decentem habeant sustentationem, aliàs eidem non poterunt conuenienter inseruire. Vnde licet dicantur nomine proprio contrahere, non videtur respectus ad Ecclesiam excludendus. Id quod tunc videtur præsertim accidere, cùm ministri tales aliqua habent propria ad ornatum prædictum pertinentia, pretio ad succurrendum necessitatibus comparata, aut donata, vel ex patrimonio obtenta.

Cessante necessitate non est licita locatio illis ad sua commoda.

418. Dico Quartò. Secluſa necessitate locare apparatum dictum genus negotiationis est sacris Canonibus interdictum. Id colligitur ex Canonibus ipsis, vt iam vidimus, & ex Doctoribus solum titulum necessitatis approbantibus. Nec Farinacij doctrina suffragatur, de qua *nu.* 415. quia illa tunc habet locum, cùm res, quæ locantur, non sunt solo lucri fine ex locatione prouenientis acquisitæ, vt in animalibus, de quibus ibi sermo: quod secus euenit in apparatu, de quo agimus, vt est clarum. Nisi fingamus aliquem pro se apparatum istum disponentem, & pro occasionum opportunitate eum locantem, in quo erit fortè qui non culpandum grauiter arbitretur.

Bene tamen pro Ecclesiæ ornamentis.

419. Dico Quintò. Rectores Ecclesiæ etiam secluſa necessitate possunt nomine ipsius ea, de quibus agimus, locare, ad ornamenta, scilicet pro maiori cultu emenda, & ad alios pietatis effectus. Colligitur ex dictis *n.* 415. quia negotiari alterius nomine non est prohibitum. Et quidem non solùm præsentibus necessitatibus, sed & futuris, quæ timeri prudenter possunt, oportet obuiare. Id autem quod Assertionibus hisce à nobis dictum, non solùm de Clericis sæcularibus, sed etiam de Religiosis accipiendum, de quibus pariter Canones Sacri disponunt, & in istis maior solet esse necessitas: qui & cùm pro defunctis in suis Ordinibus funebrem supellectilem habere debeant, dum alijs eam locant, quasi per accidens contingit, vnde doctrina *superiùs* inducta potest conuenienter adaptari. Et quod de supellectili præfata dictum de alia quacumque dicendum ad

Pro vsu circa alia quid licet.

Sacros vsus, qualis in hac Limana ciuitate habetur pro Baptismorum solemnitate in Confraternitate SS. Sacramenti, & sanè pretiosissima, & venustissima. Confraternitas enim dicta Ecclesiastica portio est, vnde circa bonorum eiusdem dispositionem nequit se laica potestas intromittere, sed id Ecclesiæ Prælatis reseruare.

Dictus apparatus vt possit prodesse egenis.

420. Quod ex D. Augustino obijciebatur *nu.* 411. non incommodat resolutioni propositæ, quia apparatus dictus, si Christiana consideratione ducatur, in bonum cedere potest animarum, siue quia rationem eleemosynæ habet, quæ Ecclesiæ, aut eius ministris datur: siue quia adstantium excitatur pietas, vt pro illis orent, vt benè obseruatum post hæc scripta inueni in *supplemento 3. p. Diui Thomæ qu. 71. arti. 11.* & vt nihil horum sit, est vsus rei ab Ecclesiastica persona possessæ, quod nequit eidem ob commodum priuati hominis prohiberi. Quòd si leges circa moderationem latæ extant, id quidem sub probabili aliqua consideratione peractum, & cùm leges sint, diuersa in illis est ratio, vt *num.* 416. dicebamus. Quòd autem non omnes illæ probari statim debeant, iuxta mentem Dom. Arauxo satis ostendit, quod ipse de papyro signata scriptum reliquit, cuius meminit Diana *Parte 6. Tract. 8. Resolut. 1.* contra eamdem, si quando aliàs, acerrimè præliatus.

SECTIO IX.

De honoraria salutatione initio Concionum, cùm adstant Magistratus.

Abusus honoraria salutationis.

421. NOn leuis circa hoc in Indijs concertatio, dum plusquàm debeatur ipsis videntur Regij Auditores affectare. Celsitudinis titulo, si vel pauci adsint, & *Admodùm potentis Domini* tractari volunt, & quod volunt obtinent; qui enim renuerit, non impunè id fecerit. In quo aliquando contra decorum eisdem debitum, etiam salutationis maiestate seruata, nonnulla risu excepta, & longiùs sparsa, committuntur. Quale illud Præbendarij cuiusdam die Dominica Palmarum, duobus adstantibus Auditoribus Regiæ cuiusdam Cancellariæ initio Concionis: *Hodie Christus Dominus Ierosolymam ingreditur, Admodum potens Domine in duobus iumentis*, verbis postremis sine interpunctione prolatis. Quod cùm audientes omnes iuxta mentem Concionatoris accepissent, duo illi Domini, aut intellexere aliter, aut prudenter dissimulandum iudicarunt. Concionatori equidem nullum inde creatum dispendium, ad supremam in eadem Ecclesia, & satis illa illustri, dignitatem euecto: & cùm abusus iste in Ciuitate Panamensi intolerabilis visus fuisset, & ad Regium fuisset Consilium ab Episcopo, vt creditur, ciuitatis eiusdem cum remedij exoratione transmissus, Consilium statim vt debuit ab eius sapientia ac Regiæ prærogatiuæ zelo sperari, rescripsit, abusum exhorrescens, & vt penitus detruncaretur iniungens, Regia auctoritate. Circa quod non audita loquor, sed *quod scimus, loquimur*, vt cum Euangelista loquar, & *quod vidimus testamur*. Regium inquam Chirographum præfatæ Cancellariæ destinatum. Sed quo fructu nescio. In alijs certè, nullo, qui ea dispositione se comprehensos non iudicant, ad quos non inuenitur directa, quia neque ea de caussa syndicati.

Ridendus, sed indecorus, pro eo successus.

Regiũ circa rem tam præfatam rescriptum.

422. Debere autem in Audientibus omnibus id, quod statutum circa vnam, vbi ratio est eadem, eumdem effectum habere, obseruat in simili D. Arauxo *in Decisionibus moralibus Tract. 2. Quæst. 15 n. 15. & 16.* vbi Regium rescriptum adducit, in quo Rex noster Philippus Quartus (cælesti iam, vt speramus, potitus regno) dissidium quoddam circa salutationem honorariam, de qua agimus, inter Capitulum Cathedrale, ac Tribunal

Ad similia trahendum.

D. Arauxo.

S. Inquisitionis, quando adesse in publicatione Edicti contingit. Sic locutus terminauit. *Referiptum aliud circa illa.* *Y que la cortesia y Ceremonia, que sedebe hacer, se haga al Obispo hallandose en aquella Iglesia: y que en su cuisencia solo lo haga al Santissimo Sacramento, conforme à lo dispuesto por el Ceremonial Romano, y no a la Inquisicion, ni al Cauildo* &c. Sic anno 1645. die 19. Ianuarij. Ad quæ sic citatus Antistes: *Quod in dicta Ecclesia Compostellana vsque hodie inconcusse seruatum est, debetque in alijs Ecclesijs & similibus casibus obseruari; eo quòd quando Princeps expedit suam schedulam decidentem in vno casu, extenditur illius decisio ad omnes similes casus, & ad cuncta tribunalia, ex communiter percepta Iurisperitorum sententia.* Sic ille.

Erga Tribunal. S. Inquisitionis salutatio qualis. 423. Vbi quod ad Tribunal S. Inquisitionis attinet, quidquid de Cathedrali Ecclesia in concursu dicto sit, extra illam in Indijs non obseruatur, fit enim illi verbalis reuerentia à Concionatoribus dicentibus: *Admodùm illustres Domini:* vel *Admodùm illustris Domine.* Quòd cùm sit in vsu, nec videatur indecentiam continere, non est cur debeat condemnari. Est enim valde expediens vt hoc sanctum fidei Prætorium honorificetur ob omnibus eo honorificentiæ genere, quod prohibitum expresse non fuerit, quale hoc est. Contra quod opponi potest id quod citatus Dom. Arauxo, ne Capitulo in absentia præsetur Episcopi verbalis honor, qui eidem præsenti *Quid contra illam ex ea, quæ Episcopis competit, vt & de alijs.* debetur; ait enim iniurioſum esse reuerentiam & veniam vni Superiori debitam ratione suæ superioritatis & excellentioris dignitatis, alteri exhiberi: vt si titulus Excellentiæ Magnatibus in Hispania ac Proregibus proprius, inferioribus Dominis tribuatur, aut Eminentiæ non Cardinalibus. Inquisitores autem inferiorem habent dignitatem comparatione Episcopalis, vt constat: vnde ex eo Tribunali ad Episcopales Cathedras assumuntur. Sed certè in casu nostro iniurioſum nihil, quia non est inter salutationes æqualitas: Episcopis namque *Illustrissimi ac Reuerendissimi* titulus exhibetur, qualis non est: *Admodum Illustris.* Vnde cùm ante pragmaticam sanctionem circa hoc editam titulus *Admodum illustris* in superscriptionibus epistolarum poneretur viris primarijs, numquàm tamen *Illustrissimi.* Erat ergo *Muy Illustre Señor*, non idem quod Illustrissimus. Sic etiam Academiarum Rectoribus modò in vsu *Illustris admodùm Rector*, existimante nullo idem esse ac *Illustrissimus.* Id quod ex Grammaticæ legibus redditur pariter manifestum. *Illustrissimus* enim nomen superlatiuum est, quem excessum aduerbium *Admodùm* non importat, sed aliqualem, vt respondeat *valde*, *satis.* Sic etiam vsus apud Religiosos inualuit, vt quidam inter Prælatos summi *Reuerendissimi* dicantur; alij dignitatis inferioris *Admodùm Reuerendi*; in prioribus *Paternitate* non expressa, secus in alijs. Pro quo & illud Titi Liuij *Lib.* 1. ab vrbe condita: *Iam mitigati animi admodùm rapti erant.* Titus Liuius.

Ex consuetudine arguitur iuxta Caremoniale Episcoporũ approbata. 424. Pro eodem facit *Ceremoniale Episcoporum Lib.* 1. *Cap.* 23. *&* *Lib.* 2. *Cap.* 14. *&* 18. dum his locis approbat consuetudines Ecclesiarum. Licet autem illud ad Episcopos, & eorum Ecclesias videatur tantùm pertinere, ex eo tamen sumi argumentum potest, vt consuetudines circa tribunalia etiam alia non debeant improbari: inter quæ supremum locum *Sacrosanctum Tribunal Sanctissimæ Inquisitionis* (vt loquitur Cæsar Carena in *Tractatu de illius Officio in Anteludijs. §. vlt.*) dubio procul obtinet: cui suo modo dicere, quod Dauid Deo possumus: *Quoniam omnia seruiunt tibi* Psalm. 118. vers. 91. Cùm ergo consuetudo habeat vt prædicti Domini modo dicto à Concionatoribus salutentur, non debet illa penitus condemnari & quia ordo summus inter audientes est, vt solet esse sæcularis Magistratus reuerentiam à Concionatoribus exhibendam dicto in Cæremoniali habetur, licet verbalem non statuat, vt videri potest *citato Lib.* 1. *num.* 4. *&* 13. Ex quo in casu præsenti licet arguamus, quandoquidem S. Inquisitionis Tribunal, ad quod habetur Concio, non est insalutatum relinquendum, cùm summæ ibi auctoritatis sit. Vt non debeat videri nimium, si quid est mòtu corporis faciendum, verbis vrbanissimis adornetur. Cæsar Carena.

Quid circa Auditores Episcopo & Proræge absentibus. 425. Ad Auditores Regios reuocato sermone, quid circa veniam obseruandum sit, cum Proreges adsunt, & Episcopi pariter, iam à supremo est Indiarum Consilio definitum, cuius statur imperio, controuersia prorsus oblitterata. Cùm verò Proreges non adsunt, hoc opus, hic labor est, præcedentia ex vtraque parte procurata. Et quidem Cæremoniale præcedentiam Episcopo seruandam iubet gubernantium in concursu *citato Cap.* 4. Quòd autem Cæremonialis habenda ratio sit, satis apertè Pijssimus noster ac Religiosissimus Rex adducto nuper rescripto patefecit. Ex eo autem quòd Prorege absente videatur Cancellariæ senatus Regiam auctoritatem præseferre, sicut Prorex cùm adest, vnde & in salutatione præfertur, fundamentum ad præeminentiam sumi nequit, cùm iam Rex ipse circa hoc suam manifestam reddiderit voluntatem. In Ecclesia non est creatum Tribunal, sed neque erigi potest: proinde neque ibi Regia insignia, neque vmbella, quæ tamen Episcopis conceditur Pontificio ritu, medio saltim, assistentibus. Ideò communis vox præeminentiæ huius affectationem carpit, praxim condemnat, conniuentibus Prælatis nonnullis, aut obsequioſis nimiùm, aut timidioribus, alijs concursum vitantibus, non sine populi exacerbatione, & Ecclesiasticarum solemnitatum detrimento. Quapropter exorandum Regium Indiarum Consilium censeo, *Si quid mea carmina possunt*: Si quid erga ipsum Indici mei Thesauri dedicatione promeritum, vt controuersijs huiusmodi desideratum finem & vtrique Maiestati non indecorum imponat.

Quid ergo Episcopus extra suam Ecclesiam existentem si celebret. 426. Vbi non prætereundum quod sæpè occurrit dubium, an scilicet Episcopo extra suam Ecclesiam existenti si in aliqua celebret, aut assistat, aliquod sit à Concionatoribus reuerentiæ signum impertiendum? In quo quidem ambiguus vsus, Concionatoribus quibusdam in eo strictissimi iuris, liberalioribus alijs, & fortè plus iusto. Sed si moderatio accedat,

cedat non video cur debeat illud reprehendi. Hospiti Episcopo suam qui excipit debet Sedem concedere, vt ex iure hausum tradit Bertachinus. Lit. E. *& eum in sua Sede constituat.* Cui ergo propria tribuenda Sedes, an non & Vrbanæ salutationis obsequiâ tribuenda? Potest quidem Concionator eumdem alloqui in qua voluerit parte sermonis, aut gratulando accessum vel aduentum, aut de re aliqua admonendo, quam futuram esse commodam arbitretur: hoc enim passim videmus erga sedentes in Sede propria contingere. Cur ergo non & in exordio, etiam si consecratus non sit, cùm sine consecratione verus Episcopus habeatur? Vidimus hoc coràm ipsis Proregibus factum, & sine eorum offensione: & scimus etiam non adstante Prorege, sed Togatis paucis, ab eisdem fuisse prohibitum: quibus dum morem Concionator gerit, grauissimam erga Episcopum indignationem incurrit. Quid ergo in hoc conflictu faciendum? Fiat ante salutationem, quæ fieri debet, Auditoribus reuerentia, & ea finita in exordio concionis Episcopo, qui Concionatorem vim patientem agnoscens, non poterit de illo iustam querelam efformare. Cùm tamen res sit plena periculo, oportet Concionatorem ad hoc non inconsultò procedere, sed quid possit accidere præueniendo, dum consilio agit adhibito, aut causam indignationis abscindet, aut si quid humanum acciderit, excusatione se poterit legitima contutari. Bertachinus.

SECTIO X.

Ob incuriam executorum testamenti, vt contingat animas in Purgatorio detineri. Vbi de Missarum stipendijs ex Indijs in Hispaniam transmissis.

D. Arauxo *affirma circa propositam quæstionem.* 427. PRæsentem difficultatem discutit D. Arauxo in *Decision. moral. Tractat.* 3. *Quæst.* 25. vbi resoluit *Primò* animas defunctorum non detineri in Purgatorio donec debita, quæ ante mortem contraxere, soluantur, eo præcisè titulo: quidquid Angelus dixerit *verb. Restitutio* 3. §. 2. leui ductus fundamento. *Secundò* neque ex retardatione piorum operum, quæ defunctus iussit fieri, nisi quatenus remedium subtrahitur, quo fortè illius anima egeat, dum orationibus eorum, quibus eleemosynæ fiunt, adiuuatur. Itaque eleemosynæ, ex quo fieri iubentur charitatis affectu, seu voto, suum habent effectum: & si illæ pro satisfactione sufficiant, nullum habetur ex retardatione dispendium. *Tertiò* regulariter loquendo Missas & alia opera à defuncto relicta non esse retardanda, vt illius bonis maiore pretio venditis suffragia possint augeri: benè tamen aliquando prudentis arbitrio, vt si tempus dilationis paruum sit, & defunctus magnæ virtutis reputatus, vt pauciora illi suffragia credantur suffectura. Hæc ille D. Thomæ doctrinæ conformia in 4. *dist.* 45. *arti.* 2. *quæst.* 2. *ad* 4. *& quodlib.* 6. *arti.* 13. quamuis non ita aperta omnibus eius videatur mens, præsertim in loco D. Thomas

ex 4. dum ait, quòd si aliquis in charitate decedens præcipiat pro se suffragia fieri, ea valent defuncto: quamuis illi, per quos fiunt, sint in peccato. Ex quo inferunt aliqui videri S. Doctorem sentire non esse necessarium eo tempore, quo actio bona fit nomine alterius, illum esse in actuali ea volitione imperante talem actionem. Vnde & fiet, executione piorum legatorum pro animabus in Purgatorio existentibus satis fieri posse, cum ratione actualis influxus tunc deficientis nequeat impossibilitas allegari, Quæ sententia est ex diametro opposita sententiæ citati Scriptoris.

P. Arriaga. *Duæ oppositæ circa illam sententiæ.* Card. Lugo. 428. Et quidem P. Arriaga *Tomo* 8. *Disp.* 21. *nu.* 30. modo dicto philosophatur, D. Thomam pro se adducens cum alijs, quos citat, quantùm attinet ad satisfactionem pro statu viæ: nam de animabus in Purgatorio existentibus aliter sentit Cardinalis Lugo ibidem adductus. *Disput.* 24. *de Pœnitentia Sect.* 4. quantùm ad primum. Et specialiter *n.* 52. quantùm ad posterius, & magis ex professo *Disput.* 26. *n.* 30. *& seqq.* de quo specialiter citatus Auctor. *n.* 33. *& seqq.* dicens prodesse restitutionem & opera alia pia à defuncto disposita, cùm reipsa fiunt: sicut satisfacit qui eleemosynam volens facere, eam famulo commisit, etiamsi quando hic illam largitus est, ille dormiebat, & probat Primò ex *Cap. in litteris* de rapto- *Cap. In litterm.* rib. vbi Alexander Tertius iubet reſarciri damna ab heredibus, quæ à defuncto illata fuerant, sic concludens: *Vt sic à peccato valeat liberari*, validè confutans responsionem dicti Cardinalis, quam & Nauarrus adhibuerat à Dom. Arauxo impugnatus *nu.* 4. corrigendam scilicet litteram Textus, & reponendum *valeant*, vt ad heredes ipsos referatur, qui officij sui admonentur, vt sic à peccato omissæ executionis valeant liberari. Et certè impugnatio P. Arriagæ valde vrgens est, licet in eo possit non admitti, quòd modum loquendi non esse proprium dicat, cum liberari à peccato, illud esse contractum indicet, quod tamen in heredibus nondum fuerat deprehensum. Sed in primis pro locutionis proprietate stant verba Canonis Missæ: *Libera nos, quæsumus Domine, ab omnibus malis præteritis, præsentibus, & futuris.* *Canon. Miss.* 4.

Alexandri Tertij *verba.* 429. Deinde, heredes non videntur à peccato immunes, cùm de restituendo cura illis fuerit nulla post manifestam iniuriam: vnde Pontifex iubet eos ab Episcopo moneri & compelli: *Heredes eius moneas & compellas, vt ijs, quibus ille per incendium, vel alio modo, damna contra iustitiam irrogauerat, iuxta facultates suas condignè satisfaciant.* Et statim adduntur verba, de quibus agimus: *vt sic valeat* &c. Incendij Ecclesiarum crimen satis notum fuit, propter quod defunctus, & si absolutus, quia ante mortem eum fui malefacti pœnituit, priuatus est tamen Ecclesiastica sepultura, iuxta dispositionem *Cap. Peßimam* 23. *q.* 8. *Cap Peßimam.* Ex quibus constat crimen illud satis fuisse manifestum, & ita heredes obligationem suam ignorare minimè potuisse. Fauet etiam Glossa marginalis, quæ sic habet: *Aliàs est in Textu valeant, scilicet ipsi heredes, & sic non est contra, secundùm Vincentium.* Ioan. Andr. Licet ergo impugnatio P. Arriagæ videatur vrgere, conuincens tamen non est: sicut neque illa, quam Dom. Arauxo ex eo instruit, quod Textus corrigi non debet, sed

eius correctio vitanda, commoda quæsita explicatione, iuxta doctrinam Nauarri ab eodem adducti, quæ & est communis. Nam hoc loco non est voluntaria, & ita nec præsumptuosa correctio, sed antiquissimæ Glossæ auctoritate, quæ si non esset Pontificis voluntati conformis, fuisset penitus abrogata, cùm tamen eam & antiquæ & nouiores teneant editiones. Non ergo corrigitur Textus, sed illa eligitur eiusdem lectio, quæ vti verosimilis proponitur, & sensum exhibet non dissonum veritati. Quamquàm & dici possit communi littera retenta à peccato liberari, defunctum, quia à peccatorum pœnis leuamen sentit eorum suffragijs, quibus satisfactio damnorum impenditur: quod in casu, de quo in Textu potuit confidentiùs affirmari: damna enim fuerant Ecclesijs illata quarum ministri satisfactione percepta, non poterant non pro defuncti anima suffragia Christianæ pietati conformia ad thronum diuinæ clementiæ destinare.

Ex actuali influxu non necessario arguitur.

430. Arguit præterea P. Arriaga ex principio illo de non necessario actuali influxu in opus satisfactorium, quando pro illo voluntas deliberata præcessit exemplo famuli eleemosynam tribuentis: quia sicut opus dictum ideò satisfactorium est, quia pœnale, dum sic operans per alium re sibi vtili & iucunda priuatur, ita & in anima purgatione detenta euenit, quandoquidem sibi iucundum esset heredes id habere, quod pauperibus erogatur: erga heredes namque animæ specialiter afficiuntur, maximè si filij & consanguinei sint: vt enim censentur in filijs viuere, ita quæcumque ab heredibus auferuntur, possunt iudicari pœnalia illis, & difficilis actio circa illas non de præsenti, quia ante mortem retinetur semper dominium: ergo quia post mortem se illis priuant. Quòd si consanguinei desint, amici profectò non deerunt, respectu quorum est eadem ratio; si tamen ponatur casus, in quo nullam habeat personam, erga quam specialiter afficiatur plusquàm erga pauperes, non renuit concedere pœnalem non futuram tali homini piam dispositionem, & ita neque satisfactoriam, meritoriam tamen, quia ad meritum non est necessaria difficultas operationis, quæ tamen est pro satisfactione omninò necessaria. Sic habet *n.*41.

Sed non vrgere conuinceretur.

431. Contra quem argui potest, quia talis explicandi modus (etiam si demus id, quod de non necessario actuali influxu in opus satisfactorium affirmat) minimè verosimilis est, & sanè non dignus statu illo ab omnibus imperfectionibus defæcato, quem animæ in Purgatorio habent. Ibi enim carnalis omnis cessat affectio, quæ non sit valde rationi ac pietati Christianæ conformis. Vnde proculdubio plus gaudent illæ de eleemosyna à se disposita, & re ipsa data, si id scire contingat, quàm de omni alia ergo coniunctos largitione, ad quam neque iustitiæ, neque charitatis titulo fuerant obligati, quia sciunt illam Deo esse gratiorem, & sibi ipsis vtiliorem. Pone animæ sic purgationi addictæ manifestatum per Angelum factam reipsa pauperibus largitionem ex pecunia, quam potuit cognatis aut amicis reliquisse. Habebit ne illa ex eo pœnale aliquid ob difficultatem superatam? Quis hoc dixerit? Certè si pœnale tunc aliquid, ex eo erit potius, quòd coniunctis humano titulo id reliquerit, quod in magnum suum bonum sibi potuit applicare. Si ergo neque pœnale aliquid, nec difficile, satisfactio in eo nulla, totaque satisfactionis vis ad voluntatem, perquam est eleemosyna disposita, debet reuocari.

Arguitur etiam ex communi Fidelium sensu.

Pergit Auctor dictus, & positionem suam alio conatur discursu roborare, ex eo scilicet quòd tota res hæc, quòd scilicet possit vnus pro alio satisfacere, siue illi viui sint, siue defuncti, immò & quod possimus pro nobis, pendet vnica à libera voluntate Dei, de qua nihil dicere à ratione possumus, sed ex auctoritate: ex quo possumus euidenter (sic ille loquitur) argumentari. Nam auctoritas tota, & sensus fidelium stat pro hac parte, testibus etiam ijs, qui contrariam tenent. Cur ergo in hoc puncto, quod probandum est ex auctoritate, non in eam ibimus sententiam, quæ maximè fulcitur auctoritate? Nec potest ex eo argui principio, quòd scilicet animæ non sint, dum purgantur, in statu satisfaciendi, sed satis patiendi; nam illud debet auctoritate probari, cùm ex Dei pendeat voluntate. Cùm ergo auctoritas communis tribuat illis reipsa satisfactionem per talia opera, non potest assumi principium illud, tamquàm commune contra aliter sentientes, pro quibus potiùs stat auctoritas, ex quo & maior probabilitas assertionis. Sic habet *nu.* 36. Vbi se olim contrariam sententiam docuisse vti probabiliorem tunc temporis iudicatam protestatur.

Sed leue illud fundamentum ostenditur.

433. Sed est hoc fundamentum valde infirmum, quia auctoritas, quæ adducitur, non doctorum hominum est, sed vulgarium quorumdam, quæ si valeret aliquid, ex ea fieret animus ex lustralibus flammis non exire, donec debita, quæ in statu viæ contraxere, persoluantur; sic enim vulgus sibi habet persuasum. Item animas exaudire preces ad se directas, vt orantibus subueniant; quod negat D.Thomas 2. 2. *q.*83. *arti.*11. *ad* 3. *quia non sunt in statu orandi, sed magis, vt oretur pro eis.* Et ante eum D.Augustinus in *Libro de cura pro mortuis agenda. Cap.*13. 14. *&* 15. *concludere nititur quod animæ mortuorum cognitionem non habeant de factis viuentium*, vt loquitur D.Thomas eundem adducens *in* 4. *dist.*45. *q.* 3. *arti.*1. *ad* 2. Pro quo & Becanus circa *Quæst.*83. *citatam quæst.* 5. *Conclus.*5. ita scribit: *Probabilius est id eos facere, quia charitas ad hoc impellit: nos tamen eos non inuocamus, quia ordinariè non possunt agnoscere nostras preces, & sunt in eo statu, vt magis egeant auxilio nostro, quàm vt possint nobis auxilium adferre.* Vt notat D.Thomas *Arti.*11. *ad* 3. Sic ille. Vnde mirari licet P.Roam, qui in Libello Hispano de statu animarum in Purgatorio pro certo statuit oppositum, vt videre est *Cap.*9. Præterea communiter receptum est orationes Fidelium, & alia opera pro animabus impensa illis prodesse, etiam si in statu mortalis peccati sint, vnde gloriari solent de huiusmodi sibi inamissibili deuotione: cùm tamen contrarium sensus Doctorum receptissimus tueatur. Deinde executionem bonorum operum ad id conducere, si communi est persuasione receptum, non eam patitur exceptionem, quam citatus Scriptor apponit de eo, qui eleemosynam disposuit, nullam specialem retinens erga sibi coniunctos affectionem. Et cùm ex auctoritate innotescere illa debeat, iuxta eiusdem doctrinam, dum non profertur, infirmum relinquitur

D.Thom. *Animæ defunctorum Fidelium preces non exaudiri.* D.Augustin. P.Becanus P.Roa. *Licet quidam id affirmant.*

tur argumentum. Tandem, negari nequit restitutione ab heredibus facta, & piorum legatorum executione animas Fidelium posse iuuari eorum suffragijs, qui & exequuntur, & qui beneficio defunctorum afficiuntur, iuxta doctr. *num.*429. Cumque id moraliter certum sit, non errat Fidelium pietas in persuasione illa. An autem hoc, an illo modo contingat, non est eorum discernere, neque auctoritas aliqua ex ijs adduci potest, qua id valeat, speciale, quod docti Patris sententia contendit, vti certum stabiliri. Vnde P.Suarez illi contrariam statuit *Tomo* 4. *in* 3. *p. Disput.* 48. *Sect.*8. *nu.*18. cum multis alijs, quæ & est Theologicis principijs conformior, & contra quam ex hoc fundamento.

P.Suarez.

Ex maiori auctoritate positio negatiua firmatur.

434. Sic insuper arguo. Nam iuxta discursum P.Arriagæ, de quo dictum, ex auctoritate in hac est causa procedendum. Tunc sic. Ergo vbi maior adest auctoritas, ibi potiùs obsequendum. Atqui maior est Theologorum auctoritas, quàm communium Christianorum, vt est compertum. Tunc vltra. Theologi communiter sentiunt animas, quæ purgantur igne, non esse in statu merendi sibi, nec satisfaciendi: ergo circa hoc magis est eorum auctoritati deferendum. Hinc Cardinalis Lugo *citato n.* 52. existimans non esse necessarium influxum actualem in opus satisfactorium, & sibi obijciens in animabus dictis idem debere concedi, facilè se ab obiectione expedit reddita diuersitatis ratione, ex eo quòd tales animæ in statu satisfaciendi non sint, id non probans, sed supponens, quasi dogma irrefragabile. Quod licet P.Arriaga, vt vidimus, non admittat: contra illum tamen instantia nostra suò ipsius fundamento militat, de auctoritate scilicet hoc in negotio præferenda.

Cardinalis Lugo.

Quæ dilatio executionis sustineri possit, vbi de Missis, quæ vt dicantur in Hispania pecunia ex Indijs transmittuntur.

435. Iam quod ad piorum operum retardationem ex rationabili causa à Dom. Arauxo dicebatur, quando mora inquam breuis est, sustineri potest, non tamen de Missis agendo; illæ enim quam breuissimè dicendæ sunt, quia magis vtile est defuncto eas sic dici, & si non ita plures quàm dilatæ pro numero adaugendo. In quo est ratio specialis, quæ pro pijs alijs non adstipulatur operibus, præsertim iuxta sententiam nuper stabilitam. Missæ enim suffragium omnibus est maius, & quod secum affert fructum, dum reipsa exhibetur, quod tamen de alijs sub iudice lis est, nisi modo nuper explicato. Vnde in *Thesauro Indico* non admisi eorum praxim, qui, vt plures dicantur Missæ, eas quas dicendas aliqui in testamentis decernunt, vt animarum suarum bono consulant, in Hispania dicendas curant. Quod vt non sit penitus reprobandum, quæ ibidem sunt dicta, expediet obseruari.

Tomo 2. *in Appendice post Titulum* 19. *n.*1. *&seqq.*

Opinio de virtute defuncti non debet pro fundamento dilationis assumi. Pro quo exempla.

436. Neque regula illa de opinione virtutis defuncti videtur admittenda, est enim fallaciæ subiecta multiplici, vt ex reuelationibus minimè contemnendæ fidei compertum habemus. Nouitiam priùs in cælum euectam, quàm prouectæ ætatis ac virtutis Monialem, in *Libro* cui titulus est *Mulier fortis*, La muger Fuerte, qui legerit, deprehendet. Quod si probanda illa quę Illustrissimus Palafor habet in Libro, cui titulus *Lux viuis*, *Luz à los viuos*, multa ibi quæ veritatem hanc roborent, legenti succurrent. Religionis satis obseruantis Prælato apparuit quidam ex eadem Religiosus ante annos septemdecim mortuus, Sanctorum communionem ab eo postulans. Obijt ille *die* 5. *Maij an.*1645. Sic refert P. Ioannes Nadasi in Diurno quotidianæ virtutis Pragæ impresso *an.* 1659. Vbi & illud eodem die, scilicet Maij 5. Iarosłauiensis etiam Dux Illustrissima ei post mortem sexto mense visa dixit: *Pater, cur promissa non exoluis.* Habet & ille memoratu dignissimam narrationem de duobus Societatis nostræ Scholasticis Marco Celso Finato, & M.Antonio Ridolfino, in Libro cui titulus, *Pretiosæ occupationes morientium in Societate IESV Cap.*10. Pro qua & in *Anno dierum memorabilium Soc. IESV, die* 21. *Sept. &* 12. *Octobru*, quorum & alij meminerunt. Ex quibus id habemus, vt magna licet de alicuius probitate opinione concepta, circa cumulanda suffragia minimè torpeamus: est enim delicatissima diuini forma iudicij, in cuius luce apparent atomi, qui nobis cæcutientibus occultantur.

Virginis erga animas Purgatorij singularis pietas.

437. Et quia in narratione præfata duorum illorum id etiam occurrit mirabile, Virginis inquam interuentu pœnas illas quadriennij in vno, & biennij in altero, & vtroque ipsi addictissimo nuntiatas, non id debet sine obseruatione vtili præteriri: Virginis inquam patrocinium erga sibi deuotissimos adeò illis parum profuisse, vt à diuturno pœnarum grauissimarum incursu, non fuerint impediti. De illa certè B.Petrus Damiani *Sermone* 1. *de Natiuitate eiusdem* (vbi & ipsam allocutus) omni dubio procul attestatur sic: *Audi nos: nam & Filius nihil negans honorat te.* Vnde confidenter admonet Thomas Kempensis 3. *p. Serm.* 5. *de B.Virgine in fine* sic dicens: *Tene eam, nec dimitte eam, donec te benedicat, & ad cæli palatium felici gubernatione perducat.* Sic ille. Iuxta quæ aut non orasse in casu dicenda est, aut orantem non exauditam: quorum neutrum sine pietatis iactura dici posse videtur. Sed verò cùm iustitiæ negotium agitur, & Dei est circa illud voluntas manifesta, ibi preces cessant, ineptum enim esset orare, quando nequit quod petitur sperari. Et hæc est generalis doctrina circa Sanctorum orationes, pro qua D. Thomas *q.* 83. *citati arti.* 11. *ad* 2. & ante illum D. Gregorius Magnus tradiderat *Lib.* 17. *Moral. Cap.*8. sic dicens. *Quorum tamen omnium* (de Angelis loquitur) *vna victoria est sui super se Opificis voluntas summa: quam dum semper aspiciunt, quod obtinere non valent, numquam volunt.* Sic ille.

B.Petrus Damiani. Thomas Kempensis. D.Thom. D. Gregor. Mag.

Identidem comprobata.

438. Neque propterea quod preces cessent, diuinæ voluntatis sententia perspecta, existimandum est in pietatis Matre pietatis maternæ officia cessare. Pro quo extat eiusdem irrefragabilis attestatio sic D.Birgittam alloquentis Lib.4. Reuelat. Cap.138. *Sum Mater omnium qui sunt in Purgatorio, quia omnes pœnæ, quæ debentur purgandis pro peccatis suis in qualibet hora propter preces meas quodammodo mitigantur.* Sic ibi. Et alibi etiam in hunc modum allocuta. Ego sum Mater misericordiæ, ego iustorum gaudium, & aditus peccatorum ad Deum. *Nulla pœna est in igne Purgatorij, quæ propter me non remissior erit, & leuior ad ferendum.* Lib.6. Cap.10. Scio graues Scriptores asserere animas in Purgatorio eatenus suffragijs leuari, quatenus illarum pœna breuiatur: quia modus ille iuuaminis est ipsis commodior. Sed qui-

D.Birgittæ Reuelationes.

Circa leuaminis genus notanda doctrina.

dem non videtur id ita certum, & vt certum sit quantùm ad gradus pœnalis conflagrationis, non apparet verosimile modos alios leuaminis non adesse: & in ijs, qui erga Virginem affectu teneriore & feruentiore feruntur, id profectò similius vero, stante illius attestatione, & alijs minimè contemnendis argumentis. Est enim *Porta cælorum, ascensus omnium, reseramentum portarum Paradisi*, S. Ephrem. S. Ephrem oratione de ipsa. Sicut ergo aprens Christo Angelus confortauit eum *Lucæ* 22. Luc. 22. nec propterea de calice passionis quam à se transferri petebat, quidquam detractum est: ita & cælorum confortante Regina deuotos sibi in lustralibus flammis, integri esse possunt actoris torquentis gradus, qui confortatione tali tolerabiliores sentiantur. Vt Martyrum exempla relinquam, de quibus SS. Patres obuijs in sermonibus & homilijs, ac eorum historiæ, & lectiones in officijs sacris; quòd etiam aliquando intercessione tantæ Matris aliqua in pœnis fiat relaxatio, testatur B. Petrus Damini *Lib.* 3. *Epist. vlt.* narratione B. Petrus Damiani. notabili, scribens mulierem quamdam Romæ defunctam alteri nocte Assumptionis Virginis Festo dedicata apparuisse, cùmque ab illa hæc quæreret quemadmodum haberet. *Vsque hodie*, inquit, *non leuis me pœna cruciauit: at hodie Regina cæli pro nobis preces fudit, meque cum multis alijs de locis pœnalibus liberauit, totque inde eripuit, vt numerum totius Romanæ plebis excedat.* Cumque de rei veritate dubitaret mulier altera, *Scito te*, inquit, *in signum veritatis, quam tibi modò aperio, in hac ipsa die post annum morituram*, quod & factum est. Pro quo & stat Cardinalis Lugo *Disput.* 24. *citato n.* 21. De quibus hæc satis, quamuis de Virgine satis numquàm.

SECTIO XI.

De Gabellis decisiones vtiles pro Indijs, & alijs.

439. DE hac materia Dom. Arauxo doctè & accuratè in *Decisionibus citatis Disputat.* 12. *Difficult.* 2. & videndum quod ex eiusdem resolutionibus possit huic loco opportunum deriuari, ijs suppositis, quæ circa materiam eamdem à nobis sunt in *Thesauro disputata Tomo* 1. *Tit.* 3. *n.* 98. *& seqq. & Tit.* 5. *nu.* 36. 133. 191. *& seqq.*

Dom. Arauxo. *resolutiones circa gabellas. Prima.* Primò ergo ex D. Thoma quatuor conditiones apponit, ex quibus nouæ gabellæ iustificari possunt: & sunt. Potestas in Principe, causa iusta, æqualitas, vt ne magis grauentur quidem præ alijs: duratio competens, dum scilicet causa impositionis eiusdem perseuerat. Et iuxta hoc regulandum est, & ad ipsum reuocandum, quod in prima statuerat assertione de nouitate gabellarum; ait enim nouas esse reputandas, quæ soluuntur super carnibus, vino, aceto, oleo, piscibus, sapone, niue, & alijs, quæ ad forum vendenda veniunt.

Secundò non posse supremum Principem sine iusta causa nouam gabellam imponere. Id clarum. Et in Regnis Castellæ ac Legionis consensum esse Ciuitatum necessarium ex *l.* 1. *tit.* 7. *nouæ recopilat.* & licet hoc ex priuilegio habeatur, illud est irreuocabile, quia ex titulo remunerationis ob præclara gesta, vnde transiuit in vim oneroſi contractus. Est item necessarium vt aliunde non possit necessitati vrgenti subueniri. Potest autem varijs modis, scilicet moderando familiæ sumptus, superfluis donationibus prætermissis, publicis officijs venditis, sed dignioribus, & pretio iusto ob dictum finem, sicut etiam fieri propter magnam vtilitatem potest, prò quo aliquos Auctores adducit, & de quo nos in *Thesauro Tomo* 1. *Tit.* 1. *nu.* 161. *& seqq. & Tit.* 5. *nu.* 167. *& seqq.* alijs insuper allegatis. Vbi & inquirit an sufficiat Principis attestatio circa necessitatem, & negat, quia sic aperietur via ad multiplicandas gabellas, sicut & donatiua, quæ reuera genus quoddam gabellarum sunt, & ita in damnum regni: quando autem id accidit, Regi non creditur, sicut scitè notare ait P. Lessium *Lib.* 2. *de Iustitia Cap.* 35. *Dub.* 3. *& Cap.* 33. *Dub.* 8. *& Cap.* 41. *Dub.* 9. & Thomam del bene *in Tractatu de Parlamentis Dub.* 2.

Assertioni Principis circa necessitatem non credendum.

441. Sed P. Lessius in priori ex citatis loco nec verbum de hac materia. Transcripsit vt inuenit apud Del bene, in quo error. In secundo item nihil, quod pro assertione præfata suffragetur. Solùm enim *n.* 67. affirmat subditum non teneri, quando sunt probabiles rationes Vectigal esse iniquum. Sic autem subdit: Illud autem dictum commune, *In dubio præsumendum pro sententia Superioris, intelligendum est quando non agitur de interesse seu damno inferioris.* Sit ille. Vbi difficultas, de qua est sermo, non tangitur, sed de vectigali, quando non constat esse iustum, sed probabiliter non est tale, siue à Principe solo, siue cum adiunctis, iuxta peculiares obligationes imponatur. Vnde ex parte illius est probabilis iustitia ad exigendum, vt ibidem dicitur. *Nec obstat* (verba illius sunt) *quòd Princeps iustè possit exigere, quia vna quæque pars suo iure vtitur.* Quod quidem non accideret, si solus Princeps necessitatem testaretur, si id non sufficeret iuxta eumdem Patrem, & de eo tantum casu loqueretur. Qui postremo loco nihil diuersum habet, sed doctrinam confirmat de non extante obligatione soluendi vectigal, quando an sit licitum probabiliter dubitatur: sicut Religiosus in casu simili non tenetur obedire, nisi in non obediendo par aut grauius incommodum sequatur, quàm sit illud, quod potest ex obeditione timeri. Et quia in postremo loco ad ea se refert, quæ dixerat citato *Cap.* 33. *Dub.* 6. ex eo ipsius mens habetur manifesta: ait enim ibi *nu.* 41. quòd ad iustificandum vectigal sufficiunt probabiles opiniones, ob quas potest Princeps prudenter statuere se posse hîc & nunc pro tali causa tributum imponere: sed si tales rationes non habeat, vel certè non consideret, sit ne iustum quod agit, an non, sed cæco more progrediatur, non potest exigere, quia nescit an ius exigendi habeat, vnde exigendo iniuriam populo erogat, & ad restitutionem tenetur, nisi postea constet causam fuisse iustam, quia mala fide acquisitum est restituendum. Hæc est eius Scriptoris mens, iuxta quam non stat assertum dictum de non credendo Principi necessitatem asserenti: quia potest stare, & sic debet præsumi, probè illam nosse, nec cæco progredi more, quando illius perspecta

Falsa apud eum citatus.

P. Sà *pro eodem.*

P. Suarius *qui requirat admincula.*

P. Lessius *videtur suffragari.*

Sed alia est illius mens, de iustificatione vectigalis agentis.

perspecta probitas. Sicut idem Pater docet *citato Cap.* 6. *nu.* 46. de exactione vectigalium agens, quòd si non est subditus, aut si subditus sit, non compellitur, non potest se sponte ad dubia vectigalia exigenda offerre: nisi tantam esse sciat Principis probitatem & prudentiam, vt meritò in eius iudicio possit acquiescere. Itaque ex doctrina P. Lessij positio illa citati Scriptoris fundari nequit, immò opposita sustineri.

Thomas Delbene, *qui & adductus, quid iouiat.*

442. Iam quod ad Thomam Del bene attinet, censet ille *Tractatu citato*, qui est Sextus *Cap.* 2. *Dub.* 2. non debere Parlamentarios & Consiliarios Regi credere necessitatem protestanti, nisi adsint alia adminicula, quæ tamen qualia esse debeant non exponit, & apertè excludit Regis probitatem: quia licet aliquem contingat esse talem, tenenda tamen regula certa, quæ inconuenientibus omnibus aditum præcludat. Solùm in *fine dubitationis in §. obiectionum* videtur admittere credendum Regi quando euidens est adesse bellum, & præterea iustum esse: prius illud siquidem nullo modo sufficit. Pro eodem facit id, quod generaliter tradit P. Sa *verb. Princeps nu.* 6. ita dicens: *Cùm autem requiritur causa iusta, vt aliquid facere possit, non ei credendum dicenti esse causam iustam, nisi appareat.* Similiter P. Suarius *Lib.* 5. *de legibus Cap.* 15. *nu.* 1. vbi ait quòd licet Principi constet iustam interuenisse causam, vel probabilibus rationibus, vel fide digna auctoritate, & iudicio suorum Consiliariorum, non poterit iustè imponere vel exigere tributum, quia temerè agendo non habet ius exigendi, & ideò nec retinere potest quod sic exigit, nisi postea examinata causa inuenerit iustum fuisse tributum in re, licet temerè fuerit impositum. Sic ille scribit, qui præmiserat non esse necessarium vt causa sit nota omnibus & singulis de populo: oportet autem vt sit nota Principi, & Consiliarijs eius, vel Procuratoribus regni, aut alijs, ad quos pertinet iustitiam tributi examinare. Id quod est Canonico iuri conforme in *Cap. Peruenit*, de Censibus, vbi sic Paschalis Secundus: *Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd census ignorantiæ nec diuinis, nec humanis legibus inuenitur; oportet quippe vt omnis census, ad quid, & quando persolui debeat, præsciatur.* Sic Pontifex.

Cap. Peruenit.

443. Et hæc quidem auctoritas allegatur à citato Delbene; ex qua tamen contrarium potest inferri, cùm dicat P. Suarius posse Principem tributum imponere vel probabilibus rationibus, vel fide digna auctoritate: quomodocumque ergo animus eius informatus sit, vt non censeatur temerè agere, poterit ad tributi impositionem procedere. Et Parlamentarios debere ipsi credere, quando non stat aliud in contrarium, tenet Diana *Parte* 1. *Tract.* 3. *Resolut.* 11. quod de Consiliarijs potius asserendum. Neque obstat Decretalis adducta, quia ibi tantùm requirit Pontifex, vt ad quid, & quando habeat persolui tributum, præsciatur: quod quidem stare potest, Rege iuxta dicta tributum imponente, quia ad quid, & quando sit persoluendum, potest pariter ordinare. Et quidem casus inter Christianos Principes videtur Metaphysicus. In Hispania enim id est in vsu, quod iam vidimus, & in regibus alijs non apparet quomodo Princeps nisi sufficienter circa necessitatem instructus, ad impositionem, quæ grauis populo futura sit, progredi valeat. Instructio autem nonnisi testimonio eorum stabit, qui de re ferre iudicium possint, & ita non cæco illo more, vt P. Lessius loquebatur, Principem procedere in Republica Christiana contingit. Item. Stante necessitate, iudicio Principis, nulla ratione verebitur ille eam Consiliarijs aperire, solitis, quidem voluntati Principis obsequi, etiam, cùm causæ non admodùm esse iustificatæ solent. Tunc ergo casus tantùm habebit locum, cùm tyrannicè agitur, quo euentu patienter agendum, quia non sine magno periculo poterit repugnari.

Diana *credendum statuit.*

Quod & regulariter obseruandum.

444. Tertiò asserit non posse supremum Principem Prouinciam aliàs gabellis grauatam, nouis & insolitis grauare, si aliunde potest necessitati subueniri, scilicet minorando salaria ministrorum, & contractus cum Vasallis, in quibus aperta læsio, rescindendo, & ad limites iustitiæ redactos. Ratio pro vtroque ex bono communi desumitur. Rogat deinde, an si Vasalli cum Mercatoribus & Campsoribus cum graui læsione contraxerint, possint Principes excessiuum interesse Fisco applicare, & hoc modo necessitatibus occurrentibus subsidium aliquod inuenire? Et respondet posse, quia ad supremum Principem in temporalibus pertinet disponere de bonis temporalibus subditorum, prout ad commune bonum expediens iudicarit. Et præterea est ratio pro eo, quia excessiuum illud pretium habetur pro derelicto. Quod luculentiùs prosequitur Delbene *supra Dubitat.* 6. *Sect.* 1. sicut & alia, de quibus citatus Scriptor, vti & Diana *Tract. citato* cuius non meminit, cùm certe sit, sicut lectione, ita & honorifica commemoratione dignissimus. Sicut nec dictus Delbene in suis operibus, à quo pro illis non parùm multis in locis locupletatus, quod Pater ipse Diana cum modesta est querimonia suo in Collega demiratus. Notum illud ex Plinio: *Ingenuum est fateri per quos profecerit.*

3. Citati scriptoris resolutio, modos ostendens aliter necessitati subueniendi.

Plinius.

445. Et in prædictis quidem quod ad duo priora attinet, consideratione inprimis indiget quòd de minorando salario ministrorum dicitur, nisi quatenus ad illa additamenta videtur dirigi, quæ vltra taxatam summam annuatim impertiri solent, & adimenta quæstus vocitantur. Cùm enim à Regijs ministris summa manuum munditia exigatur, oportet illos competentem sustentationi quantitatem habere, ijs præsertim temporibus, quibus rerum pretia nimis quantùm excreuerunt: & experimento quidem compertum habemus ministros Regios suo salario contentos, si familiam alant, vt communiter contingit, cum vxore & filijs, pauperes mori, vt prouerbio locum dederit ad significandam indigentiam, *Filius Auditoris mortui.* Id quod etiam Proregibus accidet, si scio sint salario, etiam in Peruuio, contenti, omnium, quæ in vniuerso suo Monarchatu Rex noster soluit, ampliſſimo: vt in aliquibus experientia demonstrauit. Sumptus enim nauigationis ingentes sunt, & valde magnificentiam Regiam decet, vt toto diuisos orbe Dynastas, magnis obnoxios incommodis & periculis, maiori quàm alios stipendio dignetur, & ex terris auri, argentique fodinis feracibus fructus in Hispaniam referant pinguiores. Sed qui sunt illi, & laudabimus eos? Pauci certè quos æquus amauit Arbi-

Circa minorandum salarium minùs illas inueniens.

Cancellaria aliquæ in Indijs non necessaria.

Arbiter, atque ardens euexit ad æthera virtus. Meliùs quidem res haberet, si non ministrorum salaria, sed ministri ipsi minuerentur, in quorum stipendijs immensa pecuniæ summa consumitur. Et mirari his temporibus contigit, Cancellarijs Limana & Parisiensi, quæ à multis ritè sentientibus minùs sunt necessariæ iudicatæ, additam aliam Flauij da la Mata, paucorum quorumdam arbitrio, qui se auctores tanti moliminis gloriantur. Sed cum Horatio *in Arte* verissimè hîc dici potest. *Sed nunc non erat his opus.* Hîsque addendus super numerariorum excessus, nullo cum Regij Fisci commodo, sed incommodo maximo, annuis pensionibus, auctario ingenti supra censualem summam multiplicatis, pro eo, vt vocant, seruitio, quod in pecunia pro officijs obtulerunt. Communis hæc vox, & non vulgaris quæ vtinam, vt aliæ, *in aures Domini exercituum*, vt cum D. Iacobo loquar, valeant introire. *Iacobi 5. v. 4.*

Circa contractus Regi noxios.

446. Quod verò ad contractus cum Rege initos, in quibus læsio manifesta, ex vero à citatis dictum, de quo & ego in Thesauro *Tomo 1. Tit. 5. n. 167. 168. & 194.* & circa illud res modo habetur præ manibus discussione dignissima. Non parua pecuniæ summa nobilis quidam in Cancellaria Noui regni Granatensis Auditor præcellens munus in Limana assecutus: non quidem vt tanti muneris pretio, sed pro dispensatione, vt scilicet habiturus illud in alia, in ea esset, in qua ratione patriæ impedimentum ipsi creabatur. Cùm ergo per annos plures suum munus laudabiliter fuerit executus, iussione Regia compellitur, vt vel in Mexicanam se Cancellariam conferat, vel si renuat, officium amittat. Clamat ille, & datam pro dispensatione pecuniam voto suo fraudatus exposcit: cùm præsertim transmigratio hæc, aut impossibilis ipsi futura septuagenario maiori, aut nimis incommoda & quæstuosa. Anne iusta petitio? Videtur sanè ex communibus principijs de obligatione standi contractui; sin minùs satisfaciendi in eo passo læsionem: quæ quidem in hoc casu, & quoad substantiam, & quo ad circumstantias videtur manifesta, & Regi quidem, vt citati asserunt, quando læsio est certa, restitutio in integrum conceditur, de qua præsertim Thomas Delbene: nec tamen ex eo solo titulo, sed quia iustitiæ limites contractus non facit, vnde ad illos, ne læsio prævaleat, reducendus. Et iustitia ipsa exigit vt talem se Vassallis Christianus Princeps exhibeat, quales erga se illos esse desiderat, vbi nulla pro discrimine peculiaris ratio succurrit.

Casus peculiaris, in quo pro Togato Limano arguitur, qui dato est pretio promotus.

Quid pro parte Regis faciat.

447. Sed pro parte Regis facere videtur: *Primo* se non obligasse ad conseruandum ministrum illum in officio Cancellariæ prædictæ, si causæ occurrerent, propter quas remouendus videretur, & occurrisse illas videtur facto ipso declarari: non enim ex Limana ad Mexicanam Cancellariam sine illis fieri solitæ transmissiones, stante etiam laudabili procedendi modo. *Secundo* (ex quo & præcedens ratio etiam roboratur) nam hoc præuideri potuit; & quod reipsa euenit, euenturum suspicari, & iuxta id contractum inire: quod cùm factum non fuerit, videtur iuri redhibitionis pecuniæ renuntiatum. *Tertio* quia credibile est causas, quæ modò occurrunt, ante annos aliquot occurrisse, pro quo non desunt fundamenta, & mutationem dilatam ob satisfaciendum pecuniario illi seruitio. Licet enim dici possit toto eo tempore suo in officio laborasse, ac propterea salarium integrum meruisse, sicque ex remotione dilata emolumentum habuisse nullum, quod pecuniario seruitio responderet. Contra hoc esse potest, commoda in propria patria, & præcellentiam honoris, valde æstimabilia censeri, & per ea posse compensari. *Quarto*, seruitium ipsum non fuisse solummodò propter dispensationem, sed pro præcellentia muneris: non enim quæuis illi patria, in qua sint Regiæ Cancellariæ, sed præstantissima, & ad cuius Cancellariam ex omnibus alijs fit, & est valde exoptabilis & procuratus assensus. Fuisse ergo per annos plures in illa, seruitij dicti compensatio non impar esse videtur. *Quinto*, cùm pecunia talis eius fuerit officij fructus, quod à Rege collatum fuerat, vt talem oblatum existimari meritò potuit, neque enim ex dote, aut hereditate: & vt datus non sic fuerit, non absurda potuerunt esse motiua, vt quæ à ministro Regio sic pacta fuerant, irredibiliter acciperentur. *Sexto*, quia Rex potuit Togatum talem compellere vt ad Mexicanam Cancellariam se conferret, eò quòd eius zelo & industria ibidem opus habebat. Cùm ergo id non faciat, sed eum sua in patria consenescere, aut senectute in ea vberi & tranquilla potiri, hæc cum alijs dictis indulgentia loco debet compensationis haberi. *Tandem*, cùm his temporibus tot occurrant necessitates, pro quibus subsidia modis varijs conquiruntur, hoc inter alia potest opportunum reputari; vt ea scilicet quæ per modum seruitij data sunt, retineantur; quandoquidem verus in his contractus non videtur esse, sicut cùm officia venduntur. Iuxta quæ eorum erit caussam istam dirimere, qui iudicandi ex alto habent potestatem. Ego enim præfatum Dominum honoratum velim, quem & arbitror promerentem. Ne verò, si secus accidat Regia iustitia traducatur, vt, quæ suffragari eidem possint, breui ostensione congessi.

Circa contractus, in quibus læsio interuenit, quid expediat.

448. Iam quod ad contractus spectat inter Vassalos contra iustitiæ limites celebratos, non dubito id fieri posse attenta eorum conditione: sed quod ad praxim attinet difficilis videtur esse prouincia ex necessario ad id scrutinio, plus laboris & tumultus, quàm fructus habituro. Vna illa esse via poterat ad manifestationem, quòd scilicet ij, qui se grauatos ex contractibus iniustis sentirent, id coràm designatis iudicibus aperirent. Id tamen nō proçessurum videtur, quia cùm eruendum inde interesse, non sit ipsis, sed Regi tribuendum, vix erit qui manifestet, inimicitias inde & pericula subiturus, nec inuenturus, qui in occasionibus, vrgente necessitate, succurrat. Nisi fortè dicatur sic manifestantes loco præmij habituros, vt ab impositione futura sint liberi, interminatis pœnis ijs, qui contractus tales non manifestauerint, seriò infligendis, eo quòd per proxenetas, aut tabelliones, vel quospiam alios, poterant illi, & si non omnes, aliqui tamen explorari. Quòd si placuerit, nihil tentare nocebit, & quod ad prædictum finem non contulerit, ad alium fortè proficiet, vt scilicet contractus iniusti, si non ex toto, magna saltim ex parte à Republica propellantur.

449. Quar-

Circa restaurationem regni quid expediat.

449. Quartò (prosequitur præfatus Magister) Principem posse pro recuperatione vnius regni aut prouinciæ gabellam imponere, pro quo allegat Thomam Delbene *in suo Tractatu Dubit. 14.* qui tamen regnum Neapolis excipit, quia dominium directum ad Pontificem spectat & Siciliæ, quia sicuti se sponte Regi Aragoniæ Petro dediderunt. Pro quo & Diana *Tractatu 3. citata Resolut. 15. & 31.* quantùm ad Siciliæ regnum: quò ad alia verò *Resolut. 3.* vbi P. Vasquij doctum discursum adducit. Sed Dom. Arauxo cum limitatione locutus, dicens attendendum esse an regnum, pro quo bellum geritur, Vassallorum grauamine continuato sit Regi proficuum: si enim tale non sit, ob solam libidinem habendi plures coronas non debent fideles Vassalli impositionibus aggrauari. Et quò ille collimet non est difficile coniectare, zelo quidem bono, sed quem multi non secundùm scientiam politicam iudicabunt: qui pro se P. Vasquium allegare poterunt *Opusculo de Restitut. Cap. 6. §. 3. dub. 1.* sic scribentem: *At dicet aliquis: Relinquat Flandriam, deserat Italiam, vno suo antiquo Regno contentus sit, quod & sibi & nobis maiori futurum est vtilitati. Sed numquid iura Regni patiuntur vt Rex magno cum dedecore, timore inimicorum, antiqua Regna, quæ vel iure hereditario, vel bello iusto capta ad eum pertinent, relinquat, maioresque indies animos inimicorum commoueat, vt & Regnum etiam nostrum bello & armis oppugnare non dubitent? Nonne salubrius erit, etiam si facultates in hoc omnes absumamus, vt inimicorum tela longè à nostris Regnis confringantur, ibique belli impetum, non tamen tam prope sentiamus?* Hæc ille, & alia, quæ licet ad remotiores videantur Prouincias dirigi, etiam in proximis constat militare. Non enim sine dedecore Regis adeò inclyti stare potest vt Regnum hereditario iure & bello iusto pariter acquisitum, rebellione auulsum, & ipsa exultans ac triumphans rebellione, relinquat. Sic enim opinione potentiæ detruncata, inimici alij animosiores redditi, molestum sanè negotium antiquo Regno facessent: cùm tamen securitas omnibus debeat facultatibus comparari, quod citatus Scriptor eleganter prosecutus.

P. Vasquez. grauissimus dicitur sui.

Amplius ille roboratus.

450. Quibus addendum vtile forsan futurum abstinere à bello, quando Regni nulla sentitur vtilitas, quia neque terræ fructibus, neque redditibus, considerabile præstat adiumentum, & ita pacis commoda. & Vassallorum tranquillitatem stabilire. Atqui hoc nequit desiderata securitate firmari, cùm constat Regnum tale magnas suis hostilitatibus intulisse molestias, nec posse nos meliora nobis, aut nostris posteris polliceri. Quin etiam nihil firmum pactis haberi posse præsentibus, quandoquidem Regi ad annos gubernationi aptos venienti placitura non scitur, vt modò non placent pluribus, vnde ad bella veniendum, si rebelles velint, & volent proculdubio, suo in schemate permanere. Sic Rex noster Philippus Quartus, in cuius gubernationis exordio tempus fuit induciarum cum rebellibus Belgis impletum, illud protrahi noluit, sed inimicum placuit se Dei inimicis ac sibi pariter exhibere. Quòd si posteà non solùm induciæ datæ, sed pax diuturna concessa, temporum id turbida conditio fecit, quæ cogit sæpe mutare consilium & repudiata complecti. Magna ergo est consideratione in hoc negotio, in quo spectaculum facti sumus mundo, ab ijs, quorum ea est cura, procedendum. Quæ conuenientia apparent meæ tenuitati propono, meliora profectò, si secus disponi contigerit, libenter amplexurus.

5. Circa non grauandos Ecclesiasticos.

451. Quinto, in nullo clientu conuenire Principi Vassallos Ecclesiasticos gabellis, etiam indirectè, grauare. obuij pro eo & Textus & Doctores. Vbi per occasionem addit in suo Tribunali Clericos, qui res emendes forma variata diuenderant, seriò id exercentes, pœna negotiatorum punitos; cùm tamen quamplurium sententia sit licitam esse huiusmodi negotiationem, de quo in *Thesauro* dictum. Vnde erunt qui rigorem hunc in dicto Tribunali non probent: nisi fortè in exercitio tali indecens aliquid, & auocatio à sacris muneribus misceretur. Pergit & addit nequaquàm expediens esse Principibus Christianis, etiam de Pontificis licentia, ex Ecclesiasticorum bonis stipendia conferre militibus, vel ad bella quantumuis iusta fouenda eisdem vti. Id probat exemplis quamplurium Principum Christianorum, qui pecunijs talium aut sponte oblatis, aut de Pontificis licentia, stipendia militibus soluentes, tristem fortunam, & Martem aduersum sunt experti: In quibus etiam Reges nostros Carolum & Philippum filium, clarissimæ vtriusque memoriæ, commemorat. Summam fortunæ aduersitatem expertos in amissione vnius ditissimæ classis ex America venientis, atque in amissione Goletæ: eo quòd alter primum subsidium etiam indulto Pontificis ab Ecclesiasticis exegit: alter verò indulto Gregorij XIII. oppida Ecclesiarum vendidit. Sed pace viri tanti hoc est in re prorsus ambigua contra decorum Christianissimorum, ac Religiosissimorum Principum diuinare. Immò & rigida hæc censura in ipsos videtur redundare Pontifices, qui petentibus indulserunt. An nouum illud arcem vnam amitti, aut perire classem, vt id debeat abusui bonorum Ecclesiasticorum attribui? Quòd si infaustus vsus semper fuit, cur hoc Pontificia prouidentia non præuenit; sed dum indulget, fortunam aduersam prouocat, & cælum sibi contrarium agnoscens, legitimos Ecclesiæ filios ab huiusmodi petitionibus non diuertit, sic eorum feliciorem statum redditura? Perijt Classis instructissima à Philippo Secundo in Angliam Catholico zelo ad magnum illius regni bonum destinata. An ne propter dictum abusum? Non equidem, sed iusto & inscrutabili Dei iudicio, elementorum in eam agmine coniurante, & nullo ex prouidè dispositis suffragante. Pro quo politissimus & exactissimus Strada noster ad *annum 1588.* Cùmque Augustissimus Carolus tot fuerit clarus victorijs, nihil certè ad cumulum gloriæ, & fortunæ felicitatem officere potuit vnius aut alterius minùs faustus euentus, sicut neque Alexandro Magno titulum labefactauit prædictum, quòd vno vel altero fuerit minùs felici prælio illius exercitus superatus. [nunquam fuit.

Licita negotiatio an retè ab eo punita.

In Thesauro Tomo 1. Tit. 9. n. 33. & 44.

Durior in Reges nostros votiocmatio, & non bene fundata coniectura.

452. Quòd si ex eo fiat instantia quòd Ecclesiasticorum bona patrimonium pauperum sint, quibus non benè detrahuntur, vt militibus tribuantur. Id non difficilem habet solutionem: pauperum videlicet caussam in eo agi, dum eorum

Dum Ecclesiastici contribuunt, caussa pauperum agitur.

rum tranquillitati consulitur, ac bono publico, si aliquantulùm inde patiantur, eorum debet commodum post haberi: & Canones quidem sacri de Ecclesiasticorum immunitate tractantes, dum eam statuunt, & nihilominùs ad casus aliquos beneplacitum Apostolicæ Sedis requirunt, absque dubio vllo supponunt, dum tale beneplacitum accedit, minimè contra illam agi, vnde eo procedentes modo, qui eisdem est conformis, cùm illam non lædant, cur dicendi sunt infortunia bellica, & alia promereri? Sunt quidem matrimonia iure Ecclesiastico certis in gradibus consanguinitatis & affinitatis prohibita: sed quia ius ipsum dispensationem admittit, dum ea interueniente celebrantur, non ideò infausta censentur, cùm id felicissimi successus falsum esse conuincant, in nostris præsertim Regibus Austriaco sanguine copulatis, quorum felicitatem videmus in Galliam redundare.

Nec in fausti inde successus timendi, cùm Pontificia accedit auctoritas.

453. Addendum, non esse cur infausti successus timeantur, quando iuxta rationem & æquitatem Christiani Principes operantur, id Pontificibus approbantibus, & ex parte sua Communibus ne cessitatibus etiam conantibus prouidere. Vnde cùm in *Cap. Non minùs*, de immunit. Eccleſiast. sub anathemate prohibeatur, ne Ecclesiastici ad communes expensas compellantur, additur statim: *Nisi Episcopus & Clerus tantam necessitatem vel vtilitatem aspexerint, vt absque vlla exactione ad releuandas communes vtilitates, vel necessitates, vbi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias iudicent conferenda.* Sic ibi. Ex quo habetur Pontifices valde æquitati conforme iudicare, vt in prædictis casibus Ecclesiastici contribuant. Vnde non solùm rationi naturali consonum, sed & pietati, asseritur *l. ad instructiones C. de Sacros Eccles.* Quod ampliùs declaratur in citato *Capite Non minùs*, vbi sic additur: *Propter imprudentiam tamen quorumdam Romanus Pontifex prius consulatur, cuius interest communibus vtilitatibus prouidere.* Sic Pontifex. Videndus P. Suarez *Lib. 4. contra Anglicos Cap. 26.*

Cap. Non minus.

l. Ad instructiones.

Magis ab hostibus grauata Ecclesia: qui & fortunatiores.

454. Nec prætereundum, si propter Ecclesiasticas exactiones infortunia euenisse dicenda sint, maiora quidem in hostibus, quibus maior fauentia fortunæ fuit, potuisse coniectari. Incomparabilis enim excessus in eo extitit, vt eorum scripta testantur: aurea & argentea supellectili ab Ecclesijs extracta, redhibitione promissa, meliore succedente fortuna. Et certè non aliter à Rege Castellæ Ioanne I. factum in Ecclesia Guadalupensi: cui tamen non pie facinori decantata illa ad Alsubam rotam strages adscribitur. Si ergo maior apud illos in eodem genere ratio, cur nostris minor infortunia conciuit? Dicat qui cognouerit sensum Domini. *Sed quis Consiliarius eius fuit?* Rom. 11. v. 34. Temperamentum profectò magnum hoc in negotio à Christianis est Principibus adhibendum, & à nostris maxime, Catholicorum titulo gloriosis: sed cùm necessitas ad aliquid, futurum Clero ingratum, impulerit, non statim in eos zelotyporum linguæ, vti in Ecclesiasticæ libertatis effractores acuendæ, & calami impetu immoderatiore vibrandi. Quibus in officiosis conatibus nihil communis tausa prouehitur, sed cum exacerbatione animorum fides erga Principes concutitur, & erga exteras nationes nihil tale merentes traducuntur.

Dominici plus iusto infensus Scriptor.

455. Concludit tandem dictus Magister, & res nostras peculiari animaduersione perstringens ait, eo tempore, quo de placando Deo tractari debuisset, quando scilicet aduerso est Marte pugnatum, & ipsius templa auro & argento exornanda, animos ad donatiua petenda conuerti, quæ, licet Regis voluntate attenta, spontanea esse deberent, nihil minùs habent, more tributorum, ob exactorum violentiam repetita: vnde iuxta multorum sententiam donationes sunt nullæ, vel iuxta alios, annullandæ. In quo quidem zelus præfati Domini collaudandus, sed assertio non penitus recipienda. Cùm enim de his agat temporibus, quorum & nos spatia transegimus, & ad Regis nostri Philippi Quarti gubernationem spectent, notissimum est ex Progenitoribus nullum in negotio pietatis ac religionis ipsi præferendum: immò & sunt qui primas eidem eo in genere concedendas arbitrentur. Sanctuaria Virginis de Atocha, del Pilar, Christi Patientiæ, D. Iacobi Compostellani, & alia, in quibus ingentes, auri & argenti summas expendit, id poterunt, nobis etiam tacentibus, attestari. Vt de ijs fileam, quæ apud nos extant, festiuitatibus, sanctissimis Eucharistiæ, & Dei Matri annuis redditibus consecratis. Quòd verò nouæ necessitates noua subsidia requirant, consequentia fatalis est, & malum ex malo necessariò consecutum. Ad pietatem ergo Ecclesiæ confugitur, vbi non semper eam esse violentiam, quæ donationem aut nullam, aut annullandam reddat, experientia constat, & vt ea sit aliquando quæ dicitur, nullus cum Rege suo ita durè agere intendit, vt eum velit ad restitutionem obligare. Exactores autem in defectu Regis ad id non tenentur, quia bona fide procedunt, arbitrantes obsequium se præstare Deo. Et quidem à nullo ex Clero exigitur, qui circa totam, quam tribuit, quantitatem inuitus sit, aliquid enim, etiam semota violentia esset daturus, vnde non est restitutionis onus circa illam imponendum. Et difficile admodùm fuerit, ac ferè impossibile, donationis qualitatem in singulis explorare. Quòd si ad receptam doctrinam recurratur restitutione eo modo facienda, cùm ignorantur creditores, qui alicuius communitatis partes sunt, aut fuerunt, vt scilicet ita fiat, quòd ad creditores commodum aliquod perueniat: id certè in casu præsenti nimis implicatum negotium est, neque iuxta eorum, qui donarunt, vtcumque donatio se habuerit, voluntatem. Quòd si beneplacitum Pontificiæ Sedis accedat, scrupulus cessat, quia Pontifex dominus est bonorum Ecclesiæ, & cum necessitatibus Christianorum Principum prouidet, non vult dispositionem suam intento fine frustrari, & ita quod datur iuxta dantium qualitatem, licet excedatur in modo, quoad substantiam validatur. Et quando personæ non sunt Ecclesiasticæ, posse ad donatiua compelli, vrgente necessitate, tradit Diana *Tract. 3. citato Resolut. 25.* cum Basilio Poncio, *de Impedim. matrim. Causa 51. Quæst. 2. §. 11.* & Thomas Delbene *supra.*

Philippi Quarti, incomparabilis pietas, & religio.

Dom. Solorzano *in Emblemate.*

Restitutionis obligatio non admissa.

Ad donatiua compelli licitè posse.

ADDI-

ADDITIONES AD APPENDICEM SECTIONIS PRIMÆ.

Percommodæ recentiorum Scriptorum occasione.

Vbi circa opinionum probabilitatem vtilissimæ discussiones.

POst scriptam Appendicem, circa cuius materiam hoc tempore diligentia exquisitiori certatur, non visi anteà ad manus venere Scriptores, quorum est mihi visum non præterijsse doctrinas, & ex eorum aut discussione aut explosione, quæ stabilita *superiùs* sunt, ampliùs roborare.

§. I.

Ex Guilielmo Herincx comprobata sententia deobligans ad sequelam partis tutioris, cum eiusdem vtili explicatione.

Licet sequi opinionem minùs tutam.

456. DOctus hic & modestus Auctor Ordinis PP. Minorum in Academia Louaniensi Sacræ Theologiæ Iubilatus, Lector *Parte 2. Summæ Theologiæ Scholasticæ & moralis Tract. 2. Disput. 4. n. 22.* id, quod in eâdem Academia non potuit non esse communi approbatione receptum, quod & illius verba testantur, & quod à nobis est etiam comprobatum, statuit affirmans regulariter loquendo ex opinione seu assensu probabili rectè formari conscientiæ dictamen, quòd licitè fiat vel omittatur actio, etiam sequendo partem minùs tutam. *Est communissima* (ait) *Doctorum sententia, quam confirmat etiam communis timoratorum praxis.* Ergo & in Louaniensi Academia, in qua ille veteranus Professor. Quid ergo nonnulli Louaniensium Censurarum fulmina iactant, vt suis neque vtilibus, neque plausibilibus in Republica Theologica, pondus auctoritatis adsciscant? Probat ille, & bene: Quia cùm intellectus noster in rebus humanis plerumque non possit certò assequi veritatem, intolerabile esset onus, & excedens humanum agendi modum, si non sufficeret operaturis rationabili fundamento innixus assensus, etsi cum aliqua formidine oppositi, sed ob hanc retraherentur ab operando: quod onus proinde natura vel Deus non est credendus fragilitati nostræ imposuisse, sed potiùs esse contentus, vt dum certitudinem habere non possumus, opinionem non leuiter nec temerè, sed prudenter conceptam sequamur. Ampliùs enim nemo bonus & prudens rationabiliter ab alio exigeret, adeoque nec Deus optimus & prudentissimus exegisse censetur.

Louaniensis Academia sensus circa opinionem de qua in Titulo.

457. Addit tamen nu. 23. §. *Alioquin*, quòd si non subsit specialis ratio sequendi viam minùs tutam, sed absque vllo velut onere, & sine considerabili libertatis detrimento possit quis sequi viam tutiorem, sanè sequi tenebitur, pro quo citat Homen à nobis adductum: & rationem esse ait; quia sine rationabili causa se exponit periculo violandi præceptum; cùm sola ratio importabilis oneris præbeat fundamentum positæ assertioni. Item, quia dissonat legibus amicitiæ, vt patet in humanis. Si quis enim v. g. faceret aliquid cum opinione quidem quòd erit amico gratum, sed non sine formidine, ne fortè sit ingratum, & contra voluntatem illius: posito quòd sine incommodo possit abstinere, vel oppositum facere, idque agendo certus sit se placiturum amico: videretur omnino leges amicitiæ infringere. Deinde temeritatis argueretur incedens per viam, multorum quidem, & sua opinione à latronibus liberam, sed cum formidine de opposito, si alia æquè commoda esset via, quam certum est omni periculo carere. Idem autem est in præsenti. Tunc igitur operans non sequitur iudicium conscientiæ verè prudens, sed potiùs temerarium. Sic ille arguit, & quidem si eius ratio robur habet exemplum ab amicitia petitum vrget, in eo, & non solùm veniale, sed mortale etiam peccatum interuenit, quandoquidem talis agendi modus sufficiens est ad amicitiæ leges infringendos: in quo quidem non est secutus Homen, qui solùm venialiter in eo delinqui, vt ex eôdem à nobis est positum *superius*, affirmat.

Sed non sine rationabili causa, iuxta Herinx.

458. Sed certè præfatus dicendi modus neminem debet absterrere, quia ex dictis ab hoc Scriptore obuium eius lenimen habetur. Cùm enim de onere non existente ageret, sic est quod pergebat asserere, moderatus: *Quod est rarum, seu non morale*, scilicet onus non subesse, cùm de adimplendo præcepto agitur, neque specialem aliquam rationem, ob quam tutior pars ab operante iuxta opinionem probabilem relinquatur. Et exempla quidem substantis oneris adducit ille §. *Dices* 1. dum ait, quòd adsit probabilis opinio, quæ ad moralem certitudinem accedit pro vna parte, & pro altera solùm formido minoris considerationis, & remotiùs censetur de falsitate opinionis circa antecedens versantis periculum, neque ab operante curandum, cuius interest non adstringi ad tutius, ob onus considerabile inde prouenturum, v. g. ieiunij, restitutionis, carentiæ legati, abstinentiæ ab vtili contractu &c. Iuxta hæc ergo onus non adeò magnum, quod secum afferat adimpletio legis aut præcepti, & rationabilis quæuis ratio, sufficiunt ad fauorabilem sententiam amplectendam, quod in ieiunij lege contingit, neque enim dicendum est Ecclesiam, dum illud præcipit, intolerabile onus imponere, præsertim quando illud continuatum non est. Itaque iuxta Auctorem dictum exceptio præfata nullum conscientijs fidelium grauamen accumulat, cum de re sit moraliter impossibili, iuxta exhibitam declarationem. Vbi addendum, quòd etiam si quis opinionem fauorabilem circa ieiunium in casu aliquo sequeretur, vt genio culpabiliter indulgeret, non foret violati præcepti reus, sed generalis alterius temperantiæ, vt contingit in eo, qui circa prædictum præceptum dispensatus, contra naturale aliud abstinentiæ gula instigante peccaret.

Qui rectè sua non dissentit, iuxta eiusdem doctrinam.

caret. Nam in eo etiam est declinatio oneris à præcepti alterius obligatione veniens, quod opinionis fauorabilis amplexu declinatur. Habet ergo rationabilem causam, ne scilicet dum lenocinatur gustui, graue contra Ecclesiæ præceptum crimen admittat.

459. Pergit *nu.26.& 27.* & exceptiones aliquas proponit præfatæ assertionis, quæ communiter à Doctoribus admittantur, præter vnam de iudice, quem censet debere iuxta propriam sententiam iudicare: quod cùm probabiliter negent multi, neque in eo peculiaris difficultas ob rationes ab eodem adductas occurrat, non est cur circa illud diutiùs hæreamus. Addit. *n.*28. Non esse licitum per se loquendo sequi è probabilibus opinionibus alterutram ad placitum, etiam minùs probabilem aliorum contra propriam, nisi in praxi eam, quam quis amplectitur faciat suam. Dum enim haberi nequit veritas, videtur Deus substituisse illius loco opinionem seu existimationem operantis. Neque rationabile apparet datam licentiam nunc hoc, nunc illud operandi: nam si constaret veritas, vna tantùm esset regula & via, Ad quod facilè responderi potest iuxta id, quod habet *n.seq.*29. vbi ait nolle se illos condemnare, qui ex opinione præformata procedunt existimantes sibi licitum esse sequi opinionem alienam etiam minùs probabilem. Hi enim eo ipso per reflexum iudicium sequuntur practicè propriam opinionem. Dici ergo potest huiusmodi iudicium practicum substitutum à Deo loco veritatis: quę quidem si cõstaret, vna tantùm esset operandi regula; dum autem non constat mirum non est operationum principia variari: licet reuera ad vnicum iam dictum reducantur, ad iudicium scilicet proximum practicum operationis, dum hîc & nunc licitè posse operari, quia probabiliter, iudicatur.

Quid circa iudicem & alienam, quam quis non facit suam. Vbi negatur.

Cui ex eiusdem doctrina fit satis.

460. Sed subdit eos, qui ita sentiunt, frustrà laborare discutiendo plurimos casus, in quibus hi asserunt, isti negant licere sequi opinionem alienam minùs probabilem: nam eo ipso quòd fatentur probabilem, fateri coguntur licitum esse, quod velut illicitum exterminare conantur. Deinde, eo ipso quòd quis alicui opinioni assensum præbet, censet probabiliorem, omnibus spectatis, cùm ei simpliciter assentiatur, & solùm de veritate oppositi quamdam formidinem habeat. Ad quod dici potest quòd sicut Auctor ipse statuens licitam esse sequelam opinionis probabilis relicta tutiore, aliquos tamen casus excipiendos censuit, vt vidimus: ita & Auctores, quibuscum agit, simile aliquid existimare possunt, vnde sibi contrarij non debent reputari. Quod autem vltimò asserit, ad modum loquendi spectat, & est quidem illud verum; dici tamen potest, cùm alienam opinionem minùs probabilem sustineri posse profertur, non ideò esse, quòd eo ipso quòd aliena sit, non sit etiam minùs probabilis; sed ad maiorem expressionem, & quia iudicio etiam aliorum minùs probabilis sit. Sed hæc minoris momenti sunt, vt nos debeant ad grauia & vtiliora properantes remorari.

Circa nonnulla obiectiones leuat.

461. Illud non omittendum, Scriptorem præfatum, vtpotè Religiosum, & in celebri Academia terminis vrbanis excultum, aperuisse quidem mentem suam circa sententiam præfatam, sed alterius honori statim consuluisse, quam sciebat grauissimos Scriptores amplexos. Non sic alij, non sic, de quibus *infra*, qui in aduersantes, cùm sint illi & dignitate & eruditione clarissimi impetuosi feruntur, proijcientes ampullas, & sesquipedalia verba; quæ neque Religio patitur, nec vera ac sobria parturire sapientia potest, aut charitas sustinere: quæ, vt loquitur D. Bernardus, *patienter nouit irasci, humiliter indignari.* Sic ille *Epistola* 1. Pro quo & egregium extat Diui Michaelis exemplum, de quo sic D. Thaddæus: *Cùm Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ: sed dixit: Imperet tibi Dominus.* Iudæ v. 9. Quid ergo de illis dicamus, qui non cum diabolo, sed cum omni veneratione dignissimis Doctoribus disputantes, audent iudicium inferre blasphemiæ, dum iniuriosa in ipsos, ac eorum sententias verborum fulmina iaculantur. Sed ijs modo relictis, ad alios transeamus.

P. Herinxij laus à modestia, quæ in disputationibus seruëda.

D. Bern.

Iudæ 9.

§. II.

Patris Ludouici de Scildere Societatis IESV circa materiam §. Superioris, quæ probanda, quæ & improbanda sententia, cum peculiarium argumentorum dilutione.

462. SCripsit ille in Belgio eruditum sex Tractatibus comprehensum, *de principijs* conscientiæ formandæ, in quorum 2. *tra.* 16. statuit neminem posse efficere vt duo contradictoria sint intrinsecè probabilia, quod esse ait contra Cardinalem Lugo, P. Thomam Sancium, P. Bardi, & P. Arriagam, & etiam contra Bresserum & Bossium: solumque admittit, vt quando duo contradictoria dicuntur alicui esse probabilia, vnum tantùm sit illi probabile intrinsecè, alterum verò extrinsecè ob auctoritatem alterius oppositum iudicantis. Supponit autem decisio huiusmodi distinctionem probabilitatis in intrinsecam & extrinsecam, iuxta dicta ab ipso *nu.* 15. vbi ait probabile intrinsecè esse, quod nos expensis debitè rationibus, & argumentis contrarijs, iudicamus existere. Probabile extrinsecè quod nos vel ob defectum rationum, aut considerationis illarum, non iudicamus existere, ab alio autem homine considerato omnibus debitè expensis opinatiuè iudicatur existere. Vbi etiam videtur supponere res secundùm se non esse probabiles, sed per denominationem ab assensu tendente in ipsas: vnde titulus quæstionis, & illius resolutio commodum sensum habere potest, quòd scilicet possit quis, aut non possit efficere vt duo contradictoria sint intrinsecè probabilia, eo scilicet quòd denominationes tales ab assensu tribuuntur, de quo dictum aliquid *nu.*36. sicut de præcipuo asserto etiam *n.*47. 52. *& seqq.* Quidquid autem de illo sit, in ordine ad quæstionem in hac materia percelebrem, an scilicet possit quis iuxta alterius, retenta propria, sententiam operari, nullius momenti est hoc aut illo modo sentire; quòd scilicet sententiam oppositam ex intrinsecis principijs probabilem reputet, aut propter auctoritatem Sectatorum. Si vero vtramque probabilem esse reputet, dum in æquilibrio res consistit, nullam ex illis posse vt proximam & directam regulam operationis assumi diximus. *num.*43.

P. Scilder. quid sentiat circa duas conclusiones in ordine ad probabilitatem ipsarum de intrinseca, & extrinseca.

463. Iam quod ad obligationem sequendi partem tutiorem attinet, de quo ille à *n.*17. censet non esse illam sub mortali, quod ex eo peculiariter ostendit à se in Academia Louanensi, sæpiùs obseruato; in ea scilicet opiniones fuisse defensas id testantes, nec solum in materijs ius humanum concernentibus, sed etiam diuinum & naturale: quod quidem pro eo congruit, quod à nobis est *nu.*461. circa Academiam eamdem adnotatum. Cùm autem in assertione sic addat: *Quando opinionem tutiorem non possumus sequi sine incommodo proprio, vel alieno*, id explicans *num.* 19. affirmat secluso incommodo dicto, tutiorem non sequi culpam esse solummodò venialem: pro quo adducit P. Salas 1. 2. *Tractatu* 8. *num.*42. & Homen de *Conscientia Cap.*2. *num.* 26. quem alijs etiam locis à nobis adductum videre licet *num.*162. & quod ad P. Salas attinet, *citato num.* 42. sub disiunctione ille loquitur, vt scilicet Canones qui statuunt partem esse tenendam tutiorem, de consilio tantùm sint accipiendi, cum D. Antonino, Nauarro, & Perez, aut cum magnum aliquod occurrit incommodum: vbi de dubio præsertim agit, nec de veniali quidquam addit. Vbi autem de opinione decernit, absolutè statuit licitum esse illam, quæ probabilis est, contra tutiorem amplecti: nullum ergo in eo peccatum agnoscit. Bene verum est illum *num.* 79. §. *Ad quartum* asserere cum, qui probabiliter, immò & probabiliùs putat se peccatum graue commisisse, aut excommunicationem incurrisse, teneri confiteri sub dubio, & absolutionem conditionalem procurare, si id possit sine magno suo præstare incommodo: nam eo stante expectare commodam occasionem Confessionis & absolutionis potest. Sed in hoc casu rationem ait specialem adesse, ex eo videlicet quòd ita vsus & traditio Ecclesiæ habeat, vt scilicet peccata dubia, etiam probabiliter, debeant ad sacrum tribunal Pœnitentiæ deferri.

Louanienses Academia existimata, vt mortale non sit ostenda tur sequi opinionem minùs tutam.

Venialem non asserat culpam esse ipse.

P. Salas.

Immò & nullam.

464. Iam quod ad rem ipsam attinet, Auctores ab eodem adducti, scilicet D. Antoninus, Abbas, Facultas Theologica, Angelus, Pelbartus, Portel, Marchinus, Caspensis, Leander, Diana, Bossius, Nauarrus, Syluius, Wiggers, & Patres Vasquez & Valentia, sine exceptione ab eodem adiecta loquuntur, vt ipse ingenuè profitetur, quod & multi alij faciunt: vnde absolutè licitum talem modum agendi existimant, qualem & nos meritò debemus æstimare. Accedit Lounienſis ille Academiæ vsus, qui iuxta prædictam formam inualuit, nulla de obligatione sub veniali facta mentione. Pro eòdem facit quod ipse ad suæ assertionis probationem inducit, quòd scilicet non est censendus Deus homines tam parùm penetrantes fundamenta obligationum & deobligationum suarum velle obligare ad abstinendum ab opere cum incommodo proprio vel alieno, quando de honestate actus habent certitudinem tantam, quantam homines considerati, qui in negotijs magni momenti rectè se procedere existiment. Quæ ratio, ablato eo, quod de incommodo proprio vel alieno continet, similiter vrget. Propterea enim quando incommodum interuenit operatio honesta est, quia certitudo illius per rationem & auctoritatem habetur: qui enim in negotijs magni momenti ita se gerunt, ea de causa censentur rectè prudenter, & inculpatè procedere. Atqui ita se habet qui opinionem probabilem amplexus aliquid agit aut omittit, etiam sine incommodo proprio vel alieno: non ergo sic se gerens vllo modo peccat, nisi ex circumstantia alia quidquam vitiosum contingat admiscerì.

Motiui ab ijs Auctores firmant.

Sicut & ratio adducta demonstrat.

465. Et quidem cùm dictus Auctor non de magno incommodo videatur loqui, sed absolutè de incommodo; qualecumque illud sit, pro euitando veniali peccato videtur iuxta ipsum debere sufficiens iudicari. Semper autem illud in operando id, quod est tutius, occurrit, iuxta fragilitatis humanæ conditionem, si ad id operandum conscientia perstringatur; cùm sit certum priuari aliquo, ad quod naturæ fertur inclinatio, & & ita vtile & delectabile esse potest, & licet in vno aut aliquo casu non ita molestum videatur, ea autem generalis persuasio graue onus proculdubio est, dum quis se ad sequelam eius, quod tutius est, se credit adstrictum, vel ad discernendum in cuiuslibet casus contingentia, an sit vel non, incommodum pro euitando peccato sufficiens, & de casu Confessionis à P. Salas proposito, quis non videat obligationem dictam sine incommodo stare non posse, attenta Confessionis difficultate? Quæ quidem attendenda est, vt omnes Scriptores obseruant: aliàs si sola spiritualis vtilitas insp icienda sit ex Sacramenti vsu in animam redundans, cur dicitur in casu præfato non vrgere præceptum confitendi tale peccatum, donec commoda confitendi illud occasio succedat? Erit profectò aliquibus difficilior alicuius etiam dubij peccati Confessio, quàm dira vsque ad effusionem sanguinis verberatio, aut siccum ieiunium, vel continuata vigilia, quæ inter non leuia incommoda meritò numerantur, de quo *n.*458. Quibus id adijciendum quod citatus Auctor, de quo nobis sermo, habet *nu.*21. vbi ait tunc non posse nos sequi opinionem propriam de facto aliquo, à quo actus honestas dependet, quando obstat periculum grauissimi damni ab aliquo incurrendi, tutioremque cum peruo nostro incommodo sequi possimus. Iuxta quod, quando incommodum proprium non est leue aut paruum etiam si alteri illud immineat, non tenemur tutiorem opinionem amplecti. Atqui plus aliquid indulgendum est quando graue incommodum non subest respectu alterius, & ita etiam si non tale sit, quod à nobis possit incurri, non tenemur partem amplecti tutiorem. Et ita citatis Nauarro, Diana, Caspensi, & Patribus Becano, Valentia, & Sancio tenet Bordonus *Tomo* 1. *Cap.*41. *n.*58. §. *Demùm*, addens sic tenere omnes Recentiores.

Cùm exuentes sit iuxta incommodo, id semper probatur.

Nec maior spiritualis vtilitas attendenda.

Exceptio communiter recepta, cùm damnum alicuius imminet.

Bordonus.

466. Et verò quod ad opinionis propriæ contra communiorem, spectat amplexum generaliter statuit Auctor licitum esse *nu.*20. addens tamen id stare, dummodò occurrerit ratio, quæ ab aliis non fuit considerata, & argumenta aliorum expenderimus, recteque iudicio nostro soluerimus,

Opinio contra communem quando admitti queat.

cum Boſſio, & PP. Vaſquez, Azor, & Arriaga, quibus & addi poſſunt alij, ex quibus Ioannes Sancius *Diſput.44.n.62.* Baſſæus *Verb.Conſcientia n.15.* cum multis, quos congerunt Diana *Parte 4. Tract.4.Reſol.3. & Parte 7.Tract.1. Reſolut.11.* P. Mendus *in ſtatera Opinionum benignarum, Diſſertat.13.n.204.* aſſerentes poſſe quemuis ſequi opinionem vnius Doctoris. Si enim poteſt: ergo & Doctor ipſe, qui alijs eam vt ſequantur oſtendit: cùm eſſe non debeat deterioris conditionis, qui plus alijs in ea fundanda, & ſtabilienda laborauit, & ſic habet illius magis perſpecta fundamenta. Quod ſi dicatur ipſum de ſe debere ſubmiſsè & & moderatè ſentire, neque ſibi perſuadere illas in ſe qualitates concurrere, quas Doctores ad effectum iſtum neceſſarias eſſe præſcribunt: Id certè nimiùm probat, quia ex eo deberet fieri, vt neque poſſet ſententiam ſingularem euulgare, quàm profectò à nemine amplectendam iudicare debuiſſet: quandoquidem nemo amplecti ſententiam poteſt, quæ non ſit viri docti non vulgariter, & pij, qualem ſe nemo poteſt, ſalua humilitate, vt dicitur, æſtimare. Quid ad hæc? Illud certè, humilitatem cum diuinorum beneficiorum cognitione ritè ac rectè poſſe componi: & ita eum, qui ſe in culmine magiſterij conſtitutum videt, conſentaneè ad excellentiam iſtam operari poſſe, & ita id præſtare, quod alios videt cum laude præſtitiſſe, ſcriptioni vacantes, & opera ſua, vt prodeſſent omnibus in lucem publicam adornaſſe.

Baſſæus. Diana Mendus.

Ratio ſolida futura. Circa quod vtilis Doctrina.

467. Quod de noua ratione ab alijs nō conſiderata, & exacta argumentorum ſolutione à præfato Auctore dictum, ad id reuocandum eſt, vt aliquid non leue ſit, quod hominis docti poſſit ad prębendum aſſenſum contra communem exiſtimationem animum inclinare. Vnde contingere poteſt vt in rationibus ab alijs conſideratis & reiectis, vir doctus plus ponderis deprehendat, & illis intellectum ſuum ſentiat eſſe conuictum, matura earum expenſione præmiſſa: quod perinde eſt ac nouam, nec leuem, inueniſſe rationem, accedente inſuper argumentorum luculenta ſolutione, communibus & receptis in Theologia principijs congruente. Quod quidem in opinionibus, quæ ſingulares non ſunt, accidere ſolet, dum is, qui aliquam ex illis amplectitur, fundamentis, ad illam complectendam mouetur, & ad eamdem luci publicæ committendam, quæ tamen ab alijs reiecta deprehendit. Exępla ſunt obuia, & in quęſtione, de qua nuper, an ſcilicet ſit obligatio partem ſequendi tutiorem, id videre licet: nam ita ſentientes, id quod de difficultate in eo agendi modo obijcitur, addita explicatione reijciunt; & & tamen noui Scriptores prædictæ rationi inſiſtentes pro fundamento difficultatem dictam, anxietates, & conſcientiæ anguſtias aſſumunt. Ponamus ergo vnum tantummodò doctum ac pium Scriptorem ſic philoſophatum; ille quidem probabilem reddere opinionem poſſet, quia alij ſimiliter ſentientes robur rationi non adijciunt, quam ex ſe, &, vt dicitur, ab intrinſeco habet ipſa, quod eſt ad probabilitatem ſufficiens, ſiue noua ſit ratio, ſiue nouis luminibus approbata. Vbi & argumenterum exacta ſolutio pro noua debet ratione etiam reputari. De quo iterum in Additionum decur.u.

Circa alienæ ſententiæ ſequelam propria retenta.

Illicitum opinari alienam ſequelam contra dict. P. Scildere.

468. CVm pluribus, quos adducit citatus Scriptor, ſtatuit *n.25.* opinantem probabiliter actum eſſe materialiter malum, non poſſe pro formanda conſcientia permittente ſequi opinionē alienam de honeſtate actus: pro quo adlegat D. Antoninum, Adrianum, Cordubam, Richardum Hallum, Homen, & à fortiori id tenere ait Abbatem, Gabrielem, Angelum, Conradum, aſſerentes ſequendam eſſe opinionem probabiliorem, niſi contraria ſit tutior, & Sylueſtrum negantem ſequi poſſe opinionem minùs tutam ex duabus æquè probabilibus, P. Comitolum, Antonium Perez, Tabienam, quem citans P. Comitolus ait oppoſitā ſententiam eſſe fœdam prolapſionem, Candidum Philalethum, ſimulati nominis Scriptorē, inferiùs declarandum, P. Palaum, quatenus ait eum qui ſequitur opinionem probabilem contra probabiliorem, debere ſuſpendere aſſenſum circa priorē. Baſſęum citantem à Goffer in Compendio Bonacinę *verb.Opinio*, & dicentē, quòd ſolus ille, qui iudicat opinionem probabilem eſſe veram, poteſt illā ſequi cōtra probabiliorem: quem loquendi modū poſſet ille meritò carpere cum Homen, de quo *n.460.* nā opinio quę alicui eſt vera, etiā eſt eidē probabilior.

P. Palaus. Baſſæus.

Contraria ſtatuitur.

469. Oppoſitum eſt à nobis ſtabilitum à *n.43.* vbi & Doctores ſuffragantes adduximus, ex quibus multos congerit P. Mendus *in ſtatera Diſſert. 13.n.198.* eoſdem ſecutus. Id autem etiā admittendum duximus quando circa falſitatem alienę opinionis perſeuerat aſſenſus, quod & idem Auctor tenet laudatis pro eo Dominico Soto, Mercado, Vincentio Candido, Machado, Diana, Verricelli, & Ioanne Henriquez. Cùm ſint, qui mediam tenentes ſententiam dicant poſſe alienam teneri ſententiam, dummodò falſa non reputetur, dum ad operationem applicatur. Sic cum PP. Vaſquez, & Valentia, & etiam cum Auerſa P. Bardi *de Conſcientia Diſc.6. Cap.10.* ſicut qui cenſeant affirmatiuam ſententiam habere locū in ijs, quæ non verſentur circa ius naturæ, ex abſurdo principio, quòd in talibus ignorantia neminē poſſit excuſare. Ex quibus Sinnichius apud P. Scildere loco nuper adducto. Sed illius iam argumenta videamus; arguit enim.

1. Citati auctoris refellitur.

470. Primò, Quia, vt omnes admittunt, is qui opinatur actum eſſe materialiter malum, & nihil ſcit de opinione aliorum contraria, nō poteſt formare iudicium practicum quòd abſq; peccato formali illum poſiturus ſit: ergo neque ille qui ſcit alios iudicare illum eſſe licitū. Conſequentia probatur: Quia non obſtante notitia dicta, iudicat ſaltem virtualiter opinionem alienam eſſe falſam. Opinio autem aliorum, quam quis iudicat eſſe falſam, nō magis poteſt mouere, quàm ignorata, cùm auctoritas aliena tantùm poſſit eſſe motiuum, in quantùm pręſumitur niſi rationi veræ, & pręſumptioni rationis verę locus non ſit, vbi illa iudicatur eſſe falſa. Quod declaratur & roboratur exemplis. Nam dominus meritò offenderetur erga ſeruum, qui opinatiuè iudicans ſibi aliquid eſſe interdictum, ob auctoritatem aliorum id neganti ū, quibus ipſe non crederet, practicè concluſiſſet ſe non eſſe offenſurum formaliter dominum prohibitionem illam tranſgrediendo, & ſic eam fuiſſet tranſgreſſus. Item, imprudenter etiam in negotijs ſuis priuatus

priuatus cenſeretur agere homo quiuis, qui contra opinionem ſuam ſequitur iudicium aliorum, quos errare iudicat. Ergo ſimiliter in caſu, de quo agimus, eſt dicendum.

Illius ſoluitur, eiusq; verba declarata.

471. Reſpondetur conceſſo Antecedenti negando Conſequentiam, & ad probationem negādum eſt notitiam opinionis aliorum non obſtare, & non poſſe plus mouere cognitam, quàm ignoratam. Licet enim, cenſeatur falſa, locum habere poteſt aliena auctoritas & præſumptio, quòd nitatur ratione vera: quia reuera ita poteſt accidere, vt ſcilicet vera opinio ſit. Et quidem negari nequit non ita ſe res habere quando ignoratur opinio, & quando illius habetur notitia: quando enim ignoratur, nulla eſt formido in aſſenſu; quæ tamen quando notitia interuenit, eſt manifeſta. Aliquid ergo operatur auctoritas, & non quatenus falſo innixa, & ita vt vero aliqualiter apprehenſo. Neque exempla vrgent. In primo enim credibile eſt dominum ægrè laturum modum illum agendi in ſeruo, quia temporales domini volunt ſibi ad nutum obſequia præſtari, nec rationes illas, quibus actiones poſſunt honeſtari, perpendunt. Si tamen ſint qui earum fieri capaces velint, immeritò ſe offenſos conquerentur, cùm non ſine ratione & auctoritate actum recognoſcant. Prætereà, ſi ex tali agendi modo notabile ſit domino futurum incommodum, nullo modo eſt approbādus, niſi in ſerui notabile commodum poſſit redundare, quia eo pacto recuperare poteſt libertatem, aut vitæ ac ſaluti prouidere. In ſecundo autem exemplo imprudenter quidem aget, qui in negotijs ſuis opinionem alienam ſequitur, quos errare iudicat, ſi commodum inde nullum ipſi proueniat: ſi autem ſecus accidat, minimè eſt imprudens iudicandus, pro quo *inferius* exempla ſuccurrent.

1. Ex eo quod opinio aliena non poſſit eſſe regula operationis.

472. Secundo arguit. Habens opinionem probabilem quòd actus ſit materialiter licitus, ſequi opinionem ſuam poteſt, etiam ſi alij iudicent illum eſſe peccaminoſum: eo quòd propria opinio cuique ſit regula, iuxta quam procedere poteſt, non autem aliena, quam iudicat falſam. Ergo viciſſim opinans actum eſſe malum non poteſt ob opinionem aliorum arbitrantium eſſe licitum formare conſcientiam permittentem, quòd non ſit peccatum formaliter eum ponendo: debet enim eiuſdem eſſe incommodum, cuius eſt commodum. Vrget, quia hoc modo rectè ſeruatur illud axioma: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Ille enim qui opinatur gabellas eſſe iuſtas, adeoque ſi illas conduxerit, poſſe ab alijs ſe eas exigere; viciſſim concludit ſe illas alteri conductori debere ſoluere, neque ſolutas ſe poſſe tamquam indebitas per compenſationem occultam retinere. Oppoſitum autem fit in contraria aliorum: permittit enim vt conductor gabellarum, quas opinatur eſſe iuſtas, poſſit illas exigere: & tamē ſi alij opinentur eſſe iniuſtas, poſſit eas licitè non ſoluere alteri conductori: immò ſi ſoluerit, eaſdem tamquam indebitè ſolutas repetere per compenſationem occultam. Similiter permittit vt læſus in fama, quæ reſtitui nequit, iuxta opinionem probabilem exigat, aut ſaltem accipiat pecuniam in compenſationem infamiæ: & tamen quando ipſe alium iniuſtè infamauit, famamque ablatam reſtituere nequit, iuxta oppoſitam opinionem probabilem, nullam pecuniam in compenſationem infamiæ ſoluat.

Fit ſatis expoſito communi axiomate, eius eſt incommodum cuius eſt commodum.

473. Reſpondeo conceſſo Antecedenti negando Conſequentiam, & ad probationem dico eiuſdem eſſe incommodum, cuius eſt commodum: quia ſicut ſequens opinionem aliorum, ex eo commodum reportare poteſt cum incommodo ſæpiùs aliorum; ita alij ſimili agendi modo contra eum ſe gerere poſſunt, & nihil meæ opinionis auctoritatem curantes, ſecundùm aliam agere, vel etiam iuxta meam, licet eam falſam arbitrentur. Vnde axioma dictum optimè ſaluari poteſt: quia ſequens alienam opinionem ſibi abſolute non vult, quod alteri facit: nam reuera contentus eſſe debet, vt quod ipſe erga alios facit, ſecum alij faciant. Vt in exemplis adductis, in quibus P. Bardi nullum reperit inconueniens, & ita concedit quod pro abſurdo ab arguente traducitur *Diſt.4. Cap.14.* & illud quidem *Quod tibi non vis*, ita eſt intelligendum, vt non de diſplicentia actuali, ſed de legali aut iuridica veniat accipiendum, vt ſit ſermo. Quod tibi ab alijs fieri penitus nequit, ſi iuſtè agendum ſit, impedire, alijs ne feceris. Nam certum eſt nemini abſolutè placere vt alij opinionibus, ſiue proprijs, ſiue alienis vtentes, ſibi incommoda inferant: ſi autem ipſi eodem modo agant, impedire nequeunt. Vnde iam quod ſibi volunt modo dicto, alteri faciunt, & non quod ſibi ab alijs fieri volunt. Licet autem hoc ſuſtineri poſſit: addendum tamen non eſſe neceſſarium id admitti in caſibus prædictis & ſimilibus ob diſſonantiam, quæ in huiuſmodi inæqualitate conſpicitur, & principium illud in omnium perſuaſione magiſterio naturæ defixum: vt ſicut in ſententia negante obligationem ſequendi tutiorem partem, quam Auctor, cum quo verſamur, amplectitur, vt vidimus *ſuperius*, ſuas ipſe exceptiones, ſicut & alij Auctores, apponit: ſicut etiam qui præſentem negant vſui eſſe poſſe, quando ex ea prępcepti alicuius obligatio eluditur, vt in caſu illo de diuerſis horologijs, quamuis & in eo ſint qui illam admittere, vt & comedant, & Euchariſtiam ſumant, minimè vereantur. de quo & *infrà*.

P. Bardi.

Axioma Quod tibi non vis, *explicatum caſuum aliquorum reſolutione.*

3. Ex Sectarijs, qui aliena poſſunt opinione iuuari.

Tertiò ex abſurdo. Quia ex oppoſito ſequitur quòd ſectarius credens omnia neceſſaria ad ſalutem, licet opinetur eſſe peccatum materiale non credere puncta alia fidei Chriſtianæ, poſſit tamen ob auctoritatem Lutheranorum, Caluiniſtarum, Huſſitarum, inter quos viri etiam docti reperiuntur numero magno, formare ſibi rectè conſcientiam quòd non peccabit formaliter non credendo illa puncta, neque præcepta Eccleſiæ obſeruando. Per conſequens talis non peccabit formaliter, licet nolit credere alia, quàm neceſſaria neceſſitate medij, præſertim ſi credat in genere omnia, quæ Deus reuelauit, firmans ſibi conſcientiam ob auctoritatem heterodoxorum, quòd non ſit peccatum illa in particulari non inquirere: ſicut quando agitur, de aſſenſu dando reuelationi priuatæ non propoſitæ ab Eccleſia, aduerſarij docent eum qui propter rationes intrinſecas iudicat ſe debere intellectui imperare aſſenſum fidei, poſſe propter auctoritatem aliorum negantium illam obligationem practicè reſoluere ſe non teneri credere. Sic arguit ille, addens nonnulla, quæ vim argumento non tollunt, id inquam quod tradunt omnes;

omnes, & præsertim Ledesma, Bañez, & PP. Layman & Sancius, scilicet quòd in materia fidei ab Ecclesia propositæ; non liceat pro formanda conscientia de assensu suspendendo vel non eliciendo, sequi opinionem probabilem contrà probabiliorem. Quod quidem cùm ita sit in quæstione præsenti, ac resolutione, quam prosequimur, erit hæc inter alias, de quibus nuper loquebamur exceptio. Iam ad argumentum.

Satis sit negando apud Sectarios suorum dogmatum probabilitatem haberi. Vbi scitu digna doctrina.

475. Responsio est facilis, licet vti non leue illud multipliciter vrgeatur. Nego igitur quod infertur, ratione reddita manifesta. Nam talis Sectarius credens quæ necessaria sunt ad salutem, opinatur peccatum esse mortale non credere omnia, quæ ab Ecclesia proponuntur: ergo recognoscit illius auctoritatem circa omnia, quæ in materia fidei proponit aut præcipit. Atqui illa Lutherum, Caluinum, & capita alia hæreticarum nouitatum cùm assecclis omnibus exauthorauit, & falsos testes pronuntiare non definit: ergo nequeunt illi probabilem opinionem constituere, & ita neque vt illius auctores haberi, neque ad eosdem tamquàm appellationis iudices in negotio fidei prouocari. Vbi nequit dici posse illos aliunde auctoritatem sufficientem præferre, quia illi eiusdem farinæ erunt, qui auctoritatem conciliare possunt, & ex genere ab Ecclesia reprobato. Nec dici potest eorum assertiones posse ab intrinseco esse tales, quia Sectarius, de quo loquimur, credit, vt dicitur, probabiliter non esse tales, quia sic iudicat Ecclesia, cum qua absolutè sensit, vnde consequenter debet assertiones oppositas improbabiles iudicare, & consequenter nequit, nisi valde imprudenter, eisdem assentiri. Quod quidem non accidit in aliarum opinionum genere, nam qui vnam amplectitur, & prætereà alteri ab alijs assertæ se accommodat, ideò est quia prior alterius probabilitatem non negat, vnde & cum formidine præstatur assensus. Præterea ad intrinsecam probabilitatem confugere, est iam argumento proposito non insistere, in quo ex hæresiarcharum auctoritate, vidimus, instructam rationem. Aliter respondent: alij, contra quos suæ fiunt instantiæ.

Instantia ex eo quòd auctoritas Ecclesiæ necessariò non debeat credi ab eo, qui credit necessaria, ad salutem.

476. Sed vrgeri ex eiusdem Auctoris discursu potest: Nam is qui credit necessaria ad salutem necessitate medij, & aliàs opinans esse peccatum alia fidei mysteria non credere, non est necessarium, vt id ita existimet, quòd Ecclesiæ auctoritatem vereatur, sed quia ex motiuis alijs, vt quia in Scriptura probabiliter continentur, vel traditione aliqua, aut Sanctorum Patrum auctoritate: quo euentu cessat id, quod de auctoritatis Ecclesiæ efficacia in ordine ad effectum præfatum dicebamus. Poterit ergo tunc Sectarius opinionem quamplurium heterodoxorum amplecti, cui per Ecclesiæ auctoritatē, quam non agnoscit, detractum non est, sicut neque intrinsecæ probabilitati, cùm ab hæreticis multæ contra plura fidei mysteria soleant afferri rationes. Sed verò neque hoc vrget: Nam cùm Sectarius hic dicitur credere opinatiuè omnia alia puncta fidei præter necessaria ad salutem necessitate medij, inter illa Ecclesiæ auctoritatem debet agnoscere, & proinde improbabile esse quidquid ab illa fuerit reprobatum: atque ita non potest illud vt probabile amplecti. Si verò dicatur posse contingere vt præter dicta ad salutem necessaria non credat opinatiuè omnia alia, & ita neque auctoritatem Ecclesiæ: id certè in argumento non extat: sed si quis ita vrgeat, dicendum sententias illas hæreticorum non posse vt probabiles opiniones assumi, sed vt errores, aut valde de veritate suspectas, vt nequeat quis negotium salutis suæ iuxta easdem actitare. Quod quidem argumento manifesto conuincitur. Nam iste dicitur Ecclesiæ non credere, in qua tot sunt motiua credulitatis, Sanctissimorum & sapientissimorum Doctorum in Concilijs, & extra illa vniformis assensus. Atqui in hæresiarchis, nihil tale inuenire possunt, quos neque vita, nec doctrina commendant, ergo si eorum assentiuntur placitis, errare cum eisdem volunt, & cœci cœcorum ducum deliria sequi, vt in æternæ perditionis foueam corruant, vbi iam resipiscentiæ locus non sit, oculos aperturi.

Discussa illa, & assertio roborata.

Præcepta diuina ex quibus possint hæretici materiales.

477. Si dicas ex eôdem esse hæreticos materiales posse, qui scilicet inter hæreticos nati magistris Sectarijs per ignorantiam adhæresc unt. Id quidem vt demus, nihil in casu nostro promouet argumentum: Nam inter hæreticos natos & educatos ignorantia excusare potest, dum ea, quæ ad fidem spectant non expendunt, & vulgares homines cùm sint, bona circa hæc fide procedunt. At isti qui circa credenda modo prædicto se gerunt, & de necessarijs necessitate medij ac non necessarijs eo necessitatis modo discrimen agnoscunt, & in ordine ad ista volunt se hæresiarcharum probabili, vt dicunt, opinione tueri, ingenioſi homines sunt, & Ecclesiæ, nec non magisterij doctorum suorum notitiam habentes: vnde non possunt non discrimen dictum inter auctoritatem & auctoritatem, Ecclesiæ & Synagogæ Satanæ dignoscere, & ita fateri, si velint vera nuntiare. Negotium quidem hoc alienam opinionem sequendi, quia probabilem, cùm quis oppositam vt veram amplectatur, non quorumcumque est, sed eorum, qui in rebus moralibus sunt versati. Ex quo fit idem potiori ratione dicendum in caussa fidei, quam Sectarij cum prædicta discriminatione pertractant. Neque enim illi per ignorantiam excusari possunt, cùm se oculatissimos iactent, & plus videre quàm Ecclesiæ Patres, Concilia, & totus Theologorum chorus iam inde ab Ecclesiæ ipsius exordio viderint & sic accipiendum quod D. Thomas habet *Quodlib.* 3. *arti.* 10. vbi sic ait: *Nullus excusatur, si sequatur opinionem erroneam alicuius magistri.* Quod intelligendum censent aliqui de eo, qui ex ignorantia vincibili & culpabili talem sequitur opinionem; & explicari etiam potest de eo, qui magistri potest agnoscere qualitates, quia obuiæ illæ sunt: tali enim cùm iuxta proprium cerebrum loquitur, & præsertim quæ magni esse momenti in materia fidei possunt, neutiquàm est credendum.

D. Thom.

Vrgentia, ex eo quòd hæreticus possit elicere actum amoris Dei, & omnia cum fructu Sacramenta recipere.

478. Vlteriùs vrgeri ex eodem potest: Nam iuxta opinionem, quam defendimus, stare potest vt negans, aut non admittens omnia puncta fidei Christianæ, velit & possit elicere actum amoris Dei, item Sacramenta omnia sumere à Sacerdotibus Catholicis tamquàm remedia fortè iustificatiua: dicere enim posset non peccaturum se formaliter non admittendo explicitè omnia puncta fidei Catholicæ, cùm sequatur opinionem millium

lium heterodoxorum dicentium illud non esse peccatum. Nec etiam se inualidè susceptur ū Sacramenta, si dentur: cùm fides Ecclesię Catholicę aut Sacramentorum non sit necessaria ad valorem Sacramenti, vt patet in Baptismo passiuo hæreticorum. Immò etiam illa se susceptur um cum fructu, æquè ac Catholici recipiunt, eo quòd explicita fides Ecclesiæ, aut Sacramentorum, non sit necessaria ad effectum Sacramenti, cùm hoc operetur in non habentibus obicem, etiam in illis, qui ex ignorantia inuincibili sunt tantùm materiales hæretici, quibus se similem esse dicet, cùm non magis peccet fidem Catholicam non amplectendo, quàm materiales hæretici. Addere posset hoc etiam habere locum in Sacramento Confessionis, quod ad valorem & fructum non requirit fidem Sacramenti, sed tantùm fidem supernaturalem Dei, vt contritio vel attritio possit esse supernaturalis. Vnde materialis hæreticus, qui tantùm haberet actum opinionis, & non fidei supernaturalis de Sacramento Confessionis, illudque peteret etiam ex affectu venialiter malo, v. g. vanæ gloriæ, consequeretur illius fructum, si contritionem vel attritionem supernaturalem Sacramento coniungeret. Nec refert quòd materialis hæreticus habeat in voto fidem Catholicam, in quantùm vult vitare omnia, quibus Deus formaliter offenditur: talis enim dicet idem in se habere locum, cùm non peccet sequendo opinionem alienam probabilem, & is qui actu non peccat, possit habere contritionem vniuersalem. Quæ omnia potiori de Schismaticis ratione dicenda, qui omnia Sacramenta validè recipiunt, præter Confessionem, quod tamen, si verè doleant, validè recipient in articulo mortis, in quo quiuis Sacerdos, saltim si antecedenter iurisdictionem habens non adsit, illam accipit vt possit absoluere.

Discursus elicitur, & ostenditur hæreticus in caussis Religionis testes esse non posse, nec suis placitis probabilitatem conciliare.

479. In quo discursu, vt vno verbo consequentiarum omnium efficaciam, si qua est ipsi, penitus elidamus, iuxta nuper dicta occurrendum est & dicendum apud hæreticos non esse opiniones probabiles, ad quas esse recursus possit, sunt enim testes omni exceptione minores, licet per myriadas numerentur. Cùm enim Lutherani vnum sectentur Lutherum, vnum Caluinum Caluinistæ, & sic alij, in quorum verba iurarunt, omnis eorum auctoritas inde venit, neque ex impuris fontibus potest in riuulos Christianæ veritatis puritas deriuari. Omnis sic errantium est venenata doctrina, & si aliquis inter ipsos deprehendatur sciolus, & etiam non vulgariter eruditus, in principali deficit: Lutheranus est, Caluinista est, Zuinglianus est, Anabaptista est, Hussita &c. nec curandi magis quam milleni Turcæ, Mauri, Arabes, & alij, quos non posse opiniones probabiles in materia fidei constituere, est omni sensum habenti compertum, & hæc cùm ita se habeant, alia quæ in argumento congeruntur, non multùm videntur curanda, licet aliàs difficilem doctrinam videantur continere. Non quidem vt hæreticorum illationes sunt, sententia vtentium, quam defendimus, sed quatenus admittendum in aliquibus affirmatur.

Hæretici quorum Sacramentorum sint capaces.

480. Et quidem Sacramentum nullum præter passiuum Baptismum in hęreticis vim aliquam habere citatus Auctor insinuat, quatenus illud solum excipit; & meritò, si de hæreticis sit sermo iuxta proprias sectas viuentibus, neque in eas ex Catholicismo prolapsis: ij enim si Sacerdotes, si Episcopi, consecrare Eucharistiam poterunt, ordinare Clericos, in articulo mortis absoluere, si in prioribus congruam materiam & formam adhibeant, & in vltimo ex parte morituri omnia necessaria pro Sacramenti susceptione concurrant. De Græcis Schismaticis quæstio specialis est, de qua alibi. De Matrimonio autem potest dubitari in casu, in quo ex coniugibus vnus Catholicus est, quem cum hæretico posse validè contrahere communis resolutio Doctorum est, ex quibus plurimos congerit P. Thomas Sancius *Lib.* 7. *de Matrimonio Disput.* 72. & verò si eius intentio sit faciendi quòd facit Ecclesia, non videtur posse dubitari respectu illius esse Sacramentum, & ita tradit cum S. Thoma & Patre Henriquez citatus Scriptor *supra Lib.* 2. *Disp.* 10. *n.* 6. qui & poterat P. Suariū pro eôdem allegare ipso loco ab eodem allegato proximæ citationis. Difficultas autem esse potest, si Sacramentum esse neget, vt, communiter tales negant, & consequenter nolit Sacramentum recipere, sed humanum contractum celebrare. In quo iuxta oppositas Doctorum sententias responderi potest. Quidam enim existimant rationem Sacramenti ita esse coniugio Christianorum annexam, vt eo ipso quòd contrahere legitimè velint, conficiant Sacramentum. Quod si contingeret velle rationem Sacramenti à contractu excludere, ipse contractus esset nullus. Sic P. Sancius *Disp.* 10. *citata*, cum P. Suario, & Ledesma, ex quibus prior nihil tale absolutè determinat, sed ait alterius esse consideranti an Matrimonium sit tunc validum in ratione contractus. Idem tenent P. Layman *Lib.* 5. *Tract.* 10. *Parte* 2. *Cap.* 2. *nu.* 2. P. Coninck *de Sacramentis Disput.* 24. *Dub.* 1. *Conclus.* 4. & alij. Contrarium autem tenent P. Vasquez, P. Rebellus, Basilius Poncius & Villalobos, quos adducit & sequitur Diana *Parte* 3. *Tract.* 4. *Resol.* 255. & alij nonnulli. Et hoc quidem videtur vsus receptissimus comprobare: Nam, vt scribit P. Sancius *Disput.* 52. *citata n.* 5. in locis, in quibus hæretici non denuntiati, nec notorij Clericorum percussores Catholicis permixti degunt, vt in Germania, Gallia, Polonia, ex consuetudine recepta & tolerata licent coniugia Catholicæ personæ cum hæretica, dummodo Catholica liberè permittatur, & absque peruersionis periculo, in fide permanere. Quia ea coniugia ineuntur instar aliorum contractuum ciuilium, ob amicitiæ leges, & ad communem pacem ac Reipublicæ auctoritatem tuendam. Sic ille habet, ex quo videtur non obscurè deduci coniugia talia rationem tantùm ciuilium contractuum habere, & ita rationes illas esse separabiles.

Circa matrimonium specialis difficultas.

Ratio Sacramenti an possit à ratione contractus excludi.

P. Sancius.

481. Vbi tamen obstari potest ex eo, quod idem Pater affirmat *ibidem nu.* 2. Matrimonium scilicet vt sit Sacramentum solùm exigere paritatem Baptismi susceptī ab vtroque contrahente, quamuis sit in fidei professione disparitas. Per quod videtur haberi, rationem Sacramenti ad vtrumque contrahentem spectare. Atqui hoc aliunde videtur repugnare, ex eo scilicet quòd hæreticus coniux nolit Sacramentalem contractum celebrare: quod quidem præsumi meritò potest in

Paritas Baptismi an sola sufficiat.

Ecclesiæ iuratis hostibus, vt scilicet non eo modo contrahant, quem nuper difficultate carere dicebamus, vt scilicet velint facere quod facit Ecclesia, errore tamen circa dogma illud Catholicum persistente. Licet stare possit, vt etiam si nolit facere quod facit Ecclesia, velit tamen id assecurare, & facere quantùm ad securitatem potest. Quo euentu Sacramentum efficere obseruat P.Gaspar Hurtadus *Tract.1. de Sacramentis Disput.4.Difficult.4.§. obseruandum est.* Sed neque hoc de omnibus præsumi potest, vnde dubium perseuerat. Videtur igitur communi persuasione, & Ecclesiæ ipsius concessione firmatum coniugia prædicta vt ciuiles contractus sustineri, etiam si non habeant excellentiam Sacramenti. Neque enim videtur dici posse respectu coniugis Catholici vim Sacramenti habere, iuxta dicta ex P.Sancio: nam ipse *Lib.2.Disput.8.* inquirens an coniugium fidelis cum infideli ex dispensatione Pontificis celebratum, sit Sacramentum, contra Sotum dicentem esse Sacramentum ex parte fidelis coniugis, & contra Eckium asserentem, dum alter ex fidelibus coniugatis conuertitur, resultare ex parte huius rationem Sacramenti, quod ei gratiam confert: resultoriè decernit ex parte neutrius esse Sacramentum; quia Matrimonium in vtroque coniuge est vnum numero Sacramentum, sicut est vnum numero Matrimonium: & ita si in vno non est Sacramentum, neque erit in alio: pro quo Angles & Patrem Henriquez adducit. Iuxta quę videtur idem in casu nostro dicendum, vt scilicet nolente hæretico ita contrahere, vt Sacramentum in tali contractu resultet, neque Sacramentum, neque coniugium erit.

Quæ intento in hæretico sit sufficiens. P Gaspar Hurtadus.

In matrimonio fidelis cum infideli an ratio Sacramenti.

182. Cùm autem eodem Patre teste Matrimonia cum hæreticis in partibus hæresi infectis à Catholicis celebrentur, & ea condemnanda non sint, videtur proculdubio asserendum illa vt ciuiles contractus valere contra eumdem; vel etiam dicendum ex parte coniugis Catholici verum Sacramentum stare, ne dicamus tot, Sic salua religione coniunctos, & in ijs regionibus, vbi maioribus gratiæ præsidijs opus est, & peculiares pro coniugijs talibus occasiones prolapsionis occurrunt, tot Sacramentali gratia destitui. Itaque dici potest, licet Matrimonium & Sacramentum sit vnum numero, habere tamen diuersitatem aliquam ex diuerso modo contrahendi, non variata eius formali ratione, ob impedimentum contrahentium. Matrimonium igitur & Sacramentum est vnum numero quando ex parte coniugis vtriusque nihil obstat ad illius integritatem, & est vnum numero, cùm ex parte alterutrius est quod obstet quidquam. Neque enim dici potest absolutè loquendo Matrimonium esse vnum numero, cùm pro contrahentium numero sit certum multiplicari, & pro explicatione adduci potest Sacramentum Eucharistiæ, quod vnum numero est integrè & perfectè in vtraque specie confectum: quod & in vno tantum perfici & consistere potest, & vnum etiam numero esse, & absolutè Sacramentum: vnde qui sub vna tantùm specie communicant, Sacramentum absolutè dicuntur recipere, sicut & adorare, qui in altari constitutum venerantur. De quo hæc adnotasse, non leuis operæ pretium fuerit, occasione, ex dictis ab Auctore, cuius peculiaria argumenta enodamus, accepta.

In hæreticis quale illud, & quomodo, matrimonium sit vnum.

483. Illud iam in argumento, circa quod versamur, difficile occurrit, quod de fide non necessaria ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ speciaIiter asseritur, & conferendum illud materiali hæretico, qui tantùm haberet actum opinionis, & non actum fidei supernaturalis de ipso Sacramento. In quo quidem casu accidere diuerso modo potest, vel petente tali Sacramentalem absolutionem, nulla de credulitatis suæ conditione Confessario impartita notitia, vel eòdem facto certiore, & in hoc vltimo non accedit capax absolutionis, siquidem Confessarius admonere ipsum debet de errore suo, in quo si velit persistere, iam non est in bona fide. Nec dici potest Confessarium teneri se accommodare opinioni probabili pœnitentis, iuxta receptissimam sententiam, quia reuera in illo opinio probabilis non est, sed manifestus error in fide: & licet ille materialis tantùm hæreticus fuerit propter ignorantiam inuincibilem, hæc iam cessat accedente magisterio, cui se committit instruendum, & Catholicæ Ecclesiæ doctrinam exponit, cui nequeat hæreticalis præsumptio coæquari. Si autem priori modo accedat, neque tunc est capax absolutionis, quia neque supernaturalis doloris capax est, qui dari nequit, nisi per motiua à fide proposita. Si autem dicatur posse quidem talia motiua consistere, & consequenter fides, sed non quæ circa Confessionis versetur Sacramentum, vt in argumento contenditur. Contra est. Nam dolor talis applicatur vt materia necessaria Confessionis: putat enim sic accedens, licet probabiliter, vt dicitur, ita esse: Atqui applicari nequit, nisi ab ea cognitione, quæ illius est radix, & cui cum proportione respondet: hæc autem est fides; cui tamen talis applicatio repugnat; vt scilicet erroneum actum, & ipsi fidei obiectiuè contrarium dirigat, quo talis hæreticus de Catholicæ fidei assertione formidat, & cum tali formidine Sacramentum pergit accipere. In quo fidei non solùm est contraria assertio negans mysteria ab Ecclesia proposita, sed quæ probabili tantùm motiuo subsistit, quia eiusdem certitudini aduersatur, dubium, & si probabile importans, quod qui scienter admittit, hæreticus est; dum scilicet non solùm dubitat, sed etiam tantùm esse probabiles veritates ab Ecclesia propositas asseuerat, quidquid de solo dubio sit, iuxta diuersas Doctorum sententias & explicationes *Cap.1. de hæreticis*, in quo statuitur dubium in fide infidelem esse. Pro quo Auctores consulendi, quos adducit Diana *Parte 1. Tract. 16.Resol.31. & Parte 11.Tract.8.Resol.47.* & quæ à nobis dicta *n.168. & seqq.*

Fides omnino necessaria in Sacramento Pœnitentiæ.

Cap.1. de hæreticis.

484. Nec potest in patrocinium præfatæ positionis adsciscì id, quod graues Scriptores affirmant, scilicet actum fidei non esse necessarium ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, contra P. Gasparem Hurtadum, qui *Tomo 1. de Sacramentis Disput.6. Difficult.8.* affirmat Sacramentum Pœnitentiæ non solum posse esse informe ex defectu doloris, sed etiam ex defectu fidei ac spei veniæ peccatorum, quia recipi potest validè absque nouo actu fidei diuinæ Dei iustificatoris, & absque nouo actu spei veniæ, & absque eis perseuerantibus actu post aliud Sacramentum Pœnitentiæ priùs susceptum, & tamen sic susceptum non conferre

An actuale, circa quod diuersitas opinionum. P.Gaspari Hurtadus.

conferre gratiam, quia quoties nouiter recipitur, requiritur tanquam noua dispositio actus spei veniæ, quamuis non sit necessarium quòd hi actus sint quando Sacramentum recipitur, sed sufficiat quod præcesserint, & non sint reuocati. Quod autem Sacramentum Pœnitentiæ possit valide recipi absque eis actibus nouiter elicitis, & absque eis actu perseuerantibus post aliud Sacramentum Pœnitentiæ ritè susceptum, constat, quia ex sua parte isti actus non sunt partes essentiales Sacramenti Pœnitentiæ, nec sunt intentio recipiendi illud vt Sacramentum; & ex altera potest recipi absque illis non peccando mortaliter in eorum omissione, si recipiatur absque illis ex ignorantia, aut cum ignorantia inuincibili, vel ex incõsideratione naturali necessitatis eorum ad effectum Sacramenti. Cum inquam hic Scriptor ita sentiat, contra eum insurgunt alij, ex quibus Leander de Sacramento *Tract.5.Disput.1. Quæs.49.* & P. Escobar de Mendoza *Tomo 2 moralium Problematum Lib. 14. sect. 2. Problem. 19.* dicentes ex defectu actus fidei ac spei non dari Sacramentum informe, quia peccator ad illud accedens, aut id cum contritionis actu præstat, aut sine illo: si cum expresso: ergo cum actu fidei ac spei implicito in illo contento: at hoc sufficit vt Sacramentum tale non solùm sit validum, sed etiam formatum. Si verò accedit sine dolore, omnino erit inualidum: quia neque dolor est; neque fidei ac spei actus impliciti, cùm nihil sit, in quo talis esse continentia queat. Quod quidem praxis sapientium ac proborum, qui in timore & tremore, iuxta D.Petri monitum, salutem suam operantur, videtur comprobare, qui ad Sacramenti huius cùm se præparant receptionem, de eliciendis actibus prædictis non sunt soliciti, aut se de omissione illorum accusant: neque Confessarij docti, & de sui muneris adimpletione solertes, curam circa illos peculiarem adhibent, nisi fortè ad maioris meriti, & melioris dispositionis augmentum de omissione in ante actis Confessionibus neutiquàm perquirentes.

Leander à SS. Sacram. P.Escobar.

Ex negante nullum pro hæreticorum Confessione præsidium.

485. Non inquam potest hoc in patrocinium præfatæ illius positionis adsciscì; nam, vt vidimus, qui actum fidei expressum non esse necessarium dicunt, implicitum requirunt; quod quidem in casu illo eius, qui iuxta opinionem sibi probabilem confitetur, non est inuenire, cùm absolutè careat fide, & in nulla Sacramenti receptione expressum actum præmiserit. Præterquàm quòd hoc quod de actu fidei implicito dicitur, non ita accipiendum est, vt in actu doloris ad Sacramentum sufficientis includatur, quia reuera ita non accidit, cùm actus intellectus in voluntatis actu non includatur: sed quia est illius effectus, & inefficax signum, ex quo deduci necessaria consequentia potest: ita vt etiam si non ita expresè percipiatur, nequeat de illius existentia dubitari: quia nihil volitum quin præcognitum, & quidem iuxta voliti conditionem debet esse qualitas cognitionis, & cùm dolor supernaturalis esse debeat, vt admittitur, nullo id pacto explicari potest, nisi quia motiuum aliquod supernaturale interuenit, & ita propositio eiusdem generis necessaria est, & consequenter fidei. Quemadmodùm cùm quis Eucharistiam adorat, fidei actum exercet, nec tamen expresè relucet inadorante, quia ex vsu id præstat; cùm tamen adoratio talis illum necessariò supponat, vtpotè Catholici adorantis *in spiritu & veritate* Ioan.4.

486. Et ex præfatis quidem non solum habetur necessariam esse fidem ad Sacramenti valorem & effectum, sed fidem etiam ipsius Sacramenti Pœnitentiæ, vt scilicet credat quis per illud peccata remitti, quia Sacramentum hoc institutum est vt medium necessarium ad iustificationem per se loquendo, vt est dogma indubitatum: Atqui iustificatio necessariò requirit fidem, vt ex Apostoli doctrina inter fidei veritates Ecclesia profitetur. Rom.5.v.1.& 2. *Iustificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum IESVM Christum: per quem & habemus accessum per fidem in gratiam istam, in qua stamus.* Quod quidem hæretici non negant; immò plusquàm oportet fidei tribuunt illorum principes, volentes illam ad iustificationem & gloriam sufficere. Si ergo Sacramentum Pœnitentiæ hoc est obtinendum, sequitur credendum esse consequenter illud esse medium à Christo ad effectum talem institutum. Neque enim dici potest in eo, qui opinionem tantùm de illo habet, iustificationem inueniri posse, quia reuera in illo præcessit: nam cùm ille non cooperatur aut influat in Sacramentum, aut illius receptionem, valde per accidens se habet; cùm tamen necessariò debeat influere, quandoquidem iuxta Apostoli doctrinam ex fide iustificatio contingat, & accessus ad Deum per gratiam iustificantem media eâdem habeatur.

Fides Sacramenti ipsius necessaria est.

Rom.1. v.1. & 2.

487. Nec sufficit si dicatur fidem influere, non quatenus per illam creditur Pœnitentiæ Sacramentum reuera à Christo institutum, sed quatenus agnoscitur Christus nostræ salutis Auctor quandocumque illa contingit, & hîc etiam, si verum est Sacramentum: nam reuera hic & nunc non agnoscitur Christus auctor iustificationis, sed probabiliter tantùm, si actu non agnoscitur auctor Sacramenti. Neque verè applicatur fides Christi, vt *superiùs* dicebam, sed quædam instruitur aut idética, aut euidens assertio, scilicet: *Si Christus est auctor huius Sacramenti, vt iustificentur homines, Deus est auctor iustificationis. Vel Christus est auctor iustificationis hominum, & ita si hoc Sacramentum est ab illo institutum in ordine ad illam, Christus est caussa iustificationis in illo.* Vel, *Ego credo in Christum vt caussam iustificationis à peccatis, & si in hoc Sacramento vere illa confertur, vt probabiliter censeo, illius caussam esse credo.* Vbi stante vniuersali affirmatione, circa particularem est euidens consecutio. Præterea sic accedens absolutè assentitur omnibus his propositionibus: *Hoc est Sacramentum à Christo institutum. In hoc Sacramento remittuntur verè peccata. Christus est caussa iustificationis in illo.* In quibus nullus assensus fidei diuinæ exercetur: & ita quod de conditionalibus illis dicebatur, nullius momenti est, quia illa omnia tantùm probabiliter ita esse sibi habet persuasum.

Fidei influxus stare aliter nequit.

488. Omissis nonnullis alijs, quæ circa responsiones quorumdam prædictus Scriptor interserit, de quibus non vacat modò discussionem exactam adhibere, circa rationem præfatam ita concludit, vt conuenientiam pariter ostendat ad errorem quorumdam heterodoxorum penitus euertendum:

Error particularis recentiorum hæreticorum.

dum: cùm aliàs illa ex vi sua intrinseca multùm ponderis habere ipsi videatur. Sunt enim aliqui qui pro maiori securitate conscientiæ, vt aiunt, & cùm in ciuitatibus Catholicis habitent, verosimiliter pro infamia vitanda vellent vti templis, sacris, & Sacramentis Ecclesiæ Catholicæ Romanæ: verùm non omnes illius articulos credere volunt, appellantes se Catholicos cum discretione. A quorum vno se consultum ait, qui cùm fateretur fidem Catholicam esse securiorem Lutherana propter plura media salutis, non posset in corde aliqua puncta Catholicæ Romanæ Ecclesiæ tunc credere, & interim Catholica frequentare mysteria quod iuxta omnes Catholicos est illicitum.

Non obuiari illi opinioni de licita aliena sequela, re tecta.

489. Ad quod quidem in primis responderi potest non videri quemodo hîc applicatur ab heterodoxis sententia illa de licito alienæ opinionis amplexu: nam cùm illi, vt dicunt, pro maiori suæ conscientiæ securitate, & quia Ecclesiæ Romanæ doctrinam securiorem Lutherana, aut Caluiniana existimant, illius vti templis, sacris, & Sacramentis velint, in eo non alienam opinionem sequerentur, sed propriam, cum censeant Ecclesiæ Romanæ doctrinam esse securiorem. Quando autem eis respondetur id non licere, non ideò est quia alienam opinionem non esse fas amplecti eisdem intimatur; sed quia fides Catholica stultam illam nequit admittere discretionem. Deinde cùm ipsi sciant apud Catholicos sententiam illam de licita sequela opinionis alienæ adeò esse receptam, licet vnum aut alium contra sentientem inueniant, ad illam poterunt prouocare. Præterea huiusmodi argumentis arma potiùs eisdem tribuuntur, dum fundamenta illorum ex sequentium auctoritate firmantur, quàm pro re Catholica quidquam, quod momenti sit alicuius, promoueatur. De quo interim hæc satis: nam circa huius generis argumenta inferiùs discursio accurata succedet.

Arguitur 4. ex quæstione facti. Sed fit facti, quia circa ius diuersa est ratio. Cap. Dominus. Cap. Inquisitioni.

490. Quartò arguit. Nam opinans factum aliquod subsistere, v. g. coniugem priorem viuere, non potest sequi opinionem alterius opinantis illum esse mortuum, & sic petere debitum à coniuge secundo, formans conscientiam de licita petitione: Quod negatur in *Cap. Dominus*, de secundis nuptijs. Et in *Cap. Inquisitioni*, de sent. excommun. Vbi sic dubitans dicitur non posse petere, sed reddere debere petenti; scilicet bona fide, adeoque opinanti coniugem priorem obijsse: ergo à fortiori opinans coniugem priorem viuere, non potest sequi opinionem probabilem coniugis præsentis de prioris morte & sic sibi formare conscientiam quod debitum petere possit. Ad quod dicendum in quæstione facti diuersam esse rationem, quia illud ex testium depositione pendet: si quidem vnum alij contrarium dicant, licet vtrique ita vt asserunt rem se habere protestentur, nullius posse testimonium amplecti, quia se inuicem talia testimonia elidunt: in quo omnes conueniunt cum D. Thoma 2. 2. *q.* 70. *arti.* 2. *ad* 2. & est apud Iurisperitos obuium, ex quibus aliquos adducit Bordonus *Tomo* 5. *in Praxi criminali Cap.* 20. *n.* 2.

D. Thom.

In dubio circa matrimonium

491. Quid autem circa prædicta Capita sit dicendum, ex professo discussimus *n.* 72. *& seqq.* & ex ibidem dictis constat etiam in præsenti caussa ineptè adduci: nam in illis non est sermo de opinione probabili, sed de dubio. Item, coniux debitum exigens iure petendi ob possessionem gaudet, & non propter probabilem opinionem, sed quia moraliter certus de illo est, in quo nequit propter dubium alterius vlla ratione turbari, ob rationes, de quibus *citato loco*: coniux autē dubius iure huiusmodi caret, quia possessio eius dubij superuentione turbatur, vnde non est locus sequelæ opinionis alienæ. Quibus addendum opinionem alienam, sicut & propriam aliquando non posse eum, qui agit de operatione complecti, eo quòd, cum sit minus tuta, ex illius complexu grauia incommoda sequerentur, vt *superius est* dictum: quod potest casui præsenti applicari, cùm ex eo sequeretur viuente priori coniuge, vt potest accidere, quandoquidem dubium circa mortem subest, alteri commisceri. Quemadmodùm dubitans an quod in sylua moueri videt, homo sit aut fera, non potest in illud sagittam emittere, etiam si alius probabiliter asserat hominem non esse. Pro quo Auctor idem §. *Deinde etiam* doctos Scriptores adducit.

quid sit intum. Ex ea ineptè illatio in præsenti.

492. Concludit obiectionis cuiusdam solutione, talis scilicet, quòd si non liceat sequi opinionem alienam, sæpè oportebit variare in praxi iuxta opinionem propriam diuersam diuerso tempore formatam conscientiam, ex quo fiet vt contractus initi iuxta vnam opinionem, posteà rescindi debeant propter opinionem aliam posteà conceptam. Ad quod ait id esse admittendum ab ijs, qui dicunt esse illicitum in quæstione facti sequi opinionem alienam contra suam. Ex qua responsione habetur argumentum illud vltimum, de quo, nuper, non vrgere, cùm ex opinione circa factum versante sit desumptum. Esse autem diuersam rationem quando de facto agitur, ex dictis apparet manifestum. Addit non esse id absurdum, & oriri ex imperfectione humani intellectus non satis res suas penetrantis. Ex quo inferre possumus neque absurdum in sequela alienæ opinionis extare: nam cùm facilè contingere possit vt eam faciat propriam, dum iuxta illam operatur, perinde se videtur habere ac si propriam deposuisset, cùm non influat in operationem. Vnde Auctores negantes & affirmantes sic loqui solent: *Nisi priori opinione deposita, etiam non deposita*: clarissimè insinuantes facilem esse depositionē huiusmodi: vnde quod ad morale negotium spectat, non multum videtur inter vtramque opinionem discriminis interesse. Subdit eodem modo omnes admittere debere multos contractus bona fide initos, posteà certò deprehendi nullos, adeoque mutandos. Verè hoc. Sed ex eo fit opiniones alienas non ita reiectandas, vt sequi eas non liceat: quandoquidem contingere potest vt cuadant illæ cursu temporis veriores.

Variatio in praxi ratione diuersa opinionis quale inconueniens.

493. Ait insuper huic oneri commodum aliud opponi, quod scilicet opinans aliquis actum esse materialiter malum, non debeat sequi legem positiuam, siue præceptum Superioris illud imponentis: quod tamen iuxta multos ex aduersarijs sequendum est. Sed certè ex hoc ipso euincitur opinionem à nobis stabilitam eximia probabilitate gaudere, cùm faueat Prælatorum ac gubernatorum auctoritati, & maximè conducat ad tranquillitatem, ac Religiosam obseruantiam, subditorumque laudabilem subiectionem, & ita grauissimi Scriptores pro illa sunt, ex quibus nuper P. Mendus *in statera opinionum Dissertat.* 18. *n.* 234. *& seqq.* Nec solum opinionis nostræ assecla, sed oppositæ, dicentes debere tunc subditum conscientiam propriam deponere. Quod quidem non ita facile est, & ita ex ea parte non succurrit commodum quod possit oneri coæquari, Tandem asserit quod similiter non tenetur stare contractui, quem opinatur sine peccato se adimplere non posse, licet alij opinentur oppositum: quem tamen iuxta sententiam multorum ex aduersarijs implere debet, cùm licitè iuxta ipsos possit. Demus hoc: sed commodo dicto multa accumulantur incommoda, tot scilicet, quot ex illicita opinionis alienæ sequela proueniunt, si verè talis sit: nam cùm opiniones multæ sint, & passim circa illas operandi occasiones occurrant, si eis vti non liceat iuxta modum dictum, pro illarum diuersitate multiplicari incommoda, quis non videat esse compertum? Præterea dici conuenienter potest, commodum illud alia habere incommoda sibi annexa, incertitudinem videlicet stabilitatis contractuum, vnde sic in sua opinione persistens paucos inueniat, qui contrahere cum illo velint: & si id inter contrahere solitos inualescat, non sine boni publici iactura continget, quod ex inoffenso solet commerciorum cursu promoueri. Item, si ego iuxta opinionem propriam contractui stare nolim, multi erunt qui similiter formantes conscientiam, contractibus mecum initis, & valde commodis contradicent. Quale ergo commodum illud?

Mendus.

Sicut & valori contractuum.

Præferenda sententia nostra, quæ plus fauet auctoritati Prælatorum.

Alia eiusdem Scriptoris Assertio, & circa illam non improbanda doctrina.

494. Ic illa §. *Assertio* 2. *Opinans probabiliter non esse aliquod obiectum, quo posito aliquis actus est materialiter malus, adeoque sub peccato cauendus, non potest sequi opinionem contrariam negantem aliorum, nisi in casu, quo Princeps, siue Respublica à fundamento malitiæ validè tollit malitiam actus, obligationemque ab illo abstinendi.* Pro quo esse ait Auctores citatos pro Assertione præcedenti, & thesim ait habere locum inprimis in quæstione iuris, quando quis opinatur legem prohibentem esse latam. Quantumuis enim alij opinentur oppositum, procedere debet ac si esset lata, ideoque inferre quòd actus sit materialiter malus, & conscientiam formare quòd formaliter peccaturus sit actum eum ponendo. Idem est quando quis opinatur latam esse legem irritatiuam contractus, alteriusve actus, & alij opinantur oppositum. Sed quemadmodùm Scriptor hic consequenter sibi videtur loqui ad priorem Assertionem, ita nobis ex opposito præstandum est, prædictis insistendo: licet quod ad quæstionem facti attinet, non penitus obsistamus, & ita admittimus quod cum Bañez, Ioanne Sancio, Ildefonso Baptista, & PP. Suario, Salas, & Francisco de Lugo §. *immediato* subiungit quoad factum, cum subijcienda *inferius* moderatione: & opinionem, ex qua graue tertio sequatur incommodum, iuxta dicta *n.* 491. Probat

Opinans latam esse legem, nequit sequi opinionem negantium, iuxta citatum Scriptorem: cum generali pro alys assertione.

Contrarium statuitur.

1. Ratio pro aduersario qua euertitur.

495. Primò, Quia opinans actum aliquem esse materialiter malum, licet sciat alios tenere oppositum, formare sibi conscientiam debet quod formaliter peccaturus sit actum illum ponendo: Atqui opinans dari legem humanam prohibentem, siue aliquod aliud factum, quo posito actus est materialiter malus, necessitatur ad opinandum actum esse materialiter malum, quando Princeps à fundamento malitiæ non aufert malitiam actus, siue obligationem abstinendi ab eo, siquidem assentitur præmissis, vnde conclusionem, si de illo cogitet, debet inferre. Ergo talis pro conscientia permittente formanda non potest sequi opinionem aliorum. Sed hæc ratio non vrget: negatur enim Maior de necessitate formandæ conscientiæ modo dicto, nisi velit quis iuxta propriam sententiam operari: tunc enim ex præmissis dictis necessaria emergit conclusio; quæ neganda est, sicut & Minor; nisi, vt diximus, iuxta propriam quis pergere velit opinionem.

496. Secundò. Quia nō est ratio disparitatis inter quæstionem iuris & facti: In hac non licet, ergo neque in illa alienam opinionem amplecti. Maior probatur. Ecquid enim mysterij est, quod quando in quæstione facti tres testantur adfuisse solemnitates ad valorem actus requisitas. v. g. in contractu Matrimonij adfuisse Parochum cum testibus, & audiuisse verba, & tres alij negant; is qui contraxit, non possit pro petendo debito sequi illos, qui asserunt, sed tanquàm dubius abstinere debeat à petitione debiti: in quæstione autem iuris quando tres asserunt ciuem Romanum peregrinantem in terris, in quibus Concilium Tridentinum non est promulgatum, posse sine licentia Parochi validè inire Matrimonium; & tres æquè docti id negent; talis peregrinus possit iuxta opinionem priorem, quam ipse opinatur esse falsam, licitè absque Parocho ducere vxorem, ac deinde ab eâdem petere coniugale debitum? Respondeo mysterium in eo consistere quòd in quæstione facti contrarietas testium eorum testimonia prorsus elidit, quia non est maior ratio credendi affirmantibus quàm negantibus, quandoquidem ibi res agitur ad sensuum experientiam spectans. In quæstione autem iuris lis est intellectualis, & rationibus aut Textibus agitur: qui etiam inter se militant Auctores ita vni parti adhærent, vt id cum formidine præstent: vnde sibi persuasum habent posse oppositum esse verum, & ita omnes aliquo pacto vtramque partem amplectuntur: in quo conflictu ratio dictat prudenter posse volentem honestè operari, quamlibet partem amplecti, & quidem si prædicta ratio quidquam roboris haberet, fieret ex ea neque opinioni probabili propriæ posse locum esse, arguendo eodem modo, & dicendo: *Ecquid mysterij est quòd quando in contractu Matrimonij tres testantur defuisse solemnitates, & tres negantes, is qui contraxit, non possit sequi illos, qui asserunt: possit tamen stante pari affirmatione & negatione circa valorem, vbi non est receptum Concilium Tridentinum, eam quæ liuerit, assertionem sequi?* Hoc ergo debent illi explicare mysterium, quod neutiquàm præstare poterunt, nisi manifesta ratione discriminis, quæ à nobis reddita est, aut alia conformi eidem, admissa.

2. Exidentitate rationis inter quæstionem facti & iuris. Quæ negatur cum declaratione congrua.

Ratio discriminis ob damnum tertij non admittitur.

497. Non est autem necessarium ad illam rationem differentiæ recurrere, quam aliqui assignant, dicentes ex opinione probabili circa factum

ctum sæpè alteri tertio oriri damnum: quam quidem citatus Scriptor impugnat, eo quòd etiam id locum habeat in opinione probabili circa ius, & etiam in opinione circa honestatem actionis. Vnde si in quæstione facti is, qui opinatur se non inuadi à Paulo, non possit propter opinionem aliorum opinantium hunc esse inuasorem, illum occidere: pariformiter dicendum est in quæstione iuris, quòd opinans illicitum esse percusso repercutere in continenti percussorem, non possit sequi opinionem aliorum dicentium id esse licitum, adeoque ipsum repercutere: nam in vtroque casu par malum proximo inferendum est. Non inquam necessarium est, non solùm ob rationem dictam, sed quia ratio assertionis fauorabilis vniuersalior est, & frequentissimè sine damno tertij locum potest habere, vt in materia ieiunij, religionis, Matrimonij &c. In prædicto autem exemplo, quod ad opinionem in illa materia spectat, stante illius probabilitate, non est admittenda exceptio, asserentibus Doctoribus aliquid esse licitum: sic enim sæpè iudices cum opinione probabili reos addicunt capitali supplicio, vnde inter illos solet esse discordia, & plurium suffragijs statur ex tribunali eodem, aut ratione discordiæ pro caussæ diremptione delecti: vnde & circa priuatos idem est asserendum, cùm ad tuendam substantiam propriam, famam & vitam iure naturalissimo potiantur.

3. Quæ & ad factum spectat, vnde infringitur.

498. Tertiò, Opinans Pontificem esse Romæ, non potest sequi opinionem aliorum id negantium, quam iudicat esse falsam, & propter eam dicere alijs Pontificem non esse Romæ: sed, si id faciat, peccat decipiendo alios: Ergo similiter is, qui in quæstione facti, aut etiam iuris, opinatur aliam non esse suam vxorem, non potest sequi opinionem aliorum asserentium illam esse vxorem, cùm saltem virtualiter iudicet opinionem illam esse falsam, eamque sequendo petere debitum coniugale. His addit quod ex eôdem posito & solutum *n.* 491. ex Decretalis duplicis decisionibus. Nihil autem ex his negotium aliquod faciesit: concesso enim quod de assertione circa assistentiam Pontificis Romæ dicitur ob rationem redditam, circa quæstiones facti, & etiam quod de vxore dicitur quoad quæstionem etiam facti; quod ad quæstionem iuris attinet, negatur ob redditam etiam rationem, si in casu dicto, qui ad factum videtur solummodò spectare, aliquid ad ius spectans possit admisceri, vt in caussis admisceri matrimonialibus solitum.

Vltima, ex matrimonio. posset relinqui vxor iuxta aliorum opinionem. Et ex simili absurdo circa bonitatem filiorum.

499. Vltimò arguit ex absurdo, quod sequeretur, scilicet quod opinans se non habere impedimentum Matrimonij, adeoque validè contraxisse, possit iuxta opinionem probabilem aliorum dicentium esse nullum, formare conscientiam, quòd priore vxore, quam alij dicunt ductam esse inualidè, relicta, ducere secundam, ab eâque petere debitum; ac deinde iterùm iuxta opinionem suam propriam, quia validum iudicat priùs fuisse Matrimonium, possit illud petere à prima. Interim nulli teneatur reddere: non primæ, cùm procedere iuxta opinionem aliorum queat, qui Matrimonium dicunt esse nullum; non secundæ, cùm etiam procedere possit iuxta opinionem suam, qua iudicat inualidum esse secundum. Rursum, si proles diuersas susceperit ex eadem matre, poterit vni relinquere legitimam procedendo iuxta vnam opinionem, & iuxta aliam procedendo denegare. Hæc autem tam absurda sunt, vt nemo admissurus sit. Si dicatur tunc debere sequi opinionem suam, iam sequitur quòd non æquè sequi poterit alienam, quàm propriam, quod tamen aduersarij iactitant. Ad hoc in primis dico simile absurdum ex aduersariorum sententia suboriri, quæ & communis est: nam is, qui vnam opinionem amplectitur, potest ea deposita amplecti contrariam, aliter, vt frequenter accidit, de rebus incertis iudicando. Tunc ergo dicat arguens quid debeat facere, qui de impedimento Matrimonij aliter incipit iudicare? Deinde, cùm non liceat propria coniugium auctoritate disiungere, impedimentis præfatis Ecclesiasti iudicis erit admouere lucem, & iuxta eam inconuenientibus dictis occurrere, sententia irrefragabili pronuntiata. Prætereà, iuxta sæpiùs dicta non solùm alienam opinionem, sed neque propriam licet cum notabili damno tertij sequi, relicta tutiore; nisi ex illius amplexu simile sit eam amplexus subiturus incommodum: quod hîc potest applicari. Item, aut is qui de Matrimonij valore iudicat, sine dubitatione aliqua illud iniuit, quæ ex contraria posset opinione subesse, aut dubitatio Matrimonio inito superuenit. Si primum, pro Matrimonij stabilitate stari debet, quia caussa pia est, in qua iudices debent ferre pro illo sententiam, non obstante opinione opposita: vnde & coniux eôdem modo se gerere debet. Pro quo Auctor idem *Tract.* 3. *Cap.* 12. præsertim *n.* 128. Si secundum, eo ipso quòd non obstante opinione contraria voluit contrahere, tenetur stare contractui, quia id quod modò obstare videtur, sibi voluit non obstare, & contractus ex conuentione legem accipere dignoscuntur, iuxta legem notissimam. His accedit quod citatus Scriptor habet *Tract.* 6. *n.* 103. vbi statuit quando prius Matrimonium est tantùm præsumptiuè verum, præferri posteriori vero cum omni solemnitate inito. Cùm ergo in casu, de quo agimus, non præsumptio quæuis, sed probabilis opinio assistat, ab eo non est ob contrariam sententiam recedendum. Et quidem præsumptio genus quoddam opinionis est, cùm formetur iudicium non iuxta certas, sed iuxta verosimiles coniecturas.

Expedita communis explicatio.

Virget ex opinione aliquorum circa horologia.

500. Vrgere nititur, arguens specialiter contra vtrumque Sancium, Thomam scilicet, & Ioannem apud Dianam *Parte* 4. *Tract.* 3. *Resolut.* 19. *&* *Parte* 1. *Tract.* 15. *Resolut.* 29. dicentes licitum esse sequi quodlibet ex pluribus horologijs accuratis, eò quòd singula faciant sententiam probabilem. Nam inde sequitur quòd aliquis sine impletione voti aut præcepti poterit se liberare obligatione passiua. Sacerdos enim qui vouit se daturum eleemosynam die Sabbati, poterit sine peccato differre, & partem suarum horarum Canonicarum, & dationem eleemosynæ vltra horam duodecimam noctis indicatam in horologio vno: nam potest sequi opinionem horologij seu horologistæ secundi indicantis nondum transisse diem Sabbati. Postquàm sonus duodecimæ in primo horologio fuerit datus, sequi poterit opinionem horologij primi, & concludere diem Sabbati transisse, adeoque iam se esse liberum. Eodem artificio poterit aliquis illa nocte bis communicare:

Sic apud illum, sed corrige, Secundi.

municare: semel post duodecimam horologij primi indicantis diem Dominicum esse inceptum: deinde post duodecimam horologij secundi indicantis diutiùs durasse diem Sabbati, & Dominicum incepisse seriùs. Immò sequendo priùs horologium, comedere carnes, & sequendo posterius deinde communicare. In opposita autem sententia cessat hoc absurdum, cùm quiuis opinionem suam sequi debeat, neque semel conceptam posteà variare possit pro libitu, sed tantùm propter rationes de nouo deprehensas. Sed verò prædicta non vrgent: Nam licet Auctores dicti, & alij ita censeant quoad probabilitatem horologiorum, addunt tamen illam non posse in fraudem legum, votorum, aut præceptorum Ecclesiæ vllatenus adhiberi, vnde illationes præfatas inficiantur. Quando autem bona fide esset factum, quòd verè quis putasset diem esse finitum, & posteà aliud horologium audijsset, vnde probabile fieret sequenti non comedisse die, posse communicare affirmat P. Dicastillus *Tomo* 1. *de Sacramentis Tract.* 4. *Disp.* 9. *nu.* 321. quam sequitur Diana *citato loco Partis* 10. qui generaliter affirmant licere secundum diuersitatem horologiorum sententiam variare, quando ex ea alicuius præcepti elusio non est intenta. Loquuntur autem de variatione propriæ sententiæ, non de alienæ, de qua est difficultas, amplexu; non obscurè indicantes facilem esse huiusmodi variationem, propter nouum aliquod motiuum. Ex quo habemus argumentum præfatum, si quam vim habeat, etiam aduersantes vrgere. Nam opinionem probabilem quilibet potest, si non pro libitu, vt nuper dicebatur, occurrente tamen ratione mutare. Ergo & in horologijs, cùm contingere iuxta dicta possit, etiam erit possibile & licitum variare. Quid ergo tunc faciendum, cùm sequi opinionem possint, & commoditas adsit euadendi præcepti obligationem? videant arguentes, & suo ipso argumento responsione consimili satisfaciant. De quo & *inferius num.* 567. recurret sermo.

Sed argumento sit satis.

P. Dicastillus.

Ex instantia contra dicta amplior declaratio.

501. Instat tamen post adhibitam responsionem Cardinalis Lugo, quem adducit & exscribit Diana *citato loco Partis* 10. ex Disput. 15. de Eucharistia num. 46. & P. Bardi *Discursu* 4. *de Conscientia Cap.* 14. Nam ex illa (quòd scilicet certa lex per variationem eluderetur) manifestè apparet quòd non eôdem modo liceat sequi vnum ex duobus probabilibus oppositis sicut est sequi propriam, contra sic sentientes. Hanc enim semper sequi possumus. Si enim opinemur mediam noctem post Sabbatum transiuisse, licitè comedimus carnes, & posteà deprehendamus nos errasse, & Dominicum diem seriùs esse inchoatum, communicare possumus. Deinde, nusquam ostenditur quòd lex naturalis prohibuerit, ne postquàm secuti sumus opinionem alienam, sequamur oppositam nostram ex rationibus intrinsecis formatam, quam iudicamus veram. Absurda autem citata sequuntur ex hoc quòd homini habenti opinionem propriam datur licentia sequendi opinionem alienam, quam æquiualenter iudicat falsam: vnde illa licentia tamquàm radix talium absurdorum consequentium prorsus tollenda est. In qua quidem instantia vis est perexigua: & ad priorem illius partem concedi potest quod assumitur, quia ex concessione nihil resultat contra absolutam assertionem: tales enim esse solent multæ, quibus tamen plures solent exceptiones adiungi in decursu explicationis. Quod quidem circa assertionem de potestate sequendi opinionem minùs tutam tutiore relicta in superioribus relinquitur adnotatum, & videri potest apud eumdem *Tract.* 2. *num.* 2. *& seqq.* sic in fine addentem: *Exceptiones hæ non fuerunt adiectæ thesi primæ, eo quòd nemo probabiliter opinari possit actionem esse materialiter licitam, quam tenemur euitare ex lege, licet tantùm humana, aut ex conuentione, aut ratione periculi grauissimi alteri imminentis,* &c. Quod quidem in nostro casu possumus similiter affirmare.

P. Scildere.

Fraudulentus agendi modus in horologiorum sequela neutiquam tolerandus.

502. Quod autem additur, ex eo conuelli-tur, quod iam est cum doctissimis Scriptoribus positum, in opinionibus inquam illis horologiorum non esse admittendum, quod infertur, quia est fraudulentus agendi modus ad euadendam obligationem: quæ ratio non ab extrinseco, sed ex natura moralis subiectionis desumitur, quam debet subditus imperanti: & staret quidem quod dicitur circa licentiam sequendi opinionem alienam, negandam inquam, vtpotè fontem absurdorum, si reuera talia absurda sequerentur: quod tamen ita non est, quandoquidem defendentes oppositam assertionem, illa, vt vidimus, non admittunt; sed cum alterius opinionis sectatoribus circa prædicta conueniunt, peculiaris exceptionis reddita ratione, quam & reddere etiam aduersarij debent iuxta dicta *num.* 500. Quod si fortè aliquis id admittat, quod absurdum ab alijs iudicatur, illi fauebit ratio, quam citatus proponit Auctor, vt vidimus: scilicet nusquam ostendi quòd lex naturalis prohibuerit, ne postquàm secuti sumus alienam opinionem, nostram sequamur oppositam ex rationibus intrinsecis formatam.

Executor sententia iniusta vt esse quis possit.

503. Discursum claudit exceptione addita pro casu, in quo Respublica à fundamento obligationis tollere validè potest obligationem, & de facto tollit. In hoc enim fundatur, quòd executor, cui executio sententiæ ciuilis à iudice mandatur, etiam si priuatim sciat sententiam esse iniustam, teneatur tamen eam exequi, nisi à mandante impetrare possit vt onere illo se liberet. *Cap. Pastoralis* §. *Quia*, de officio iudic. deleg. de quo plenius *num.* 81. *& seqq.* vbi cum multis tenet officialem non posse sententiam exequi capitalem, aut de membris & corpore cruciando, si sciat esse iniustam: secus de priuatione bonorum, exilij, & similibus, dummodò iniustitia notoria non sit. Erit ergo tantùm probabilis, vnde non videntur ritè posse asserta componi: quòd scilicet executor sciat reum esse innocentem, & alias sententiam non esse notoriè iniustam existimare debeat, vt eam exequatur. In eo enim fundatur quòd Respublica ob caussam iustam mala prædicta possit infligere; & quòd leges positiuæ restrictè intelligendæ sint, vt quam minimùm noceant iuri innocentis. Nihilominus stare vtrumque assertum potest, vt scilicet exequi sententiam iniustam, iuxta priuatam ipsius notitiam teneatur; & quod exequi non pos-

Cap. Pastoralis.

Difficultas peculiaris expedita.

sit, si notoriè iniusta sit. Esse enim notoriè iniustam, arguit multorum talis iniustitiæ notitiam; cùm satis obuium apud Scriptores sit, quid notorij vox, & quæ ad illud requirantur, importet, & quod ad primum attinet, pro eo extat citatum *Cap. Pastoralis*, vbi sic habetur: *Cùm Ordinarius teneatur exequi, delegato, etsi sciat sententiam illam iniustam, exequi nihilominùs tenetur eamdem, nisi apud eum efficere possit vt ab hoc onere eum absoluat.* Et hoc idem est quod D. Thomas 2.2.q.64.*arti.6.ad* 3. intolerabilem vocauit errorem, cùm dixit: *Ministet iudicis condemnantis innocentem, si sententia intolerabilem errorem contineat, non debet obedire.* Quod autem addit, expositionem allatam illustrat & firmat, sic enim ait: *Alias excusarentur carnifices, qui Martyres occiderunt.* Illi enim non ex priuata alicuius sententia, sed notoriè erant innocentes, vnde & sententia notorium, & ita intolerabilem etiam errorem continebat, & ideò concludit sic dicens: *Si verò non contineat manifestam iniustitiam, non peccat præceptum exequendo.* Vbi cùm manifestum dicat, idem quòd notorium videtur indicasse. Quid ergo ad quæstionem, in qua sumus, de alienæ opinionis licita aut illicita sequela? Exceptio quidem minimè necessaria videbatur, siquidem dum executor innocenti pœnam infligit, non alienam, sed propriam sententiam amplectitur, iuxta quam censet obligari se ad sententiæ executionem, quæ manifestam non inuenitur iniustitiam continere. Immò potiùs sententiam arbitratur iniustam, neque de proprio conceptu circa illam quidquam detrahit, nec formidinem illam, quæ opinionem comitari solet, experitur. Quòd si alienam dicatur sequi, quænam erit propria? An scilicet non posse iniustam sententiam exequi? At hoc dici nequit, vt est compertum, esset enim contra Pontificium canonem, & ciules etiam leges apertè sentire ab eodem allegatas: scilicet *l. seruo §. ff. ad Senat. Conc. Trabell.*

Cap. Pastoralis verba.

D. Thom.

Alia ex eôdem Scriptore circa opinionem ab auctoritate extrinseca, & iuxta illam vtiles additiones.

Vnius Doctoris sententia vt teneri queat, qua in illo debeant concurrere qualitates.

504. CEnset ille *nu.*28. eum, qui non habet propter rationes aut principia intrinseca opinionem probabilem de fundamento immunitatis ab obligatione, posse pro conscientia permittente formanda sequi opinionem probabilem viri intelligentis, si alij non sunt in oppositum, cum Portel, Bossio, Antonio Gomez, Ceuallos, & Menochio. Et probat, quia Respublica, siue in sacris, siue in ciuilibus committit vni iudici grauium causarum decisiones, in quibus sententiæ solent tantùm inueniri probabiles secundùm se spectatæ: ergo quia vnus in rebus, de quibus agitur, versatus, efficere illam talem potest. Quibus addendum, similem esse in priuato agendi modo, aut maiorem etiam rationem, quantùm priuatæ vtilitati publica supercellit. Si dicas iudices non nisi post auditos Aduocatos, & perlectos Scriptores sententiam ferre, id certè non satisfacit, quia in collatione opinionum inter se, & Aduocatorum allegationibus conferendis, & accommodatione ad causam, de qua agitur, multùm iudicis defertur arbitrio, in quo probabilis tantùm esse resolutio solet. Vnde & videmus stantibus pro causis similibus eisdem fundamentis, aut perexigua inter illa diuersitate, diuersos iudices diuersas etiam sententias, in eisdem etiam tribunalibus pronuntiare. Id quod supponitur in *Cap. finali de sent. & re iud.* in quo sic dicitur: *Duobus iudicibus diuersas sententias proferentibus, si ex iurisdictione ordinaria processerunt, tenet pro reo, non pro actore sententia, nisi in causa fauorabili, puta matrimonio, libertate, dote, seu testamento, pro ipso fuerit promulgata.* Sic ibi. Est ergo non leuis Scriptoris nostri probatio modo prædicto roborata, qui circa verba illa *viri intelligentis*: consulendus, dum talem intelligit, qualem alij de hac quæstione tractantes, pro quibus *inferiùs* opportunitas amplioris discussionis occurret, cùm de eadem alibi etiam dixerimus.

Ex vno iudice in tribunalibus efficax argumentum.

Cap. finali de sent. & re iud.

505. Asserit præterea doctrinam dictam tunc tantùm locum habere quando opiniones aliorum non sunt pares in probabilitate: si enim paret sint, is qui ratione intrinseca caret, tutius sequi debet, sicut in dubio, Cum Sylueſtro, Corduba Comitolo, Homen, Philaletho, & ex parte cum P. Coninck: quod & videtur docere D. Thomas *Quodlib.*8.*arti.*13. verbis illis: *In quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, & sic tali dubio manente habens plures præbendas se periculo committit, & tunc proculdubio peccat. Sic S. Doctor.* Contrarium tamen agnoscit docere vtrumque Sancium, Thomam & Ioannem, Merollam, P. Bardi, alioſque plures agentes saltim de opinionibus circa honestatem actus. Oppositum diximus *n.*87. Neque vrgent contra præfatam resolutionem quę hic Auctor adducit, dum arguit ex eo quòd quantùm momenti adfertur ex auctoritate pro vna parte, tantùm tollitur per alteram, quę est in oppositum. Sicut in casu quo vnus testatur aliquid esse factum ab vno, & alter testatur non esse factum ab eo, sed ab alio. Quo casu intellectus redit ad statum, in quo erat antequàm de testimonijs quidquam intellexisset, ignorantiæ scilicet aut dubij. Hinc Ioannes Sancius *Disp.*33.*n.*3. & *Disput.*43.*n.*48. & *seqq.* affirmat quòd si tres negent addesse impedimentum matrimonii, & tres affirment, inire illud non liceat. Item, si tres dicant aliquem esse infamatum per sententiam, tres negent; crimen alibi reuelare non liceat. Item Merolla *Disput.*3 *Cap.*3.*n.*168. & *Cap.*4.*n.*104. Garcia *de Beneficijs Parte* 7. *Cap.*2.*n.*24. & idem indicatur in Cap. *Ex litteris* de probation. vbi dicitur quòd quando testes ambarum partium sunt æquè idonei, iudex contra reum sententiam ferre non potest. Quod etiam iudex facere debet quando causa est dubia. Ad quod quidem responsio adhibita *n.* 496. vbi ostensa differentia fuit inter quæstionem facti, & quæstionem iuris. Quando enim quis opinionem sequitur ob auctoritatem eam amplectentium vt probabilem, quæstio facti non est, & de illa procedit resolutio nostra, & exempla nuper adducta factum cõcernunt, non ius, vnde quod subditur posteà ex quæstione facti instando, nihil roboris conciliat allato fundamento.

Quid cùm opiniones sunt pares in probabilitate.

D. Thom.

Sequi quamlibet licet.

Ex tutiùs partiate efficax argumentum.

Ioannes Sancius.

Merolla.

506. Deinde arguit, Quia si liceret pro formanda conscientia sequi opinionem vnam ex pluribus, licebit in casu, quo vna pars opinatur matrimonium esse validum, & altera esse nullum, modò sequi vnam opinionem, & modò aliam, ex quo sequerétur absurda, quæ ante enarrata sunt in eo, qui opinans matrimonium esse inualidum, sequitur opinionem alienam contra suam. Sed neque hoc vrget: nam de casu matrimonij iam est dictum, & similiter in opinione ista philosophandum. Addit autem in responsione ad secundam obiectionem id quod erit operæ pretium expromamus: negare enim non potuit quin ex sententia, quam secutus est, magnæ anxietates in administratione & receptione Sacramenti Pœnitentiæ suboriantur: vnde subdit posse illis se anxietatibus expedire, permittendo vt in fide bona maneant pœnitentes, qui sequuntur alienas opiniones probabiles. Quòd tutò facere possunt; cùm lex naturæ non præcipiat nobis vt alios ad sequendam opinionem nostram cogamus: præsertim cùm sæpè pœnitentes difficillimè adducendi sint, vtpotè existimantes se rectè procedere, licet oppositum sentiant: subinde etiam si opinionem mutant, non sint mutaturi consetudinem faciendi illud, cui assueuerunt: adeoque sint post hac peccaturi formaliter. Sic ille: qui admonens pœnitentes permittendos manere in bona fide, videtur innuere eos quidem sic operantes errare, & per se loquendo peccaturos, quod accidit etiam in multis nullo modo ex se licitis, iuxta receptam grauium Scriptorum sententiam, de qua à nobis in Thesauro dictum; quando scilicet ex declaratione à Confessario facta grauia sint inconuenientia subortura. Quod quidem in casu præsenti non ita est admittendum; cùm pœnitentes opinionem in eo, quod agunt, valde probabilem amplectantur: in quo euentu non bonæ agentium fidei, sed satis prudenti eorum existimationi, id quod agunt tribuendum. Sed vt videtur noster Auctor hoc nõ penitus inficiatur dum ait legem naturæ nobis non præcipere vt alios ad sequendam opinionem nostram adigamus. Iuxta quæ nõ ita acriter decertandum est, vt opiniones, quas tuto sequi pœnitentes possunt, à possessione suæ probabilitatis & verosimilitudinis, quam & rationes solidas, & grauissimorum Scriptorum auctoritatem conciliauisse agnoscimus, dimouere moliamur.

Obiectio ex matrimonio.

Corollarium finem obligationem sequendi opinionem probabiliorum aliorum cùm ex principijs intrinsecis propria non habetur.

507. Corollarium adiungit tenoris sequentis: *A fortiori, is qui non potest ex ratione intrinseca habere opinionem probabilem, non potest sequi opinionem probabilem aliorum contra probabiliorem.* Pro quo adducit P. Comitolum *Lib.*5. *Disput. Quæst.* 15. & idem tenere ait à se adductos pro sententia, quam secutus ipse de non licita sequela opinionis alienæ contra propriam, aduersus PP. Vasquez, Sancium, Bardi *Discur.*4. *Cap.*10. & Pasqualigum *Decisione* 5.*n.*5. cum alijs. Non probat sed à fortiori id tenendum ait, stante sententiæ superioris amplexu de illicita sequela, quia illius rationes contra alienam militant, & ea, de qua hic agitur, aliena est: & præterea opinio, quam quis amplectitur, probabilior ipsi est; vnde ex ea parte idem videtur pro neganda sequela licentiæ fundamentum. Sed certè cum assertio dicta corollarium sit assertionis immediatè præcedentis de non licita sequela opinionis alienæ contra æquè probabilem, ex ea quidem, non ex alia dicta, à fortiori sequitur quod de minùs probabili arbitratur, quia in ratione dubij fundatur, ex quo fit, vt si æquè probabilem sequi non liceat, multò minùs eam, quæ minùs probabilis est, cùm maior in ea ratio dubij reperiatur. Cùm citatis ergo contra illam, vt iam est dictum *in Superioribus*, sentiendum: posse inquam minùs probabilem sententiam in concursu probabilioris assumi, siue probabilitas ab intrinseco, siue ab extrinseco habeatur. Immò aliquando contingere potest vt plus ponderis habeat auctoritas, quàm ratio quempiam non adeò excellentis doctrinæ conuincens, dum plus illi quàm suo discursui fidit. Standum ergo resolutioni iam *suprà* stabilitæ, contra quam nihil, quod aliquantulùm premat, importatur.

Negatur illud consequenter ad dicta.

Quid cùm dubium insurgit contra sententiam communem.

508. Asserit deinde eum, qui ex ratione opinionem propriam non habet, posse pro formanda conscientia de honestate actus sequi opinionem communem, nisi occurrat in oppositum ratio dubitandi, quam non scit ab alijs consideratam fuisse. In quo quidem quod ad absolutam assertionem attinet, nulla est difficultas, exceptionem verò ex eo probare posset, quia stante prædicta ratione redditur dubium id, quod anteà vt probabile erat receptum: supponendo rationis vim ab eo, qui dubitat, fuisse expensam: si enim vim eius capere non possit, noueritque ab alijs expensam fuisse & consideratam, auctoritatem sequi potest: eo quòd rectè præsumere possit eam non esse efficacem, cùm communiter reijciatur. Sed certè etiam si nesciat an talis ratio expensa sit, nullum ex ea parte reperitur obstaculum, quominùs amplecti communem opinionem valeat: nam etiam præsumere potest eam tot Auctores, qui communem illam constituunt, minimè latuisse. Deinde, si ita vim expendit, vt in ea multùm roboris esse deprehendat, iam non ab extrinseco, sed ab intrinseco erit ipsi probabilis, quod est contra tenorem propositæ ab eo assertionis. Si autem robur non tale esse comperit, nullum potest impedimentum amplexui probabilis opinionis, de qua procedit assertio, præstare.

Et cùm vni Doctori occurrit ratio ab aliis non perpensa. Vbi annuit auctor.

Addit alia nimiùm delicata pro communi fidelium vsu.

509. Tandem determinat *Assertione* 4. eum, qui non potest ob rationes intrinsecas formare opinionem, posse opinionem sequi vnius procedentis ex ratione, quæ alijs non occurrit: quia tunc vis opinionis communis cessat ex ignorato anteà, & iam detecto fundamento: vnde tunc opinio singularis perinde se habet, ac si nullus eam tractasset. Atque hoc donec rationem illam Auctor alius conuellere incipiat: & quidem ab intrinseco: non enim sufficit quòd impugnet ex eo quòd communis sit. Addit debere nobis constare quòd opinio illa vnius nitatur fundamento alijs incognito. Nec enim sufficit quòd ille dicat habere se nouum principium; cùm facilè contingere possit vt aliqui ex aduersarijs priùs illud viderint, & vnus ille hoc ignoret. Vnde tunc testimonio plurium opus est, qui materiam illam debitè examinarunt, testanturque principium illud alijs fuisse incognitum. Hæc doctus ille magister: quæ quidem ad communem fidelium vsum nimis delicata sunt, cùm non vnum, sed aliud, & aliud examen necessarium esse prætendant, & notitiam rerum istarum ampliorem exigi constet,

quàm soleat aut debeat in vulgari multitudine reperiri. Quod si doctus aliquis excellentis doctrinæ sit, & notę probitatis, non est cur eius testimonio stari nequeat circa nouam aliquam rationem aut principium pro stabilienda sufficiens. Quemadmodum citatus Scriptor §. *Similiter is*, postquàm præmiserat cum PP. Arriaga & Bardi rusticos sequi posse iudicium sui Parochi, quem sciunt esse virum doctum, & non procedere ex passione aut præcipitantia, & similiter facere posse illos, qui rationes discutere & intelligere non possunt, quando res pro discussione non patitur moram: licet, si dubium alicui occurrat, rationes examinare, vel auctoritatem aliam quærere debeat, ita subdit: *Similiter is, qui ignorat oppositum, sequi in foro interno assertionem potest alicuius excellentis Doctoris attestantis esse consuetudinem. Ita Villalobus, Granadus, Suarez, Salas, Diana Parte 6. Tract. 6. Resolut. 28.* Sic ille, & alij apud ipsum: vt non debeat pro ea, quam versamus ex ipso, positione, amplióra testimonia, quàm vnius excellentis Doctoris implorare.

Quid circa rusticos.

P. Schildere.

Antiquiorum opiniones an Recentiorum præferenda.

510. Concludit tandem opinionem Recentiorum anteponendam esse opinioni antiquorum, non tantùm quando Recentiores allegant decretum aliquod aut consuetudinem nouam, sed etiam quando rationem ab antiquis non consideratam. Aliàs ceteris paribus opinio antiquorum præferenda est, vtpotè quæ tempore longiore, adeoque à plurimis examinata fuit, à multis etiam tacitè approbata hoc ipso quòd eam expenderunt, & cùm tenerentur, non contradixerunt. In quidem resolutione, quod de Auctoribus dicitur, limitatione illa addita *Ceteris paribus* valde est consona rationi: sed difficile sanè circa paritatem huiusmodi exactum ferre iudicium, quandoquidem opinioni alicuius Summistæ ex antiquioribus possunt ex Recentioribus excellentes Theologi, & multò illo celebriores contradicere, & ita maiorem opinioni auctoritatem conciliare. Quod cùm accidit, meritò existimandum est rationem aliquam (nam de nouo decreto aut consuetudine dubium esse nequit) ab antiquis non consideratam eisdem occurrisse: vel (quod in idem recidit) in ratione ab antiquis allata & reiecta plus momenti & ponderis inuenisse, vt iam *superiùs* dicebamus. Et de quo egregiè P. Vasquez *Tomo 1. in 1.2. Disput. 62. Cap. 4. n. 12. & 13.* & etiam in de cursu Disputationis. Neque ex eo quòd antiqua opinio plurium sit approbatione formata, quidquam habetur amplius, quàm esse illam probabilem, non autem ita irrefragabilem, vt nequeat eidem Theologorum exactiore discursu contrairi. Sed de hoc iterandus in sequentibus vtili adiectione tractatus, vt eum, qui cum Scildere nostro est habitus, tandem concludamus.

Notanda obseruatio.

P. Vasquez.

§. III.

Patris Fr. Ioannis Baptistæ Goned multa proposita & explosa pronuntiata, cùm aliquali moralis luminis accessione.

I. B. Goned. *contendit*

511. PRodiit *an.* 1664. Dissertatio Theologica de Probabilitate, in qua nouorum Casuistorum laxitates & Iansenianorum excessus ex doctrina D. Thomæ (vt videtur Auctori) corriguntur & confutantur, & est ille P. Fr. Ioan. Baptista Goned Bitorrensis, Ordinis Prædicatorum, in Academia Burdigalensi Antecessor. In cuius *Articulo 1. §. 2.* Statuit non esse licitum operari secundùm opinionem minùs probabilem, sed in earum conflictu, sicut in rebus dubijs, partem probabiliorem esse sequendam: pro quo ait Mercorum ex eodem Ordine referre plusquàm viginti Doctores: inter quos præcipui sunt D. Thomas Doctor Angelicus, D. Bonauentura Doctor Seraphicus, Irrefragabilis Alensis, subtilis Scotus, ingeniosus Caietanus, S. Antoninus, ob eximiam qua pollebat, in dirigendis conscientijs, & consilijs dandis prudentiam & sapientiam *Antoninus Consiliorum* dictus, Sotus, Syluester, Nauarrus, Conradus, Almainus, Adrianus, alijque antiqui Theologi & Canonistæ, quos ex Recentioribus sequuntur Candidus Philalethus, seu potiùs Andreas Blancus è Societate IESV, qui primus in Italia sub eo nomine aduersus oppositam sententiam calamum strinxit, &, vt ait Mercorus, huius sæculi libertatem opinandi in moralibus compescuit primus. Item Antonius Merenda, Ioannes Sinnichius, Prosper Fagnanus, qui in expositione Cap. *Ne innitaris* multos Canonistas congerit, & viginti sex affert rationes. His addit aliquorum Sacrorum Ordinum Constitutiones, aut Capitulorum Generalium decreta, suis strictè præcipientium quod in controuersijs moralibus sequantur opiniones magis probabiles. Sic PP. Trinitarij *Cap. 3. Constitut. de Officio Lectorum.* Theatini in speciali *decreto. 5. Capituli generalis, & in duabus Epistolis, quas Præpositus Generalis ad omnes suos direxit.* Prædicatores in Capitulo Generali Romæ. *Anno 1655.* Admonit. 14. in qua singulos Theologiæ Professores admonet *vt nimis animosa extrinsecarum probabilitatum suffragia deuitent, & sanæ Angelici Præceptoris doctrinæ in omnibus, præsertim in moralibus, vbi presiùs de salute & indemnitate animarum agitur, adhærere satagant.* Quod vt clariùs ab omnibus præstetur, notificauit & declarauit vniuersis hoc summoperè consonare expressæ voluntati SS. Alexandri. VII. qui istud vniuerso Ordini ita præscribi imperauit. His præmissis ad Positionis præfatæ progreditur probationem.

opinionis probabilioris necessariam esse sequelam.

Auctus pro tr.

PP. Prædicatorum Capitulorij admonitio.

512. Sed ante quàm nos ad eamdem discutiendam accedamus, quia pro illius fundamento agmen Auctorum inducitur, de oppositi illi agmine oportet etiam aliquid præmittamus, in quo non est multùm laborandum, quandoquidem. *n.* 67. aliquos supra centum certantes pro contraria protulimus, & ferè omnes Theologos Canonistis dubio procul præferendos in causa, quæ ad conscientiam spectat, & maximè Theologicis rationibus disceptatur. Neque operosum esset plures alios adlegare, & quidem P. Vasquez *Tomo. 1. in. 1. 2. Disput. 62. n. 14.* ante Septuginta annos scribens ita loquitur: *Veram igitur existimo sententiam, quam sequitur Bartholomæus Medina in Articulo. 6. huius quæstionis (*scilicet. 19*) iamque in Scholis, & multò ante communis fuit, nempe viro docto licitum esse contra suam opinionem, quam probabiliorem arbitratur, operari secundùm*

Plures pro opposita illi sententia.

P. Vasquez.

cundùm opinionem aliorum, & si opinio aliorum sit minùs tuta, & suo iudicio minùs probabilis: dum tamen ratione & auctoritate destituta non sit. Sic ille. Vbi licet de opinione aliena loquatur, retenta propria probabiliori, idem potiori ratione esse dicendum quando quis nulli opinioni per proprium assensum adhæret, obseruat. *n.* 18. §. *His omnibus* in eo enim casu multò meliùs potest operari secundum aliorum opinionem probabilem, in quam partem ipse voluerit, etiam si ea minùs tuta sit, vt ille loquitur: Quid ergo iam post tot annorum retroacta spatia dicamus, si ante illos & iam communis in Scholis, & à doctissimo Thomista alijs erat eiusdem familiæ discipulis, ex quibus tot postea magistri, & alijs etiam diuersarum familiarum, & statuum commendata: quæ etiam ante illum in Scholis splendidioribus probabilitatis suæ possessione cum plausu excepta fruebatur, & verò si tunc novitia esset in Scholis, tot post accedentibus Doctorum suffragijs, & vsu frequentissimo, abundè esset sufficiens vt iam nunc plusquàm communis titulo meritissimo potiretur.

D. Thom. *non obscurus patronus.*

513. Sed D. Thomas ex aduerso stat, qui pro decem millibus computatur. Sit sua, quæ & per me licet, eximia S. Doctori laus: sed quod asseritur nego, quia nullus ex illo adducitur locus, ex quo id, quod intenditur, verosimiliter deduceetur, & duo præcipua illa ex *quodlib. 8. & 9.* de quibus *n.* 142. *& 476.* & tantùm ab est vt ex illis intentum eorum, qui ea proferunt, comprobetur, vt contrarium potiùs ex eisdem non obscurè depromatur. Sic enim in priori, vbi inquirit. *An ille, qui habet plures præbendas, possit hoc ipso quòd opiniones Magistrorum sunt in contrarium?* & sic in *Articul. 13. Corpore* respondet: *Quid si ille, qui possidet plures præbendas in quamdam dubitationem inducitur ex contrarietate opinionum, & manente tali dubitatione plures præbendas habeat, periculo se committit, & sic procul dubio peccat, vtpotè magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem.* Sic ille, de dubio tantùm locutus: Ergo qui non merè dubitans, sed absolutè censens, licet probabiliter, licere sibi plures habere præbendas, non peccat. Id quod ampliùs ex eo constat, quod S. Doctor affirmat, & pro ratione reddit, quod scilicet magis amet beneficium temporale, quàm propriam salutem: nam ex opinione probabili operans, non ita amat temporale beneficium, vt illi propriam salutem post habere dici possit, cùm paratus sit beneficium dimittere, si habere illud ex probabili sententia non liceret: id quod in opinionum omnium huiusmodi sectatione, vt certum est suppositum admittendum. Deinde, si ratio prædicta de opinione loquendo vim haberet, sequeretur neque eum, qui circa casum talem probabiliorem sententiam teneret, tutum in conscientia futurum; quia & is beneficium temporale saluti propriæ præferendum iudicaret. Atqui hoc non admittitur: ergo signum est Doctorem sanctum de opinione probabili non locutum.

Idem.

514. His addendum quod circa mentem S. Doctoris videtur reddere id, quod intendimus, manifestum. Siquidem post adducta verba sic concludit: *Aut ex contrarijs opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & sic non committit se discrimini, nec peccat.* Sic ibi, minimè illud genus dubitationis excludens, quæ cum firmo stare assensu potest, & opinionem comitatur, propter quam dicitur assensus respectu vnius cum formidine partis oppositæ. Id quod ex contextu ipso liquet, siquidem ita præmiserat: *Aut illa opinio non est vera, sed magis contraria, quam iste sequitur. ita quod verè licet habere plures præbendas: & tunc distinguendum est: quia aut talis habet conscientiam de contraria, & sic iterùm peccat contra conscientiam faciens, quamuis non contra legem: aut non habet conscientiam de contraria, sed certitudinem: sed tamen in quamdam dubitationem inducitur, ex contrarietate opinionum &c.* Ecce certitudinem, cui superuenit dubitatio ex contrarietate opinionum: quæ quidem vera esse certitudo nequit: nam ea stante nequit dubitatio subintrare: ergo est certitudo opinionis ob determinatum assensum circa partem illam. Potest autem contingere vt eam habens, propter contrarietatem opinionum in quamdam dubitationem inducatur, quo euentu stat S. Doctoris assertio, peccare inquam talem; secus autem quando *ex contrarijs opinionibus in nullam dubitationem adducitur, & sic non committit se discrimini, nec peccat*, vt ipse concludit, quia videlicet probabili assensu ducitur, qui iuxta eumdem certus dicitur, licet aliàs possit cum formidine aliquali componi: quæ quidem non semper actualis esse debet, cùm tamen radicalis deesse nequeat, vt aliàs dictum.

215. Habet autem ibidem S. Doctor doctrinam satis difficilem, quæ verbis sequentibus continetur: *Illud quod agitur contra legem semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundùm conscientiam: & similiter quod est contra conscientiam est malum, quamuis non sit contra legem: quod autem neque contra conscientiam, nec contra legem est, non potest esse peccatum. Dicendum est ergo quod quando duæ sunt opiniones contrariæ de eòdem oportet esse alteram veram, alteram falsam. Aut ergo ille qui facit contra opinionem Magistrorum, vtpotè habendo plures præbendas facit contra veram opinionem, & sic cùm faciat contra legem Dei, non excusatur à peccato, quamuis non faciat contra conscientiam, sic enim contra legem Dei facit &c.* Quæ doctrina cum valde dura videatur, S. Doctoris discipuli in eius explicatione laborant, & his præsertim temporibus, in quibus contra Iansenistas decertatur asserentes ignorantiam invincibilem à peccato, præsertim circa ea, quæ sunt iure naturæ obligatoria, non excusare, aduersus quos specialiter citatus depugnat scriptor *Arti. 7.* qui. §. 4. ad obiectionem Vuendrochij ex prædicta auctoritate instructam respondet. *Illud quod est contra legem semper esse malum, nec excusari per hoc quod est secundùm conscientiam*, erroneam scilicet errore crasso & affectato, qui non excusat à peccato: benè tamen id, quod est secundùm conscientiam erroneam errore invincibili & inculpabili, quam à peccato eximere docet Doctor sanctus varijs in locis. Quæ quidem responsio non videtur posse verbis prædictis conuenienter aptari: nam de conscientia locutus in prædicta clausula, statim de illa sine vlla discriminis vmbra, id tradit, quod cum præfata nequeat expositione constare. *Illud quod agitur contra legem semper est malum, nec excusatur per hoc quod est secundùm*

Eiusdem difficilis doctrina.

Ioan. Bapt. Goned.

Explicatio de conscientia erronea S. Doctori nequit adaptari.

dùm conſcientiam. Vbi in primis obſeruãdum illud *ſemper*, & deinde notandum quod ſequitur, dum ait: *& ſimiliter quod eſt contra conſcientiam eſt malum, quamuis non ſit contra legem.* Quod quidem ſi de conſcientia iuxta priorem acceptionem veniat intelligendum, verum eſſe nequit: ſenſus enim eſt, id quod eſt contra conſcientiam erroneam eſſe malum, quamuis non ſit contra legem, quia eo ipſo quod contra legem non ſit, erronea non eſt. Deinde additur: *Quod autem nec contra conſcientiam, nec contra legem eſt, non poteſt eſſe peccatum.* Vbi ſimilis verborum implicatio, ſi de erronea debeat, vt conſequentia locutionis exigit, explicari. Sicut in ſequentibus: *Cùm faciat contra legem Dei, non excuſatur à peccato, quamuis non faciat contra conſcientiam.* Vbi applicatio eſt doctrinæ ſuperioris, & ita conſcientiæ acceptio eadem, ſicut in ſubſecutis: *& tunc diſtinguendum eſt: quia aut talis habet conſcientiam de contrario; & ſic iterùm peccat contra conſcientiam faciens, quamuis non contra legem: aut non habet conſcientiam de contrario, ſed certitudinem.* Vbi iuxta expoſitionem dictam ſenſus erit habentem conſcientiam erroneam de contrario, peccare, quamuis non contra legem: falſus tamen, quia conſcientia tunc erronea non eſt, cùm contra legem non ſit.

Contra illam vlterior probatio.

516. Eſt inſuper contra illam, quod ex ea fieret non benè à S. Doctore diſcrimen aſſignatum quãtùm ad incurſionem peccati, ex eo quod illud quod agitur, ſit contra legem, aut ſi non ſit contra illam, ſit contra conſcientiam, aut è converſo contra legem, & non contra conſcientiam, ſi de erronea ſit ſermo, applicando eam doctrinam caſui, de quo quæſtio vertebatur. Nam indubitatum erat plures habentem præbendas peccare, ſi ex errore craſſo & affectato ad illam retentionem duceretur. Reſolutio enim ſic procederet. Aut operatur directè contra legem, aut ex errore affectato, & vtroque modo peccat. Quis de hoc dubitare poterat? Ex quo etiam id ſequitur, quod intendimus. Divum ſcilicet Doctorem pro oppoſita ſtare ſententia. Cùm enim tunc peccari dicat, quando aut directè contra legem itur, aut contra conſcientiam erroneam & affectatam: conſcientia autem probabilis erronea ſit nõ modo dicto, ex ea non fieri vt operans peccatum incurrat; videtur ab eodem admitti. Adde aſſertum dictum ſcilicet id quod eſt contra legem, ſemper eſſe malum, nec excuſari ex eo quod ſit ſecundùm conſcientiam, eſſe conſonum eidem in *Quodlib. 9. Arti. 15.* repetito, vbi de conſcientia erronea craſſa & affectata nequit habere locum explicatio, ſic enim in *Corpore* ille: *Error quo non creditur eſſe peccatum mortale, quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſat à toto, licet fortè à tanto.* Sic ibi, vbi generaliter de errore loquitur, ſine fundamento vel leui erroris craſſi & affectati. Quid ergo? Dicemus ne Doctorem ſanctum in ea fuiſſe ſententia? Sic ſanè videtur, quando agitur de errore contra legem divinam naturalem, quam quis ſcire tenetur, vt dilucidè habet. 1. 2. 9. 62. *arti. 6. in Corp.* & quod ad præbendarum pluralitatem attinet, quod iure naturæ non liceat, niſi ſtantibus peculiaribus circumſtantijs, probat *citato Arti. 15. Quodlibeti. 9.* Sed hoc etiam difficile eſt, nec à Thomiſtis quampluribus admittitur, vnde errorem inculpabilem eſſe poſſe circa legis naturalis præcepta affirmat, & doctè probat citatus Goned *Articulo illo. 7. §. 2.* Dici ergo poteſt quodlibeta prædicta Diuum Thomam (ſi illius ſunt) cum iunior eſſet conſcripſiſſe, ſicut de alijs nonnullis ſunt qui exiſtiment ex diſcipulis, niſi ex citato Articulo. 6. ex. 1. 2. id quod vidimus, haberetur. Circa quod non vacat diutiùs immorari.

D. Thomæ *ne abundantur, quid dicendum.*

Ex illius verbis ibi, &to Quæ diluuntur.

517. Adducit etiam ex citato *Arti. 15.* verba, quibus S. Doctor quæſtionem de pluralitate præbendarum periculosè determinari affirmat, quia ambigua eſt, dum Theologi Theologis, & & Iuriſtæ Iuriſtis inveniuntur contraria ſentire, ex quibus ſic arguit: Sed ſi liceret eligere opinionem minùs probabilem in concurſu probabilioris, nullum eſſet periculum in deciſione huius quæſtionis propter diuerſas opiniones Doctorum: quæcumque enim opinio ſiue probabilior, ſiue minùs probabilis eligeretur, homo excuſaretur à peccato, cùm iuxta aduerſarios omnes opiniones probabiles ſecuræ ſint: immò vt ait Caramuel *benigniores, & ſi aliquando ſint minùs probabiles, per accidens ſunt ſemper ſecuriores & vtiliores.* Ergo iuxta D. Thomam non licet ſequi opinionem minùs probabilem in concurſu probabilioris. Sed quidem diſcurſus præfatus nimis eneruis eſt, cùm ex prædictis minimè intentum deducatur, & doctrina ipſius generalis ſit, vt ex tenore verborum conſtat: ſic enim ibi in *Corporis* initio: *Reſpondeo. Dicendum quòd omnis quæſtio, in qua de mortali peccato quæritur, niſi veritas habeatur, periculosè determinatur: quia error, quo non creditur eſſe peccatum mortale, quod eſt peccatum mortale, conſcientiam non excuſat à toto, licet fortè à tanto.* Hæc ille: iuxta quæ ratio periculi in determinatione dicta ex ea adſtruitur, quod tamquàm principium certum Doctor ſanctus aſſumit, de quo nuper dictum: ſcilicet errorem, quo non creditur eſſe peccatum mortale, id quod reuera peccatum mortale eſt, conſcientiam non excuſare. Ex quo perperàm infertur probabiliorem opinionem, etſi minùs tutam, poſſe ſuſtineri, quia in ea etiam periculum eſt, quandoquidem falsa eſſe poteſt, & ſic eam ſecutus peccabit mortaliter. Non ergo periculum ex eo propoſitum, quod citatus ſcriptor adnititur, ſed potiùs ex oppoſito arguere poſſumus. Nam ſi S. Doctor cenſet opinionem tutam & ſecuram in concurſu alterius eſſe tenendam: ergo facilis illi, nec periculoſa determinatio erat, dicendo pro illicita pluralitate decernendum eſſe, ea ſiquidem tuta & ſecura pars. Quòd ſi dicatur opinionem aſſerentem eam eſſe licitam, fortè eſſe probabiliorem; in ea ſequenda nullum eſt etiam futurum periculum, iuxta citati Auctoris, quam vidimus, poſitionem.

Caramuel.

D. Thom.

Idem S. Doctor vtà fauens opinioni.

518. Ex ijs etiam quæ ibidem habentur poteſt noſtra firmari: ibi enim S. Doctor probabilem opinionem contra tutam admittit, dum ſic ait: *Nunc autem certum eſt per antiqua iura hoc eſſe prohibitum: patet etiam huic prohibitioni conſuetudinem eſſe contrariam, per quam quidam dicunt iura illa eſſe abrogata. Nam per contrariam conſuetudinem iura humana abrogantur. Quidam verò dicunt per hanc conſuetudinem antiqua iura non abrogari, eo quòd quædam Decretalis &c. Multa per patientiam*

tiam tolerantur, quæ, ſi in iudicium fuerint deducta iuſtitia cogente caſſarentur, & hæc controverſia Iuriſtis eſt relinquenda: quamuis hoc videatur eſſe probabile, quòd quantùm ad hoc quòd iura illa antiqua continent, ius naturale abrogari non poſsit per contrariam conſuetudinem, vtpotè irrationalem. Quantùm autem ad hoc quod ſolùm de iure poſitiuo continent, poſsint eſſe abrogata: præcipuè ſi ſimulantes hanc contrariam conſuetudinem, in quorum poteſtate eſt ius poſitiuum mutare, intendunt per talem diſsimulationem antiqua iura mutare. Hæc S. Doctor, qui pluralitatem præbendarum abſolutè illicitam pronuntiauerat, ſed adiunctis quibusdam circumſtantijs licitam eſſe ſine diſpenſatione attento iure naturæ. Cenſet ergo probabile id, quod ex ea vidimus, non obſtante oppoſiti ſecuritate, & tutiſſima ſequelâ. Vbi de maiori probabilitate neque verbum, vt ſtet aſſertum noſtrum de illius mente nobis potiùs fauente, quàm aduerſa.

Sicut & Scotus.

519. Quia verò D. Thomæ & ſubtilis Doctoris in hac parte concordia, vtpotè duarum Scholarum aduerſarum Principum, maximi poteſt eſſe momenti, hunc poſt illum producit ſic loquentem *in 3. diſt. 25. quæſt. 1. n. 8.* vt eum refert Anonymus quidam eius Diſcipulus maioris Conuentus Tholoſani Opuſculo de prudentia Chriſtiana contra abuſum Quintæ conſcientiæ, ſic enim, obſcurè licet, opinionem probabilem vocat: *In moralibus quando ſunt altercationes de aliquo peccato quando primò eſt mortale, vt ſi vnus peritus in ſcientia dicat quòd non licet ſic mercari, & alius dicat quòd licet: tutius eſt non procedere ſic nec ſic, ſed expectare quouſque veritas pateat aliunde. Si enim ita eſſet quod vnus Doctor diceret aliquem peccare mortaliter, niſi ſic faceret, & alius quòd peccaret, ſi ſic faceret, tunc ſimplex foret perplexus. Ideò benè videndum eſt in moralibus antequàm aliquid aſſeratur: quia videlicet cùm habens duas opiniones contrarias perplexus ſit, periculosè ſe determinaret ad vnam, niſi re diligenter inſpecta.* Hæc ex Scoto Anonymus, & ex Anonymo præfatus Scriptor. Et quod ad priorem partem attinet, id damus libenter, ſimplicem quidem, cui contraria vnus & alter Doctor inſtillant, dum dubius & perplexus eſt, tutiùs ab operatione temperare: & tutiùs quidem Doctor ſubtilis ait, & non penitus obligatorium. Sed ſit illud tale; ex eo tamen circa valentem diſcernere circa opiniones non fit ſimiliter eſſe pronuntiandum ob rationem diſcriminis ſæpiùs aſſignatam. Id autem quod de probabiliore opinione ſequenda dicitur à Verbo *Aſſeratur* apud ſubtilem Doctorem non extat: ex quo apparet minimè integra fide ab huiuſmodi turbulentis Scriptoribus in hac cauſſa procedi. Vnde cùm promouere illam ſatagunt, reddunt pro ſua parte deteriorem.

Eidem adſcripta, quæ in eo non extant.

Idem.

520. Aliud ex eodem ſubtili Doctore teſtimonium profert ex 4. diſt. 11. quæſt. 6. vbi ſic ſcribit: *Cùm multis ſit probabilior pars negatiua, non ſine peccato aliquis ſe exponit dubio ſequendo affirmatiuam minùs probabilem.* Sic ille, Sed minimè aduerſans, quia in quæſtione, quam agitat & reſoluit *nu. 2. §. His breuiter*, Scriptores partis affirmantis cum fautoribus aduerſæ conueniunt: in adminiſtratione inquam Sacramentorum, quod ad materias eorum & formas attinet, ſententiam

Circa Sacramenta opinio tuta ſequenda.

eſſe tenendam tutiorem. Erat autem quæſtio an amydum ſit materia ſufficiens pro Sacramento Euchariſtiæ? & formalia verba iſta: *& dubium ſit an amydum ſit huiuſmodi materia, & pars negatiua multùm ſit probabilior, non ſine peccato aliquis ſe exponit tali dubio.* Tantùm ille. Vnde non eſt mirum modo præfato reſoluiſſe, cùm ex eo dubium Sacramentum redderetur. Ex quibus apparet citatum Scriptorem non legiſſe Scotum, & ea de cauſſa in id prolapſum, quod in alijs ſtylo irriſorio, & à Theologica grauitate alieno reprehendit. In *Articulo enim 6. §. Soluuntur obiectiones* adducit P. Thomã Sancium *in Summa Lib. 1. Cap. 9. n. 7.* quem alij Caſuiſtæ ſecuti, ex quibus Ioannes Sancius. Et PP. Layman & Filliucius, dum teſtimonium D. Thomę profert ex *Quodlib. 3. art. 10* vbi ait *poſſe quemquam amplecti opinionem, quam ex magiſtro audiuit in ijs, quæ ad mores pertinent.* Circa quod ita ſcribit: *Sed totum hunc Articulum diligenter & accuratè legimus & relegimus, & ea verba inuenire non potuimus: nec ea certè videre poterimus, niſi Sanchez ſua illa conſpicilia, quibus videntur ea, quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt, noſtris oculis admoueat. Nam S. Doctor nihil tale habet in hoc Articulo, ſed totum oppoſitum,* ait enim: *vt ſuprà retulimus: In his quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excuſatur, ſi ſequatur erroneam opinionem alicuius magiſtri: in talibus enim ignorantia non excuſat: Ex quo duo patent notatu digna, nimirùm Sanchez locum illum D. Thomæ adulteraſſe, vel ſaltem alienis oculis legiſſe, & alios recentiores Caſuiſtas, qui illum pariter ſic corruptum & vitiatum referunt, Auctores non legere, ſed abſque vllo prorſus examine tranſcribere id, quod alij ſcripſerunt, &, vt loquitur Nauarrus ſupra relatus, Alios ſequi ſicut oues alias oues, vel vt aues, quæ vnam volantem omnes aliæ ſequuntur* Sic ille, ſuimetipſius maſtyx, dùm in alios clariſſimos Scriptores deriſorio calamo debacchatur. Quomodo autem P. Thomæ Sancij defendi poſſit aſſertum, nec Diuo impoſuiſſe Thomæ, *inferiùs*, Deo dante, demonſtrandum *n.* 638.

Amydum an ſit materia Euchariſtiæ.

P. Sancium Fr. Goned *iniuriosè & ridiculosè porcellit.*

Aliquot citati Scriptoris ſolutæ rationes, & pariter verior ſententia confirmata.

521. PRobat ergo Primò ex Scriptura, quæ docet nos debere quantùm ſcimus & poſſumus obedientiam præſtare Deo in obſeruantia mandatorum eius, vt patet ex illo *Deuter. 26. Hodie Dominus Deus præcepit tibi vt facias mandata hæc atque iudicia, vt cuſtodias & impleas ex toto corde tuo, & ex tota anima tua.* Id eſt quantùm vnuſquiſque ſcit & poteſt, vt Interpretes communiter exponunt. Vnde ait Propheta Pſal. 118. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis.* Id eſt, *valde*, & quantum ſcimus & poſſumus. Sed qui operatur ſecundùm opinionem minùs probabilem, quæ ſtat contra præceptum in concurſu probabilioris, quæ ſtat pro præcepto (v.g. pictor,) qui nullam neceſſitatem habens pingendi, pergit in die feſto, quia id licere probabile exiſtimat, non facit quantùm ſcit & poteſt, vt cuſtodiat Dei præceptum: ſcit enim magis condecere ad obſeruantiam eius ſequi probabiliorem ſenten-

1. *Ex Scriptura arguitur.*

Deuter. 26.

Pſal. 118.

tiam, quàm adhærere minùs probabili, & de facto abstinere à pingendo: ergo qui operatur secundùm opinionem, quam minùs tutam, & minùs probabilem iudicat relicta probabiliori, non excusatur à peccato, & transgressione præcepti. Benè quidem, & ex eo arguo. Ergo etiam qui operatur secundùm opinionem probabiliorem, transgressor præcepti est. Id constat applicando auctoritates, & simile exemplum in artifice, cuius labor secundùm probabiliorem opinionem excusat ab impletione præcepti: nam & scit, & potest, neque ad laborandum necessitate compellitur. Quid ad hæc? Illud non transgredi, quia operatur secundùm prudentem sapientium directionem, qui vt magis digni creditu proponuntur. Atqui id tantùm arguit minùs perfectè operari, non tamen imprudenter, cùm & Doctores sibi fauentes habeat: præterquam quòd non est pictoriæ facultatis (& sic de alijs) de maiori aut minori opinionum probabilitate iudicare, circa quam sua etiam opinionum diuersitas esse potest, sicut & circa Doctorum diuersimodè sentientium qualitates, qui non numero, sed sapientiæ ac probitatis dotibus æstimandi. Et quod ad locum Psalmi attinet, D. Augustinus *Nimis* exponit *valde*, & ait tum ad Deum, tum ad custodiam posse referri, & hunc esse concludit sensum: *Valde vtique præcepit hoc Deus, & valde oportet Dei custodire mandata.* Itaque Deus custodiri sua mandata mandauit vti rem magni momenti. Quod quidem ita reputat, qui opinionem minùs tutam sequitur, quia prudenter æstimat se Dei non violare præceptum, nihil facturus tale, si in eo grauem Dei fore offensam sibi persuaderet.

Sed in arguentem retorquetur.

D. August.

Mandata nimis custodiri vt iubeat Deus.

522. Secundò probat ex illa formidabili voce Christi Matth.7. *Quàm arcta via, & angusta est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inueniunt eam.* Si autem liceat operari secundùm quamcumque opinionem probabilem, relicta ea, quam probabiliorem & securiorem iudicamus, via cæli non arcta & difficilis, sed latissima & planissima esset, immò à nouis Casuistis nouas opiniones probabiles quotidie in Ecclesiis inducentibus, tantoperè dilatata & complanata, vt nemò ferè sit, qui cum suis ambitionibus, vsuris, superfluitatibus, delitijs, per eam commodè ambulare non possit. Hac enim Maxima supposita, vix inuenies actionem vllam prauam, quæ licita non sit, quia vix vlla est, quæ à recentioribus Casuistis licita non asseratur: quod ait Auctor manifestè à se ostendendum *infra*, cùm nouorum Casuistarum excessus, seu potiùs noua probabilitatum monstra relaturus. Vnde Bassæus apud Caramuelem *in Theologia Regulari Disput.6. Ex opinionum varietate*, inquit, *iugum Christi suauiter sustinetur:* posset namque euenire plerasque hominum rebelles se prodere, si ad aliquid determinate agendum constringerentur, eo modo, quo tenemur mandata naturalia Dei implere. Prouidentia ergo superna cautum est vnicam viam operationum moralium non dari, sed rectam inueniri posse actionem, siue iuxta vnam, siue iuxta alteram opinionem operentur mortales: sicuti est melius hercle plures esse vias ad Matritum ducentes, quàm si vnica tantùm via reperiretur: nam illam, vel nimis latam esse oporteret, aut per eam transeuntes impediri, & cum molestia pergere esset opus &c. Ergo (infert Caramuel) Ecclesia Catholica felicior debet dici quòd exuberet sanctissimis & doctissimis viris, qui introduxerunt benignas opiniones, quia damnarentur plurimi, quos sententiæ probabilitas saluat. Nec inde Ecclesia infelix, quòd Doctores opinentur passim; sed & inde felicior, quòd benigniùs & faciliùs suos possit ad lauream Empyream promouere. Id ipsum alios passim recentiores referre ait, qui & gratulandum propterea huic sæculo censent, quòd via inuenta sit medendi animarum morbis feliciori successu: vt in obligatione restituēdi statim, & totum, ac non per partes, quam probabiliter negant aliqui, si dominus nolit dilationem partim sibi noxiam, & valde vtilem debitori concedere. Et in famulo ducente concubinam, quod probabilior opinio negat, cuius oppositum tenere ait Patrem Azor *Tomo 2.Lib.12. Cap.vlt. Quæs.8.* & etiam in associantibus, & sella gestatoria portantibus: circa quod Diana *Parte 3. Tract.6. Resolut.11.* se consultum refert, & alios referentem respondisse: ægrè enim tales ad omittendas actiones dictas adduci possent: & opinionum probabilium beneficio ab eo remouentur periculo, & Sacramentorum receptioni apti redduntur.

Matth 7. 2. Ex Christi verbis de via arcta & angusta. Vbi & discursus circa laxitatem à Recentioribus & laudatam & introductam

Caramuel. Bassæus.

Laxarum opinionum exempla.

523. Contra hæc, quæ absurda & periculosa reputat, & à communi SS. Patrum, & virorum sapientium sensu aliena, adducto Sinnichio, & Mechlinienſi Archiepiscopo, qui suo decreto omnes Caramuelis libros à sua diœcesi proscripsit, nonnullisque alijs, insurgit, adductis etiam D. Gregorij Magni, & Chrysostomi verbis circa morborum curationem. Vrget item ex eo quòd ex prædicta Casuistarum doctrina, alia maior sequeretur absurditas, seu potiùs impietas, nimirùm his postremis temporibus millies quàm priscis, ad æternam salutem faciliùs peruenīri, cùm quotidie nouæ opiniones probabiles à Casuistis introducantur. Contra quod Mercori Inquisitoris Mantuani auctoritatem inducit. Quæ omnia in caussa nostra parui momenti sunt, & ita facilè respondeo arctam esse viam & angustam, quæ ducit ad vitam, quia mandatorum est, quæ pauci obseruant. Neque ex Patribus aut sacris Interpretibus antiquitate aut Sapientia commodatis vllus produci poterit, qui arctitudinem & angustiam ad obligationem sequendi probabiliores opiniones referendam arbitretur. D. Ioannes Chrysostomus *hom.18.* in Matthæum paucis, sed aptissimis rem absoluit dicens: *Quidquid enim sub lege non est, solutum est: quod autem sub lege est, semper angustum est.* Sic ille. Deinde, ex eo quòd dicatur opinionem minùs probabilem sequi quempiam posse, non sequitur optionem illi datam amplectendi laxitates, in quas omnes benè sentientes, SS. Alexandro VII. in Bulla contra eas, de qua *suprà*, Duce & Auspice inuehuntur. Tenenda ergo in praxi opinio, non est de earum laxitatum futura genere, quæ non bene in Theologia audiunt, licet vnus aut alter Casuista eam euulgarit: sed verè probabilis, licet quatenus ab obligatione præcepti eximit, laxa quodammodo dici possit. Quod equidem aduersarij debent, cùm probabilioris opinionis sequelam contra præcepti rigorem admittant, profiteri. Sicut & id quod de arcta & angusta via obijciunt, etiam deuorare.

Aliunde etiam pondus probationis indicitur.

Ad omnia facilius respondeo.

D. Ioan. Chrysost. *arctam & angustam viam pauci, sed vitidis exponit.*

Quomodo

Quomodo enim per arctam & angustam viam intrat, qui proposito præcepto, & illius obligatione in casu ocurrente grauibus Doctoribus conclamantibus, eos non audit, sed alios, qui fragilitati naturæ magis indulgent? Qui scilicet, vt in exemplo nuper appositō, laborat in Festo, non ieiunat diebus præceptis, non restituit, &, vt Scriptura loquitur, *protrahit datum angustianti.* Eccli.4. v. 3. Prælato non obedit: nec *reddit Altissimo vota sua* Psal.49.v.14. & sic alij.

P. Azorij *laus, & sententia.*

524. De casibus autem adductis modò disputandum non est, nobis admonuisse contentis P. Azorium non bene Casuistam vocitari, cùm grauissimus & doctissimus Theologus sit, nec laxitatum damnabilium auctor, pro cuius consummata sapientia & probata quid scribat Ildefonsus Ciaconius videndum in *Tomi* 3. exordio. Neque inter recentes Scriptores nouitatum numerandus, cùm ante Septuaginta scripserit annos, vel, vt veriùs dicam, scripta sua euulgarit, nam præclaro magisterio Romæ & Compluti, centum ipsos possit annos numerare. Iam verò de casu illo loquendo, quem inter absurda & periculo a collocandum censor seuerus existimat, illum P. Azor non ita vt profertur approbasse ipsius verba reddent ad vnguem exscripta manifestum: sic enim ibi: *Octauò quæritur, An sit peccatum quando famulus vel ancilla iuuat concubinam ad se ornandum? Item quando famulus vel ancilla aperit ostium adultero venienti, suo hero iubente, aut quando sternit lectum, in quo scit heram cum amasio peccaturam, aut quando iussu heræ vocat amasium vt cum eo colloquatur in vinea vel horto, vbi scit heram cum amasio solitam peccare; aut quando dicit ei iussu heræ: vocat te ad cœnam hera mea, & scit cum eo post cœnam solitam peccare heram. Nauarrus vbi suprà* (scilicet in Manuali. Cap. 20. n.16.) *ait non esse peccatum in primo, & ita idem diceret de secundo, si feciſſet mentionem, quia in vtroque famulus vel ancilla solùm concurrit ad substantiam operis indifferentis, & ad obsequium suum debitum heræ præstandum, quando id facit vt obediat heræ sine mala alia intentione.* Sic ille, qui in primis ex Nauarri sententia locutus, quam non videtur improbasse: Neque Nauarrum inter laxitatum auctores quisquam numerauit. Deinde tantùm circa primum ait consentire Nauarrum, secundum verò dicturum affirmat, si de eo feciſſet mentionem. Primum autem erat de iuuante concubinam ad se ornandum: secundum autem de aperiente ostium. De famulo autem ducente concubinam, nihil ibi, quia nec quæsitum: aliud est enim vocationem intimare, aliud ducere: vel si vocatio pro ductu habenda sit, negatum potius quàm assertum apparet, ob dictam rationem. Vnde non videtur Diana citato loco eum pro affirmatiua sententia fideliter allegasse. Quoad gestantes autem affirmat ille cum Merolla, & de illis, qui ex officio id habent, loquendo, vt illi loquuntur, non leue habet in communi doctrina de indifferentium venditione eisdem abusuris fundamentum, quia si hos admitterent, non alios, considerabili emolumento ad victum necessario priuarentur: præterquam quòd multis perditorum hominum iniurijs expositi remanerent. Certè hucusque sententia talis, de qua ego modò finali iudicio non decerno, non est inter adulterinæ

Circa famulos in illicitis ministrantibus quid ille sentiat.

Quid illi imponatur, etiam à Diana.

Theologiæ monstra numerata, de quo quæstionum genere à me etiam in *Thesauro* disceptatum. *Tomo 1.Tit.1. num. 144.& seqq. & Tit.4. num.45.*

525. Id autem quod de obligatione restitutionis dicebatur, quæ fieri aliquas per partes potest, iuxta quosdam, sine eorum est citatione prolatum, & videtur non caruisse mysterio, ne monstri huius auctor diceretur D. Antoninus ita tenens, sicuti Angelus, Nauarrus, & Petrus Nauarra, quos adducit Diana *Parte 3. Tract.6. Resolut.5.* nihil circa quæstionem affirmans, aut negans. Aut ergo sententia prædicta ex laxorum grege non est, aut inter antiquos necessarium est fateri fuisse etiam auctores laxitatum. Videantur quæ de D. Antonino ex Auctore citato dedimus *nu.511.* dictum scilicet esse *Antoninum Consiliorum.* De Angelo autem & Nauarro sine manifesta iniuria aliter sentire non licet: quorum primus inter antiquos locum non ignobilem nactus est: posterior autem licet ætate talis, grauitate, sapientia, & religione, conspicuus, ante centum iam elapsos annos inter primarios iurisprudentiæ Magistros, cum laude etiam in Theologicis, celebratus. Petrus Nauarra & ipse etiam non exiguo in pretio habitus, nec rabula laxitatum, vnde cum honore illum celebriores huius sæculi Scriptores soliti compellare. Iam quod ad alios à prædicto Scriptore adductos attinet Sinnichium, Mercorum, Mechlinienſem Antistitem, vt libet loquantur: tres enim sunt illius partis Sectatores, quibus pro aduersa innumeri veniunt opponendi, vt de vltimo taceam, quod à Caramuele eidem obiectum speciali opere contra ipsum, & in suo Apologemate, de quo iam dixi Sacrę Indicis Congregationis auctoritate prohibitum, neque hucusque notum, quæ in illo sint specialiter improbata, de quo & per supremum S. Inquisitionis in Hispania Consilium nihil nouimus constitutum.

Circa restitutionem per partes.

D Antoninus.

Petri Nauarri *laus.*

526. Vbi quod de Sacris Ordinibus *nu.511.* in sui placiti munimentum ab Auctore, quem versamus, adductum extat, oportet hoc loco discutiamus. Didicimus ergo, sicut pauci illi adducti sunt, omnes etiam adduci potuisse, cùm certum sit in omnibus eumdem vigere spiritum, quòd ad caussam præsentem spectat, probabiliores videlicet sententias amplectendas, & solidiori esse doctrinæ communiter insistendum. Quòd autem stante peculiari aliqua conuenientia, & præsertim in administratione Sacramenti Pœnitentiæ non liceat minùs probabilem amplecti, neque ordinatum in illis, neque ordinari conuenienter potuisset: & in Societate quidem nostra Regula extat omnibus præfatis Ordinationibus pressior, quam & potuit, qui & præfatas, producere, sed non ampliùs caussam eius promoturam, & est illa 9. *Professoris casuum conscientiæ*, in qua, sic habetur. *Postquàm conuenerint, primùm vtile esset à singulis quid suus Doctor habeat, quam breuissimè referri: tum qui præsidet interroget ferè tres (quos satiùs est tempestiuè præmoneri, & vicissim variari) quid sentiant de primo casu: postèà ex his quæ dicta sunt ab illis, colligat ipse doctrinam tutiorem & probabiliorem: eodem deinde ordine casum secundum, & reliquos deinde eadem ratione excutiat.* Sic ibi. Tutior ergo & probabilior proponenda

Ex Sacerotum Ordinum Decretu argumentum imbelle.

Regula in Societate circa moralem doctrinam.

nenda ſententia: quòd ſi tutior non ſit probabilior, eligenda hæc, quod & in praxi pariter obſeruãdum. Sic autem Regula prędicta procedit, vt ea non obſtante, id locum habeat, quod in §. ſtatutum inuenitur tenore ſequenti: *Ita ſuas confirmat opiniones, vt ſi qua alia fuerit probabilis, & bonis Auctoribus munita, eam etiam probabilem eſſe ſignificet.* Tantùm ibi. Stat ergo cum tutioris & probabilioris opinionis amplexu, minùs tutæ & probabilis propoſitio, vt ſcilicet illa eſſe vſui poſſit volenti iuxta illam operari, non obſtante tutiori & probabiliori per Profeſſorem dictum comprobata: ſi videlicet illa *verè probabilis ſit, & bonis Auctoribus munita.* Per quod indiſcreta illa & præceps opinionum quarumlibet conſectatio excluſa eſt, quàm doctum PP. Prædicatorum Capitulum animoſam compellauit. Neque plus aliquid ſibi voluit SS. Alexandri VII. ad eoſdem admonitio, cuius & meris circa grauium ſcriptorum cenſuras à Facultate Sorbonica in hac opinionum varietate iactatas, ſatis ex eius Bulla contra ipſos habetur manifeſta, & contra probabilitatum aſſertores peculiarem aliquam fuiſſe contortam fatetur Vincentius Baron *Parte 2. Manuductionis Diſput. 4. Sect. 2. Arti. 1.* quocum inferius diſſerendum.

Alia pro eodem.

PP. Dominicanis quod à SS. Alex 7 iniunctum nil continet diuerſum.

Decretum SS. Congreg. pro eodem.

527. Apponendum etiam hoc loco id, quod Congregatio Generalis 11. poſtrema inquam quando hæc ſcribo, circa materiam præſentem ſtatuit vt appareat ex hoc nouo argumento minimè illi placere inconſultas nouitates, ſtatuit enim Decreto. 22. *Primò monendos eſſe Profeſſores Theologiæ moralis cautè omninò ut doceant, neque quòd aliquid probabile reputent, illico ſibi licere arbitrentur illud in publicum ſcripto, verbove protrudere; ſed ad id attendant maximè quod monet Congregatio. 5. Decreto. 45. an communi Scholarum ſenſui congruat, ac præterea ſcandalum vel offenſionem aliquam uſpiam parere poſſit.* Hæc ibi, & alia, quibus nulla ad evitandam periculoſam pruriginem falſitatum conſultiora poſſunt cogitari. Obſeruandum tamen non pænitus prohiberi Theologiæ Profeſſores in publicum edere id, quod ipſis probabile videtur, ſed immaturam & deproperatam editionem: quod quidem verbo accommodato declaratum, ſcilicet *Protrudere*, impulſum, ſeu violentam motionem deſignante. Quando ergo tale non eſt, duo attendenda præſcribuntur, vt communi Scholarum ſenſui congruat, nec pariat offenſionem. Poteſt ergo communi ſenſui non congruere, nec tamen parere offenſionem: quia ij ipſi, qui communem ſenſum amplectantur, & opinantur iuxta illum, ex opinione contraria nullam capiunt offenſionem, ſeu ſcandalum, quod idem eſt, nam ſcandalum Græcis, Latinis offenſio eſt, aut offendiculum. Hinc eſt novas quaſdam opiniones approbatas ab ijs, qui oppoſitum penitus ſentiebant, pro quo ſingulare exemplum adducit P. Mendus in *ſtatera Diſſertat. 13. n. 345.* & in re quidem non ſolùm maioris, ſed ſupremæ omnium inter Theologicas conſiderationes abollæ. Quibus ſic adnotatis ad rationum curriculum redeamus. Ergo

Obſeruatio peculiaris circa illud.

528. Tertiò probat ex D. Chryſoſtomo homilia. 44. in Matthæum vbi ita ſcribit: *Si veſtimẽtum empturus vnum quæras negotiatorem & alterum, & vbi meliores veſtes inveneris, & pretio viliori, ab illo comparas: an non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere vbi ſincerè veritas Chriſti venundatur, & vbi corrupta, & veriorem eligere plusquàm veſtimentum?* Quibus verbis apertè docet, quòd ſicut ex præcepto prudentiæ tenemur emere veſtes meliores, ita & eligere veriorem & probabiliorem ſententiam. Quam rationem fusè à ſe expendendam ait §. 5. & certè ſi quidquam illa momenti habet, ex ea fit non probabiliorem, ſed ſecuriorem eſſe opinionem ſemper conquirendam, vrgendo vim comparationis. Nam veſtes empturus vnum & alium negotiatorem quærit, vt aliàs habeat, quæ ſunt dubio procul meliores. Quòd ſi talis ſciret apud vnum ex illis meliores haberi, etiam ſi multi dicerent eas etiam apud negotiatorem alium inueniendas, quamuis illi digni fide eſſent, ſed qui non penitus eum poſſent reddere certiorem, contra legem prudentiæ faceret, ſi eorum iudicium ſequeretur, ex quo fieri poſſet, vt non meliores, ſed deteriores tandem inueniret. Quid ad hæc argumenti auctor? videat, & quod aptum reſponſum excogitauerit, illi accommodet. Nos dicimus veriſſimum eſſe quod S. Doctor affirmat de quærendis melioribus magiſtris veritatis, quando de aliquibus ſuſpicio ſubire poteſt ad id muneris idoneos non eſſe, præſertim cùm de fide agitur, & illius myſterijs dignoſcendis, rectâque in cœlum via, quam iuxta Chriſti ſententiam peſſimi Doctores occludunt, hæretici inquam, de quibus ibi S. Doctor in decurſu: *Sic & modo hæretici Sacerdotes claudunt ianuam veritatis.* & inferius. *Ipſi non intrant per avaritiam, & alios intrare non permittunt per ignorantiam.* Quæ ſunt illius verba. Non ſic autem, non ſic Catholici Doctores, qui diuerſas opiniones tradunt, ex quibus neque error in fide, neque deviatio à cæleſti porta poteſt pertimeri, & vt exemplo veſtium vtamur, apud eorum quemuis probabiliter opinantium eas inueniet, quæ ſuæ eſſe conſcientiæ accommodatæ queant. Si meliores quærantur veſtes, planum eſt apud eos quærendas, qui meliores habere comperiantur. Sed qui non ita pretioſas velit, quia minore ſibi pretio & labore comparandæ, contra legem prudentiæ non delinquit, ſi locupletiores non quærat mercatores. Sic etiam non tenetur quis perfectiora conquirere, & laborem quorumdam mandatorum ſubire, quando ex probabili opinione recognoſcit licere ſibi ſine præcepti violatione laborem in eius adimpletione, licet minùs perfectè agendo, devitare. Quam etiam imperfectionem poterit internis actibus Deo maximè gratis, vt humilitatis & claritatis, alijsque abundè ſupplere, & non ieiunans ieiunantes multos ſuperare, & ſic in alijs.

3. D Chryſoſtomus vti fautor adſcitus.

Qui & contra aſſertorem unius, ſi quidquam vrget.

De hæreticis ille locutus, & eorundem explicatum.

Quartò ex D. Bernardo *Libro de præcepto & Diſpenſatione.* Cap. 14. in quo ita loquitur: *Vt interior oculus verè ſimplex ſit, duo arbitror eſſe neceſſaria, claritatem in intentione, & in electione veritatem. Nam ſi bonum quidem diligat, ſed verum non eligat, habet quidem zelum Dei, ſed non ſecundùm ſcientiam: & neſcio quemadmodùm iudicio veritatis:* Vera eſſe poſſit cum falſitate ſimplicitas. Sic ille. Sed qui eligit opinionem minùs probabilem in concurſu probabilioris, non habet in electione veritatem, cum non eligat id, quod ſibi videtur verius & probabilius; immò eam potiùs

4. D. Bernardus etiam adductus.

potiùs aliquo modo ſpernit, cùm reijciat ſententiam, quæ magis videtur illi conſona: ergo ille non rectè eligit, nec habet interiorem oculum verè ſimplicem.

Qui & retorquetur, cum expoſitione genuina.

Reſpondeo ex hoc ad ſummum haberi ſic operantem non operari perfectè, ad quod tamen non tenetur. Deinde, argumẽtum, ſi quidquam vrget, etiam contra amplectentem opinionẽ probabiliorem contra tutiorem & ſecuriorem apertè procedere. Nam electio, de qua D. Bernardus, vt Deo cum ſimplicitate cordis verè & laudabiliter ſeruiatur: Atqui operans iuxta probabiliorem opinionem non quærit eo modo, qui magis eſt conſonus veritati, cùm ſe exponat errandi periculo, quod tamen amplexus opinionem penitus tutam euitabit: *Ergo ille non rectè eligit, nec habet interiorem oculum verè ſimplicem,* & ita accommodari illi poteſt ſententiæ præfatæ concluſio: *& neſcio quemadmodùm iudicio veritatis vera eſſe poſſit cum falſitate ſimplicitas.* Præterea operans iuxta opinionem minùs probabilem, verum eligit eo modo, quo eligi prudenter poteſt in materia dubijs & contrarijs iudicijs expoſita: licet enim ipſe verum cenſeat oppoſitum, ſed cum formidine; quia fortè id, quod aduerſantes ſentiunt, verum eſt, quorum ea in re placet iudicium amplecti. Addo hic non agi modò de operante ſecundùm opinionem alienam, de qua *inferiùs*, Sed de eligente opinionem minùs probabilem. In quo quidem duobus modis ſe gerere poteſt: vel nullam amplectendo quo ad firmum aſſenſum, etiam ſi illi vna earum veroſimilior appareat, quia benè id ſtare poteſt, eo quòd licet appareat ſimilior vero, poteſt tamen eſſe falſa; quod & reipſa ita eſſe plures videt Doctores, aut vnum pluribus non imparem, arbitrari, vnde iudicium ſuſpendit. Aut firmo aſſenſu alicui adhæret, & tunc eo ipſo illi eſt probabilior, vnde in eo euentu implicationem inuoluit, ſi dicatur minùs probabilem elegiſſe. Niſi fortè ex eo quòd contraria illi magis probabilis communiter iudicatur. Aſſertio noſtra in priori caſu procedit, & etiam ſecundùm hanc vltimam explicationem, quam in vtrôque videntur aduerſarij pernegare.

Ex eodem contra aduerſantes.

530. Addo illos aliunde Diui Bernardi auctoritate poſſe non leuiter vrgeri, ex qua habemus eũ, qui cum Chriſtiana ſimplicitate operari deſiderat, pro electione debere ſolicitè inquirere veritatem. Pro quo doctrinam Auctoris præſentis apertè nobis ſuffragantem proferre iuvat, qui *citato Art. 2. §. 1 verſ. Prima propoſitio* ſic habet: *Cùm quis in aliquo caſu morali agnoſcit vnam opinionem eſſe probabilem, illam ſcilicet quæ affirmat actum eſſe licitum, poteſt tuta conſcientia iuxta illam operari, nec tenetur inquirere an opinio contraria, quæ dicit actum eſſe illicitum, ſit aquè probabilis aut probabilior. In hoc primo gradu conueniunt communiter recentiores Theologi, & Caſuiſtæ.* Sic ille, qui præfatam propoſitionem non videtur improbare, quam non ſolùm Caſuiſtas, ſed recentiores Theologos ait communiter amplexari: vnde in decurſu ſemper loquitur in opinionum conflictu. Hoc autem ſuppoſito inquiro quomodo in ſic operante amor veritatis appareat, qui cognoſcens opinionem eſſe probabilem, quæ licitum eſſe actum affirmat, ibi ſiſtit, nulla de opinione alia, quæ illicitum fortè aſſerat, inſtituta quæſtione? Non ergo D. Bernardi ita premit auctoritas, cui debent etiam ex ea arguentes reſpondere. Pergit, & ex D. Thoma probationem inſtruit, de qua iam à nobis dictum.

P. Goned.

531. Quinto ergo arguit iuxta ſeriem noſtram ratione fundamentali §. 3. ſic: Ad rectitudinem operationis requiritur certitudo ſaltem moralis de honeſtate excludens moralem formidinem: Sed qui ſequitur opinionem minùs probabilem faventem libertati in conflictu probabilioris, quæ fauet præcepto, non habet talem certitudinem: ergo non rectè & honeſtè operatur. Maior eſt certa, quia vt actus ſit honeſtus, & moraliter bonus, debet dirigi à prudentia, quæ eſt generalis regula actuum humanorum: prudentia autem cùm ſit virtus intellectualis practica, requirit certitudinem ſaltem moralem in ſuo obiecto. Minor etiam non apparet minùs euidens. Quis enim affirmare audeat ſe habere moralem certitudinem de honeſtate illius operationis, quæ magis mala quàm bona ſibi apparet, & de qua hoc iudicium & dictamen habet: Probabiliùs & veroſimiliùs eſt hanc actionem eſſe malam & illicitam? Sed qui operatur ex opinione minùs probabili, quæ ſtat contra præceptum in concurſu probabilioris, quæ ſtat pro præcepto, non poteſt non habere tale iudicium & dictamen in intellectu, cùm opinio probabilior fauens præcepto dictet & ſuadeat probabiliùs & veroſimilius actionem illam eſſe malam & illicitam: ergo qui ſequitur opinionem minùs probabilem modo dicto, non habet certitudinem moralem de honeſtate & bonitate morali operationis.

§. ex certitudine neceſſaria honeſtatis operationis, quæ in aliter operante deficit.

Confirmat ex eo quòd qui habet ſuſpicionem, ſcrupulum, aut dubium, quòd aliqua actio ſit illicita, non habet certitudinem moralem de eius honeſtate ac bonitate morali: Sed qui ſequitur opinionem probabilem modo dicto, habet non ſolum ſuſpicionem, ſcrupulum, aut dubium, ſed etiam aliquid maius, nempe conſcientiam non ſolùm probabiliorem, cùm validiora pro illa habeat motiua, quàm pro alia: ergo non habet moralem certitudinem de honeſtate operationis.

Cui obſtat ſcrupulus, & dubium, & contrarius aſſenſus.

Reſpondeo conceſſa Maiori negando Minorem, & ad probationem ſimiliter nego quod aſſumitur, & dico iuxta minùs probabilem opinionem operantem etiam poſſe duci dictamine prudentiali, licet aliàs oppoſitam ſimiliorem vero exiſtimet, quia prudentium dictamine regitur, qui dicunt actionem talem hic & nunc non eſſe contra præceptum, & vt aliam eliciat commodo aliquo per mouetur. In quo quidem de honeſtate actionis certitudo moralis eſt, quia non ſolum agitur ſecundum dictamen amplectentium talem opinionem, ſed quamplurium aliorum docentium licitã eſſe operationem in concurſu probabilioris, qui proculdubiò plures ſunt, quàm oppoſitum contendentes, & ſine inſigni audacia nequeunt id eſſe improbabile affirmare. Cùm ergo firmiſſimum dogma ſit in Theologia iam currente poſſe quemuis iuxta opinionem minùs tutam & probabilem, circa id bene inſtructum operari, ad moralem certitudinem ſuppetit quod eſt abundè ſufficiens, cùm de operationis agitur honeſtate. Quod autem in confirmatione additur, minus mouet, cùm ſit inter opinionem & dubium manifeſtum diſcrimen, de quo ſupra & licet verum

Solutio exhibet moralis certitudinis fundamentum.

ſit

sit assensum de maiori probabilitate plus quodammodo dicere in ordine ad illicitam actionem; absolutè loquendo non est ita in casu præsenti, in quo constat pro honestate actionis secundùm se plures stare; & quamplurimos pro eadem in adiunctis circumstantijs.

Iudicium reflexum impugnatum, & defensum.

532. Impugnat deinde communem responsionem de iudicio practico & reflexo rectificante conscientiam pro rectitudine operationis compatibili cum alio de ipsius malitia, scilicet hoc, *sequens quamcumque sententiam probabilem tutò operatur*; quod est practicum, & ita stare cum alio speculativo potest, aut si libeat vocare practicum, aliud tamen, quo regulanda est operatio, practicè practicum dici potest. Quod sic opinantium dogma, eorum clypeum esse ait, cum vi argumentorum premuntur, sed stramineum, quem difficile non fuerit infregisse. Sed certè non est ille adeò debilis, vt eidem apparet, cùm illum vi argumentorum infringere adeò impetuosè pugnantes minimè valuerint, vt constat ex Auctorum numero, qui passim prodeunt, & sententiam clypeo isto munitam vt veriorem & vtiliorem fidelibus, amplexantur. Arguit ergo quærens an illud dogma sit certum, vel tantùm probabile? si primum dicatur, rogat iterùm vnde sic affirmantes certitudinem istam repetant? Non ex Scriptura, quæ potiùs multis in locis eidem aduersatur, vt iam dictum & probatum à se ait. An ex Patribus? Sed nullum ex ipsis afferri testimonium potest. An ex ratione? Sed nulla clara & demonstratiua. Si dicatur dogma probabile: ergo non est medium sufficiens ad certificandum de rectitudine actionis: Sicut enim ex contingenti tantùm contingens, ita ex probabili tantùm probabile, & fallibile sequi potest. Sed impugnatio hæc ipsum etiam impugnantem premat necesse est affirmantem non stare obligationem sequendi partem tutiorem, quando opinio probabilior in contrarium stat. Quod quidem neque ex Scriptura, neque ex Patribus habetur: & si qua pro eo est ratio, probabilitatis limites non excedit, propter quod suprà vidimus doctos scriptores asserere operantem secundum opinionem probabilem non habere iudicium omnino certum de morali actus bonitate, sed probabile tantùm, licet moraliter certus censeri debeat, quod ante alios docuit P. Vasquez *Tomo. 1. in. 1.2. Disput. 62. n. 26. & 27.* Quid ergo ad hæc? Videant qui sic arguunt, & suam argumento adaptent responsionem. Dici certè potest sufficientem haberi certitudinem, quia licet probabile tantùm fundamentum sit opinio illa minimum gradum probabilitatis continet, & ita apud Theologos oppositum pro certo habetur, sicut in nonnullis alijs contingit: & ita sine formidine potest pars tutior opinioni contrariæ posthaberi. Quo dogmate stabilito, pro quo Theologorum auctoritas adeò prævaluit, consequenter dicendum non esse admittendam exceptionem, quam Theologorum communis assensus non probarit, licet sint aliqui ex aduerso: quem admodùm ad certitudinem moralem tollendam non obstitit Caietanum, Armillam, Henricum, & nonnullos alios contrarium censuisse. Constat autem sententiam de licita minùs tutæ & probabilis opinionis sequela in concursu probabilioris communissimam esse, & aliquomodo videtur impossibile, vt quæ sic est recepta in Ecclesia nequeat tuta conscientia ad praxim aduocari, & fideles in hoc decipit quod adeò esse illis exitiale potest, non inuenientibus rectam salutis viam in ijs, qui ob sapientiam & morum probitatem ad ostendendam illam sunt in Ecclesia Duces, magistri, & pastores etiam constituti.

P. Vasquez.

Dogma in Theologia sat constans.

533. Sed instat, quia omnes ita sentientes Theologi & Casuistæ (esto eruditione & sapientia & pietate celebres sint, quod negare non potuit) non sunt haud dubiè tantæ auctoritatis in Ecclesia, quantæ Diuus Augustinus Doctorum Aquila, & humanorum ingeniorum apex; eique sapientia, prudentia, eruditione, pietate, & animarum zelo, multò inferiores sunt: & tamen ille S. Doctor ingenuè profitetur securitatem à se datam nihil valere apud Deum, si à lege diuina dissentiat: *Ecce* (inquit hom. 11.) *dat tibi securitatem procurator quid tibi prodest si pater familias non acceptet? Procurator sum, seruus sum, vis tibi dicam: Viue quomodo vis, Dominus te non perdet? Securitatem tibi procurator dedit: nihil valet securitas procuratoria: vtinam tibi Dominus securitatem daret, & ego te solicitum facerem? Domini enim securitas valet, etiam si nolim; mea nihil valet, si ille noluerit.* Sic ille. Cùm ergo Deus securitatem non promiserit quamcumque opinionem probabilem sequentibus, nec vllum huius dogmatis in Scriptura & Patribus extet vestigium, & illud ratione firma probari nequeat, immò potiùs rationi videatur contrarium, manifestum est illud à nouorum Casuistarum suffragio non posse omnimodam securitatem & firmitatem habere, quæ moralem omnem excludat formidinem, & à peccato excuset. Vnde Lactantius *lib. 3. Cap. 13.* rectè admonet. *Ne trahamur auctoritate cuiusquam, sed veritati potiùs accedamus*, & subdit: *Nullus hic temeritati locus est: in æternum stultitiæ pœnà subeunda est. Sit aut persona inanis, aut opinio falsa deceperit.*

Instantia ex defectu securitatis, quam tribuere Casuistæ nequeunt.

D. Augustinus.

Lactantius

534. Respondeo in primis instantiam præfatam eos etiam vrgere, qui opinionem probabiliorem relicta tuta & secura sequuntur, vt patet discursum integrum applicando. Deinde, auctoritati D. Augustini quantùm asseritur defero, & plus, si oporteat, dignissimè commerenti, & ita dico in casu occurrenti quod si Doctor sanctus circa quæstionem dubiam consuleretur, & re, vt erat opus exposita, responderet, eius futuram probabilem responsionem, licet talis esset, vt faueret potiùs libertati, quàm præcepto, & ita eam secutus in praxi, minimè peccaret, & securus posset in conscientia permanere, & hoc est quod ex instantia deduci commodè potest. Auctoritas autem adducta nullius momenti est, vt ipsius tenor cuiuis potest mediocriter intelligenti reddere manifestum. Loquitur enim de viuentibus vt volunt, idest, in omnibus, quæ occurrunt, proprias sequuntur voluntates; & ita vitijs, & peccatis grauibus implicantur. Vnde sic ante verba præfata homiliæ. 11. ex. 50. *Turpe est vt vos fallam, si Deus me non fallit. Dominus mortem minatur impijs, nequissimis, fraudatoribus, sceleratis, adulteris, voluptatum inquisitoribus, suis contemptoribus, detractoribus, murmuratoribus, & mores suos non mutantibus. Dominus illis mortem minatur, gehennas minatur,*

D Augustini retorquetur auctoritas.

Qui de apertè vitiosis locutus.

D. Augustinus.

minatur, interitum sempiternum minatur. Quid volunt? Vt ego promittam quod ille non promittit? Ecce dat tibi securitatem procurator &c. Et quid hæc ad opiniones, quas fideles sapientium, & piorum magistrorum auctoritate firmatas amplexantur? De quibus nec locutus Firmianus, sed de alijs, nec solida sapientia, nec morum suffragio commendatis, & vbi præsertim de capessenda religione agitur, & veris fidei iaciendis fundamentis.

Tenetur ex se quid opinionem minùs probabilitatis gradum excedat.

535. Instat insuper, quia nouorum Theologorum & Casuistarum auctoritas vltra probabilitatis sphæram nequeunt aliquam sententiam euehere: vnde quamuis prædicto dogmati accedat extrinsecum eorum suffragium, semper remanet intra terminos probabilitatis, subindeque moralem certitudinem causare nequit, nec omnem formidinem & dubietatem practicam à conscientia expellere. Ex quo patet iudicium reflexum non posse certificare illam de rectitudine operationis: quia dubietas & formido non possunt expelli nisi per aliquod principium firmum & certum. Pro quo & tres confirmationes adiungit. In *Prima* arguit ex eo quòd dubitatio debet excludi per aliquod certius, quale non est dogma prædictum intra limites probabilitatis inclusum. In *Secunda*, quia si iudicium reflexum dubietatem & formidinem excluderet, sequeretur affirmationem esse causam negationis, & possem rectè concludere me non habere de aliquo formidinem & dubietatem, quia de eo habeo formidinem & dubietatem: sed hoc absurdum est: ergo & illud. Sequela patet, quia formido & dubietas sunt de intrinseca ratione opinionis probabilis, iuxta D. Thomam *q. 4. de veritate & 1. p. q. 79. arti. 9.* Ergo si iudicium reflexum tollat formidinem in casu dicto, sequitur affirmationem esse causam negationis, & me non habere de aliquo illam, quia de illo habeo formidinem & dubietatem. In *Tertia*, ex eo quòd si operans ex vi sententiæ minùs probabilis posset vt est necessarium certificari, nullus vnquam peccaret sequendo sententiam dubium: quod constat dici non posse, ex D. Thoma. *Quodlib. 8. arti. 13.* & Caietano *Tomo 1. Opusculor. Tract. vlt. Responsi. 13. dub. vlt.* sequela probatur, quia non datur conscientia dubia sine aliqua probabilitate: ideò enim quis de probabilitate alicuius propositionis dubitat, & fluctuat inter vtramque partem contradictionis, quia vtrimque habet rationes probabiles: ergo si sola probabilitas reflexè cognita certificat conscientiam de rectitudine operationis, sequitur nullum ex conscientia dubia peccare: nam semper habebit principium aliquod certificans de rectitudine operationis, nimirùm *sequens quamcumque sententiam probabilem, de honestate & rectitudine suæ operationis est securus.*

Ex formidine, quam intrinsecum reflexum tollere nequit.

D. Thom.

Facilis responsione satisfit, & axioma explicatum de affirmatiua, quæ non est causa negationis, & è contra.

536. Sed his non est operosum satisfacere: Concedo enim sententiam probabilem semper manere intra sphæram probabilitatis: nego tamen per iudicium reflexum non posse certitudinem sufficientem haberi de rectitudine operationis; quia licet probabile sit, eum tamen gradum in genere probabilitatis adeptum est, vt moralem certitudinem sit aptum conciliare, iuxta dicta, & necessariam aduersantium concessionem admittentium licitam sequelam probabilioris opinionis etiam minùs tutæ. Ad Confirmationes ex dictis constat dubietatem per aliquid certius tolli, moraliter in-

quam, per quod ad *Primam*. Ex quo etiam fit affirmationem non esse causam negationis, quia principium illud, licet probabile, summè tamen probabile est, & ita certum modo dicto, per quod ad *Secundam*. Negatur in *Tertia* quod assumitur ob rationem sæpiùs redditam. Nego deinde dubium semper habere vtrimque rationes probabiles, vt communiter Doctores statuunt. Quòd si verè ita contingat, vt sic dubitans vnam partè verè probabilem velit amplecti, & iuxta eam operetur, siue propter fundamenta intrinseca, siue propter extrinsecam auctoritatem, hoc est quod contendimus esse licitum, contra quod noui momenti quidquam non occurrit. Sed alia iam quæ sequuntur videamus.

Rationes aliæ ex eodem Scriptore propositæ & solutæ cum nouis verioris sententiæ firmamentis.

1. Ratio ex improbabilitate sententiæ minùs probabilis sicut minus bonum est malum respectu maioris.

537. Habet illas §. 4. quorum est *Prima*. Quia sententia minùs probabilis licet secundùm se talis sit, comparatione tamen probabilioris est falsa & improbabilis: Nam sic se habet minùs verum ad intellectum, sicut minus bonum ad voluntatem: sed respectu voluntatis licet quodlibet bonum sit amabile, non est tale respectu maioris boni: vnde facta comparatione inter maius & minus bonum, voluntas non potest eligere minus repudiato maiori: quod ostensum fusè à se affirmat agente de actibus humanis. Ergo similiter in casu nostro dicendum. Quod roboratur ex D. Thoma *1. p. q. 50. arti. 1. ad 1.* vbi ex Aristotele docet medium comparatum ad vnum extremum, alterum extremum videri. v.g. tepidum comparatū calido videtur frigidum, & comparatum frigido videtur calidum. Ex quo infert cum Damasceno Angelos dici incorporeos quātùm ad nos, & immateriales; & comparatione ad Deum materiales & corporeos. Ergo similiter in opinionibus. Ex qua ratione præcipuum aduersariorum fundamentum prorsus euertitur ex ratione probabilitatis arguentium, cùm hæc desit facta dicta comparatione minùs probabilis ad probabiliorem.

D. Thom.

Negatur assumptum, & quod ad bonum attinet explicatur.

Respondeo negando quod assumitur, & ad probationem similiter nego, quod de minori bono dicitur, aliàs teneremur ad consilia Euangelica, in quibus ratio boni maioris elucet: quod est contra fidem: & Matrimonium esset malum, ac propriam libertatem ac substantiam conseruare. Deinde admitto aliquo modo doctrinam illam de electione maioris boni, & dico in conflictu opinionum dicto, quando quis minùs probabilem in praxi amplectitur, maius eligere bonum, quia hìc & nunc illi vt commodius proponitur, quidquid de appretiatione alterius sit. In quo quidem non est necessarium vt istud tamquàm malum proponatur, nisi secundum quid, quatenus scilicet vt minùs commodum, & aliquo modò molestum æstimatur. In quo etiam intellectus suam seruat proportionem: dum enim de maiori probabilitate iudicat, & iuxta illam assensum præstat, aliquid improbabilitatis in opposita deprehendit, sed quod non tollat absolutam probabilitatis rationem: ea autem inæqualitate stante nequit eidem assentiri, quam falsam reputat: sed quia cum formidine assentitur alteri, & quòd proista non leuia esse suffragia dispiciat,

illam

illam potest vt practicè amplexabilem proponere voluntati. In quo intellectus maiorem probabilitatem necessariò amplectitur; de illa iuxta motiua proposita iudicando, & voluntas maius bonum hîc & nunc semper amplectitur, cùm iuxta minùs probabilem operatur, in quo seruatur æqualitas, quin opus sit, vt quod est probabilius iudicatum amplectatur, quia libera est, quod non habet intellectus, qui id, quod minùs probabile est, potest vt magis commodum. neque cum morali bonitate pugnans, voluntati præsentare.

Ampliori explicatione res illustrata & roborata.

538. Ex quo habemus non ita esse quod infertur, scilicet ratione prædicta fundamentum oppositæ sententiæ ex probabilitate opinionis minùs probabilis desumptum prorsus euerti: nam reuera firmum & inconcussum perstat: siquidem sententia minùs probabilis ex comparatione cum probabiliore suam probabilitatem non amittit; quandoquidem vel ab intrinseco, vel ab extrinseco eadem continet fundamenta, quæ quidem ex oppositæ concursu minimè labefactuntur, vt est euidens; sicut aurum tanti valoris, aut argentum, non illum amittit ex concursu cum pretiosiori: neque album definit esse album ex præsentia maiorem albedinem continentis, & sic in alijs: falsum ergo est in concursu dicto falsam esse & improbabilem opinionem. Pro quo addo, duplicem improbabilitatem posse in casibus sic occurrentibus reperiri, ex cuius declaratione fit satis etiam, & congruentissimè quidem, propositæ rationi. Nam cùm duplex opinio occurrit cum inæqualibus fundamentis, nequit intellectus eã, quæ minùs solida habet fundamenta per assensum absolutum amplexari, quia cum aperta implicatione illa staret, affirmans duo opposita, scilicet, *Hoc ita est, sed illud est magis conforme veritati.* Prius ergo dum probat, aliud probare nequit eidem assentiendo, & ita sicut reputat falsum, vt reputare potest, ita & improbat, vnde illi improbabile est. In quo sensu damus arguenti, quod tantùm eius potest, si quidquam potest, argumentum euincere, nec considerabile habet in præsenti caussa momentum. Nam est improbabilitas alia secundùm Theologicam acceptionem, iuxta quam id dicitur improbabile, quod solida ratione, & sufficienti est auctoritate destitutum, & hanc quidem non habet sententia minùs probabilis in conflictu probabilioris: sicut ex eo quòd aliquis illam minimè amplectens improbabilem hoc modo censeat, non ideò talis illa absolutè habenda est, si communiter probabilis reputetur. Nihil ergo præfata conficitur ratione; iam ad aliam, & est illa.

2. Indifferentia dictaminis, cùm tamen regula esse certa debeat.

539. Secunda, Quia dictamen regulans operationem non debet esse indifferens vt conformetur, vel non conformetur legi æternę, quæ est prima regula rectitudinis nostrarum operationum, vt docet D. Thomas 1.2.*q.*19.*arti.*4. sed debet quantùm est de se ipsi conformari, saltem quantùm ad apparentiam: id est, debet ipsi magis conforme, quàm difforme apparere. Sicut horologium vt sit certa mensura durationis rerũ corporearum, debet quantùm de se conformari motui cæli, omnium motuum inferiorum mensuræ. Sed dictamen rationis fundatum in opinione minùs probabili, ne apparenter quidem conformatur legi æternę, quia stante opinionum conflictu, non magis apparet ipsi conformari, quàm non conformari; immò magis apparet non conformari, quia pars probabilior magis id suadet: ergo tale dictamen non potest esse regula rectæ operationis.

Resp. data minùs considerata, æterna legi conformia.

Respondetur concessa Maiori, & Minori negata, cuius est debilis probatio; conformatur enim legi æternæ dictamen, per quod operatio regulatur, quia est conscientiæ dictantis hîc & nunc honestam esse operationem, aut saltim non malam, cum determinata conformitate ad opinionem ita decernentis, ad quam attenditur, ne à diuina lege in operando deuietur: quia enim quis eam violare refugit, modum sequitur, quo id stare conuenienter queat, licet in eius operatione imperfectio aliqua admiscatur; quam tamen sub peccati reatu non tenetur deuitare. Prędictum autem iudicium practicum est horologium certum designans ordinem in operationibus obseruandum.

3. Quia non sequitur in operando dictamen rationis.

540. Tertia. Ille non agit rectè, qui in sua operatione non sequitur dictamen rationis: sed talis est qui relicta opinione probabiliore sequitur minùs probabilem: ergo &c. Maior patet; Quia dictamen rationis est regula proxima & immediata morum, vt docuit *suprà* D. Thomas. Minor suadetur, quia dictamen rationis nihil est aliud quàm inclinatio potentiæ rationalis ad assensum: sed qui relicta opinione probabili sequitur minùs probabilem, non sequitur huiusmodi inclinationem, cùm inclinatio intellectus feratur ad illam partem contradictionis, pro qua sunt magis conuincentia motiua quibus probabilior innititur; ergo non sequitur dictamen rationis.

Sequi ostenditur, dari inclinationem talem rationis.

Responsio est facilis concessa maiori, & negata Minori, & ad probationem concessa etiam Maiori distinguo Minorem: Non sequitur inclinationem speculatiuam, concedo: practicam, nego. Ex dictis constat distinctio. Inclinatio intellectus fertur ad assensum probabilioris sententiæ, qui & reipsa esse potest: præter illum datur etiam inclinatio alia ad assensum, per quem operaturo proponitur conuenientia operationis iuxta minùs probabilem opinionem, qui valde etiam rationabilis est, licet non ita ex se perfectus, quem voluntas pro sua sequi potest libertate.

4. Ex humana amicitia. Cui iam fallax satis.

541. Quarta, qui facit opus, quod probabilius credit posse displicere amico, etiã si probabiliter credat non displicere, contemnit amicum, subindeque contra leges amicitiæ peccat; talis est qui relicta sententia probabiliori minùs probabilem sectatur, exemplo eius, qui in domum recipit inimicum amici sui: ergo &c. Responsio petenda ex dictis *n.*471. circa simile exemplũ de seruo similiter operante; nunc de amico iuxta exemplum de seruo adductum dico admissionem inimici esse amico posse valde incommodã, & ita contra leges amicitiæ admissionem illam stare, secus si nullum sequeretur incommodũ, & de voluntate amici inuiolabili erga se illi constaret, vnde & certè sciret, neutiquam id facturum, quod fecit, si displiciturũ ipsi aliquo modò credidisset, & vt ita crederet non leuia habuisse fundamenta, licet essent qui secus suaderent, & prætereà in tali operatione, aliquod illi obuenisse commodum, propter quod amicus minimè censeretur offendi, qui amicitiam nõ vult tanto cum rigore procedere, vt semper quæ sunt amico gratiora, proprijs relictis cõmodis, debeant inuiolabiliter obseruari: vnde amicitia & diuina & humana multos veniales defectus admittit.

542. Quin-

5. Quia est ignorantia vincibilis.

542. Quinta, licet ignorantia inuincibilis excuset à peccato, non tamen ignorantia vincibilis, quia vna tollit ab actu rationem voluntarij, non verò altera: sed qui sequitur opinionem minùs probabilem, quam contingit esse falsam, probabiliori relicta, quam diuinæ legi magis consonam existimat, non habet ignorantiam inuincibilem, sed vincibilem veritatis: tùm quia ratione formidinis annexæ opinioni minùs probabili, errorem aliquo modo præuidet: tum etiam quia veritatem aliquo modo contemnit, non certando de alia sententia, quam veritati magis propinquam arbitratur: ergo talis non excusatur à peccato.

Soluitur obiecta vtilis adductione.

Respondeo similiter concessa Maiori, & Minoris negatione, & ad probationem dico nihil concludere: etsi enim sententia magis probabilis veritati propinquior videatur, & ratione formidinis præuideatur aliquo modo error: at propter rationem aliquam peculiarem conuenientiæ, & commodi, à certiore potest quis veritatis via discedere, quod non est illam contemnere, cùm absolutè non appareat, sed iure suo vti. Nam quemadmodùm, vt fatentur aduersarij, ratione peculiaris necessitatis, vt scilicet subueniatur periclitanti de salute æterna, potest minùs probabili circa Sacramentum opinione succuri, vbi deuiatio quædam à via veritatis, & præuisio erroris ab illis debet admitti, id certè contemptus illius non est, ob rationem dictam. Ita in casibus alijs dicendum, licet non paris necessitatis, magnæ tamen conuenientiæ: quæ licet in vno aut altero casu non semper sit, generaliter tamen magni momenti est grauamine isto carere sequendi semper probabiliorem opinionem, à quo quidem sæpè pendere potest salus æterna multorum.

6. Ex scrupulo, leui suspicione, & dubio, quibuscum non licet operari.

543. Sexta, qui habet suspicionem, scrupulum, aut leuem crudelitatem, quòd aliqua actio est illicita, peccat, & quidem mortaliter, si in tali materia taliter operetur: ergo à fortiori in nostro casu. Consequentia patet, quia probabilitas de malitia actus, præsertim, si magna sit, vt in probabiliori opinione, magis accedit ad certitudinem de illa, quàm leuis suspicio, scrupulus, aut dubium: ergo cum illa operans peccat. Antecedens verò expresè habetur in Cap. *Per tuas* 2. de Simonia, vbi deciditur esse peccatum mortale operari contra conscientiam scrupulosam, nisi priùs formido & scrupulus deponantur. Item in Cap. *Inquisitioni*, de sent. excommun. ibi: *Per Pastoris sui consilium (conscientia leuis, & temeraria credulitatis exposa) licitè poterit, non solùm reddere, sed etiam exigere debitum coniugale.* Per parenthesim illam innuente Pontifice, quòd si credulitatem illam, etsi leuem, vel temerariam non exploderet, petendo vel reddendo proculdubio peccaret. Quod confirmari potest ex D. Thoma. *Quodlib.*8. *arti.*13. vbi sic concludit: *Ex conscientia obligatur aliquis ad peccatum, siue habeat certam fidem de contrario eius, quod agitur, siue etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione.* Sic Doctor Sanctus. Ergo iuxta ipsum peccat eliciens aliquam actionem, quam ex conscientia dubia, vel scrupulosa putat illicitam, licet reuera talis non sit. Vnde cùm ille, qui habet conscientiam probabilem, immò & probabiliorem de malitia suæ operationis, fortiora motiua habeat, quam qui ex conscientia dubia & scrupulosa, si iste peccat, à fortiori ille.

Cap. Per tuas.

Cap. Inquisitioni.

D. Thom.

Respondeo negando Maiorem, quia tunc tantùm prædicta licitæ operationi obstant, quando verum dubium suboritur, & non læuis, aliqua, & sine fundamento momenti alicuius hæsitatio. Neque adducta Capita id probant. Primum enim procedit de habente opinionem de illicita operatione, quæ sicut & verum dubium in scrupuloso stare potest, vt in illo, de quo *Cap. Per tuas*: sic enim ibi: *Contra conscientiam* (qua scilicet quis putabat Episcopum ordinantem esse Simoniacum) *ad superiores Ordines non ascendat, ne fortè ædificet ad gehennam. Licet ex eo quòd conscientiam nimis habuerit scrupulosam, in difficultatem huiusmodi sit collapsus, quam vtique non euadet, nisi deponat errorem.* Sic ibi. Vbi cùm difficultas ex scrupulo orta dicatur, ad errorem necessariò deponendum, manifestum est non leuem tantùm formidinem, sed iudicium interuenisse, quo stante nequit in operatione procedi, vt communiter tradunt Scriptores, & Textu præfato adducto specialiter obseruat P. Scildere *Tract.*2.*n.*130. Quod quidem in Cap. *Inquisitioni* manifestius est, vbi citatis verbis, *Conscientia leuis & temeraria credulitatis*, idem indicatum: non enim leuis dicitur, quia non curranda cùm reuera credulitas sit, sed quia ex leuibus fundamentis, vnde ei opponitur illa, de qua ibidem Pontifex verbis adductis nu.72. *Cùm conscientia pulsat animum ex credulitate probabili & discreta*: quæ quidem vt prior illa non facilè potest deponi. Mirum est autem ita circa hoc Auctorem, quocum agimus, pronuntiare, cùm oppositus dicendi modus inter Scriptores receptissimus habeatur: de quo sic Guilielmus Herincx Tomo 2. Disput. 4. Tract. 2. de actibus humanis nu. 45. *Communiter est receptum apud Theologos, Casuistas, & Scriptores spirituales, licitum esse agere contra scrupulos, siue conscientiam scrupulosam. Nam stante leui suspicione de malitia operis, potest haberi iudicium rectum de illius bonitate: vnde tunc non operatur scrupulosus contra conscientiam, sed contra inanem formidinem conscientiæ iunctam: quod licitum & meritorium est.* Sic ille: qui *num. seq.* aliqua ex Marchantio adducit satis pro scrupulosis vtilia documenta. Diuus autem Thomas minimè aduersatur, qui de scrupulosis non agebat sed generalem de conscientia doctrinam proponere curabat, iuxta quam, & communem, verum est eum, qui operatur ex opinione iudicans aliquid esse peccatum, dum ex illius dictamine ad operandum procedit, proculdubiò peccare. Nihilo autem tale in casu nostro, vbi non ex dictamine opinionis huiusmodi, sed ex alio iam explicato oritur operatio. Sed demus id, quod assumitur, nihil ex eo contra nos, quod vrgere possit, habetur, cùm dici possit diuersam esse in eo rationem, qui ex opinione minùs probabili contra propriam operatur, quia habet, quo deponat conscientiam pro illicita actione stimulantem, auctoritatem scilicet Doctorum aliter sentientium, id quod in scrupuloso, non ita venit, cui ad variandum dictamen nihil est quod succurrat inter angustias constituto.

Negatur assumptum, cum prædicta leui fundamento nituntur, & explicati Textus.

Cap. Bertuas.

Cap. Inquisitioni.

Circa scrupulos qui expediat modum regiminu.

Guilielm. Herincx.

Moralis quædam ratio proponitur, & euidenter enodatur.

Desumitur illa ex prudentium hominum iudicio tutiora sectantium.

545. EXtat illa §. 5. & sic procedit ex communi prudentium hominum iudicio & existimatione petita, & fundata in percelebri illo Canonum sacrorum dogmate, *In dubio tutior pars est eligenda.* Cùm enim dubium sit ac incertum an rectè operemur sequendo opinionem minus probabilem in concursu probabilioris, & nullus dubitet licere sequi probabiliorem & tutiorem, relicta minùs tuta & minùs probabili; recta ratio & prudentia suadent huic potiùs adhærere sententiæ, quæ nulli prorsus errandi ac peccandi periculo nos exponit, quam illi, quæ nos probabili saltim errandi & peccandi periculo reddit obnoxios. Exemplo Henrici Quarti Galliarum Regis, qui Catholicam & Romanam religionem amplectendam censuit, quia in illa Christianè viuentibus certa est salus, etiam hæreticis fatentibus à se consultis; cùm tamen in eorum sectis salutem esse non posse, licet ipsi secus assererent, Catholici tamen vti dogma certissimum conclamarent. Rem ergo tantam noluit ambiguæ fortunæ committere, sed cum omni securitate salutis æternæ negotium accurare. Item homo non minùs debet esse cautus in ijs, quæ animæ salutem spectant, quàm in illis, quæ ad salutem corporis, in quibus qui minùs probabili opinione vteretur, imprudenter omninò & stultè ageret, vt si medicamentum reciperet, quod probabiliùs putaret esse mortiferum, vel qui naui se committeret, quam probabiliùs crederet perituram, aut siluam intraret, quam à latronibus inhabitatam probabiliùs æstimaret. Quid ergo dicamus oportet vbi de negotio æternæ salutis omnium maximo pertractatur? His additur historia Philippi Cancellarij Parisiensis ob plura beneficia retenta damnati, cùm tamen in eo opinionem probabilem sequeretur, sed minùs tutam, testante D. Thoma *Quodlib. 9. arti. 5.* in quæstione dicta Theologos Theologis, & Iuristas Iuristis contraria sensisse. Item & B. Seuerini in Purgatorio detenti eo quòd Imperialibus negotijs in aula assistens, Canonicum Officium per distincta Horarum spatia non persoluisset: & tamen ex opinione procedebat, cùm plures Casuistæ docerent licitum esse ob rationabilem caussam horas diuini Officij præuenire, illudque totum manè recitare, vnde præstat illud D. Augustini consilium sequi: *Tene certum, dimitte incertum.*

Henrici Quarti. *præclarum exemplum.*

& Cancellarij Parisiensis.

Et B. Seuerini.

Fit ostendendo in oppositio procedendi modo locum etiam esse prudentiæ, sicut & securitati.

546. Sed prudentiæ suum etiam locum esse in opinione, quam sequimur, ex dictis elucet, cùm minimè contra illam sit prudentium contra proprium multoties sequi iudicium, etiam si proprium similius vero videatur. Dico ergo vlteriùs rationem dictam, si quod pondus illi, ipsos premere etiam arguentes, quando, vt per illos licet, opinionem magis probabilem quis sequitur, sed minùs tutam, vt aliàs, & non semel, vrgebamus. Item, tunc quidem obiectio vim habere posset, cùm penitus incertum certo præferretur, quod tamen hîc non accidit, quandoquidem moraliter certum est dicto modo operantem, vt ostendimus, non peccare, & ita nulli periculo amittendæ æternæ salutis exponi. Iterùm dico impossibile moraliter esse vt non tutus sit in conscientia, qui operatur secundum opinionem, quam numerosissima & illustrissima Ecclesiæ multitudo complectitur. Id modò addendo non solùm pro securitate stare, qui censent opinionem minùs probabilem & tutam relicta probabiliori & tutiori, ac propria licitum esse sectari, sed etiam eos, qui negant, quatenus affirmant id esse probabile, si vnum aut alterum ingenij durioris excipias, minimè curandum, dum tantorum nubem testium suffragantem ex aduersarijs etiam habeamus, & regis quidem Henrici laudandum in caussa, de qua agebatur, arbitrium, quod & necessarium, salutem æternam corditus exoptanti, dum in parte, quam eligit Catholici, hæreticique conuenirent, in salutis inquam æternæ certa via in Ecclesiæ Catholicæ doctrina reperta: qua veritate constante non poterat iuxta hæreticorum sententiam, ea deserta, cum Sectarijs, aduersantibus Catholicis, consentire, quia in negotio religionis eligendæ, & iaciendi fundamenta salutis, non est ambiguis semitis procedendum; cùm præsertim Catholicos debere hæreticis in caussis religionis præferri, non poterat non ingenio & experientia præcellens, nisi rebellis esse lumini vellet, ille Princeps ignorare. Est autem valde diuersum quando inter Catholicos diuersitate opinionum agitur, vbi propter veritatum quarumdam ignorantiam, ad rationes potest occurrentes vtrimque recurri, omnibus sapientia & pietate Doctorum suffragante; cùm sit dogma in Theologia constantissimum opinionibus etiam in rebus, quæ ad conscientiam spectant, tribuendum, vnde exempla ex prouidentia circa res temporales petita nihil iuuant: ibi enim manifestum est ita operantem se periculo exponere: quod secus accidit in casu nostro, cùm peccatum absit, & ita salus æterna in discrimen non adducatur.

In negotio religionis eligendæ ob periculum damnationis manifestum.

547. Iam quod ad historias attinet, damnatio Cancellarij non ideò accidit quòd in pluralitate beneficiorum opinionem probabilem verè talem, tutiore & securiore posthabita fuisset amplexus, sed quia reuera probabilis non fuit attentis circumstantijs retentionis. Vt enim D. Thomas in eodem loco nuper adducto docet, attento iure naturali tales possunt circumstantiæ occurrere, vt licita sit plurium prębendarum retentio, etiam sine dispensatione, & quod ad ius Canonicum attinet, idem etiam accidere posse ex eodem S. Doctore diximus *nu. 518.* Circumstantiæ ergo cùm defuerint, non est mirum Cancellario damnationis sententiam irrogatam, & quidem circa hoc grauiter illum fuisse prolapsum, neque probabilitatis exactos terminos attendisse, ex ijs colligi non obscurè potest, quibus ille id reddidit manifestum, dum sic narratione in sua post alia: *Tertia est, (scilicet caussa) & illa grauissima omnium, quòd abominabili carnis vitio in scandalum multorum, multo tempore laboraui.* Hæc ergo esse caussa potuit vt ille obligationibus beneficiorum vt par erat non responderet. Addendum id, quod ex eiusdem etiam verbis potest aptè deduci, dum sic ait: *Secunda est quòd contra sententiam plurimorum de pluralitate beneficiorum quasi licitè tenendorum opinionem propriam defensaui.* Hæc ille; cuius peccatum in eo videtur constitutum, quòd propriam sententiam, singularem inquam, & iuxta

Circa damnationem Cancellarij quod ratio similium asserendi.

Tragica narratio.

iuxta occurrentes circumstantias improbabilem defensarit. In alio autem exemplo narrationis tenor caussam manifestat, iure optimo subijciendus.

Notanda alia circa sententiam B. Seuerini, qui tamen retinet S. Seuerinum, non sunt, sed alius.

548. Sic ergo Clericum Colonienſem in Purgatorio detentus, quisquis ille fuerit, allocutus: *Nihil aliud in me remansit vltione plectendum, præter hoc tantùm, quia dum in aula regia constitutus, imperialibus me consilijs vehementer implicui, Canonica synaxis officia per distincta horarum spatia non persolui. Manè quippe simul omnia coaceruans, tota die negotijs ingruentibus secura libertate vacabam.* Hæc ille, qui dum se Imperialibus consilijs vehementer implicuisse affirmat, non obscurè innuit aliquid de vehementi implicatione potuisse decerpere, vt sacrum officium distinctione horarum commoda recitaret. Pro quo & illud opportunè succurrit, sententiam quæ affirmat cum rationabili caussa posse Officij sacri tempus variari esse probabilem, immò & probabiliorem, si eius rationes, & Doctorum auctoritatem attendamus: pro quo videndus Diana *Parte 2. Tract. 12. Resol. 14.* plures adducens, & P. Vincentius Tancredi *Tractatu 3. de Religione Disp. 14.* qui ex P. Suario *de Religione Lib. 4. Cap. 27.* (corrige 26.) *nu. 8.* obseruat id, quod in caussam præsentem quadrat aptissimè, & de quo statim. Cùm ergo à B. Seuerino probabilior fuerit opinio in recitatione Officij sacri retenta, & iuxta Auctorem præfatum, & communem sententiam, nullum sit in eius vsu peccatum: necessariò dicendum est ex alio capite illud accidisse, sicut in casibus alijs, pro quibus reuelationes adducit Nauarrus *de Oratione Cap. 3.* circa quos P. Suarez loco nuper indicato ita scribit; *& inde accidere potuerunt illæ visiones & reuelationes, quibus ostensum est præmaturas vel tardas recitationes Deo non placere, vel in Purgatorio puniri. Præterquam quòd facile in his rebus interueniunt culpabiles negligentiæ, vel solicitudines sæculares minùs decentes Ecclesiasticas personas, quæ non excusant recitandi tarditatem.* Sic ille: qui consequenter ad dicta, & etiam à se dicenda *nu. seq.* addere maiori ratione potuit, *& præmaturam recitationem.* Vbi quod de sæcularibus solicitudinibus protulit minùs decentibus Ecclesiasticas personas. Non fuisse autem Diuum Seuerinum Colonienſem Episcopum, qui ob illas est ita punitus, probat Cardinalis Baronius in *Annotationibus ad Martyrologium Romanum circa diem 23. Octobris*, & euidenter quidem, ex temporum supputatione.

Variatio temporis in Sacro Officio facta.

Diana.

P. Vincent. Tancredi.

P. Suarez.

Card. Baronius.

Moralis alterius rationis propositio, & dilutio.

549. HAbetur illa. §. 6. pro qua sic præmittit: *Dabit veniam lector eruditus, si ad hoc nouorum Casuistarum dogma, cuius tantum est virus, vt omnem pœnè Theologiam moralem infecerit, penitus euertendum, aliud argumentum morale subijciam &c.* Vbi quidem si de illa loquatur intemperata licentia, quam ex præfatis aliqui in quarumlibet opinionum vsu concedunt, addentes & ipsi vix probabiles, immò & sæpiùs improbabiles laxitates, nihil est in eius verbis improbandum. Si verò in ijs sententiam, quam defendimus, de licita sequela opinionis alienæ tangat, est modus loquendi talis minimè tolerandus, sicut & alia nonnulla apud eumdem, quæ non videntur cum sincero posse & religioso agendi modo componi. Argumentum autem ex eo desumitur, quod talis opinandi modus (qui si licitus esset, nihil commodius, nihil aptius ad tollendos scrupulos, & ad complanandum salutis iter expeditius esse poterat, vt ex Recentiori quodam, cuius & verbis loquitur ille, laudati ob elegantiam, apponit) antiquis est Patribus & Doctoribus ignoratus: nullum enim apud eos ipsius vestigium, vt ex eo constat, quòd nullus omnino à Casuistis ad illum probandum adducitur, *& quis non videat* (ait elegans ille Recentior) *quam sit absurdum vt in re tanti momenti, quod Patribus ignoratum fuit, hoc postremis temporibus subitò patuerit?* & simili discursu vtuntur quidam Recentiores contra P. Suarium contendentem obligari hominem ad actum contritionis in articulo mortis, nec ei sufficere Sacramentalem absolutionem cum attritione cognita. *Incredibile est* (aiunt illi apud Caramuelem in Theologia fundamentali *n. 307.*) *annis integris mille sex centis, rem tam necessariam, si esset vera, fuisse in Ecclesia Romana ignoratam. Altiùs de Dei misericordia est præsumendum: non enim admittendum est ab illo ita totam Ecclesiam deseri, vt in re tanti momenti semper fuerit decepta. Quæ ratio* (addit idem) *tametsi moralis sit, & non metaphysica, fortis interim est & sufficiens vt Suarij opinio reijciatur.* Sic cùm loquatur dictus auctor, meritò potest ad argumenti vim acuendam eius discursus applicari, & dogma illud reijci quo asserunt Casuistæ recentiores omnem opinionem probabilem probabilitate quantumuis tenui, tutam esse, subindeque licere sequi eam in concursu probabilioris. Pro quo & exclamare cum D. Hieronymo licet *Epist. 65. Cur post quadringentos annos* (dicamus nos mille sexcentos) *docere nos niteris, quod ante nesciuimus? Cur profers in medium, quod Petrus & Paulus edere noluerunt? Vsque ad hunc diem sine ista doctrina Mundus Christianus fuit. Illam senex tenebo fidem, in qua puer natus sum.* Hæc Doctor sanctus: post cuius verba Auctor responsionem Caramuelis & aliorum quorumdam proponit sapientiam recentiorum Theologorum extollentium, & fidem à veteribus, quidem hauriendam, doctrinam verò morum à Recentioribus affirmantium, & sic totam moralem Theologiam esse nouam. Quæ quidem ita absurda esse ait, & à communi sapientium sensu adeò aliena, vt impugnatione non egeant, sed ea retulisse, confutasse sit, quadam D. Augustini sententia subiuncta, sine loci, in quo extet notatione: in quo non multùm laborandum est, cùm in caussa præsenti minimè necessaria, ad roborandum inquam argumentum, videantur.

Scriptor Anonymus.

D. Goned *discursus ex nouitate opinionum, & illarum infectione.*

D Hieron. *nouitatibus infensus.*

550. Ad quod responderi satis opportunè potest ad vnam propositionem stabiliendam, licere inquam sequelam opinionis alienæ propria retenta, non fuisse opus Sanctorum Patrum versare volumina, & eorum sententijs opplere paginas, sicut neque ad nonnullas alias, quæ suppositis fidei principijs, & illorum communiter in Ecclesia recepta doctrina, ex illa, iuncta ratione, Theologicis discursibus eliciuntur. Quod & fateri aduersarij debent, dogma illud in Theologia in concussum admittentes, licere inquam sequi opinionem

Genuina responsio cum retorsione. Vbi cur SS Patrum auctoritates non afferantur.

nem probabiliorem, relicta parte tutiori. Vbi enim Patrum auctoritates pro illo? Dici ad quod meritò potest, in Scriptura Sacra, quam iuxta illius legitimum sensum Patres exponunt, haberi, sapientium esse amplectenda consilia, sacræ doctrinæ audiendos magistros, qui fecerint & docuerint, esse illos luces mundi, salem terræ, clauicularios Cœli, dum modū seruandum ad ingressum in illud aperiunt, eos qui audiunt Christum audire, & sic alia: ex quibus meritò deduci potest eorum posse sine conscientię offendiculo sententias recipi, & ad vsum adsciſci, quæ non possunt non congruis fundamentis esse subnixæ; cùm non sit credibile illos irrationabiliter pronuntiasse. Ad hunc ergo modum in casu nostro philosophandum, quia vt depositа interim propria sententia, quæ tenenti semper probabilior est, sequi alienam liceat, omnia præfata succurrunt: cùm & Doctores & rationes pro aliena sint, & multoties pro illa maior eorum turba suffragium præstet. Ad quid ergo congerenda, quæ adeò sunt in Theologia perspicua, & à nemine in causſis huiusmodi requiruntur? Certè in Summiſtis antiquioribus vix huius generis quidquam occurrit, & quærenti talia respondere cum Tobia possumus: *Genus quæris mercenarij, an ipsum mercenarium, qui cum filio tuo eat.* Tobiæ. 5. v. 17. Eruditiones Patrum exigit, an Theologicam opinionem? Textibus & rationibus agitur, non concionum apparatu.

Tobia 5. v. 17.

Non illa ad omnia positiuè necessaria.

551. Deinde, non omnia argumenta Theologica ex auctoritate positiua Patrum petenda sunt, cùm multoties sufficiat negatiua; ex eo scilicet quòd apud illos nihil occurrat propositæ assertioni contrarium, dum nouitas illi obijcitur, quæ alia ex ratione, & sufficienti potest auctoritate fulciri; sic enim quamplures sunt in Scholas inuectæ, & hoc modo argumentari in præsenti etiam possumus. Si autem dicatur apud Patres haberi tutiorem partem in rebus ad conscientiam spectantibus eligendam id non obstare ex dictis est compertum, quia tutior pars deseri potest, si quis contrariam sententiam, quæ eo ipso, vt diximus, probabilior illi est, amplectatur: & quæ modò apparet talis, potest facilè, vt superiùs etiam obseruauimus, minùs probabilis apparere; vnde considerabile non est discrimen quoad negotium istud, siue hoc, siue illo modo sentiamus, cùm vtrôque modo id, quod est penitus tutum, relinquatur. Neque ego totum id quod ex Caramuele profertur, aut ex nonnullis alijs, admiserim, vt iam prænonui, sed vnum illud verissimum esse contendo, licere inquam alienam sequi opinionem, propria interim Silescente; quam neque SS. Patribus contrariam, neque antiquæ Theologorum Scholæ, neque propterea nouam penitus affirmarim, & vt noua aliquomodo sit, perperàm ipsi quod à Diuo Hieronymo est dictum, adaptatur. Ille contra errores Origenis, & eorum assecłas declamabat; vnde sic ante verba præfata: *Originem sic fertis in cælum, vt nihil eum erraſſe dicatis. Quisquis es assertor nouorum dogmatum, quæso te vt parcas Romanis auribus, parces fidei, quæ Apostoli voce laudata est. Cur post quadringentos &c.* Ergo cùm causſa præsens valde diuersi generis sit, cùm inter hæreticos & Catholicos non ineatur disceptatio, sed inter valde Catholicos illa sit; aliter equidem credendum est pronuntiaturum S. Doctorem, & iniuriam sibi factam ab ipso iri proclamatum ab ijs, qui verba eius iactata in hæreticos in valde Catholicos ac Religioſissimos iaculantur.

D. Hieron. contra errores manifestos decertabat.

552. Id autem quod ex Caramuele contra P. Suarium obiectum in patrocinium oppositæ opinionis adducitur, ipsum vrget sic arguentem, si tamen vrgere potest, cum negari meritò possit opinionem iam in Dei Ecclesia receptissimam antiquis fuisse temporibus ignoratam, iuxta dicta. Sed vt id demus, & legitimum modum arguendi concedamus, causſæ nequit præsenti conuenienter adaptari. Nam ibi agitur de onere fidelibus imponendo, & cum conscientiæ non leui vexatione futuro: hîc autem de illarum leuamento, quod quidem est laudabiliter est à Doctoribus Ecclesiasticis accurandum: nam ut vidimus. *n.* 549. ex Recentiore illo, ad tollendos scrupulos, & complanandum salutis iter, nihil aptius & expeditius opinione ista potest inueniri, si non infida aliàs esset, vt ille existimat. Atqui illa non infida est, cùm sit in gradu excellenti probabilis: ergo quidquid de antiquitatis defectu sit, amplectenda sanè, nec iugum Christi, & onus, insuaue & grauissimum faciendum.

Quod ex P. Suarij sententia adducitur circa aliquotionem vtrinam in articulo mortis non esse ad rem ostendunt.

Rationis alterius infirmitas de monstrata.

Arguitur à duplici inconuenienti, Quorum primum est inquisitionem veritatis reddi inutilem.

553. CVm Sinnichio arguit. §. 7. ex eo quòd duo inter alia inconuenientia ex nostra sententia resultant. Primum est inquisitionem veritatis ex ea inutilem reddi: Nam qui probabilitatem quamlibet: etsi tenuem, sufficere ad rectè agendum arbitrantur, eo ipso fideles ab instantia remouent. Quorsum enim se quisque fatiget petendo à Deo notitiam veritatis, qui secum se reputat ductu exiguæ probabilitatis? Neque enim ob alios necessaria illa est, nisi vt obtineatur bene agendi facultas & securitas, iuxta D. Leonis præclaram sententiam, & ita inmutandæ videntur Christianæ preces, nec iam sic orandum: *Veritatem tuam doce me. Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua,* & sic orandum: *Probabilitatem tuam doce me. Deduc me Domine in via tua: & ingrediar in probabilitate tua.* Sed quàm hoc debile sit, erit qui non videat nullus, nisi mentis oculos habeat præiudicio aliquo circa iuratas sententias occœcatos. Instantia orationis pro veritate obtinenda omnibus necessaria. Aduersarijs quidem, quia fatentur tutiorem partem posse deseri, si opinio probabilior libertati fauens inhæresçat. Mutent ergo preces, & dicant etiam: *Probabilitatem tuam doce me &c.* Quid ad hæc? Dicent, veritatem cùm petunt; ibi probabilitatis notitiam contineri, quia verissimum est probabiliorem sententiam sęcutum contra Dei legem non peccare, suam ergo responsionem argumento proprio accommodent; cùm nos etiam dicere possimus, quando veritatem petimus, ibi etiam probabilitatis notitiam peti, quæ futura sit vtilis diuinorum obseruantię mandatorum. Cùm contingere sæpiùs possit ab opinionis alicuius sequela, iuxta modum, quam fauorabilis sententia amplectitur, aliquorum fidelium salutem æternam, Deo sic ordinante, pendere.

Cuius defectus redditur manifesta.

Nec immutanda preces.

553. Al-

Secundum ex morum puritate, ex Episcopo Gandauensi.

553. Alterum inconueniens ex auctoritate Gandauensis Episcopi in Epistola Pastorali ad suæ diœcesis Clerum eiusdem verbis proponit, spectatque illud ad morum puritatem & innocentiam, quam sententia fauorabilis libertati violat & corrumpit. Nam ex nouorum opinionum laxitatibus vix est quidquam illicitum: nec vllum pænè præceptum naturale aut positiuum, quod per illas non elidatur: ita arctam cœli viam, reclamante Christo Domino, dilatantes, vt quantùm saltem apparet, commodius per spatiosam ambulent. Similia proferentem inducit Crespinum à Borgia in *Selectis moralibus Quæst.* 9. & contra Caramuelem præcipuè declamantem: quod & ad Casuistas alios extendendum censet: & vt id apertiùs constat, ad speciales casus excursu prolixiore descendit. Ad quæ sic ego; Me ex illis non esse, qui laxitatum auctoribus Cœca inclinatione conniueo, vt semel & iterùm dixi, illud vnum tantùm defendendum assumens, quod circa licitam sequelam opinionis, quæ verè sit probabilis, verum, solidum, & valde expediens apparet. Quid autem illud sit, ex probatissimorum Theologorum iudicio deducendum, & si eorum non adsit multitudo, ex paucorum suffragio non leuium accedente rationum.

Ad quod in primis statuitur laxitates minimè auctori placere.

554. Velle autem recentiorum Scriptorum adeò exiguo in pretio sententias haberi, vt in antiquiorum præsentia mutire non audeant, sed illud Spiritus sanctimonium iuuenibus proprium obseruent: *Adolescens loquere in tua causſa vix. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. In multis esto quasi inscius, & audi tacens simul & quærens. In medio magnatorum non præsumas; & vbi sunt senes non multùm loquaris.* Eccl. 32. v. 10. & seqq. Est quidem præsentis Ecclesiæ statum velle deprimere, vtpotè viris sapientibus, quos Pontifices in rebus dubijs consulere possint, & pro Ecclesiæ gubernatione generaliter adhibere destitutum: quod sine ingenti nequit temeritate proferri, nec sine piorum aurium offensione, ne plus aliquid dixerim, exaudiri. Pro quo iuvat id, quod in Concilio Tridentino accidit, & ex illius Actis constat, in medium produxisse, vt ea refert oculatus testis Ambrosius Catharinus in præfatione Disputationis de Immaculata Conceptione ad Patres Concilij: vbi quemdam Theologum Ioannem de Vdine Dominicanum contra definitionem mysterij, sic arguentem introducit: *Diuus Paulus, & Patres, aut crediderunt ipsam vestram de Beatæ Virginis à communi mortalium lege exemptionem aut non crediderunt? Si crediderunt, neque tamen vnquam, nisi vniuersè locuti sunt, nulla facta exceptionis huius mentione, cur non nunc eorum exemplum imitamini? Si contra crediderunt, tunc vestra opinio nouitatem redolet.* Ad hæc P. Didacus Laynez, & P. Hieronymus Lombardellus Franciscanus, hunc in modum responderunt. *Nihilo minorem esse auctoritatem Ecclesiæ huius temporis, quàm fuerat primitiuæ; eo videlicet diuino spiritu ductæ, eiusdem Christi Domini Vicario gubernatæ: atque adeò si Ecclesiæ antiquioris consensu factum, siue potiùs omissum vt Patres sine exceptione tunc loquerentur, consensionem vniuersalem, quæ celebratione festiuitatis Conceptionis Deiparæ à Romana Ecclesia sic institutæ sese hisce temporibus prodit, multò esse fortiorem ad Deiparam à communi sorte excipiendam, & validiorem ab ea argumentationem desumi.* Quæ ratiocinatio magno cum plausu & gratulatione Sacræ Synodi excepta fuit. Cur autem veritas dicta non fuerit, Synodo in id propendente finita, ex Actis eiusdem, quæ oculatus etiam testis exhibet P. Nicolaus Lancicius *Tomo. 2. Opusculorum Opusc.* 11. *Cap.* 13. *pag.* 49. & ex eo P. Ioannes Antonius Velasquez de *Conceptione. Lib.* 5. *Dissertat.* 3. *Annotat.* 4. *n.* 3. Iuxta quæ, cum nihilo minor sit huius temporis Ecclesiæ auctoritas, dicendum consequenter est viris etiam sapientibus abundare, qui & loqui ea fiducia possint, qua locuti antiquiores sunt, & in Ecclesiæ ipsius commodum aliqua procudere, sicut & antiquiores Theologi potuerunt, quin illis obiectio vulgaris de nouitate quidquam obfuerit, sicut non est præsentibus & futuris temporibus obfutura.

Ambrosius Catharinus

Acta Concilij Tridentini pro Conceptione Virginis.

P. Lancicius.

P. Velasqu.

Circa Opinionum Synopsim, quæ vti monstra in Theologia proponuntur ab Auctore, & varijs impugnationibus impetuntur.

VTILISSIMA EXCVRSIO.

In Caramuelem. PP. Tamburinum, & Escobarium Auctor impotenter inuectus. Vbi quid circa illos.

555. IN hoc toto Tertio laboratur Articulo, vbi præsertim contra Caramuelem stylum stringit, & contra P. Tamburinum, quem dicit inter nouellos laxitatum patronos celeberrimum, fortè quia alios non vidit, P. Escobar de Mendoza, ac nonnullos insuper, & quod ad Caramuelem attinet, habet ille doctum propugnatorem D. Franciscum Verde, quem & si non haberet, talis ego munus subirem nullus, licet sciam Societatem nostram multùm eius testatissimæ æstimationi debere, quia ipsius subtiles adinuentiones Theologis sapientioribus communiter non probantur, sicut neque amicissimo eius Dianæ, & forsitan ille viuit adhuc, & ætatem, ac duplicatum talentum habet, vt ipse pro se loquatur, aut quæ minùs accommodata solidæ Theologiæ protulit, ingenuè, vt tantum virum decet, cancellat aut temperet, vt cœpit (laudante id Diana) iam facere, qui & moderationem desiderat ampliorem. P. Tamburinus doctus, concinnus, & modestus Scriptor, pro se etiam vt spero, defensionem adornabit, qui & in multis, quæ monstra ab Auctore dicto, eorum domitore Hercule, reputantur, cum doctissimis alijs sensit: si qua autem alia minùs probabilia sunt, neque mihi probare est animus, sicut nec probandi acres eorum censuras, quas non videtur zelus secundùm scientiam, quæ in Auctore est non mediocris, fabricasse. Quo autem alio sint fabricata artifice, non est cuę subtiliùs & bellicosiùs disquiramus. P. Antonius de Escobar genus illud problematicum consectatus, minimè multa probat, quæ vt licitè videtur probabiliter proponere, dum ait: *Potest, Non potest*, vt legenti constabit: Sed sensus est: *Potest secundùm aliquos. Non potest secundùm alios.* Fateor in nonnullis modum illum dicendi non placere, quia multis improbabilibus applicatur, pro quibus Problemata immeritò instituta comperiuntur. De alijs non est quod dicam, cùm neque contra eos ita sæuiente mucrone præfatus

debellator insurgat : quatenus verò in sententijs, de quibus agetur, occurrere possunt, mentio de illis honorifica in decursu succurret : placet enim per omnes illas monstrosas opiniones calamo præuolante decurrere, vt si quid est circa illas adnotatu vtile, benеuolo lectori minimè subtrahamus.

ASSERTIO PRIMA.

Circa fornicationem, esse tantùm malam, quia prohibitam.

1. *Propositionis excessiua censura.*

556. HAbet illam Caramuel *Lib.*4. *Theologiæ moralis n.* 1598. & in *Theologia fundamentali n.*1171. quam Auctor non solùm falsam & improbabilem, sed etiam erroneam & hæresi proximam attestatur ex Soto *Lib.* 5. *de Iustitia quæst.* 3. *arti.*5. Sed Soti censura nimis videtur acerba, cùm graues Scriptores sint, neque ex laxitatum licentia celebres, sed antiquiores, in in quibus etiam videtur esse D. Thomas 1. 2. *q.* 71. *arti.6. ad* 4. *&* *q.*100. *arti.*8. *ad* 2. qui absolutè censent nihil esse peccatum, nisi quia prohibitum, vt videri potest apud P. Vasquez *Tomo* 1. *in* 1.2. *Disput.*97. *Cap.*2. pro quo & plures affert Caramuel, leui certè ductos ratione. Quod quidem non ideò dixerim, quòd eorum modò amplecti sententiam velim, sed ad censurarum acerbitatem amoliendam, quidquid Sotus dixerit, mihi aliàs propter insignem eruditionem, religiosas dotes, & patriæ consortium venerabilis. Addo probabilitatum monstra propterеà explodenda censeri, quòd ex ijs animarum salus in magnum discrimen adducatur : quod tamen in casu præsenti non accidit, in quo inter omnes constat fornicationem esse peccatũ mortale lege diuina prohibitum : quòd autem hæc lex aliquo modo de ordinationem naturę subsequatur ex se sufficientem ad peccatum, quamnis aliàs à Deo non prohiberetur, quæstio est ad theoricam magis philosophiam, quàm ad morale regimen conscientiarum spectans, sicut quæstio de constitutiuo peccati, & aliæ : Vnde omitti conuenienter potuit, neque inter alia, vbi de proxima conscientiæ regula agitur, collocari.

D.Thom.

P.Vasquez.

ASSERTIO II.

Idem statuens de mollitie, sæpè bona & obligatoria futura ; si à Deo non prohibita.

2. *Bonis probata rationibus, sed sine censura.*

557. SIc Auctor idem in *Theologia morali num.* 1603. quam bonis & auctoribus & rationibus impugnat, sine censura tamen ; licet non nulla adijciat, quæ erga virum tantùm non effusa proculdubiò præstitisset. Est autem assertio præsens præcedenti consimilis, & ex earum numero, quæ ad morum regulam ex laxitatum licentia non pertinent : siue enim hoc, siue alio modo fas sit opinari, ex nullius Doctoris sententia esse licita mollities poterit, sicut neque licitam aliquando futuram, ipse qui præsentis est sententiæ auctor, affirmat, legem Dei prohibentem agnoscens. In quo quidem P.Goned aliqua admiscet non penitus, vt ipsi apparet, explorata. Ait enim *Primò* legem talem à Deo non intimatam eo tempore, quo Iudas *introiens ad vxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi fratris nomine nascerentur*, vt dicitur Genes. 38. v.9. & 10. & tamen Scriptura subdit : *Ideò percussit eum Dominus, quòd rem detestabilem faceret.* Vbi pro Onan Iudas positus, in quo non hærendum : illud contendo iam tunc legem extitisse à Deo sufficienter electo populo intimatam, rem illam detestabilem prohibentem : quæ licet publico aliquo apparatu publicata non fuerit, per traditionem tamen reddi potuerit manifesta. Quod & labentibus posteà temporibus similiter accidisse debemus verosimiliter æstimare, cùm nullibi expressum de hoc præceptum reperiamus : & tamen D. Paulus præceptum huius generis inter grauia & abominanda recensет, vti veritatem notissimam in populo electo; cùm neque à Christo Domino fuerit expresè diuulgatum. *Secundò* asserit malitiam mollitiei ita esse lumine naturæ notam, vt à nullo quantumcumque barbo ac stupido inuincibiliter ignorari possit. Quod quidem contra manifestam experientiam est, de qua testari possum à nonnullis de hac impuritate consultus, cùm ex auditu aut lectione circa id cœpissent dubitare. Videatur Diana *Parte* 9. *Tract.* 9. *Resolut.* 59. & quidem citatus Auctor *Arti.* 7. eruditè probat circa legem naturalem ignorantiam posse inuincibilem contingere, quæ est receptissima sententia, & hoc tempore probabilior communiter, & ferè certa reputata.

Lex contra mollitiem quando lata.

Genes.38. v.9.&10.

Non verò asserimus circa illam non posse ignorantiam inuincibilem versari.

Diana.

558. Illud autem meritò ab eodem in Caramuele reprobatum, quod habet ille *suprà n.*1607. mollitiem, Sodomiam, & bestialitatem esse eiusdem speciei infimæ. Quæ quidem propositio à SS. Dom. Alexandro VII. addita illius censura, scilicet ad minimùm scandalosæ proscripta est *die* 24. *Septembris. An.* 1665. quam etiam ab Scholis Societatis exturbandam statuerat R. P. Franciscus Picolomineus Societatis nostræ Præpositus Generalis inter alias, pro quibus catalogum confici in Congregatione Generali 9. fuerat constitutum. Placuerat etiam illa P. Arriagæ, sed ipsam doctus & religiosus Pater pro sua ingenuitate correxit *Tomo* 5. *Disput.* 58. *num.* 3. *& seqq.* sicut id, quod dixerat de venerea delectatione admissa, sed non quæsita, in vtrâque materiæ paruitatem inficiatus *num.* 46. Quod autem ait concubitum cum bestia sine effusione seminis esse minus peccatum effusione illius voluntaria, difficultate non caret, quia concubitus talis fædissimam turpitudinem habet, & aliunde quoad voluntatem effusionis, in qua est formalis malitia, nihil deficit, nisi fortè sic concumbens sit eunuchus, aut aliàs seminandi potentia destitutus : quo etiam euentu videtur maior perstare malitia, quia erga omne libidinis complementum tendit affectus, licet pro effectu facultas non succurrat.

Caramuel. *asserтum circa vnitatem speciei cum Sodomia, & bestialitate præscriptum.*

In Societatem iam fuerat, & à P. Arriaga correcta.

Assertum eius de concubitu cum bestia, non videtur admittendum.

ASSER-

ASSERTIO III.

In audiendo Missam de præcepto, vel recitando Horas ex obligatione, satis esse attentionem externam, & posse quem voluntariè distrahi.

3. *Vtiimprobabilis & periculosa reijciatur.*

559. SIc Caramuel in *Epistola præliminari ad Dianam, & in Theologia fundamentali nu.* 442. quam Auctor §. 3. non solùm improbabilem, sed etiam in praxi periculosam existimat, contra quam doctè argumentatur, & quidem quod ad veniale peccatum attinet, quod neque in tali recitatione dictus Scriptor agnoscit, non videtur quomodo possit rationabiliter sustineri, quandoquidem & in oratione omnino voluntarię distractiones huiusmodi vti culpabiles Doctores omnes ob irreuerentiam erga diuinam condemnant Maiestatem. Quòd autem ad præcepti adimpletionem spectat, non vnus est Caramuel præfati asserti patronus, sed plures videndi apud Amadæum *Tractatu de Horis Canonicis Propositi.* 1. vbi & alios adducit, qui licet sententiam contrariam teneant, oppositæ probabilitatem fateantur: quibus addendi plures alij apud P. Vincentium Tancredi de *Religione Tract.*3. *Lib.* 4. *Disput.*13. *n.*5. inter quos est Cardinalis Lugo *de Sacramentis Disput.*21.*n.*27. Adde etiam Guilielmum Herincx apertè pro ea stantem *Tomo* 2.*Tract.*4.*Disp.* 2.*n.*40. Cumque plures, & grauissimi inter eos sint, temperatiùs de eorum auctoritate loquendum, & verò inter recentia probabilitatum monstra non debet sententia ista censeri, cum auctores habeat & multos, & antiquitate sufficienti commendatos, D.Antoninum, Durandum, Tabienam, Sylueстrum, Hostiensem, Glossam, Archidiaconum, Angelum, Paludanum, Ioannem de Medina, immò & D.Thomam, vt videri potest apud citatum Amadæum.

Quod ad veniale attinet nequit sustineri.

Quoad impletionem precepti est quamplurium.

560. Contra quem tamen insurgit ex eodem Commilitio Scriptor affectatæ eum falsitatis in citatione quatuor ex allatis nimis amarulenter incusans, dum D.Thomæ, D.Antonini, Paludani, & Sylueстri loca non indicat, in quibus sententiæ, de qua agitur, patrocinium inueniatur, *ratus,* (vt ille ait) *vt res erat, ijs lectis calumniam in ipsius caput esse casuram.* Sed cùm Amadæus Illustrissimum Acatium de Velasco ex Prædicatoria familia Episcopum Oriolanum adducat, formalia D. Antonini & Sylueстri verba proferentem, & pro D.Thoma, & Paludano Ioannem Valerum inter viginti eosdem allegantem : hìc esse potest affectata calumnia, quæve suspicio depellendi à proprio capite illam, quando pro eo quod dicitur, bonorum testium fides appellatur, in quibus si fortè desit, non referenti, sed ipsis, quod minùs vero deprehensum simile fuerit, adscribendum, & quidem Sylueстer D.Thomæ & Paludani verba refert ex 4. *dist.* 15. & prioris non ita fauent, sic enim ille : *Quando quis mentem ex proposito distrahit ad alia in orando, sine culpa non est, præcipuè si in alijs sponte se occupat, quæ mentem distrahant; sicut sunt exteriora opera : & si mens ad contrarium euagetur, erit culpa mortalis : si autem sine hoc quòd percipiamus mens ad alia euagetur, vel culpa caret, vel minima erit, nisi præcedens cogitatio, ex qua contingit euagatio talis, esse dicatur in culpa.* Sic S.Doctor, qui vt fauere dicendus sit, explicatio est congruens adhibenda, de qua *inferius.*

Baron pagina 161. immeritò carpit Amadæum.

D.Thom.

Paludanus. Paludanus autem ita loquitur : *Attentio ad Officium, sicut & ad quodlibet opus bonum, dupliciter potest requiri. Primò vt Officium ab intentione procedat : & sic attentio ad Officium requitur, non solùm propter meritum, sed etiam ad euitandum peccatum, id est, transgressionem præcepti : quia præceptum datur hominibus, ideoque oportet vt non procedat opus ex sola imaginatione, quæ communis est nobis, & brutis, sed ex deliberatione, quæ attentionem requirit. Secundò vt Officium ipsa attentio comitetur actualiter : & hoc nec in officio, nec in alijs orationibus, vel bonis operibus requiritur, quia humanæ fragilitati est impossibile : requiritur autem quòd mens ab Officio scienter non distrahatur, quia hoc esse non potest sine peccato mortali aut veniali: licet euagatio propter intentionem, & propter præcedentem accurationem licitam non sit peccatum. Euagatio autem aduertenter secundùm actum interiorem solùm, licet sit temeraria, & grauis fortè, non tamen est mortale, nisi propter contemptum, quia Ecclesia non habet iudicium de actibus interioribus merè. Si verò sit ex hoc quòd aliquis scienter se occupat in actu exteriori, qui non secum patitur attentionem, videtur esse mortale peccatum, & directè contra præceptum dicti* Cap. Dolentes, *vbi præcipitur vt studiosè pariter & deuotè dicatur : quod non obseruant, qui se occupantes in actu exteriori scienter sibi attentionem subtrahunt.* Hæc ille, quæ tam sunt clara quàm quæ clarissima, & cùm citatus ille Scriptor dicat se Sylueстrum legisse, mirum est Auctorem tantum sibi non agnouisse contrarium, Vt legerit nescio : illud scio citare Sylueстrum verb. Horæ. Quæs.5. vbi de hoc nec verbum; cùm circa obligationem dicendi Officium Virginis tantùm versetur quæstio.

Syluester.

561. Ipse autem Syluester ita scribit. *Quæst.* 11. *Cap. Dolentes exponens. Hoc præceptum quidem sic intelligunt, vt sub præcepto sit dicere deuotè & studiosè, vt deuotio ad intentionem, studiositas admodum dicendi referatur, & sic sensit Supplementum. Sed malè : quia attentè orare in locis Canonicis non est de iure diuino, vt credidit, sed positiuo : quod ius positiuum ad interiora non se extendit per se, vt idem credit, sed solùm quantùm colligantur exterioribus, ad quæ se extendit, secundùm mentem S.Thomæ, & Petri de Palude, & communiter Doctorum, de quo supra Excommunicatio* VII. *&* ij. *particula.* 1. *vnde præcipiendo exteriora, & præcipere potest interiora, sine quibus illa esse nequeunt : sicut præcipiendo accessum ad Missam, præcipit velle accedere : iubendo verò, prohibet interius, ad quod statim sequitur opus, id est, voluntatem deliberatam. Vnde peccat volens frangere ieiunium, licet non frangat : alia autem interiora non prohibet, licet prohibeat aliquid exterius habendi aliud interius, vt accessum ad Curias Monacho habenti animum nocendi. Alij verò dicunt quod sub præcepto ibi cadit horas dicere, cetera verò quæ in deuotione consistunt, suadendo dicuntur : quòd innuitur ibi : Quantùm Deus dederit : quem sensum primo videtur habuisse Hostiensis, & sequitur eum tamquàm benigniorem Archidiaconus, & Summa Rosella, quia Ecclesia non injcit laqueum.* 17. q. 1. *de viduis; nec homines alligare debet oneribus*

bus importabilibus. 26.*q.* 2. *Alligant.* Hunc dicendi modum cum non omnino probet, post alia sic subdit: *& ideò dico ex mente S. Thomæ, & Petri de Palude, vt patebit particula sequenti* (in qua vtriusque verbalem data proponit) *quòd ibi præcipitur deuotio quantùm ad actum exteriorem, vt non dicantur horæ operãdo manualiter opera impertinentia, aut confabulando, aut notabiliter syncopizando, & faciendo huiusmodi, quæ hic reprehenduntur: & similiter quantùm ad actum interiorem, sine quo iste exterior haberi non potest, cuiusmodi est velle satisfacere præcepto Ecclesiæ, & psallendo velle abstinere à prædictis: non autem attentio, sine qua prædicta esse possunt.* Sic ille: qui. *n.*14. quatuor ex dictis elicit conclusiones sequentes: Prima est. *Quilibet ad Officium obligatus tenetur in principio Officij habere intentionem satis faciendi, secundùm Petrum de Palude, actu, vel habitu, seu virtute.* Secunda, *Intra Officium tenetur sic ad se redire, si fuerit mente vagatus, quòd non pereat totaliter prima dicta intentio, secundùm D. Thomam, idest frequenter; quæ tamen frequentia sub certa regula comprehendi non potest.* Tertia. *Non tenetur quouis præcepto esse attentus; Sed sine culpa mortali potest euagari etiam à proposito, dummodò sciat quid facit; sic scilicet, quod stet prima intentio, seu virtus eius.* Quarta, *Mortale est tali dicendo Officium se occupare in exterioribus: quod limita primò, per longum spatium: Secundo, quando non compatiuntur attentionem ad Officium: quod intellige secus ab his, quæ ad Officium spectant, vt voluere chartas, parare libros, & huiusmodi.*

D. Thomæ *mens circa attentionem optimè ab illo declarata.*

562. Hæc doctus ille & celebris Sacri Palatij Magister, Summistarum princeps, adeò prospicua, vt circa ea solus ille hærere possit, qui contradicendi, aut potiùs cœco impetu, in ipso velit meridiano lumine cespitare. Iuxta quæ D. Thomæ mens, quæ alias aliquantùm videbatur aduersans, fauorabilis penitus inuenitur: vt cùm attentionem sub reatu mortalis peccati exigit, de illa intelligendus veniat, quam præfatus Auctor expressit, illa scilicet, qua satisfacere orandi præcepto velit orans, in id intentus, ne quidquam admittat exteriùs, quod nequeat cum intentione, seu attentione componi, ita vt ab adstantibus non possit meritò distractus & indeuotus iudicari, & iuxta hunc intelligentiæ modum locutus est etiam D. Antoninus, qui, vt fatetur Scriptor dictus, D. Thomæ doctrinam est secutus. Habemus ergo quatuor illos egregios Magistros pro sententia Caramuelis stare quantùm ad præcipuam assertionem, & etiam ab Amadæo citari vt veros illius patronos, sicut & Hostiensem, Archidiaconum & Rosellam, & ita illam non esse vti monstrosum partum, & laxitatum vnam præsentium temporum numerandam.

Nonnulla alia circa materiam eamdem ex Caramuele Pronuntiata.

Singulares Caramuel. *assertiones, quæ improbabiles & intolerabiles asseruntur.*

563. ADdit illa Auctor, de quo nunc agimus, ad citatum alium *inferiùs* peruenturi, quæ non solùm improbabiles, sed etiam intolerabiles vocat laxitates: scilicet ex *Commentario Regulæ S. Benedicti Disput.* 152. *n.* 1415. *& in Theologia fundamentali. n.*760. vbi docet eum satisfacere præcepto recitandi Officium, qui illud recitat animo non satisfaciendi *& n.*500. *&* 502. etiam qui vespere Matutinas & Laudes recitat, duorum dierum obligationi posse satisfacere, quia vna & eâdem actione potest quis simul satisfacere duobus præceptis numero distinctis eôdem tempore concurrentibus. Ex quo etiam infert vna Communione Paschali posse aliquem obligationi duorum annorum satisfacere. Item. *n.* 1500. obligatum ad Officium recitandum satisfacere legendo quotidie Officium Paschale pro quolibet alio Officio quantumuis prolixo. Item in *Commentario dicto Disput.* 117. *n.* 1446. duas suggerit methodos à se inuentas, iuxta quas possit quis etiam pro longo tempore excutere obligationem recitandi horas Canonicas absque vlla culpa, saltem mortali: vnam beneficio probabilitatis opinionum; alteram beneficio varietatis horologiorum, quæ benè directa vim habent opinionis probabilis.

564. Ad quæ quidem dicere ingenuè possumus nos assertiones prædictas non probare, & quod ad priorem de impletione præcepti attinet, eam esse improbabilem & intolerabilem, improbabilis & intolerabilis censura est, cùm eam grauissimi Scriptores teneant, scilicet P. Valensia, P. Vasquez, P. Thomas Sanchez, P. Fagundez, quos adducit & sequitur Diana *Parte.*3. *Tract.*6. *Resolut.* 68. *qui Parte.* 10. *Tract.*15. *Resolut.*4. de auditione Sacri loquens, in quo eadem est ratio, quæ in Horarum recitatione, pro eo adducit P. Pallauicinum, quem quidem virum doctissimum & eruditissimum vocat, posteà Cardinalem, & vnum ex supremo Inquisitionis Sanctæ Senatu, Leandrum, Trullenck, Sancium & Bonacinam quod & tenent item P. Suarius, P. Lessius, & Nicolaus Garcia apud P. Baldellum *Tomo.*2. *Disput.*32. *n.*15. qui *& n.*16. sufficienter probabilem & tutam in conscientia esse testatur. Nec leui illi fundamento nixi: vnde ad probabilitatem nihil est quod desiderari queat, sicut nec timeri ex illius praxi periculum aliquod considerabile, vt inter periculosas debeat laxitates computari: cùm reuera id fiat, quod præcepto intenditur, nec damnum interueniat tertij, aut cadendi in peccatum aliquod proxima præbeatur occasio, seu scandali quidquam in cooperandi modo misceatur. Non ita in assertionibus sequentibus accidit, ex quibus quæ de Paschali Officio est à SS. Alexandro VII. proscripta iam, vti vt minimùm scandalosa Decreto edito *die.*23. *Martij. An.* 1666. cum quibusdam alijs, & est. *n.* 34. tenore sequenti: *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.* Vbi quidem non existimandum est diem Palmarum ita expressum, vt ad illum tantùm prohibitio censoria dirigatur: sed exempli est gratia positus, quia illius Officium prolixum, & citatus Auctor de Officio quantumuis prolixo locutus fuerat: sed reuera Officia quatuor priorum Quadragesimæ Dominicarum prolixiora sunt, quia in illis habentur suffragia Sanctorum, & nonnulla alia. Si autem propter Passionis memoriam cum Paschali solemnitate non aptè cohærentem, id etiam in Dominica Passionis occurrit: præterquam quòd omnibus hebdomadæ sanctæ ferijs Paschale Officium licere dicendum est, si prohibitio Dominicam tantum attingit, in quibus de Passione ritu potiori tractatur.

1 *Adimplere præceptum, etiamsi adsit animus non adimplendi, singulariter est, neque censura digna, qua & ipsa improbabilis & intolerabilis.*

2. *Penitus reprobatur Decretum* Alex. 7. *cum opportuna explicatione, circa Paschale officium ad alios sufficiens.*

565. Qua

Dies Palmarum cur appositus in Decreto.

565. Qua quidem apta & legitima intelligentia constante, dubium non leue suboritur, nam videtur dicta sententia non penitus improbata. Si enim dies Palmarum appositus, quia Officium illius prolixum, cum speciali eodem die incurrente celebritate, & vt exemplum aliorum similium. Ergo vbi tales circumstantiæ non concurrunt, Paschale Officium pro quocumque alio probabiliter poterit recitari. Vbi quidem Dominicæ per annum, quotquot scilicet ab Epiphania vsque ad Quadragesimam & post Pentecostem vsque ad Aduentum intercurrunt, non videntur exclusæ, quia in illis Resurrectionis memoria agitur, vt habetur in hymno: *Primo die quo Trinitas beata mundum condidit, vel quo resurgens Conditor Nos morte victa liberat.* In Laudibus etiam ac minoribus ante meridianis horis *Alleluia* multiplex concinnat Antiphonas: Non flectuntur item genua ab ipsis vesperis, sicut Paschali tempore. Quòd si diebus istis Paschale Officium ad obligationis implementum iudicatur sufficiens satis prolixo suffectum, de alijs minor apparet difficultas. Quid ergo est Pontificis Decreto determinatè proscriptum, cùm illud ad expressum in eo diem non arctandum videatur? Difficilis apparet profectò dubij talis enodatio, & videtur sanè non penitus explosa præfata sententia; immò nonnihil ei auctoritatis adiectum. Cùm enim illa à magnis Theologis, & Eminentissimis Cardinalibus Generalis Inquisitionis fuerit per otium expensa, nec tamen ex omni parte damnata, sed cum limitatione, quam tenor eiusdem ostendit, dubitari nequit verosimiliorem eatenus euasisse, & quidem cùm omnis Officij Sacri obligatio secundùm ritum specialem, quem habet, ex eo descendat, quòd sit ita à Pontifice constitutum, qui totius iuris Canonici auctor est: dum ille sic circa obligationem dictam se habet vt vidimus, aliqualis illius approbatio est, & Caramuelis opinionem, quam quidem ego nullatenus probo. (Sicut nec probat ille in secunda Editione, oppositum luculenter statuens, probans, & exornans citato. n.1500.) Scio viros apprimè doctos in Matritensi approbasse Collegio, & iuxta illam cuidam illustrissimo iuueni respondisse, qui beneficium Ecclesiasticum cùm haberet, & Salmanticæ altiora studia prosecuturus erat, aliquod eo in genere leuamen cupiebat, quod & dicta responsione Patrum prædictorum inuenit. Id quod relatione cuiusdam Illustrissimi Prælati, qui id ex ore eiusdem excepit, est mihi, ita illo referente, compertum. Videant alij quid sit opportunius, & Pontificiæ menti conformius; meliùs enim sentientibus, & assertionum suarum solidiores afferentibus rationes, sicut & in alijs, paratissimum in me excubat, & excubabit semper obsequium.

566. Id iam quod de vno Officio pro duobus diebus sufficiente dicitur, erunt quidem, vt arbitror, qui probabunt pauciissimi inter huius sacræ facultatis Magistros, aut etiam probè circa morale negotium instructos, quantùm sit ad iudicium ferendum satis: de alijs enim vulgaribus ad Officium obligatis, deesse non poterunt, semper sub onere obligationis dictæ, quod ipsis est graue, gementibus, & pro leuamine suspirantibus. Circa quod tamen aliquomodo philosophari possu-

D. Francis-cus Verde.

mus, sicut circa præcedens huius Scriptoris assertum, ex ea parte, qua illud non est à Pontificia Sede proscriptum; cùm dubitari nequeat illud pariter cum alio apertè proscripto discussum, & ita ab eâdem toleratum. Sed certè vt aliqualiter probabile sit, quia alienum tamen à receptissimo, vt dixi, Theologorum sensu, neutiquàm admittendum. Conatur autem illud defendere doctus Illustrissimi Ludouici Crespi antagonista D. Franciscus Verde *qua st.*10. §.3. *& seqq.* multa adducens ex probabilibus Doctorum sententijs, iuxta quas pluribus præceptis potest vnica fieri satis actione. Sed certè, vt de alijs ita sit, in Officio Sacro militat diuersa ratio, est enim onus diei, & tale vt vnicuique suum respondeat distinctum ab alio, iuxta receptum in Ecclesia sensum. Nec satisfacit quod habet. *n.* 523. §. *Sed quid.* vbi ait quòd licet recitatio Officij sit, onus affixum diei: tamen onus vnius diei concurrit cum onere alterius diei in eodem tempore, sicuti vouens audire sacrum quolibet die, in diebus festis non tenetur duo audire, licet sit onus diei affixum, quod boni Auctores docent apud eumdem. *n.*510. Non inquam satisfacit, quia ita est onus diei recitatio Officij, vt diuersa esse debeat pro singulis, quia, vt dixi, ita semper obligatio dicta ab omnibus est recepta, estque in illa diuersa ratio ac in voto: nam obligationem voti vnusquisque sibi imponit, nec videtur ita se grauare velle, vt in die festo illam velit sibi reddere grauiorem: affectus enim & deuotio in illo in id tendit, vt nullus dies sine auditione Missæ prætereat, quod sufficienter assequitur, dum illi, quam ex præcepto audire tenetur, assistit. Quod quidem secus accidit in obligatione Officij, quæ pro singulis diebus est iuxta mentem præcipientis satis vsu comprobatam, & modum ipsum præcepti, quod ex se illam videtur inducere, cùm sit de oratione quotidiana: nec dici possit modo illo syncopali orans orasse singulis diebus precibus Matutinis, vbi manifestum est Ecclesiam penso illo defraudari, & id minùs habere, quod quidem ex indulgentia pro illius anticipatione nequit sine eiusdem iniuria stare, quia anticipatio modum solationis spectat, non debiti detractionem. Pro quo iuuat expendisse id quod ab Ecclesia in Sacri Officij ritu dispositum inuenimus. In Rubricis enim post Completorium ita habetur: *Si post Completorium immediatè sequatur Matutinum, tunc bis dicatur Pater noster, Aue MARIA, & Credo, quia Completorium, quod est finis Officij, sic terminari debet: & ante Matutinum iterùm repetitur pro principio Officij sequentis diei.* Sic ibi. Ex quo apparet iuxta Ecclesiæ mentem prorsus esse, vt inter Officium præsentis diei & sequentis nihil habeatur Commune. Quod quidem cùm in tribus illis exiguis portionibus ita constituat, quantò id potiùs existimare debemus in magna illa Matutini Officij substantia seu mole totius Officij grandiore? & ita sententia dicta inter damnatas extat præfato Decreto, & est ordine 35. vt iam ex illius inter alias præscriptione, nequeat aliqualis probabilitas allegari.

Rubrica Officij.

De

De Methodis ad excusandam recitandi obligationem.

567. A Caramuele inuentæ illæ, vt noster auctor affirmat eum citans *Disput. 17. Commentarij in regulam S. Benedicti. n. 1446.* iuxta quas si ita se habent, possit quis etiam pro longo tempore excutere recitandi obligationem, vt dicam aliquid, dicam sanè ingeniosas esse, & pariter id quod alicubi ex doctissimo Scriptore dedi, *nusquam scilicet nos magis errare, quàm cùm proprio indulgemus ingenio.* Probabilitates, si sobriè ad vsum adsciscantur, beneficio quidem esse possunt, sed quando ad Sacrum deponendum onus, contra id quod vsus in ijs, qui timoratæ conscientiæ sunt, conquiruntur, periculosus sanè talis agendi modus est, permittendus forsitan aliquando ei, qui, cùm grauissimum illud æstimet, indulgentia aliqua, ne eidem succumbat, debeat clementer adleuari. Sed quod ad horologia attinet in Caramuele *citato loco* non habetur, in quo nec verbum de illis, vnde methodus excutiendi obligationem ab eo non suggestus. Neque ego modò circa quæstionem istam complicis distinebor, contentus animaduersione ista, & quidem Commentarij dicti, quibus vtor Anno. 1646. Francofurti prodierunt : si alia extat prior editio, in quam citatio vergat, ex ea id habebimus, ab Auctore sublatum id, quod ad præsentem caussam spectat, vnde non erat ita acriter carpendus, qui ingenuè in hoc, sicut in alijs, via non secuta dimissa, aliam communem & tritam, ac proinde tutissimam, sua in possessione reliquit. Benè verum est quoad probabilitatem horologiorum sua illum in sententia persistere, vt videri potest in *Commentarijs dictis. n. 1328. & in Theologia morali. Lib. 3. quæst. 9.* Propter id autem quod tradit *citato. n. 1446.* potest dici eum methodum aliam huius generis suggessisse, ait enim eum, qui ingressurus nauim maioris commoditatis caussa secum contulit Diurnale subscribens P. Thomæ Sancio in *Summa Tomo. 1. Lib. 1. Cap. 19. n. 8.* asserenti legentem ea, quæ sunt in Diurnali, Officio diuino satisfacere, & postquàm soluerunt à postu, mutauit dictamen, & secutus Ioannem Sancium *in Selectis Disput. 15. n. 2.* asserentem in Diurnali non contineri integrum Officium, ac proinde carentem Breuiario, licet Diurnale habeat, non teneri legere Officium, non peccasse, quia secutus est sententiam probabilem. Si ergo nauigatio diuturna fuerit, ab onere recitandi Officium sic opinatus erit eximius, & quod ad mutationem dictaminis spectat, nihil illa difficultatis reperit : *hoc enim humanum est, & rationale. Homo enim non est suarum opinionum mancipium : & cùm probabile dictamen mutat, vtitur sua cælitus concessa libertate.* In quoquidem vt abunda illum & monstrosa locutum conuincatur, aliquid oportebat adduci, quod absurditatem & monstrosam ostenderet laxitatem : quod tamen non factum. Supponitur autem sic ingressum nauim non habuisse voluntatem mutandi dictamen. Sic enim ad ferendum secum Breuiarium teneretur, & ita citatus Scriptor affirmat, & probat, ac tandem concludit.

P. Ioannes Maldonatus.

Caramueli *imponi, quod apud ipsum non extat.*

Methodus *quadam proponitur.*

P. Thomas Sancius.

Ioannes Sancius.

568. Benè verum est videri tamquàm probabile ab ipso proponi, posse sic ingressurum habere voluntatem mutandi dictamen, & in eo non peccare, quia talis voluntas non est circa aliquid illicitum, cùm respiciat tempus, in quo sine peccato omitti recitatio poterit, sequendo opinionem probabilem. In quo quidem meritò argui potest contra talem dicendi modum : nam in eo manifestè operans se exponit periculo transgressionis, quæ eatenus dicitur excusari, quia est mutandum dictamen. Atqui mutatio talis incerta est : ergo ratione illius non excusatur. Maior admittitur, & Minor euidenter ostenditur. Nam habens dictamen dictum verè hîc & nunc iudicat se esse obligatum ad recitandum, dum habuerit Diurnale : voluntas autem dictaminis mutandi sic est explicanda vt statuat se iudicaturum obligatum non esse ad recitandum modo dicto. Atqui hoc nequit stare, quia vt mutetur dictamen, debet aliqua ratio peculiaris occurrere, vt sic rationabiliter operetur : voluntas enim nequit intellectum adigere ad huiusmodi mutationem, cùm potentia necessaria sit nec iudicium mutare valens rebus eôdem modo se habentibus : in quo est contradictionis quoddam genus, *Sic est*, & *non est*, vbi temporis diuersitas nihil iuvat, quia tempus idem respicitur. Si dicatur mutationem dictaminis non esse talem futuram vt inducat contradictionem circa iudicium, sed stante illo circa veritatem iudicatam velle sequi opinionem, quam iudicat falsam, probabilem tamen, iuxta receptissimam sententiam, de qua nos *suprà*. Contra est, quia id non dicitur, sed quod impugnauimus, posse scilicet mutare opinionem, & subscribere nunc vni, post alteri. Præterquàm quòd neque sic stare potest allata responsio, quia in ea etiam sua contradictio reperitur, *Volo recitare absolutè, volo non recitare.* Item velle non recitare est velle transgredi præceptum : non enim satisfacit quod dicitur de non recitatione, quando illa erit licita, quia etiam si nullum secum ferre librum velit, id accidet, stante impossibilitate, & tamen id velle graue peccatum est : nec potest confugi ad opinionem probabilem : Si enim locus ei esset, ideò contingeret, quia mutaretur dictamen : Atqui opinio de Diurnali per accidens se habet, quandoquidem ea non est vsurus, & ita eadem est in vtroque ratio &c.

Absurdum modus dicendi conuellitur.

ASSERTIO IV.

Aduocatum posse patrocinari, licet actor nullum ius in rem videatur habere.

569. Sic ex Caramuele *in Theol. morali n. 1470.* de quo Auctor. §. 4. vbi & alias adnectit eiusdem assertiones. Sed certè non ita absolutè profert, verùm limitationibus adiectis, iuxta quas, vix vlla remanet difficultas ; ait enim omnem collitigantium iniuriam remouendam, nec sponte, sed rogatum, atque actore admonito de statu caussæ, ad patrocinium processurum, si fortè aliquid occurrat re penitiùs inspecta, ex quo possit ius, quod modò non apparet, discussione adhibita deprehendi. Vnde status hic reducitur ad statum caussæ dubiæ, in quo posse patrocinari Aduocatum docent multi, quos adducit & sequitur Diana *Parte. 2. Tract. 13. Resolut. 6. & Parte. 4. Tract. 3.*

Caramuel *vt quæ admittit sententia.*

Diana.

Tract. 3. Resolut. 47. & Parte 9. Tract. 8. Resolut. 62. In quo sensu neque D. Augustinus, neque D. Thomas, neque Cæsareæ leges loquuntur, quorum verba citatus adducit.

Ex Caramuele nonnulla alia.

De iuramento per vitam meam.

570. Ex Theol. morali nu. 1582. illud circa iuramentum *Per vitam meam* sic expositum, *Tam verum est quod dico, quàm quòd habeo vitam*, quod ait citra peccati venialis noxam emitti. Circa quod congrua esse explicatio potest attento tenore verborum, sic enim ille : *Hoc iuramentum sic expositum, quia Diuinitatem non tangit, mendaciter citra peccati &c.* Est ergo mēdacium in illo, sed quia Diuinitas nō tangitur, nulla est in eo periurij labes. Quod quidem iuxta grauium est Scriptorum sententiam dicentium *Per meam vitam*, secluſa voluntate iurandi non esse iuramentum. Pro quo videri possunt P. Sancius *Lib. 3. Oper. moral. Cap. 2. nu. 4.* & P. Tancredi *Tract. 4. de Relig. Lib. 1. Disput. 4. n. 31.* Inculcat præterea quod de horologiorum opinionibus iam dictum, & ita hoc loco circa illud est nihil addendum, & ante hoc propositionem illam iam damnatam ab Alexandro VII. *Decreto citato n. 558.* scilicet Clerico vel Religioso licere calumniatorem occidere, grauia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem, quando aliàs defendendi modus non suppetit. Ibi non est quod adijciamus post definitiuam Apostolicæ Sedis sententiam. Ex *n. 1153.* consimilem aliam profert, scilicet licere Clerico vel Religioso, qui vilem feminam carnaliter cognouit, eam occidere quando factum vulgat, & ipsum infamat : vbi indirectè, vt ait, saltem approbat, responsionem suspendendo, & dubitando an id liceat. Sed in viro ad hæc minimè *formidoloso, nec corde pauido*, vt Scriptura loquitur, cohibuisse assensum, minimè probasse fuit : vnde sententia illa vtpotè à nullo asserta, cum alia qualitatis eiusdem proscripta non fuit. Nec qualitatis profectò omnino similis, sed grauioris : nam in priori de calumniatore agitur, qui videlicet falsa crimina, spargit : in casu autem altero femina id profert quod verissimum est, licet, si occultum illud, ininiustè agat : & præterea complicem delicti prodit, quamuis id etiam non sine illius iniuria, iuxta receptissimam sententiam : vnde rationes aliquæ interueniunt, propter quas minùs in illam, quam in calumniatorem, possit desæuiri. Et ita citatus Scriptor contra eam luculenter depugnat *in secunda editione Romana num. 1591.* quod à P. Goned dissimulatione, nescio an sincera, non tactum. Subdit tandem assertionem de pluralitate Deorum, quam non posse demonstrari affirmat & probat *in Theologia morali n. 1559.* contra quam & ego ex professo disserui *Tomo 1. Theologicorum Problematum* : & quæ ibi dixi iterata modò affirmatione confirmo, vt ex Caramuele tandem ad alios præfato Auctori inuisos gradum faciamus.

P. Sancius. P. Tancredi.

Propositio damnata circa homicidium pro salutu defensum.

ASSERTIO V.

Licitum esse inducere testem ad iurandum falsum, quod ille putat esse verum, scit tamen inducens esse falsum.

571. Illam §. 2. primo loco exhibet ex Tamburino *Lib. 3. in Decalogum Cap. 1. §. 6. n. 7.* pro ea referente Hurtadum, Dianam, & Tancredū, quam dicit non solùm improbabilem, sed etiam erroneam, & prorsus intolerabilem. Sed cùm ille pro se dictos Auctores citat, si in assertione prædicta id occurrit damnabile, quod in nouellas profertur laxitates, cur ille potiùs quàm alij eo priores in assertione huiusmodi sugillantur ? Tenet illam P. Petrus Hurtadus ex celebrioribus vnus huius æui Theologis, acerrimi vir ingenij, & minimè laxitatum amator in 2. 2. *Disput. 173. §. 139.* quem adducit Diana *Parte 5. Tract. 7. Resolut. 14.* cum laude probabilitatis, licet allegat nonnullos alios contrariam amplexos, sicut & P. Tancredi *de Religione Tract. 4. Disp. 5. nu. 11.* quo & tutam esse ait. Tenent etiam P. Quintena Dueñas *Tomo 2. Tract. 3. Singulari 17.* & Leander à Murcia *Disquisitionum moralium Lib. 2. Disput. 5. Resolut. 2.* & Pater quidem Tamburinus non dixit absolutè esse licitum, vt illi imponitur, cùm affirmat se consultum iuxta occurrentem casum contrariam sententiam amplexum respondisse : postea autem consideratione adhibita deprehendisse censendam in posterum probabilem, si eius fundamentum penetratur. Excessit ergo qui intolerabiles in eam notas euibrauit, eam etiam moderationem supprimens, quæ in ea proponenda adhibetur, vt scilicet iuramentum tale minimè sit cum alterius præiudicio, vt exempla à præfatis Auctoribus adducta manifestant.

S. P. Tamburinus *circa propositam assertionem immeritò sigillatus.*

P. Petrus Hurtadus.

Diana.

P. Tancredi.

P. Quintana Dueñas.

Leander à Murcia.

ASSERTIO VI.

Licitum esse reo cum æquiuocatione negare veritatem iudici legitimè interroganti.

572. Sic ex P. Tamburino *Lib. 3. Cap. 4. §. 3. nu. 5.* citante Cardinalem de Lugo, P. Sancium, & alios. Ita Auctor, sed sine peculiari censura, ea tamē suppositā, quæ omnia ab eo proposita Assertā transcendit, dum & excessus, & horrida probabilitatum monstra compelluntur. Sed sententiam dictam vti probabilissimam tenent non solum Cardinalis de Lugo *Tomo 2. de Iustitia Disput. 40. nu. 15.* & Ioannes Sancius in *Selectis Disput. 43. à nu. 24.* sed viginti & duo ab ipso citati Doctores, vt affirmat P. Tamburinus. Inter eos autem octodecim tantùm sunt manifesti assertores. Panormitanus autem, Angelus, & Armilla cum distinctione loquuntur dicentes reū non teneri quando ad instantiam partis agitur, benè tamen quando iudex ex officio procedit, vnde inter assertores computari debent, contra quos censura illa truculenta iactatur. Stat etiam pro illius probabilitate Pitigiconis, licet cōtrariam amplectatur, sicut etiam Aragon. Inter citatos autem

6. *Propositio, quæ in P. Tamburino damnatur, innumeros habet patronos, & probabilitatis assertores.*

sunt Scotus, Sylueſter, & tres, quos vidimus, Panormitanus, Angelus, & Armilla, minimè Theologici, aut Canoniſtici gremij, ſed ijs, qui vixere ſæculis, quibus nata non fuerant monſtra laxitatum, quas zelus Scriptoris noſtri, vt vidimus, inſectatur. Adde & alios ex citatis cum prędictis minimè de huiuſmodi laxatorio ſpiritu notatos, Nauarrum inquam, P. Leſſium, Fr. Emmanuelem Rodericum, Malderum, Patrem Reginaldum, P. Filliucium, vnde Cardinali Lugo nihil addam, in quo ingenium cum ſoliditate & maturitate doctrinæ certauit, & prędictis ſententiæ dictæ fautoribus adiungendi alij, quos adducunt & ſequuntur Diana *Parte* 1. *Tract.* 15. *Reſol.* 27. P. Tancredi *ſuprà Diſput.* 3. *num.* 30. P. Buſſembaum in *Medulla Theologiæ moralis Lib.* 4. *Cap.* 3. *Dubio* 7. *Arti.* 1. adducens P. Tannerum de probabilitate teſtimonium perhibentem. P. Pellizarius *Tomo* 2. *Tract.* 9. *Cap.* 4. *nn.* 113. vt probabilem item proponit. Eligius Baſſæus *Tomo* 2. *verb. Reus nu.* 4. vbi adducit Octauianum Spatharium teſtantem eam ſe vidiſſe practicari per vniuerſum orbē ab omnibus reis, & in omnibus tribunalibus, tam Eccleſiaſticis, Regularibus, quàm ſæcularibus. Probabilitatem etiam agnoſcit Lezana *Tomo* 2. *v. Reus nu.* 5. §. 1. *in fine.* P. Sebaſtianus Sabelles *Tomo* 3. *de materijs Tribunalium S. Inquiſitionis Lib.* 5. *Regula* 424. *n.* 104. vbi loquens in cauſſa etiam hæreſis ita ſcribit: *Verùm tali iuramento non obſtante, licitus eſt vſus amphibologiarum in eo caſu. Efficaciter inde oſtenditur, quia nimis durum & irrationabile, ſupraque naturæ vires cenſetur præceptum iudicis ſeu Inquiſitoris obligans confiteri delictum, ex cuius confeſſione mors reo ſequitur: ergo &c.* P. Fragoſus *Tomo* 1. *Lib.* 5. *nu.* 291. P. Ioſephus Aldrete *de Religioſa diſciplina tuenda Lib.* 2. *Cap.* 4. *n.* 9. & 10. probabilitatem agnoſcit, licet contrariam tueatur. P. Gaſpar Hurtadus *de Iuſtitia & Iure, Tract. de Iudicio forenſi Diſput.* 4. *Difficult.* 3. aſſerit meritò hanc ſententiam dici probabilem, & propterea abſoluendum reum, qui iuxta illam fateri renuat veritatem. Iuxta illam, vtpotè grauiſſimorum Doctorum, quorum aliquos citat, reſoluit Guilielmus Herincx *Tomo* 3. *Tract.* 2. *Diſput.* 6. *n.* 51.

Diana. P Tancredi. P. Buſſembaum. P. Tannerus. P. Pellizar

Notabile Octauiani Spatharij *teſtimonium*

P. Salelles.

P. Fragoſus

P. Gaſpar Hurtadus.

Herincx.

573. Et cùm grauiſſimi profectò ſint, mirari iuuat Antonij Naldi inconſiderantiam, qui in *Quæſtionibus practicis verb. Reus, nu.* 7. ita ſcribit: *Nec vllus Claſſicus auctor contradicit huic communi ſententiæ præter Petrum Nauarrum* (parcendum errori merè typographico, vt qua decet pietate erga doctum Scriptorem vtamur, dum *Præter Petrus* habet) *Lib.* 2. *Cap.* 4 *n.* 137. &c. *& propterea non eſt diſcedendum à prædicta receptiſſima ſententia; alias enim eſſet deſtruere omnia tribunalia Chriſtiani orbis.* Sic ille: Tot equidem Doctores Claſſici pro ea ſunt, vt tertia eorum pars ſatis ſuperque eſſet vt illa probabiliſſima redderetur. Nec propterea tribunalia omnia Chriſtiani orbis deſtruenda, quandoquidem illi probabile ſententia ducuntur: circa quod quid Iuriſconſultorum celeberrimus & Theologus etiam ſenſerit Doctor Martinus Nauarrus ſatis eſt notum: optabat ſiquidem iuramenta huiuſmodi tolli, eo quòd frequenter grauium eſſent occaſio peccatorum, & ex eo quòd tribunalia opinionem receptiſſimam in hac parte ſequantur, vt diximus, reſponderi etiam poteſt ad id, quod ex reorum tortura obijcitur: torqueri enim poſſunt, circa quod dubitationi locus eſſe non poteſt: cum quo tamen ſtat licitus euadendi grauiorem pœnam modus, opinionis benignioris amplexu: ſicut licitè conſicantur bona in delictis certæ qualitatis, licet apud Doctores probabiles circa eorum occultationem extent opiniones, & de tortura loquendo, variæ etiam circa illam opiniones extant, quarum aliquæ poſſunt certis tribunalibus cum ſpeciali obligatione præſcribi, & quod plus eſt, in pœnis capitalibus ſimilis poteſt forma ſeruari. Non ergo ex eo capite quidquam eſt quod poſſit obſtare.

Naldus *turpiter lapſus.*

Circa Confeſſarij obligationem cùm Fœnitens renuit conſuetudinem confiteri &c.

574. EX impugnatione præfata progreditur ad ſententię alterius probabilitatem funditus demoliendam, eam vocans falſam & intolerabile dogma Ioannis Sancij in *Practicis Diſputationibus Diſp.* 9. *n.* 6. vbi teſte Diana *Tract.* 7. *Reſol.* 55. aſſerit quod ſi pœnitens probabiliter credat Confeſſarium abſolutionem non impenſurum, ſi fateatur conſuetudinem peccandi, poteſt æquiuocatione vtendo illam negare quod procedit etiam ſi credat ſe obtenturum abſolutionem; cùm ad confitenda bis peccata nullus teneatur, & idem eſt de occaſione proxima, ineuitabili tamen ſine magno incommodo & ſcandalo, licet à Confeſſario de tali occaſione interrogetur. Nec præfata cenſura contentus, addit doctrinam hanc peruerſam, & prorſus intolerabilē eſſe. Probat ex illicito æquiuocationum vſu, præſertim in tribunalibus iuſtitiæ, & Pœnitentiæ, in quo Confeſſarius eſt iudex, & ita ſicut in tribunalibus iuſtitiæ, iuxta mentem interrogantis eſt iudicis reſpondendum, ita etiam in illo: maximè cùm Confeſſarius non ſolùm habeat rationem iudicis, ſed etiam medici, ad quem pertinet morbi qualitatem dignoſcere, vt cōgruum poſſit remedium adhibere. Cùm autem Sancium citat ex Dianæ teſtimonio, illum non vidiſſe conuincitur, & fortè nec Dianam, quia Partem, in qua illud extat, non expreſſit; eſt autem *Prima*, & quidem ſi Sancium vidiſſet, & illationes, quæ ex ſtatuta doctrina elicit, comperiſſet, acerbiora forſitan in ipſum fuiſſet ſpicula iaculatus. Qui & in nouiſſima Editione ſententiam dictam valde locupletauit, multis & grauibus pro illa congeſtis Auctoribus, vt non iam noua videri debeat, ſicut Dianæ viſa eſt, cuius in parentheſi illud (*Quod eſt valde notandum, quia nouam.*)

Obligatorem confeſſarij ad audiendum fœnitentis conſuetudinem peccandi negat Ioannes Sanctius ab audiri damnatus.

575. Modus ergo dicendi præfatus non videtur adeò horridus, vt noſtro eſt viſus Auctori, ad cenſuras impetu quodam minimè rationabili properanti, & ſuſtineri poſſe ex eo fit veroſimile, quod & ratione, & auctoritate non penitus deſtituta videatur, & prætereà (quod eſt conſideratione dignißimum) quia quæ Auctor dictus circa occaſionem peccati *in Diſputatione citata*, tum etiam *ſequenti*, quæ ſunt ſatis peculiaria, tradit; à Pontificijs Cenſoribus viſa & expenſa ſunt diligenter & accuratè, & vnum ex illis tantùm cenſura dignum deprehenſum. quod habet *Diſput.* 10. *num.* 20. de eo, cui concubina nimis vtilis eſſet ad oblectamentum, vulgò *Regalo*, quam eijcere non teneatur, ſi deficiente illa nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno eum afficerent, aliaque famula ad id munus difficile eſſet inuenienda. Quia oblectamentum dictis circumſtantijs cōſideratum, maioris eſt æſtimationis quàm quodcumque bonum temporale, ob quod fas erit cuiuis de nouo admittere feminam ad ſui famulatum quantumcumque metuat labendi periculum, ſi aliam non inueniat paris qualitatis in illis rebus, quæ ſibi ſunt maximè vtiles. Si namque ob hanc cauſſam iam receptam expellere non conſtringitur, eōdem modo & iure, de nouo admittere illam erit conceſſum. Hæc ergo doctrina cùm inter vt minimum ſcandalosas exploſa ſit in poſteriori SS. Alexandri VII. Decreto, & aſſertiones aliæ intactæ relictæ, immeritò grauioribus notis inuruntur, & quod ad rem ipſam attinet, obligationem ſcilicet apetiendi conſuetudinem, & vitandi proximam occaſionem, dixi alibi; nec modo vacat circa materiam iſtam, ſicut & circa alias, quæ à noſtro Auctore tanguntur per otium digredi, ad alia properanti. Vide *inferiùs* n. 592.

Vt quæ modus dicendi præfatus non iuſtificet.

Quid in eo proſequutum.

In Theſauro Tomo 2. *Tit.* 38. *n.* 55.

ASSERTIO VII.

Ad tormenta, grauiaque damna euitanda poſſe quemlibet ſibi falſum crimen imponere, etiam ſi ſecutura eumdem ſit mors.

7. Grauiſſima Propoſitum. cenſura, ſed indigna. Cap. Super eo.

576. SIc ex P. Tamburino *Lib.* 6. *Cap.* 2. §. 2. *n.* 11. quam affirmat Auctor manifeſtum errorem continere, & humanæ menti incutere horrorem. Primum patere ait, quia mendacium ex natura ſua eſt malum, & nullo bono fine poteſt honeſtari, vt habetur expreſſum ab Alexandro VI in *Cap. Super eo*, de vſuris. Secundum etiam, quia ſequeretur poſſe aliquem ſe occidere abſque iuſſu Dei ſpeciali: ſicut enim qui falſo teſtimonio alium perimit, ſeu perimi facit, homicida eſt: ita qui ſe ipſum falſo teſtimonio perimit: nam quid refert quòd ſe ferro vel lingua perimat, dummodò, ipſum perimat? ſed hæc non vrgent. Non primum, quia aſſerti præfati patronus non ait mentiri poſſe, ſed per æquiuocationem illud, ſicut & periurium vitandum, vt videri poteſt apud eumdem *Lib.* 9. *Cap.* 5. §. 6. *num.* 6. vbi pro ſe adducit Bartholomæum à S. Fauſto. Neque ſecundum, quia nimiùm probat, ſcilicet non poſſe quempiam verum à ſe patratum ſcelus fateri ob tormentorum acerbitatem deuitandam, quia ſic ſeipſum perimeret: cùm tamen receptiſſima ſententia ſit licere illud, pro quo Auctores adducit citatus Scriptor §. *illo* 6. *nu.* 5. & eſt non obſcurum diſcrimen inter proferentem teſtimonium falſum contra ſe ipſum, & contra alterum: nam hic alterius vitæ Dominus non eſt, ſicut eſt propriæ, vnde hanc propter commoda multò maioris apud ſe æſtimationis poteſt periculo exponere, non tamen alienam: ſic militare, nauigare &c. ex quo fit non eſſe dicendum ſe occidere in caſu noſtro. Sicut qui in bello cadit, aut in nauigatione ſubmergitur, non dicitur ſe occidere, quia ibi tantùm permiſſio quædam eſt, qualis & contingit, cùm membrum ſecandum chirurgo offert, aut cùm tabulam cedit fluctuanti ex affectu charitatis, pelagi futurus ipſe ludibrium fatale, quod fieri poſſe graues Scriptores affirmant videndi apud Dianam Parte 5. Tract. 4. Reſolut. 18. 29. & 42. & Parte 11. Tract. 6. Reſolut. 46. Dum ergo firmius aliquid contra aſſertionem præfatam non adducitur, poterit illa ſe ſua probabilitate tueri.

Qua contra illam adducuntur, debilia. Vide & Barbosa.

Diana.

ASSERTIO VIII.

Licitum eſſe abſoluto deſiderio cupere mortem patris, non vt malum eius, ſed vt bonum cupientis, pinguem ſcilicet hæreditatem.

577. EX Lib. 5. Cap. 1. §. 3. n. 29. vbi dicit eſſe probabilem, ſubindeque in praxi tutam, & citat pro ea Caſtrum Palaum: quam tamen non tantùm improbabilem eſſe ait, ſed etiam intolerabilem, & vix ſine animi horrore, & aurium tinnitu audiri poſſe. Si enim id liceat filio, licebit etiam vxorato mortem vxoris optare, vt alteram ſibi gratiorem ducat; vxor etiam mariti mortem poterit concupiſcere. Quod quidem dicere audebit nullus, eo quòd iſtud ex affectu mechiæ & voluptatis amore procedat. Vnde neque illud prius dici poteſt, cùm ex affectu auaritiæ pullulet, & ſit quaſi ramuſculus illius cupiditatis, quam Apoſtolus radicem omnium malorum appellat. Sic ille arguit, & in primis P. Tamburinus id quod eſt relatum non habet n. 29. ſed 32. Deinde abſolutè id non affirmat, ſed contra Bonacinam *nu.* 31. citatum, & ſecus ſentientem *citato n.* 32. ſuis verbis loquentem inducit, nihil de ſuo adijciens, & tandem n. 33. poſt adductum Auctorem eumdem vti non benè ſecum cohærentem. Sic concludit: *Ex quibus vides opinionem Caſtropalai eſſe ſatis probabilem.* Sic ille. Non ergo huius laxitatis inuentor ipſe, qui alium eſt, & ſatis doctum in hac facultate ſecutus, nec ſine auctoritate & ratione loquentem, vt videri apud eumdem poteſt.

S. Illius cenſura.

P. Tamburinus *illius non inuentor.*

578. Et ille quidem deſiderium huiuſmodi exponens ita illud moderatur, vt vix dubitari de veritate talis ſententiæ poſſit, cùm tale ſit, vt directè in hereditatem tendat, & illius potiùs ſit, quàm mortis, vnde ex eo licitum probat ſic dicens: *Ratio eſt, quia huiuſmodi deſiderium & gaudium de malo proximi, non tam eſt deſiderium & gaudium de malo illius, quàm de bono inde ſecuturo.* Sic ille. Quod quidem in filio deſiderante hereditatem commodè explicari poteſt. Nam ille deſiderare licitè valet mortem patris, ita vt ſuam ipſius propriam antecedat, quod quidem Ordine naturæ ſeruato ita accidere debet, in quo deſiderio nequit patri diſplicere, quia & pater ipſe idem debet exoptare. Scit etiam Deum mortis tempus patri conſtitutum habere, & ita futurum, ex quo hereditatis eſt compendium captaturus. Si ergo id deſideret, filiali erga patrem affectu & reuerentia conſeruatis, nihil certè in eo interuenit, quod horrorem incutiat, & ſine aurium nequeat audiri tinnitu, & difficillimum ſanè creditu eſt tale aliquid in filijs hereditatem expectantibus non inueniri: vnde & durum ſatis eos

Quomodò poſſit explicatione commoda ſuſtineri.

ethalis criminis incusare. Itaque talis desiderij pia illa interpretatio est: *Hereditatem desidero; & quia illa sine patris morte obuenire nequit, placet & illa mihi, cùm Deo etiam illa placuerit.* Huius autem ordinati desiderij argumentum esse potest dolor ex infelici successu in morte patris, si fortè illa non naturalis, sed violenta sit, quod quidem non sine horrore in filij considerationem incurret, vnde & paratus est pro vita patris vsque ad sanguinem decertare, quia infaustos huiusmodi successus, non tam Deus velle, quàm permittere dicendus: etsi aliquando ex peculiari eius prouidentia descendant; qui tamen iuxta ordinarium naturæ cursum non veniunt, vt suffocatio, aut casus ex alto, vel alia molis ruentis oppressio, ad permissionem reducuntur, & ita sunt bonis ingrata filijs infortunia huiusmodi, licet aliàs bonos sibi effectus inde secutos gratulentur. Non est autem ratio eadem in exemplo adducto, quia ibi desiderium ex concupiscentia solum carnalis delectationis exoritur, & non ex honesto fine matrimonij, qui potest cum coniuge in viuis agente conuenienter obtineri. Vbi & circumstantiæ occurrere possunt, quibus stantibus desiderium iam tale possit honestari.

ASSERTIO IX.

Milites nauales licitè posse ignem injicere in puluerem sulphureum, ne naues in hostium potestatem integra veniat, vel ne hostes animosiores fiant ex parta victoria.

9. *Contra SS. Patres esse asseritur, & omnes, Theologos: quod non ita esse demonstratur.*

579. PRoponitur ex P.Tamburino *Lib.6.Cap.2.§.2.n.8.* ducto potissimum auctoritate P. Lessij idem dicentis. Eam tamen ceteros Theologos reprobare affirmat Auctor arguens ex auctoritate D.Thomæ,& prætereà ex Diuis Augustino & Isidoro Pelusiota, & inter SS. Patres annumerat Firmianum, addens Aristotelem, Senecam, & Martialem. Circa quod id resumendum quod *n.*577. circa talem modum inuasionis dicebamus. Ibi enim circa P. Palaum id obiecimus, quod circa P.Lessium possumus iure optimo etiam vsurpare. Nouitatem inquam istam, si ex pernicijs est,& in Theologia monstrum, in eum potiùs, ex quo desumpta est, quàm in eum, qui desumpsit, & eius inuidiam, regerendam. Quis autem P. Lessium monstrorum auctorem vnquam somniauit, virum sapientia & sanctitate percelebrem? Cuius sententiam secuti Syluius Marchantius,Malderus, P.Fagundez, Bonacina, Trullench, quos adducit Diana *Parte 5. Tract.4. Resolut.26. & Parte 6.Tract.7. Resolut.* 48. quos & videtur sequi licet priori loco, dum negando concludit *videatur*, contrarium complecti significet. Sed certè ex ipsa conclusione conuincitur præfatis assentiri, dum pro negatione in casu proposito rationem reddit ex eo quòd *Doctores citati supponunt milites esse necessariò occidendos ab hostibus, quod in casu dicto non accidit: immò contrarium moraliter certum est: nam barbari illi* (Turcæ) *prædantur vt posteà captiuos vendant, vel seipsos redimant*: quando ergo occidendi sunt, planè supponit se cum Doctoribus ab eo adductis

Diana.

dictamen habere commune. Tenent etiam P. Gaspar Hurtadus de *Iust.& Iure Tract.1.Disp.11. Dissic.1.§.* Secundò licitum. P.Dicastillus *Lib.2. de Iustitia. Tract.1. Disput.10.n.*337. Guilielmus Herincx *Tomo* 3. *Tract.2. Disp.6. nu.12.* Bassæus *Tomo 1.verb. Homicidium 1.n.7.* Cardinalis Lugo *de Iustitia Tomo 1. Disput. 10. nu. 51. & seqq.* P. Bussembaum in Medullâ Theologiæ mor.Lib.3. Tract.4. Cap.1. Dub.1.n.1. & alij.

Quia dicatur directa homicida.

580. Ratio illorum est, quia non est directa occisio, quam SS.Patres condemnant: indirecta autem ex multis caussis potest honestari: vt patet allatis exemplis, & alijs apud citatos. Sed obijci potest, nam si quis dicto modo alium occideret, esset directus homicida, puluerem scilicet tormentarium incendens, & sic eum cogens mori se committere certò periturum: ergo & in casu nostro idem dicendum. Verùm hoc non vrget, quia tunc ex directo affectu erga mortem alterius agitur,quod tamen secus accidit in casu præsentis quæstionis. In cuius resolutione, cùm adeò firmum adsit ab auctoritate præsidium, & ratio non leuis assistat, id protulisse, quod ex Auctore nostro vidimus, sine præcipiti stare non potuit iudicio, viris semper sapientibus euitando. Seneca Stoico locutus spiritu homines volens insensibiles, neque consequenter, & sibi constans, qui in Catone Vticensi mortem sibi illatam, ne in manus veniret hostium, cum horrendis circumstantijs,magno verborum celebrat apparatu Epist.24. vbi alia etiam adducit huiusmodi temeritatis exempla. Item *&* 82. *&* Cap.3.*de Prouidentia.* Cur non ergo suo Catoni dixerit quod ex Epist. 70. præfatus obiectat? *Quare suscipis alienæ crudelitatis procurationem? Vtrùm inuides carnifici tuo, an parcis?*& quàm hęc illis consona,quę *citata Epist.* 24. inter alia protulit, post Catonis, & aliorum immane facinus celebratum sic locutus: *Non in hoc exemplo hæc nunc congero, vt ingenium exerceam, sed verè aduersùs id,quod maximè terribile videtur, exhorter. Facilius autem exhortabor, si ostendero non tantùm fortes viros hoc momentum efflandæ animæ contempsisse, sed quosdam ad alia ignauos in hac re exæquasse animos fortissimorum.* Sic ille, & eo quidem loco, ex quo contra assertionem propositam verba sibi fauentia Auctor exprompsit.

Seneca à eum cautem remquoto.

ASSERTIO X.

Iustè damnatum vt fame pereat, posse oblatum panem respuere.

581. SIc ex P.Tamburino *Lib.6. Cap.2.§.2. n.* 6. contra quem arguit ex D. Thoma 2. 2. *q.* 69. *arti.4. ad* 2. vbi sic reddita ratione concludit: *Quia non sumere, esset se ipsum occidere:* & ea etiam ratione, ex naturali inclinatione conseruandæ vitæ desumpta, non obstante sententia iudicis, quæ ad hoc nòn extenditur: neque enim præcipit vt ille non comedat, *cùm nullus ita condemnatur, quòd sibi ipsi mortem inferat, sed quòd ipse mortem patiatur*, vt ait S. Doctor. & agendæ hoc loco grates, quòd à censurarum turbine fuerit temperatum, generali monstrositatis inustione contento,, & sententia quidem oppositа valde probabilis est: ea autem quam P. Tamburinus proponit,& valde etiam probabilis,& communis,

D.Thom.

P.Tamburinus plures ex antiquioribus & modernis, assertionem secutus.

ac

ac proinde nullum pro ipsa laudauit auctorem. Tenent ergo P.Gaspar Hurtadus *loco nuper adducto* §. *Quartò licitum*,Bassæus *citato n.*7. P.Lessius *Lib.2.Cap.9. nu.*29. P.Azor *Tomo* 3.*Lib.*2. *Cap.*3. *Quæs.*6. Malderus *in* 2.2. *Tract.*3.*Cap.*1. *Dub.*19. Cardinalis Lugo *Disput.*10. *citata n.* 27. *& seqq.* tunc tantùm obligationem admittens quando continuata sumptione sibi pœna mortis penitus esset euitanda.Diana *Parte* 5.*Tract.*4.*Resolut.*41. & quamplures alij. Ne autem ex antiquioribus aliquid in hoc negotio, vbi contra nouitates agitur, desiderari possit, succurrunt Maior & Henricus, quibus meritò accensendus Sotus apud Dianam & P. Lessium, qui etiam Ludouicum Lopez adducit, qui ex eo probant,quòd hoc non sit directè cooperari morti, sed patiendo, sese iustæ sententiæ conformare. Sicut potest Carcere aperto non exire, immò & se offere iudici, vt ad aliorum exemplum, in se, quæ commisit delicta castiget, pro quo Guilielmus Herincx *suprà nu.* 10. Auctoribus ergo, & quidem minimè contemnendis, & ratione non leui quidem obarmata sententia, meritò potest probabilitatem suam contra inuasores iniustos defensare.

Cardinalis de Lugo laudatus.

Potest se offerre iniustè puniendum.

ASSERTIO XI.

Præceptum charitatis indirectè solùm, & ratione alterius obligare; quando scilicet quis non habet aliam viam, qua se iustificet.

11. Circa præfatam obligationem varia sententia.

582. EX P.Tamburino *Lib.2. Cap.3.§.2. n.2.* referente P. Azorium. In quo stupendam quamdam peruersionem asserit; vt quod Christus disertis verbis primum mandatum esse pronuntiauit,Doctor Christianus asserere audeat indirectè solùm, & ratione alterius obligare: iam enim illud aliud, ratione cuius obligat, erit prius contra apertam Christi assertionem. Confirmat ex D.Thoma 2.2.*q.*44. *arti.*1. ex cuius discursu conuincitur charitatem esse finem omnium præceptorum, & ita sequi necessariò videtur non posse obligationem eiusdem esse tantùm indirectam, & quia ex eo fieret posse aliquem per totam vitam nullum elicere actum charitatis: quod Academia Louanienſis ad requisitionem Episcopi Gandauensis apertè damnauit. Habemus ergo P.Tamburinum non fuisse huius laxitatis auctorem, cùm habuerit, quem sequeretur, P. Azorium;& ita hîc dicendum, quod circa nonnullas alias propositiones remanet adnotatum. Sed non solus ille dicta in assertione præcessit *Tomo* 1. *Lib.* 9.*Cap.*4. *Quæs.*1. idem enim senserũt Mag.Canus in *Relectione de Pœnitentia Parte* 4.§. *Secunda propositio*, cuius illa sunt verba: *Nec peccat mortaliter qui non diligit Deum, nisi necessitatis articulus intercedat*, Mag. Bañez in *citatum Articulum* D. *Thomæ Dub.* 1. qui ad tollendos scrupulos, vt ille ait, ita loquitur: *Qui dignè sumit Eucharistiam semel in anno, adimplet simul speciale præceptum charitatis.* Cuius dicendi modi meminerat P. Azorius nomine Auctoris suppresso. Ioannes Sancius *Disput.*1.*n.*21. Verricelli,Villalobus, Henriquez, Augustinianus, & alij apud Amadæum *in Propositionibus ex Tractatu de Charitate, Propositi.* 1. &

D.Thom.

Mag. Canus.

Mag. Bañez.

apud P.Mendum in *statera Dissertat.*1.*n.* 148.& seqq. Apud vtrumque Nauarrus in *Manuali Latino Cap.*11. *nu.*16. vbi pro obligatione solum necessitatis agnoscit articulum.

583. Sed cuiuscumque præfata sententia fuerit, à SS. Alexandro VII. proscriptione notata habetur priori suo Decreto, & est ordine *Prima* tenoris sequentis: *Homo nullo vnquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei, & charitatis ex vi præceptorum diuinorum ad eas virtutes pertinentium.* Censura eius iam nota ex *dictis*, *scilicet vt minimùm esse scandalosam.* Excessit ergo qui dixit esse stupendam quamdam peruersionem: quo loquendi modo hæresis potuit stupenda notari. Et quidem Societatis Scriptores sententiæ obligationem firmanti communiter adhæserunt, vt videri potest apud Mendum *suprà n.*141. vbi quamplures ex illis recensèt. Circa tempus autem, in quo vrgeat obligatio inter Scriptores est non parua dissensio, vt videri potest apud P.Azorium *Quæs.*1. *citata*, quod hoc discussisse loco intempestiuum accidit, vbi illud sit dixisse sufficiens, debere Confessarios ad id pœnitentes hortari, dum eos pro obtinenda absolutione disponunt, sic enim illi à scrupulis circa hoc insurgentibus poterunt in vitæ decursu liberari.

Decretum Alex.VII. qua illa proscribitur.

Excessus in censura citati auctoris.

P.Mendus.

Quid circa tempus.

ASSERTIO XII.

Certum esse iurare sine animo iurandi, siue res sit leuis, siue grauis, non esse licitum sine caussa, licitum tamen esse cum caussa.

584. SIc P. Tamburinus *Lib.*3. *cap.*3. §.2.*n.*1. contra quem quoad secundam partem (nam de prima nulla est difficultas) insurgit Auctor dicens non solùm non esse certam, sed nec probabilem: quia iurare sine animo iurandi est intrinsecè & de se malum, vtpotè mendacium, quod nullo modo honestari poteſt, ex adducta aliàs Decretali Alexandri Tertij *Cap. super eos* de vsuris. Item quia assumitur Dei nomen in vanum, sicut blasphemare exterius,ex quocumque prætextu fiat, & Idolorum cultus: quod exemplum adducit Caietanus, vt inde probet non licere Dei testimonium applicare mendacio,& quia, vt ait P. Suarez *Lib.* 3. *de Iuramento. Cap.* 19.*n.*1. talis modus iurandi est valde contrarius principali fini iuramenti, qui est firmare humana fœdera,& verba: nam ex defectu huius internæ intentionis multùm videtur eneruari efficacia iuramenti: ex quo colligit esse grauem obligationem natam ex intrinseca ratione iuramenti, & reuerentia Deo debita, ex quo infertur eius obligationem esse sub peccato mortali, & ita mortalem etiam ex suo genere transgressionem. Sic ille arguit: Sed certè non vrgens, quia quæ adducta sunt facili possunt responsione penitus infirmari. Nam in primis negatur quod assumitur, & quod additur de mendacio, quia reuera mendacium non est quod iuratur, quia neque iuratur, cùm desit animus iurandi, vt supponitur, & ita superuacua probatio est ex Alexandri Tertij Decretali P. Suarij doctrina magno illo suo est iudicio dignissima

Iurare sine animo iurandi non licere, & oppositum non esse probabile contendit auctor.

Cuius fundamenta non vrgent.

P.Suarius ei non fauet.

nissima, & ita iuxta illam in ordinario est modo agendi procedendum: quando autem subesse causa momenti alicuius potest, ij, quorum interest, sibi consulant meliori quo potuerint modo: cùm sciant homines etiam timoratæ conscientiæ in iuramentis vti prudenti cautela posse. Quod quidem ferè omnes fateantur necesse est, cùm apud eos constet interrogatum à iudice non legitimè in causa procedente non teneri ad iurandum iuxta eius mentem, & ita iurare potest sine animo iurandi? Pro quo P. Valentia *Tomo. 3. Disput. 6. Quæst. 7. Puncto. 2. circa finem* P. Sancius *Lib. 3. in Decalogum Cap. 6. n. 10. & 17.* P. Lessius *Lib. 2. Cap. 42. n. 47.* Bonacina *Tomo. 2. Disput. 4. Quæst. 11. Puncto. 12. n. 5. §. Secundo sequitur.* P. Palaus *Tomo. 3. Disput. 2. de obligatione iuramenti. Puncto. 2. n. 2.* vbi circa casum præsentem ita loquitur: *Ex invocatione externa diuini testimonij absque intentione obligationis non nascitur obligatio exequendi promissum, aut dicendi veritatem vi iuramenti; sed solùm ob damnum & præiudicium tertij, & ob scandalum.* Sic ille. Vbi ergo neque damnum, neque scandalum fuerit, neque peccatum erit, cùm nulla sit obligatio dicendi veritatem vi iuramenti, & mendacium possit mentali restrictione vitari, iuxta doctrinam eiusdem *n. 2.* qui & *Disput. 1. Puncto. 8. n. 5.* Sic ait: Est tamen absque dubio peccatum veniale, & graue quando nulla legitima & honesta causa fieret, quia est quædam fictio vim iuramenti eneruans. Hæc ille. Vbi igitur honesta intercedit causa, nullum est peccatum. Luculentiùs P. Sancius. *citato. n. 10.* vbi ita scribit: *Si autem interiori animo nolit illa (verba) ad materiam falsam referre, nec potest ob aliquas rei circumstantias rationabiliter putari ab alijs velle, vt inde scandelizentur: sed tantùm iure suo vtens vsurpat ea verba ad significandum aliquid aliud interiùs conceptum, quod verum sit: vel vsurpat ea tantùm materialiter, nil per illa confirmare volens, non peccat mortaliter, nec applicat iuramentum indebitæ materiæ. Immò credo nec hunc venialiter peccare, quia nullum est mendacium, & cogit causa vti equivocatione, & constabit magis ex statim dicendis. n. 15. Atque idem fatetur Sotus num. præced. allegatus (*scilicet *Lib. 8. de Iustitia. q. 1. arti. 7. in solut. ad. 4. à versu. Ex secundo autem membro) quando iniustè coactus &c.* Citato autem ab ipso. *n. 15.* probat absque mendacio iurari posse, ex aliquo addito mente præconcepto, pro quo & refert quamplures, & ex antiquioribus Angelum & Syluestrum P. Suarez *Lib. 3. Cap. 17. n. 4.* vt probabilius statuit, quoties voluntariè, & absque obligatione, ac sine aliquo nocumento, aut tertij iniustitia iuratur, non esse peccatum mortale id sine iurandi intentione præstare, solumque ibi venialem culpam inueniri. Posse autem etiam illam abesse, si quis sine animo iurandi exteriùs iuret, cum voluntate tamen faciendi id, quod verbis exprimit, cuius verba sunt: *Quando verò iuramentum cadit in factum, si quis habeat intentionem faciendi, licet non habeat intentionem promittendi, non peccabit mortaliter ex vi iuramenti, quia nullum mendacium iurat. Immò nec veniale peccatum hoc esse videtur ex vi religionis, quia potest rectissimè fieri iuramentum de sola assertione futuri operis sine promissione. Sic ille.* Et pro eodem stant qui affirmant, stante iusta causa posse licitè vti æquiuocatione, videndi præsertim apud P. Sancium & P. Lessium, qui ex antiquioribus præsertim iam citatum Angelum adducit, Maiorem, & Adrianum. Estque id satis commune, de quo & ego in *Thesauro Tomo. 1. Tit. 4. n. 271. & 272.*

Sed multi eidem aduersantur.

P. Palaus.

Veniale quando causa non adest, nullum stante illa, peccatum.

P. Sancius.

P. Suarez.

586. Quod cùm ita se habeat, quis non miretur virum doctum, & in Academia non ignobili publicum Professorem, improbabilitatis notam tali sententiæ adeò confidenter inussisse? Sit quidem ita vt ille vult, P. Tamburinum immeritò secundam illam suæ assertionis partem certam esse protulisse, an propterea in sententiam ipsam exardescere oportuit, & grauissimos æui vtriusque Scriptores nota præcipiti maculasse? Certè quidquid ad probabilem desiderari opinionem potest, in præsenti concurrit, vbi graues adeò Doctores, qui non potuerunt non grauibus etiam fundamentis permoueri, & quidem P. Tamburinus meritò dicere potuit id quod de certitudine protulit, si Auctori nostro suum etiam effatum videri certum potuit, quod à certitudine multò longiùs distare compertissimum est. Id siquidem vocare certum solemus, quod communi sapientium sensu vt verum receptum est, licet sint qui contradicant aliqui: vnde & certas aliquas opiniones multi affirmant: cum tamen eo ipso quòd opiniones sunt, certitudine sint omnimoda destitutæ. Est autem receptissima sententia posse iurari modo dicto quando adest causa rationabilis, id quod & aduersantes circa alia admittunt, saltim cùm quis à iudice, aut ab alio non legitimè interrogatur, vt videri potest apud citatos. Quæ autem sit causa iusta, prolixioris examinis est, circa quod benè Bonacina *suprà*. Vnde & P. Tamburinus hoc pacto ritè procedere potuit, breuitatis amator, vnde non est ea de causa adeò acri animaduersione mactandus.

Improbabilis assertio iuxta eumdem. Pro quo arguit.

ASSERTIO XIII.

In die festo per duas horas vacare seruilibus non esse peccatum mortale, quia est modicum tempus comparatione. 24. vnde si herus quispiam habens duodecim seruos iniungat eis laborem integri diei, assignando singulis duas horas successiuè ac diuisiuè, non peccat mortaliter.

13. Contra quam ex Sinnichio auctor.

587. PRo hac Assertione affirmat Auctor à Sinnichio referri P. Tamburinum, quam hoc discursu ait egregie ab ipso confutari. Cùm iuxta D. Augustinum, Stephanum Saulus eorum manibus lapidasse censeatur, quorum vestimenta seruabat, vt expeditiùs lapidarent: quis non videat potiori iure herum illum toto die festo seruiliter laborare, cuius iussu tot famuli seruiliter laborant? Multò enim magis laborantibus cooperatur qui iubet, quàm qui vestimenta custodit: iussio enim primus inter operandi modos recensetur. Id ex eo confirmat quòd si quis mandaret diuersis famulis modicum quid furari ex singulis templis vnius prouinciæ vel regni, proculdubiò peccaret mortaliter, non solùm in genere furti, sed etiam sacrilegij, si illa minuta singulorum furta notabilem quantitatem sacrilegè per partes surreptam conflarent. Cur ergo non peccet

Improbabilis assertio iuxta quosdam eiusmodi præsumitur.

Quibus discursus eiusmodi confirmatur.

In furtis diuersa ratio.

Alij præter P. Tamburinum sententia proposita defensores.

Pro ea ratio.

Peculiaris obseruatio.

eet mortaliter herus in nostro casu, quando omnes illæ partes in vnum collectæ notabile temporis sacri spatium conflant? Sicut enim res permanentes subtrahuntur profanis vsibus, & deputantur diuino cultui per ritualem consecrationem, ita & tempus per festiuitatis indictionem. Ecce discursum docti illius Scriptoris. Ad quem, quod ad primum attinet, concedi totum potest, scilicet herum illum toto die aliquomodò laborare: ex quo consequentia infertur nulla, licet subintelligi illa possit? *Ergo peccat mortaliter:* quæ tamen neganda, quia laborare illo modo peccatum mortale non est, cùm ex laborantibus nullus peccet mortaliter, quod restabat probandum. Ad confirmationem dici potest ex materia furti non bene argui ad materias alias, & ita neque ad præsentem, ob damnum inquam, quod infertur proximo. Vnde qui furatur diuersis diebus quantitatem per minuta furta, quæ simul sumpta ad mortale sit peccatum sufficiens, mortaliter peccat, iuxta communissimam sententiam; & tamen, nequit similiter argui in ieiunio, horis Canonicis, & precibus alijs ex voto debitis.

588. Iam quod ad sententiæ huius Auctorem attinet, non erat cur P. Tamburinus vti talis traducendus assumeretur, cùm ante illum alij eam fuerint complexi, & in lucem publicam vti sibi prorsus verosimilem emiserint, scilicet Bonacina *Tomo. 2. Disput. 5. de 3. Decalogi præcepto. Quæst. vnica. Puncto. 3. n. 4.* Diana *Parte. 3. Tract. 5. Resolut. 8.* P. Pellizarius *Tomo. 1. Tract. 5. Cap. 4. n. 8.* P. Thomas Sancius *Lib. 1. in Decalogum. Cap. 4. n. 12.* quos secutus est P. Tamburinus *Lib. 4. in Decal. Cap. 3. §. 2. n. 2.* ab Auctore nostro non visus, quia inuisus, vnde è Sinnichio extractum, quod suis monstris aggregaret. Habet ergo ab auctoritate sententia hæc, quod sufficere ad probabilitatem possit, sicut ex ratione; quia peccare nequit mortaliter qui cooperetur peccato, nisi tale peccatum mortale sit, quale non esse in casu præsenti supponitur, & quidem si iuxta materiam furti philosophandum est, sequitur famulum, qui primo laboranti in labore succedit cum excessu iam temporis, in quo continuatio respectu vnius mortalis esset, mortaliter peccare, sicut peccat qui quantitati ad mortale non sufficienti aliàm furando superaddit, quia damnum notabile ab alio inceptum conflatur. Quod tamen contra suppositum quæstionis est, omnes scilicet famulos venialiter tantùm peccare. Addo dici congruentissimè posse herum tota die non laborare: nam ea, quæ iussu heri fiunt à famulis, talia non sunt, vt dici possint herum illa efficere, licet eius iussione fiant. Neque enim dici potest herum verrere domum, sternere lectum, condire cibos, mundare stabulum, & generaliter, servire: & sic tantùm dici poterit ad prædicta suo imperio concurrere, & consequenter in nostro casu cooperari ad totius diei laborem, qui venialis cum sit, venialiter tantùm & ipse delinquet, Saulus Stephanum omnium lapidantium manibus dicitur lapidasse, dum custodiebat vestimenta, quia actio illa talis erat, quæ & ipsi posset attribui, & ad quam ipse non morali solùm influxu, sed physico etiam posset, vt vnus è populo, in eum, quem blasphemum inuidia inimicorum proclamauerat, insurgente.

ASSERTIO XIV.

Famulum, qui submissis humeris scienter adiuvat herum suum ascendentem per fenestram ad stuprandam virginem, & multoties eidem inseruit deferendo scalam, aperiendo ianuam, non peccare mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, vt ne à domino malè tractetur, ne toruis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

14. Improbabilis assertio iuxta eumdem. Pro quo arguit.

589. HInc incipit §. 3. titulo illo: *Alia probabilitatum monstra confutantur*, & pro assertione citata refert P. Castrum Palaum, Merulam, P. Hurtadum, & alios apud Dianam, quibus subscribere ait P. Tamburinum *Lib. 5. Cap. 1. §. 4. n. 19.* Quam sententiam ait esse improbabilem, suffragante Mercoro. *Primò*, quia similiter famulus nec peccaret iuvans in homicidio aut furto. *Secundò*, quia aut cooperari stupro non est intrinsecè malum, aut reuera tale est. Si Primum; ergo etiam si non timeretur de damno, posset cooperari. Si Secundum, id licitè non potest, etiam si mors immineat. *Tertiò*, quia ex eo sequeretur Deum posse prædeterminare ad materiale peccati, & ita immeritò sic sentientes contra Thomistas depugnant circa rem istam, cùm multo meliùs Deus possit motione physica ad substantiam actionis concurrere, absque eo quòd concurrat ad deformitatem, quæ ei ex cooperatione causæ secundæ accidit. Certè cùm concursus causæ secundæ non sit præcisivus, nec ita uniuersalis, sicut concursus causæ primæ; si iste non possit attingere substantiam actus mali absque eo quòd se extendat ad eius malitiam, à fortiori ille id præstare non poterit.

Obiectionum solutio.

590. Ac hæc responderi potest non minus operosè. Ad *Primum* in homicidio & furto nihil esse indifferens, siquidem ipsa occisio, & furtiua subreptio actiones ex se malæ sunt; & ita similiter accideret si famulus iuvaret herum in ipsa actione venerea, quod neutiquam admittendum: vt si feminam resistentem vi aut blanditijs obsequentem redderet: & similiter si surripienti surreptor accederet, & quæ surripuissent exportaret. Per quod ad *Secundum* patet responsio: dicimus enim stuprum esse ex se intrinsecè malum, & ita ad illud non posse immediatum præstari concursum, quod secus accidit in ijs, quæ indifferentia sunt, & actionem illam turpem antecedunt. Ex quo etiam patet solutio ad *Tertium*, quia prædeterminatio physica ad materiale peccati ad substantiam ipsius operis spectat, cum quo est malitia hîc & nunc necessaria connexa: vndę retorqueri potest argumentum, quidquid sit de vniuersali ratione causæ, quia neque ratione talis vniuersitatis stare potest concursus iste, qui debet esse omnino indifferens, & quidem respectu Dei magis repugnans, quia & magis indecens ob infinitam eius sanctitatem, vt dicere meritò cum summo possimus vate: *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Psal. 5.*

Ab auctoritate practicum.

591. Et hæc quidem probabilitatem ab intrinseco sententiæ dictæ videntur ostendere, quæ

ab auctoritate illam etiam comparauit; sunt enim complures eidem adstipulantes, nec solicitati, in quibus Merula dicitur, qui sibi & alijs Merolla est; sed plures alij videndi apud Dianam *Parte.3. Tract.5. Resolut.36. & Tract,6.Resolut.46.Parte. 5. Tract.7. Resolut.27.28.& 29.& Parte.7.Tract. 7.Resolut.51. & 56.* Et apud Leandrum à Murcia *in Disquisitionibus moralibus Lib. 2. Disput. 4. Resolut. 24. n.5.* cum eisdem sentientem. Licet autem nonnulli à Diana adducti absolutè id non probent, probabilitatem tamen agnoscunt. Nec contemnenda circa hoc Nauarri magno in pretio habita semper auctoritas, qui *Lib. 5. Consiliorum in. 2. editione. Consil. 5. de Pœnitentia circa finem*, licere quod in Propositione assumitur, arbitratur. De quo & dictum à nobis *suprà* contendentibus non esse deproperandas censuras, & non posse id quemquam vsurpare sibi, quod altioris est tribunalis, vt à SS. Alexandro VII. dictum in Decreto citato contra Sorbonicam facultatem. Hoc quidem loco improbabilitas tantùm obiecta, sed quia non probata sententia dicta, quæ quidem multis sincerius etiam agentibus non placet, in suæ est probabilitatis statu pacifico relinquenda, dum Sedi Apostolicæ aliter non fuerit visum ordinare. Neque Alexandro è viuis, (heu) sublato, in succesoribus stabiliendæ veritatis zelus in materia momenti tanti dormitabit.

Quanta Nauarrus

ASSERTIO XV.

Licitum esse procurare aborsum ante animationem fœtus, vt consulatur vitæ vel honori puellæ.

15. *Singularem pro ea* Trullench *fugillat auctorem, & impiam asserit.*

592. DImisso interim P. Tamburino ad Propositiones alias gradum extendit Auctor, in quibus graues pungit & exacerbat Scriptores, incipiens ab Ægidio Trullench præfatæ defensore. *Tomo.2.in præcepta Decalogi Lib.5.Cap. 1. Dub. 4.* pro quo & alios quatuor referri ait à *Salmanticensibus Tractatu de peccatis Disput. 10. Dub. 6. §. 3. n. 223.* Oppositum affirmat tenere omnes alios Theologos & Canonistas, & ex eo probat quia est contra quintum Decalogi præceptum, & morale homicidium, dum iniquè impeditur hominis vita, pro quo & adducit Tertullianum, Maiustium Fælicem, & Diuos Ambrosium, Augustinum, & Hieronymum, ac Concilium Ancyranum, concludens esse impiam assertionem, ex qua fieret vix vllam abortionis Procurationem esse culpandam, cùm vix vnquam infamiæ periculum possit abesse. Tenent tamen illam Torreblanca, Zambellus, Bordonus, & quidam alij apud Dianam *Parte. 3. Tract.5. Resolut. 11. & Parte.5. Tract.14. Resolut.90. & Parte.6. Tract. 8. Resolut. 37. & Parte. 7.Tract.5.Resolut.* 32. vbi eam censet improbabilem, & citata *Resolut.37.* ita etiam sentientem adducit Mag. Candidum, & auditum à se addit in Congregatione S. Officij fuisse damnatam, quamuis de hoc dubius. Ibidem autem pro eius probabilitate patrocinium exhibentem inducit Lezanam & Trullench suis verbis loquentem: pro qua & Leander à Murcia *suprà Disput. 5. Resolut.31. n.14.* & 24. Vnde Trullench non debuit vti absolutus assertor ab Auctore nostro pronuntiari. Si quid autem probabilitatis habet, id in vitæ tantum admittendum periculo, non infamiæ, cui se sciens & volens exposuit; non adeò de famæ tuitione solicita, dum facinus perpetraret, secus de vita: credibile enim est de illa non cogitasse, & est sanè durissimum cum eo discrimine inanimatum velle conceptum inviolabiliter conseruare, & qui ita censuerint, & se probabiliter sentire putauerint ad auctoritates indicatas dicere possunt illos de hoc singulari non fuisse locutos articulo, eorum pronuntiato generaliter deferendo: sicut absolutè affirmant illi non esse licitum innocentem occidi; & tamen sunt casus aliqui, in quibus id licere communiter Auctores fatentur, vt aliquando in bello, in fugiente ad saluandam vitam, cui in via interpositus infans, & sic alij. Generalis ergo doctrina peculiares non semper euentus comprehendit.

Sed sunt alij eius assertores.

Dianæ est improbabilis, qui & dubius circa damnationem.

Ob timorem infamiæ nemquàm licet.

ASSERTIO XVI.

Concubinarium non teneri domo pellere concubinam, sed polliceri solum se non deinceps cum ea peccaturum, quando ea relicta vitam transigeret tristius.

16. *A Louanienſi Academia reiecta.*

593. PRo hac adducit Ioannem Sancium in *Selectis Disput. 10. n. 20.* apud Dianam *Parte. 5. Tract. 19. Resolut.108.* cuius & profert verba, addens iudicium Doctorum Louanien-sium, iuxta quos, *Sicut Epicureorum placitis videtur consona, ita & Christianorum regulis videtur aduersa.* Vnde & similem aliam proscriptam subdit ab Academia Louanienſi vt falsam, pernicio-sam, & temerariam, hanc scilicet: *Licitum est quærere directè peccandi occasionem proximam pro bono spirituali vel temporali nostro, vel proximi.* Sed habemus circa hos firmiorem pontificium ser-monem in decreto 2. SS. Alexandri VII. dam-nabilium propositionum: est enim inter il-las. 41. de qua & nos in *Thesauro Tomo.2. Tit.16. n.55.& suprà.n.575.* cui & primæ censura com-munis congruit, quòd scilicet sit *vt minimùm scandalosa* reuera enim multorum & magnorum scandalorum esse occasio potest: quòd scilicet multi illo carnali inducti dictamine in salebra hę-reant viscosissimi pellicatus, & ita etiam in dam-nationis æternæ periculo manifesto. Placuit id viro docto, sed in doctis etiam sui esse lapsus pos-sunt, & verò etiam solent, quod à D. Hieronymo dictum *Epist.65.* de Origene agente, & Horatia-num sat tritum vsurpante prouerbium: *Quòd si quis* (inquit) *Iudæi Zelotes opposuerit nobis errores eius, audiat liberè: Interdum magnus dormitat Ho-merus. Verùm opere in magno fas est obrepere som-num.* Sic ille. Fuit Ioannes Sancius vir Opere vno multis celebrior, qui vulgatis opusculis plurimis laudem publicam honestis conati sunt titulis au-cupari. De quo sic quinque nobiles Antuerpien-ses eiusdem ciuitatis Episcopi: *Quod felicissimis Ioannis Sancij lucubrationibus circa Sacramentorum administrationem elaboratum, doctorum omnium plausum, ac fauentem pollicem toto orbe Christiano promeruit.* Hæc ille. Si quid ergo somni in illo obrepsit, Pontificia iam adhibita cautione, inge-nuè

Et ab Alexandro VII proscripta.

Ioannis Sancij commendati.

D. Hieron.

nuè condonandum. Conatur autem Leander à Murcia *Lib.2. Resolut.12.nn.3.* illius sententiam ad commodum sensum adducere ei vt scilicet oblectamenti nomine rem valde vtilem intelle-xerit: qua vtilitate stante, sunt qui censeant li-cere talia non contemnendi Scriptores apud eumdem; quibus tamen ille se præstat aduersum *num.5. & seqq.*

Murcia vt Sancium conatur explicare.

ASSERTIO XVII.

Copulam cum coniugata consentiente marito non esse adulterium; adeoque sufficere in Confessione dicere fuisse fornicatum.

17. *A Louanienſibus relegata Pro qua arguitur.*

593. HAnc Assertionem ex nouis Casuistis, nullo signato, proponit, & esse tertiam ait ex septemdecim, quas *Anno* 1653. ad instan-tiam Archiepiscopi Mechlinienſis Academia Lo-uanienſis censurauit, atque vt falsam & erroneam proscripsit. Arguit contra illam ex D. Pauli sen-tentia *Rom.* 7. sic concludentis: *Igitur viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro.* Item ex ipso adulterij nomine: nam, vt ait D. Thomas *2.2.q.154. arti.8. Adulterium, sicut ipsum nomen sonat, est accessus ad alienum thorum:* quod qui-dem stat etiam consentiente marito. Præterea, quia Gnosticorum adulteria sic possent excusari: nam teste D. Epiphanio *hæresi* 26. apud ipsos post opipara conuiuia feminæ præcipientibus maritis misceri extraneis solebant. Sed hæc parùm vr-gent. Ad *Primum*, Apostolus de ordinaria lege matrimonij loquitur, nec casum specialissimum sua illatione complectitur. Et agit quidem de fir-mitate matrimonij, vt non liceat viuente coniu-ge, alteri per coniugium copulari. Vnde ait, *Si fuerit cum alio viro*, id est, marito: vnde ad insti-tutum Apostoli non conducebat ad casum præ-sentem, vtpotè ad illud minimè necessarium, do-ctrinam prædictam deriuare. Ad *Secundum* simi-liter dicendum, iuxta ordinarium vsum fuisse nomen appositum, nec semper nomina ad omnem se vsum extendunt: sic fornicatio sic dicta, quia sub fornicibus huius erat turpitudinis exer-citium. Ad *Tertium*, si Gnostici id faciebant, ex ea parte excusabiles quidem quantùm ad iniu-stitiam flagitij, sed inexcusabiles, quia illud mul-tiplici malitia condiebant, credentes id esse lici-tum, peruersissima hæresi, vxores præcepto ad illud vrgentes, vnde & grauissimi scandali auc-tores: erat insuper reciproca inter eos commixtio, ex quo filiorum incerta conditio, nullo eorum verum parentem valente cognoscere &c.

Rom.7.v.3.

D. Thom.

Sed sit satis argumentum infirmis.

Consentiente marito nulla est iniustitia.

594. Et hæc quidem vt ex ijs appareat quàm sint robusta fundamenta, quæ citatus pro senten-tia contraria propositæ eum ad censuras adeò acerbas permouerunt. Vbi in primis statuendum est quando beneplacitum mariti intercedit, vxo-ris consortium carnale cum extraneo non conti-nere rationem iniustitiæ, ex regula iuris notissi-ma, *Scienti & volenti non fit iniuria.* Quam in casu præsenti habere locum, & propterea mari-tum non posse vxorem dimittere, sicut potest absolutè adulteram, facto diuortio, tenent quam-plurimi Doctores Theologi & Iurisperiti, quos adducit & sequitur P. Thomas Sancius *Lib. 10. de Matrimonio Disput.5. nu.4.* vnde ex hac parte nequit sententia dicta cenuris quibuslibet infa-mari. In quo quidem sunt qui aliter sentiant, eo quòd arbitrentur coniuges non posse iuri suo cedere, quia talis iuris non sunt domini, vtpotè quod essentialiter annexum sit contractui matri-moniali, in quo traduntur corpora coniugum, & naturaliter nascitur obligatio seruandi fidem ad inuicem; & hanc obligationem vtpotè natura-lem matrimonio, neuter coniugum potest vlla ratione sua voluntate aut consensu ab se abijcere, quia non competit ipsi in ordine ad priuatum bo-num, sed ratione status, qui est communis. Sic ex communi Doctorum responsione, quos addu-cit in margine Eligius Bassæus *Tomo 1.verb.Adul-terium n.1. §.Petes, & seq.* Sed certè non omnes illi ita sentiunt; nam P. Thomas Sancius *Lib.9. Disput 15.* vbi eum citat, nihil de tali habet quæ-stione: quid autem sentiat iam vidimus. Bonacina multam iniustitiæ mentionem facit; sed ex indis-solubilitate matrimonij arguit *Tomo 1. Quæst.4.de Matrim. Puncto 15.n.3.* citat autem P. Filliucium *Tract.29. n.84.* vbi aliâ dicit adducere rationem, ex quo videtur eam probare: ibi autem citatus Pater expresè ait non esse in casu nostro | ro-priam iniustitiæ rationem, respectu coniugis, sed iniuriam fieri statui. Allegat etiam P. Leissium *Lib.4. Cap.4. Dubit.10.* vbi nihil ad rem, cum sit de gradibus humilitatis *Libro* tamen 2. *Cap.7. nu. 12. vers. Dixi*, expresse ait non fieri propriè in-iustitiam, aut iniuriam coniugi, sed peccari con-tra legem matrimonij. Sayrus in *Claui regia Lib.8. Cap.3.* nihil ad rem attinens proponit: sicut nec P. Azorius *Tomo 3.Lib.3.Cap.7.* Omitto nonnullos alios: ex quo apparet id, quod Bassæus asserit, non esse iuxta eius testimonium, cùm veritati non consonet, accipiendum.

Secus aliqui sentiunt.

Vindicantur aliqui ab ea assertione.

395 Aliter ergo philosophandum est, ex eo scilicet, quòd quamuis coniugi consentienti non fiat iniuria, vt vidimus, fit tamen contra legem matrimonij, vt citati tradunt: pro quo & P. Tho-mas Sancius *Lib.1.Disput.2.nu.9.* qui benè id ex-plicat ex eo quòd turpis illa commixtio oppona-tur bono fidei matrimonij, quod ex tribus in eo repertis est vnum, iuxta receptam ex D. Augu-stino doctrinam de Genesi ad litteram. *Lib.9.Cap. 7. & contra Iulianum Lib. 5. Cap. 2. Tomo 7.* & D. Thomæ *in 4. quæst. 26. arti. 2.* quod & habe-tur *in supplemento 3.p. q.49. arti.2.* vnde & addit circumstantiam istam, in Confessione aperiendam necessariò: planè indicans esse adulterij, quod vt tale nouam in genere luxuriæ speciem constituit, iuxta omnes. Cui communi resolutioni per pauci illi se opponunt, de quibus *suprà*: quia stante be-neplacito dicto, propria ratio adulterij deficit: ex eo autem quòd aliquo modo contra bonum fidei debitæ fiat, erit ad summum circumstantia ag-grauans, pro qua, sicut & pro alijs, non est obli-gatio in Confessione, iuxta receptissimam sen-tentiam, quæ D. Thoma auctore triumphat; licet opposita multis & magnis arrideat Auctoribus; habeatque satis solida fundamenta, & esse quidem talem vt speciem non mutet, ex eo probari po-test, quia fides, quæ vt bonum matrimonij consti-tuitur, & contra quam solùm esse potest turpitu-do dicta, quæ cadit supra fornicationem, princi-paliter

Ex lege matrimonij so-lutior ratio.

P. Sancius.

D. Auguſt.

Esse tantum circumstan-tiam aggra-uantem quæ videantur probare.

paliter respicit obligationem circa maritum, & ita iustitiam, vt docet D. Thomas *art.2. citato ad 5.* verbis illis: *Fides nominatur, quæ ponitur pars iustitiæ.* Atqui hæc non violatur, vt vidimus; ergo neque mortalis culpa in eo est ratione diuersæ speciei. Maior & Minor videntur constare, & Consequentia ostenditur: quia diuersitas specifica ex eo solùm stare potest in actibus prauis, quòd oppositionem directam habent cum bono, quo priuant secundùm illius principalem & propriam rationem: si enim talis non sit, erit tantùm aliqualis, & secundùm quid. Hinc censent docti Scriptores delectationem morosam circa personam coniugatam non habere malitiam adulterij, quia licet pro obiecto habeat illam, caret tamen efficacia, quæ ad violationem alieni thori protenditur; qui licet aliqualiter violari videatur morosis affectibus, non ita tamen vt circumstantiam specie distinctam inducat, & ita neque in Confessione necessariò aperiendam.

Thom.

Nihil opponi, vt censura grauis debeat sententia proposita deturpari.

596. Propter hæc videri posset sententa Recentiorum, de qua agimus, non penitus improbabilis, & ita non digna grauissima illa censura, vt non solùm falsa, sed etiam erronea debeat æstimari. Vt enim erronea dici deberet, opus esset vt ex aliqua veritate de fide immediatè deduceretur, iuxta magis exactam explicationem censuræ huius: quod tamen in præsenti non accidit. Quod enim principium illud? Matrimonium scilicet esse Sacramentum, contractum vnius cum vna, indissolubilem, cum mutua obligatione reddendi debitum? Non equidem, quia ex nullo ex his, quæ sunt de fide, id sequitur vt veritas explorata: ergo assertio dicta erronea non est, quidquid voluerint Louanienses: sic enim & Sorbonicorum censuras Pontificia censura reiecit, quia vim Concilij non habent, & contra doctos sua est etiam doctis sentiendi facultas. Cùm aliàs Louanienſis Censura expostulante Antistite Mechlinienſi prodierit, de quo grandis sermo apud Illustrissimum Caramuelem integro volumine; in qua tamen caussa me non interpono, cùm dicere illi possint: *Quis te constituit iudicem super nos? Luc. 12. v.14.*

Quid de Louanienſium iudicio.

ASSERTIO XVIII.

Comedere & bibere vsque ad satietatem absque necessitate ob solam voluptatem, nullum esse peccatum: quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

18. *Contra eam arguitur.*

597. PRo hac adducitur P. Escobarius *Tract.2. Examine.2. n.102.* pro eâdē referens Ioannem Sancium. Contra quem arguit ex eo quòd delectationes sentibiles non sunt expetibiles ab homine, nisi sub ratione honesti, cuius sunt illecebra, & velut condimentum, vt sic conseruationi individui faciliùs consulatur: in quo quidem à brutis differt, quæ delectationem primariò & principaliter intendunt: quòd si per se intendantur, more brutorum agitur, in quo inordinatio vitiosa est, vt D. Augustinus, D. Thomas, & Soneca eleganter prosequuntur, & huic assertioni nullam grauiorem notam importat, eam de falsitate coarguisse contentus, quam constare ait ex proposito breuiter fundamento. Quod tamen non vrgere vt ipse existimat, ex eo ostendi potest, quia militat etiam contra actus indifferentes in individuo, quos dari posse probabilissima sententia firmat, licet opposita ab auctoritate & ratione grauibus etiam gaudeat firmamentis. Negatur ergo quod assumitur, scilicet delectationes sensuum non esse ab homine appetibiles nisi sub ratione honesti: neque propterea homines vt bruta operantur, quia in ipso appetitionis modo vt rationabilis procedit, quia operans secundùm rationem, liberè inquam, & cauendo ne in prosecutione operationum talium peccatum misceatur. Vnde in eo dici potest interuenire rationem aliquam honestatis, dum cauetur ne subintret id quod est directè & expresè honestati contrarium, & hoc est quod secundùm doctrinam Patrum semper est citantiùs obseruandum, licet frequentiùs ad id, quod est perfectius, exhortentur: & tunc contingit, cùm finis honestus sensibili oblectationi præfigitur.

Sed aliàs non vrget, quia & contra actus indifferentes in individuo militant, ipsi & rationes ipsæ.

598. Iam quod ad Auctorem attinet, P. Escobar citato loco nihil habet, ex quo Propositio dicta illi possit adscribi, quia neque numerus talis in eo Tractatu est. In alijs etiam dum quæritur, si fortè typographicus error irrepsit, nihil etiam comparet. Nam in *Tractatu.1.* de ieiunio Ecclesiastico agitur, vbi nec verbum. *Tractatu* item. 7. de impedimentis matrimonij non dirimentibus est tantùm sermo, nec prætereà talis occurrit numerus. *Tractatu* autem. 2. *Cap.* 5. vbi de peccato gulæ disserit, & opportunus pro quæstione huiusmodi locus suppetebat, nihil item: nisi fortè ex ijs, quæ habet §. *Quodnam peccatum*, velit aliquis id deduci; dum rogans quodnam peccatum sit gula, sic respondet: *Ex genere suo veniale, etiamsi absque vtilitate se quis cibo & potu vsque ad vomitum ingurgitet: nisi ex huiusmodi vomitione grauia saluti incommoda oriantur.* Quando ergo ingurgitatio talis non est, videtur sentire neque veniale esse peccatum. Sed consequentia non est legitima, cùm oppositum potiùs inferendum videatur: quandoquidem gulæ peccatum esse veniale dicitur, sed grauius dum talis habetur excessus, intra genus tamen venialis. Sed quidquid de hoc sit, nec citatio est fidelis, nec allegatio Ioannis Sancij vera: neque prætereà lecti illi, sed ex fide qualicumque turbulenter inpugnati.

Parri Escobar falsò adscripta.

P. Escobarij verba.

Gula ex suo genere venialis peccatum.

599. Nec tamen negamus apud Ioannem Sancium doctrinam prædictam extare *Disput. 2. n.* 14. ea limitatione addita: *Dummodò nociuum non fit.* Pro quo Ioannem Maiorem adducit in. 4. *dist. 31. q. vnica Conclus.7.* quod & non contemnendis roborat fundamentis: Ioannes autem Maior ex nouellis non est laxitatum damnabilium architectis. Et quidem sententiæ huius probabilitate stabilita, innumera peccata venialia excusari possūt, cùm delectationes sensuum, in quibus nullum corpori nocumentum emergit, frequentissimæ sint, non solùm in ijs, quæ ad sensum gustus pertinent, sed etiam in alijs, dum videntur pulchra, sine peccati offendiculo, audiuntur harmonica, odorifera percipiuntur, tractantur blanda, sinceræ tantummodo intuitu voluptatis. Quod quidem in communi videtur fidelium persuasione defixum, etiam si de virtute sint non vulgariter soliciti: neque enim de talibus se in Confessione, vti de peccatis accusant.

Ioannes Sancius.

Ioannes Maior.

Quæ commoda in actione dicta.

Circa

Circa delectationem in vsu coniugali.

Esse venialiter peccatum posse ob solam delectationem multis Scriptoribus, antiquis & recentioribus.

599. EX prædicta Propositione ad aliam transit, quam sufficienter confutatam existimat ex illius sola relatione: & pro ea citat Ioannem Sancium *Disput.23.n.25.* Vbi docet finem solius delectationis in coniugatis ne veniale quidem esse peccatum: Si enim peccatum est actiones ad inuidui conseruationem spectantes ob finem solius delectationis elicere, etiam peccatum veniale erit in coniugatis actum ad speciei propagationem ordinatum ob solam delectationem exercere: quod est conforme doctrinæ D. Augustini, D. Gregorij Magni. & Doctoris Angelici, quorum verba producit. Sed tot sunt ex antiquis apud ipsum Sancium, & Sancium alterum videndi *Lil.9. de Matrimonio. Disput.11.n.2.* qui præfatæ sententiæ adstipulantur, vt de illa id dicere meritò iuvet quod de antecedenti protulimus; non esse inquam nouellorum Casuistarum inuentum: quam & multi grauesque Scriptores ex Recentioribus amplectuntur, & per quam, vt nuper etiam dicebam, ab innumeris possunt coniuges venialibus culpis excusari: quod quidem in considerationem meritò venire debet, cùm ex multis & fide dignis reuelationibus habeatur, quàm sint acerbæ & terribiles pœnæ, quæ in expurgatorijs fornacibus à iustissimo iudice venialibus soleant lapsibus irrogari. Et verò grauare coniuges vt solo habendorum filiorum intuitu se cognoscant, nimis durum apparet: cùm multoties nihil magis molestum illis possit accidere, quam eorum numerum adaugere, quos ægrè sustentare possunt; cùm aliàs grauissimum eisdem esset in coniugio agere cœlibatum. Vnde in scriptura sacra voluptas coniugalis etiam sine respectu ad prolem vt licita & exoptabilis commendatur. Prouerb. 5. v. 18. & 19. *Sit vena tua benedicta, & lætare cum muliere adolescentia tua: cerua clarissima, & gratissimus hinnulus. Vbera eius inebrient te in omni tempore, in amore eius delectare iugiter*, & hæc quidem ita dicta sint, vt tamen Diui Thomæ sententiæ sua honorificentia reseruetur.

Quæ veritas in sententia sit.

Quod ex Scriptura.

Prouerb 5 v.18. & 19.

ASSERTIO XIX.

Lege ieiunij solui qui se ad insequendam amicam, vel quocumque alio labore illicito fatigauit; etiamsi in fraudem ieiunij id fecerit.

19. *Contra eam vti falsam argumentis certat auctor.*

600. SIc ex P. Filliucio *Tomo.1.Tractatu,27.n.* 113. Corrige *Tomo. 2. n. 123. & adde Parte.2.* quam aperte falsam compellasse contentus, contra eam arguit: Nam hinc qui culpa sua in morbum incidit, durante illo, non tenetur ieiunare, vt D. Antoninus, Caietanus, Syluester, & alij Casuistæ communiter docent, secus autem in casu nostro: quia morbus reddit ieiunium impossibile; lassitudo verò & defatigatio tantùm molestius & difficilius. Quid verò iustius quam vt asperiùs ieiunent nocentiores, & qui difficultatem ieiunandi suis sibi sceleribus pepererunt? & quid iniustius quàm vt illi à ieiunio liberentur, qui propter scelera sua plus egent ieiunijs? Quid etiam iniquius quàm vt ille qui in fraudem ieiunij sese nimiùm fatigauit, liberetur lege ieiunij, & ex tali fraude commodum istud reportet? Sic ille: cuius ratio non ita conuincit, vt apertè falsa debeat Propositio dicta censeri. Nam quod ex morbo argumentum desumitur, suam vim retinet, si loquamur non de morbo quocumque, sed de illo, cum quo, licet molestè & difficilè, possit ieiunium sustineri. Quo euentu locum habet etiam, si verè vrget, dictum argumentum, illud similiter applicando. Deinde, stante lassitudine & defatigatione tali, si iste esset officialis, quales ex vulgo multi, non teneretur ieiunare: ergo neque hic & nunc iste, de quo agimus. Antecedens est certum. & consequentia probatur, quia quòd ex inhonesta caussa se in statum hunc coniecerit, non inducit obligationem, quia id est per accidens, & natura hic & nunc eget reparatione. Neque id est commodum ex iniquitate reportare, sed in necessitatem subueniendi naturæ maius patienti incommodum incidisse. Si enim iste ieiunasset, minimè laborem ei, quem modò patitur, comparabilem sustineret: ieiunium enim non ita delassat & defatigat: quòd si ex eo delassatio & defatigatio similis sequeretur, eius obligatio cessaret, vt omnes fatentur: ea enim de caussa, & aliquantò minore officiales, quorum laboriosæ artes, à ieiunij legibus eximuntur.

Sed non esse apertè falsam ostendatur.

601. Quod ad P. Filliucium attinet, re vera ita habet dicens peccatum quidem talem in apponendo caussam fractionis ieiunij; at ea posita excusari à ieiunio. Pro quo adducit Medinam in *Summa Lib.1. Cap.14. §.10.* cuius sententiam censet probabilem Ledesma in *Summa. Tomo. 2. Tract.27. Concluſ.6. Cap.2. Difficult.5.* adductus à Diana suis locutus verbis *Parte.1. Tract.9. Resolut.40.* in quem potiùs Religiosus commilito suæ maledicentiæ iacula debuisset intorquere. Citat autem Diana P. Filliucium vti Medinæ penitus asseclam; cùm tamen Medina peccaturum dicat tantùm contra aliud præceptum, sed non contra præceptum ieiunij: cùm tamen P. Filliucius, vt vidimus, clarè pronuntiet in apponendo impedimento etiam committi peccatum, quod negant aliqui: & ita ipse Diana, qui id sibi non displicere dixerat *Tractatu citato. Resolut.52.* palinodiam recantans *Parte.10. Tract.14. Resolut.* 11. cum multis, quos pro receptissima sententia profert, P. Filliucium recenset *citato nuper loco*: vnde temperatiùs quam Medina locutus. & quàm Ioannes Sancius *Disput. 54. n. 20.* vbi plures adducit cum Medina penitus sentientes. Caramuel in *Theologia morali fundamentali. n.* 1451. & eius hyperaspistes D. Franciscus, vnde *n. 316.* cum Dianæ vterque redargutione. Habet ergo Scriptor dictus, & domesticos & externos, quos adducere pro assertione præsenti poterat, vnde non sincero actus videtur spiritu, dum monstro tali vnum adscripsit parentem, quod nec volet ille etiam leuiter adoptatum.

Quid P. Filliucius & alij auctores censeant circa opponentes impedimentum ieiunio.

De

De alijs circa ieiunij legem depellendam opinionibus.

De dormire non valenti sine Cœna quid contra P. Escobarium effutiat auctor.

602. PErgit ille, & ex confutatione Propositionis proximè confutatæ, confutatam manere ait assertionem aliam Filliucij, qua teste Escobario *Tract.* 1. *Exam.* 13. *Cap.* 3. asserit eum, qui dormire nequit, nisi vespere sumpta cœna, non teneri ieiunare; immò neque in prandio collationem sumere, quamuis hoc modo isti incommodo obuiare posset, *Quia* (inquit) *nemo tenetur* peruertere ordinem refectionum. *Egregium sanè* (subdit) *dignumque patella operculum. Quasi verò ille qui ieiunat, nihil molestiæ aut incommodi ex ieiunio reportare debeat? & vnusquisque præceptum diuinum aut Ecclesiasticum eo modo, quo potest, non teneatur implere?* Benè quidem, si amarulenta remoueamus, cùm negari nequeat quod assumitur, ex quo & inferri poterit ad ieiunium teneri eum, qui nisi sumpta cœna dormire nequit, quandoquidem non obstante molestia aliqua diuinum & Ecclesiasticum præceptum debet adimpleri. Si dicatur illam esse magnam, non equidem minor videri potest, quæ ex dilatione prandij per totum diem, etiam refectiuncula antecedenter sumpta, sentitur. Ea enim de caussa præceptum ieiunij circa hoc iam pridem à suo vigore defecit, iuxta quem comestio vnica cœna, non prandium erat meridianum. Sed erit qui molestiam non experiatur talem, refectiuncula præeunte. Ergo & qui molestiam non fuerit expertus ex defectu refectiunculæ hora solita, tenebitur ab illa abstinere, propter eamdem rationem. Quid ad hæc? Illud certè, consuetudine iam inductum vt refectiuncula sumi queat, etiamsi incommodum nullum ex ea non sumpta sit ieiunans subiturus. Cùm ergo consuetudine etiam inuenitur inductum vt meridie prandium sumatur, & nocte id, quod pro conciliando somno fuit opportunum; nulla est grauis obligatio consuetudinis alterandæ: quod est allatæ sententiæ benè expositum fundamentum.

603. Et est quidem verissimum P. Escobarium ita sentire, & pro eo P. Filliucium afferre, loco vbi id doceat non indicato, neque ego apud illum inuenire potui. Indicat autem illum Diana, qui cum Caietano (& Caietanus ne monstrorum artifex?) Ludouico Lopez, & Ludouico de San Iuam, eum inducit ex *Tract.* 27. *citato. n.* 130. eorum sententiam amplectens *Parte* 1. *Tract.* 9. *Resolut.* 51. Sed certè eo loco minimè suffragatur, & ex vnius verbi malè applicata doctrina monstrum est illud Auctoris nostri iudicio fabricatum. Sic enim concludit: *Quo pacto excusari possunt multi soluentes ieiunium, vel excedentes in refectiuncula, putant enim se non teneri ex varijs casibus, vt ob debilitatem, vel ad capiendum somnum.* Sic ille. Vbi manifestè apparet pro sententia dicta neque leuissimum fundamentum inueniri. Quòd autem ad sententiam ipsam attinet, vt probabilis censeri debeat, quæ sunt allata videntur non leuiter comprobare, licet P. Filliucij non patrocinetur auctoritas, de cuius mente aliàs etiam sumi non leue potest argumentum: nam. *n.* 122. de facientibus iter loquens post relatas aliquorum sententias ita subdit: *Distinguendum tamen videtur de breui & de longo itinere. Nam de breui vt sex vel octo dierum existimo regulariter non afferre excusationem a ieiunio dilata Cœna in vesperas, & mane assumpta refectiuncula.* Sic ille: ex quo liquidò euincitur iuxta ipsius sententiam obligationem ieiunij ad inuertendas horas refectionis vrgere, nec posse sic ieiunare valentem ad consuetudinem pro meridiano prandio prouocare. Posse tamen in casu nostro etiam tenet P. Tamburinus statim citandus §. 7. *n.* 14. adducens P. Thomam Sancium, Ioannem Sancium, & P. Fagundez, quibus addendus P. Palaus *de Iustitia & Iure Tract.* 1. *Disput.* 3. *Puncto.* 2. §. 5. *n.* 9.

P. Filliucius. Sententia eidem adscripta minimè suffragatur.

Immò ejus sita, non ibi secùs.

Qui fauent Scriptum.

De Sagina vt licet, sicut lasciuiâ.

604. Et post prædicta sic Auctor. *Plures aliæ sunt circa ieiunandi præceptum nouorum Casuistarum laxitates, quas recensere sufficiet: illæ enim adeò absurdæ sunt, vt confutatione non egeant.* Sic cùm præluserit, ita prosequitur: *In primis, Tamburinus inter nouellas laxitatum patronus celeberrimus, Lib.* 4. *Cap.* 5. §. 1. *n.* 16. *ait probabile esse saginam inter lacticinia numerari, atque adeò posse recipi in ieiunio.* Sic ille: qui non saginam, sed sagimen admitti in ieiunio posse adductis pro se non contemnendis Scriptoribus vt probabile proponit, de quo & ego in *Thesauro Tit.* 5. *n.* 220. plures etiam adducit D. Franciscus Verde in *defensione Caramuelis. n.* 622. & 623. Non est ergo nouitatis huius patronus P. Tamburinus, nec propterea inter laxitatum nouellos artifices numerandus.

Circa potum damnat alter qua multis probant, vti P. Escobario infensus.

605. Addit ex eodem ibidem §. 2. *n.* 4. licere intra diem ieiunij bibere vinum, mustum, ceruisiam, aquas ex herbis, vel ex eodem vino distillatas, etiam de manè, etiam ob solam delectationem, etiam multoties in die, etiam in fraudem ieiunij. Quod & asserere ait P. Escobarium vbi *suprà* de vino, quod vocatur *Clarea*, Gallicè *Hipocràs.* Hoc, vt vidimus, ait esse adeò absurdum, vt confutatione non egeat. Sed certè assertio est adeò Theologorum doctrinæ consona, vt etiam confutatione eius accedente, in suæ probabilitatis legitima possessione permaneret. Statuunt illi potum non esse ieiunij præcepto contrarium: vnde in quæstione de *Chocolate*, in eo vertitur difficultas vt probari aut improbari debeat, an scilicet potus sit, & inde Oraculum illud Pij. V. de quo grauibus adductis testibus Amadæus *suprà. Propositt.* 2. *n.* 8. *Potus non frangit ieiunium.* Atqui omnia prædicta rationem habent potus: non ergo frangunt ieiunium. Discursus est euidens, quia omnia prædicta alium non habent vsum, licet nutrimenta etiam sint, quod in vino omnes admittunt. Nec leuis est ab auctoritate firmitas, cùm apud citatum P. Tamburinum sex non spernandi Auctores occurrant. Pro alio etiam potu, de quo P. Escobar, eadem est ratio, cùm reuera talis sit.

Circa horam prandij in Religiosis damnata ab eodem P. Tamburino sententia, circa quam excurjit.

606. Item & illud ex P. Tamburino producitur §. 4. *n.* 3. Mendicantes scilicet, & eos, qui ipsorum priuilegijs gaudent, vt Patres Societatis IESV, posse in die ieiunij prandere in hieme duabus horis cum dimidia ante meridiem, ideest hora sesquinona: & in æstate tribus horis cum dimidia ante meridiem, seu hora sesquioctaua, quod planè ridiculum esse ait. Vbi modus dicendi circa Societatem penitus improbandus; significat enim

Societas IESV ex instituto à Mendicam ritu vna.

enim illam non esse Mendicantem, sed Mendicantium priuilegijs gaudere: quod à veritate est prorsus alienum, stante Bulla Pij V. *die* 7. *Iulij Anni* 1571. in qua declarat sanctissimus ille Ecclesiæ Hierarcha Societatem non ex priuilegio, sed ratione Instituti esse Mendicantem. Deinde, non est dicendum ridiculum, quod per probabiles consequentias ex probabilibus etiam deducitur fundamentis; & talia profecto sunt quæ in casu præsenti concurrunt. Posse enim ante meridionale punctum per horam anticipari prandium, communis est non solùm Doctorum sententia, sed etiam vsus, pro quo plures congerit Ioannes Sancius *Disput.* 53. *num.* 1. In eo autem diuersam habendam esse rationem hiemalis & verni temporis satis fundata congruentia persuadere potest, ob plurium horarum aut pauciorum distantiam ab ortu solis, quando expergiscentes homines exire ad laborandum solent, iuxta illud summi vatis: *Psal.* 103. *v.* 22. & 23. *Ortus est sol. Exibit homo ad opus suum.* Et ita tradunt graues Scriptores, scilicet Richardus, Durandus, Syluester, Rosella, Tabiena, Caietanus, vt videri potest apud P. Azorium *Tomo* 1. *Lib.* 7. *Cap.* 11. *Quæs.* 1. *in fine.* Quamuis, vt verum fatear, apud eorum aliquos nihil tale in citatis ab eo locis reperiatur: & diuersitatem ad vnam horam se extendere apud eumdem Patrem videri potest: vnde & affirmat sæculares hora decima verno tempore prandere solitos. Neque id mirum, quandoquidem Cardinalis Toletus *Lib.* 6. *Cap.* 2. *num.* 5. sic scribit: *Communiter solet pranderi per horam aut duas ante meridiem.* Hora ergo decima pro meridie est reputanda, neque enim mathematicè, sed moraliter accipienda, vt communiter Scriptores tradunt. Item, quòd anticipatio per dimidium horam non sit mortalis culpa, statutum meridiei moraliter sumpti tempus præueniendo, in ea etiam sententia, quæ notabilem anticipationem dicit esse mortalem, docti Scriptores affirmant, scilicet P. Filliucius *Tractat.* 27. *Parte* 2. *num.* 73. Diana *Parte* 1. *Tractat.* 9. *Resolut.* 27. P. Escobar cum alijs communiter, & probatis loquens Scriptoribus *Tractat.* 1. *Exam.* 13. *num.* 102. §. *Quid denique*, P. Bussembaum in *Medulla Theologiæ moralis Lib.* 3. *Tractat.* 6. *Cap.* 3. *Dub.* 1. §. *Dixi*, *notabiliter.* Colligiturque ex communi Doctorum loquendi modo, qui asserunt non esse lethale prandium notabiliter anticipare, vt videri potest apud Bonacinam *Tomo* 2. *Disput. vltima*, *quæ est de primo præcepto Ecclesiæ Quæst.* 1. *Puncto* 4. *num.* 3. Deinde receptissima doctrina scribentium est priuilegium aliquid fauoris adferre supra id quod aliàs poterat sine illo præstari, de quo in *Thesauro Tit.* 12. *num.* 238. & pro quo est *Cap. In his*, de priuilegijs, probantque inter alios Syluester & Nauarrus, quibuscum id tamquàm certum statuit P. Emmanuel Rodericius *Tomo* 1. *qq. regul. quæst.* 11. *arti.* 9. Ex quibus ita concluditur: Hora vndecima in hieme, & decima verno tempore, sine peccato sumi prandium potest, quia moraliter est meridies. Item lethale non est per dimidiam horam anticipare, iusta etiam deficiente caussa, quæ si adsit, nec veniale; immò absolutè nullum in eo esse peccatum videri apud citatos potest. Priuilegia insuper Religiosis concessa vnius horæ anticipationem indulgent: ergo sesquinona & sesqui decussa prandium pro temporum diuersitate licebit. Consequentia est legitima, quam non solus admittit P. Tamburinus, sed etiam Diana, & P. Filliucius *suprà*, vti probabilibus subnixam fundamentis: ergo non est ridicula, vt scriptor ille compellat. Quod non ideò dixerim, quia absolutè probem, sed vt censoriam virgam rigidissimi Scriptoris infringam.

Anticipatio horæ quàm tolerabilis.

Oua & Lacticinia in Quadragesima solùm sub veniali prohibita P. Fagundez auctore exprobatur, qui defenditur.

607. Qui sua in enumeratione non indigentium confutatione opinionum progreditur, & sic scribit: *Addunt alij oua & lacticinia tempore Quadragesimæ solùm prohiberi sub veniali. Ita Fagundez apud Mercorum* 2. *p. arti.* 28. Sic ille, quæstionem attingens valde annos ante aliquot agitatam, in quo conflictu Auctor id assecutus, vt iudicio supremi Tribunalis S. Inquisitionis in Hispania, non solùm sententia dicta ab omni nota immunis euaserit, sed & liber totus similis sit immunitatis excellentia commendatus. Decretum illius exhibet Amadæus *Propositt* 7. *ex Tractatu de ieiunio.* Est etiam sententiæ dictæ minimè sincera relatio: siquidem P. Fagundez cum multis Scriptoribus videndis apud ipsum, & apud Amadæum solùm est de obligatione locutus, quæ ex iure communi descendit, & non de consuetudine, iuxta quam fatetur obligationem esse sub reatu culpæ lethalis posse. Iuxta quod procedit proscriptio Propositionis 32. inter explosas Decreto SS. Alexandri VII. tenoris sequentis: *Non est euidens quòd consuetudo non comedendi oua & lacticinia in Quadragesima obliget.* Quod quidem de obligatione sub mortali videtur accipiendum, circa quam aliqui dubitarunt; nam de veniali communis assensus fuit, neque de eo ita erat curandum, vt pro sola obligatione sub veniali adstruenda, deliberatio adeò grauis & operosa præcederet & decretum tantoperè formidandum & venerandum pariter ederetur. Qua ergo dici fide potuit sententiam dictam confutatione non egere præ absurditate manifesta? Quod equidem dicere verosimiliùs possumus de censura præfata, adeò scilicet absurdam, vt eam non oporteat confutare.

Decretum Alex 7. *circa prædicta.*

De obligatione in quatuor Temporibus contra Pasqualigum; qui & meritò, sicut & in alijs, improbandus.

608. *Alij*, *vt Pasqualigius* (sic deinceps scriptor) *teste eodem Mercoro volunt ieiunia Quatuor Temporum obseruari ex sola consuetudine, de qua non constat an sit introducta cum obligatione ad mortale.* Sic ille. Circa quod negarim numquàm Pasqualigi sententiam minimè sustinendam, sicut & plures alias circa ieiunij obligationem, vnde & eas scriptores, qui post eum prodierunt, cum earumdem pœnè execratione reijciunt: pro quo Amadæus *Dispositt.* 2. §. 13. & qui præcesserunt vti rem penitus certam & inconcussam, obligationem talis ieiunij, dum dies obligationis recensent, statuerunt, & ex Decreto SS. Alexandri nuper adducto non leuiter potest sententia dicta manifestæ conuinci falsitatis. Nam circa obligationem ieiunij Quatuor Temporum maior fuit Doctorum, vsu

fidelium id etiam comprobante, & consensus, quàm circa vsum ouorum & lacticiniorum in Quadragesima: & tamen obligationem consuetudine cuidenti firmatam negans, vti vt minimùm scandalosa damnatur assertio: ergo de Quatuor Temporibus id asserens, quod præmissimus, in eadem damnatione est: & quidem si de ieiunio huiusmodi dubitare licet, de ieiunio Vigiliarum maior erit ratio dubitandi, quia minoris dignitatis sunt: vnde secundùm Ecclesiæ ritus Vigilijs Quatuor Tempora præferuntur, & ita in diebus etiam festis Apostolorum obseruantur inuiolabilis genere obseruantiæ. Quòd si circa vtrumque de obligatione non constat, circa Quadragesimam sua etiam dubitatio suberit: cùm enim ieiunium adeò prolixum sit, & fidelibus onerosum, dubitari de illius rigida obligatione poterit, & lata porta subintraturis transgressionibus aperiri.

Religiosos ratione musica non excusandos contra Caramuelem *concludit* P.Goned.

609. Concludit Caramuelis singularem cogitationem & discursum adducens ex Theologia fundamentali *num.* 1128. ex eo quòd Musici à ieiunio excusantur, nec in mundo sunt Musici, qui plus cantent quàm Monachi, Benedictini præsertim: ergo Monachi non tenentur ieiunare. Quæ ratio idem de ceteris Religiosis euincit, nulli enim sunt, qui non cantent plusquàm sæculares. Hoc etiam videtur tenere Pasqualigus *Decisione* 132. impugnatus à Diana *Parte* 10. *Tractat.* 14. *Resolut.* 60. licet non ita reuera teneat, vt eius ratio ostendit, sed de particulari aliquo tantùm locutus, cui munus canendi incumbat, nec possit ieiunio de fatigatus conuenienter satisfacere. Et ita eum defendit Caramuel in 2. editione *num.* 1549. & 1550. iùxta ea, quæ habet in *Praxi de Ieiunio Decis.* 338. *nu.* 5. Ipse autem Caramuel in Editione dicta nihil habet *num.* 1128. ex ipsi adscriptis: sed *num.* 1539. *& sequentibus* vti calumniam refellit ipsi attributam assertionem, cùm eius mens alia prorsus fuerit, quam exponit ibidem concludens *nu.* 1552. Choristas regulariter ad ieiunium teneri, post acrem cum Diana concertationem, nihil certè ab eo in multorum assertione dissentiens, quos congerit *nu.* 1551. Musicos à ieiunij legibus excusantes: immò minùs aliquid videtur Religiosis indulgere, ait enim quòd si panis alicuius communitatis penderet à deuotione populi, & hæc manuteneretur Musica, prudens Prælatus, qui haberet aliquem Religiosum voce excellenti præditum, posset necessitati suæ Communitatis consulere vtendo opinionibus, quibus vti potest cantor quicumque sæcularis. Sic *num.* 1548. iuxta, quæ tradiderat in Theologiæ Fundamentalis *Parte* 2. *nu.* 100. ad quæ se refert. Diana autem indulgentiam ad eos extendit, qui in eo genere sunt insignes, & cum plausu audiuntur. In quibus non videtur extare aliquid, quod acerbitatem censuræ Auctoris nostri mereatur.

Sed ille ab assertione tali penitus alienus.

Musici à ieiunio quando deobligati.

ASSERTIO XX.

Qui alium mouet aut inducit ad inferendum graue damnum tertio. v. g. ad domum eius aut segetem incendendam, non tenetur ad restitutionem illius damni illati.

Benè impugnata opinio.

610. EX P. Baunio in *Summa peccatorum pag.* 307. *&* 308. *editionis Sextæ*: cuius assertionis falsitatem patere ait ex Gregorio IX. *Cap. si culpa* 10. *de iniurys.* Vbi ait sic: *Si culpa tua factum est damnum, vel iniuria irrogata, seu palijs irrogantibus opem tulisti, aut hæc imperitia tua, seu negligentia euenerunt, iure super his satisfacere te oportet.* Sic ille. Vnde Academia Louanienſis asseruit assertionem hanc esse apertè falsam., & receptissimis iustitiæ regulis contrariam. Est etiam contra D. Thomam 2. 2. *q.* 62. *arti.* 7. asserentem versus illos, in quibus obligationes restitutionis expressæ: *Iussio, consilium, consensus* &c. qui & in solutione ad 2. docet teneri ad restitutionem principaliùs iussorem, quàm ipsum facinoris executorem. Quod Caietanus, Bañez, Tannerus, & alij Interpretes ad consultorem, & inductorem extendunt, eo quòd potiores partes in crimine teneant. Quod roboratur ex doctrina eiusdem S.Doctoris *ibidem q.* 71. *arti.* 3. obligantis Aduocatum ad restitutionem, qui scienter auxilium & consilium præstat iniustam causam prosequenti, quod esse *aisque dubio* protestatur. Sic ille arguit, & benè quidem absolutè loquendo: quòd autem aliquando secus accidere possit probabile est, immò & quandoque certum. Hoc quidem quando consilium, motio, seu inductio ita se habent, vt reuera non influant, quia illis deficientibus damnum idem quo ad substantiam & modum ab illud inferente proueniret. Illud autem quando non eodem modo damnum contingeret, quia citiùs, faciliùs, alacriùs, faciliùs, animosiùs, aut etiam crudeliùs est inflictum: quod quidem negant plures, admittunt tamen probabiliter Adrianus, D. Antonius P. Lessius, P. Becanus, Layman, Diana (apud quem decem) adducit & sequitur P. Gaspar Hurtadus *Tractatu de Iust. & Iure Disput.* 5. *Difficult.* 7. P. Bussembaum in *Medulla Lib.* 3. *Tract.* 5. *Cap.* 2. *Dub.* 3. *num.* 10. vbi cum P. Layman loquitur. P. Dicastillus *Lib.* 2. *de Iustitia Tractat.* 2. *Disput.* 4. *à num.* 14. P. Tamburinus *Lib.* 8. *in Decalogum Cap.* 2. §. 2. *num.* 3. & alij. Et negari nequit quin sit probabile. Sicut etiam probabile est eum, qui dubitat an suo consilio caussa damni fuerit, ad restitutionem non teneri, pro quo Bassæus *Tomo* 2. *verb. Restitutio* 3. *num.* 8. *in fine.* vbi pro eo graues Scriptores adducit P. Escobar in Theologia morali *Tractat.* 3. *Exam.* 2. *num.* 20. §. *Dubitas* cum P. Henriquez, P. Bussembaum *suprà.* vbi præter nonnullos ex adductis allegat P. Tannerum; quibuscum asserit ad hoc vt quis ad restitutionem teneatur, debere esse moraliter certum de efficaci consilij sui influxu: id quod tamquàm probabile proponit, nihil in contrarium adiungens. Cùm ergo frequen-

Cap. sicut.

Sed exacta congruo sensu, quando consilium non consta influxisse.

Moralis requiritur certitudo.

frequentissime accidere possit vt talis desit certitudo, sitque in dubio melior conditio possidentis (quod est ita sententium fundamentum) non immeritò potuit P. Baunij iuxta sic sentientium sicut in casu priori, id quod ipsi vti monstrosa laxitas attribuitur, pronuntiare.

ASSERTIO XXI.

Non teneri quemquam sub reatu mortalis peccati restituere id, quod ablatum est per parua furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

Confutatur sed non ita, vt suo vigore detur probabilitate destituta.

611. EX eodem P. Baunio *ibidem pag.* 220. Quam assertionem ait ad instantiam Archiepiscopi Mechlinienſis Academiam Louanienſem reprobasse, & à Sinnichio eruditè confutari ex eo quòd æqualis iniustitia in hoc appareat, ac in retentione rei per vnum actum ablatæ, non obstante veniali tantùm culpa in exiguis furtis: quia ad obligationem restituendi non attenditur culpæ qualitas, vnde & de accepto sine culpa potest illa suboriri, quando alienum esse deprehenditur, stante æquali iure in rei domino ad rem suam, quomodocumque ad alterius venerit possessionem. Sed his non obstantibus sententiam dictam tenuit Nauarrus *Lib.* 1. *Consiliorum in* 1. *editione Tit. de Regular. Consilio* 75. *n.* 37. *& in* 2. *de statu Monachorum Consilio* 3. *nu.* 27. *in ratione* 2. & esse aliquos similiter sentientes colligitur ex P.Sa *verb. Furtum n.* 5. vbi sic ait: *Qui per vices pauca alicui furatur, cum ventum est ad notabilem summam tenetur restituere; etsi quidam id probabiliter negant.* Sic ille. Pro quo Leander à Murcia *in Disquisition. moral. Lib.* 2. *Disput. vnica Resolut.* 5. *n.* 4. præter Patrem Sa, quem ita tenere ait, cùm reuera id tantùm tradat, quod vidimus, Nauarrum adducit, Summam Coronam, auctore Berardutio, ac Patrem Salas testimonium probabilitati perhibentem 1.2. *Tract.* 13. *Disput.* 16. *Sect.* 27. *nu.* 87. nec non Angestum id absolutè tenentem. Quare ergo sententiam dictam in Auctoribus præfatis, & præsertim in Nauarro tantæ celebritatis Scriptore, Dominus ille Antistes reprobandam ab Academia Louanienſi facta instantia non curarit? Dici poterit Nauarrum in Summa contrariam docuisse, in Hispana inquam (seu Manuali) *Cap.* 17. *nu.* 140. *& in Latina n.* 139. Sed certè magis videtur standum scriptis Consiliorum, quia post Manuale elucubrata & edita, vt constat ex citatione Manualis apud ipsum: vnde sic scribit: *Quamuis autem hæc opinio probabilis sit, & communiter recepta, ideò & à nobis probata* (ad marginem, *In dicto Cap.* 17.) *verior tamen videtur profectò sequens, quam fundant quinque rationes* &c. & sanè non contemnendæ illæ, vt non immeritò probabilis visa fuerit Patri Sa, licet P. Sancius contrarium arbitretur.

P.Sa.

Nauarrus.

ASSERTIO XXII.

Præceptum seruandi Festa non obligare sub mortali, sepositio scandalo, si absit contemptus.

P.Tamburino *cum manifesta calumnia ab eodem attributa.*

612. HVic assertioni, quam Facultas Theologica Louanienſis ad instantiam præfati Archiepiscopi etiam reprobauit, fauere ait P. Tamburinum *Lib. in Decalogum Cap.* 13. §. 8. *v.* 12. vbi inquit *leges Ecclesiasticas non multùm frequenter sub mortali obligare.* Contra quod arguit ex D.Thoma, & Cardinali Bellarmino, & concludit fauere errori Lutheri in libro aduersus Catharinum sic dicentis: *Duodecima facies Antichristi est festorum dierum obseruatio, cùm omnes dies sint liberi & ad feriandum, & ad laborandum.* Sic quidem arguit Scriptor noster, sed quidem aërem verberans, quia assertio dicta apud præfatum Auctorem loco citato, sicut, neque in alio, vbi de obligatione Festorum loquatur, inuenitur, sed prorsus opposita, vt videre licet *Lib.* 4. *Cap.* 2. §. 1. *nu.* 1. vbi sic ait: *Teneri omnes baptizatos adultos ad Missam (& quidem vnam, etiam in Natali Domini) die festiuo audiendam, idque sub mortali (quia res est grauis etiam semel omittere, ex Suarez Tomo* 3. *in* 3. *p. Disput.* 88. *sect.* 2.) *iam omnium Fidelium sensus edocuit.* Sic ibi. Et *Cap.* 3. §. 1. nu. 1. *Opera* (inquit) *proprie seruilia, quæ sub mortali in diebus festiuis vetantur*, &c. Ergo vt demus doctrinam illam de infrequenti obligatione sub mortali apud illum extare, vt extat *citato libro Cap.* 3. §. *& num. signatis*, perperàm illa præcepto, de quo agimus, applicatur, quando Auctoris mens adeò habetur explorata: & doctrina quidem dicta aliorum est, & ex eo ostenditur, quia obligatio ex verbis, quibus aliquid præscribitur, desumenda est, vt habetur in *Clement. Exiui* de verbor. significat. pro quo & alibi plura dedimus, viderique potest Diana *Parte* 10 *Tract.* 15. *Resol.* 45. Cùm autem modus loquendi Pontificum sit satis ambiguus, & semper velle sub reatu peccati mortalis obligare à paterna eorum pietate sit prorsus alienum; fit ex eo obligationem sub reatu dicto non esse adeò frequentem. Quod quidem & in legibus pœnam spiritualem etiam assignantibus, dummodò excommunicationis latæ sententiæ non sit, tradunt multi videndi apud Dianam *citata Resolut.* & apud ipsum P.Tamburinum *Lib.* 3. *de Sacrificio Missæ Cap.* 1. §. 7. *n.* 7. *& seqq.* quod & ille amplectitur: qui & §. 8. *num.* 17. circa obligationem audiendi Missam exceptionem generalis illius assertionis apponit. Et quid hìc cum Luthero adeò ineptè & fraudulenter obtruso?

P. Tamburinus.

Obligatio in Pontificiis Decretis quando censenda mortalis.

ASSERTIO XXIII.

Satisfacere præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas eius partes, immò & quatuor à diuersis simul celebrantibus audit.

613. EX P.Escobario *Tract.* 1. *Exam.* 11. *nu.* 13. ex quo infert posse breuissimo tem-

P.Escobario *ad scri-*

bitur, sed immeritò.

poris spatio Missam audiri, si quatuor, in quatuor v. g. altaribus proportionati temporis anterioritate sic celebrantur, vt dum vna inchoatur, secunda tunc ab Euangelio in consecrationem procedat, tertia à consecratione in communioné, quarta denique à communione vsque ad terminum. Hanc assertionem ait esse etiam aliorum Recentiorum Casuistarum; & tamen vnum elegit P. Escobarium, in quem inuidiam absurdæ laxitatis refunderet arguens ex eo quod ex præfato dicendi modo sequeretur Missam vno ferè momento posse audiri quadraginta partium proportione seruata. Vbi circa citationem in *numero* est error apertus, cùm dicatur 13. sitque reuera finis 97. qui post 96. desideratur; sequitur enim *n.* 98. Sicut etiam in editionis anno: fuit enim 1644. cùm dicatur fuisse 1646. videtur autem dictus Pater illationi præfatæ non penitus assensum præstitisse, sed illam quasi legitimam proponere, prioris asserti probabilitate proposita, sic

P. Escobar.

enim scribit: *Satisfacitne præcepto, qui eodem tempore audit vnam medietatem ab vno, & alteram ab alio? Ita planè ex Sanchez, quia Ecclesia præcipit vt Missa audiatur; duæ autem medietates vnam Missam constituunt. Colligo posse te breuissimo temporis interstitio Missam audire, si quatuor &c.* Quia verò ita sentire videbatur, idque minùs probatum deprehendit, aliter posteà se gessit: siquidem *Tomo 5. Problematum Parte 2. Lib. 42. nu. 20.* vbi de obligatione audiendi Missam agenti, & quæstionem de audiente duas successiue medietates cum multis affirmatiuè decidenti, id penitus quod ad præsentem attinet prætermisit: in eo non probandus quod P. Sancium pro assertione præfata laudauit, cùm solum de eo loquatur ille, quod obligatus audire duas Missas, eas simul audierit, in quo sunt qui faueant multi, & ex nupertimis Guilielmus Herincx Tomo 4 Tract. 3. Disput. 8. n. 203. qui *n. seq.* Recentiorum illud inuentum explodit cum P. Suario *Tomo 3. in 3. p. Disput. 88. Sect. 2.* Pro quo & P. Tamburinus, *Lib. 3. in Decalogum Cap. 2. n. 11.* Sed P. Bussembaum probabile inuentum existimat *pag. 155. n. 7.* & Dicastillus satis probabile *Tomo 1. de Sacramentis Tract. 5. Disput. 5. n. 40.*

P. Thom. Sancius. *perperàm adductus pro diuerso locutus.*

Circa obligationem audiendi Missam opinionum aliarum euentilatio.

614. ALias deinde circa obligationem audiendi Missam profert nouorum Casuistarum laxitates, omnino intolerabiles, sic suo more præfatus, scilicet ex P. Tamburino satisfieri præcepto, etiamsi quis non interfit consecrationi ex *Lib. 4. Cap. 2. §. 1. n. 3.* quia potest adhærere opinioni asserenti sacrificij essentiam in communione consistere; atque adeò non est dicendus omisisse sacrificium. Contra nihil obijcit, sua illa prolusione contentus. Sed assertio huiusmodi eum præter P. Tamburinum patronum habet, in quem sine insigni irreuerentia nequeat illa iactitare. Sic enim tradit Cardinalis Lugo *Tomo de Sacramentis Disput. 22. n. 4.* adhibita moderatione, vt scilicet absentia respectu illius non debeat more aliarum Missæ partium, quæ longiores cùm sint; omitti sine graui noxa possunt, æstimari, cùm sit adeò principalis. Non equidem ille nouellarum laxitatum inuentor, sed iudex in supremo generalis Inquisitionis pro vniuerso orbe Tribunali,

P. Tamburinus.

Satisfieri præcepto, etiam si quis non adsit consecrationi.

Card. Lugo.

615. Item ex eodem *Ibidem §. 2. n. 7.* probabilem esse, & subinde in conscientia tutam, aliquorum sententiam, qui docent Missam omitti posse sine culpa in die festo propter lucrum, quod tunc cessaret, si quis Missæ adesset. Sed certè in hoc id tacitum, quod assertioni huic constat probabilitatem non exiguam conciliare; scilicet lucrum non qualecumque, sed extraordinarium & notabile ad prædictum effectum esse necessarium; quod quidem citatus Auctor benè ostendit sufficere *§. 3. n. 8. Capitis* 3. ex operibus seruilibus arguens, in quibus videtur maior sanè cum Festorum veneratione compugnantia, quam sit in auditionis Missæ defectu. Licet enim Missa id sit, quo sublimius nihil, illius tamen auditio quasi assertorium quid per Ecclesiæ leges accessit: cùm tamen cessatio à seruilibus operibus ex primaria intentione fuerit: vnde in lege veteri circa obseruationem Sabbati, nihil præter cessationem dictam præscriptum inuenitur, & in Ecclesiæ statu sine conditionis prædictæ obligatione Festa ab Apostolorum tempore stabilita decurrerunt. Vnde graues Scriptores affirmant obligationem dictam fuisse inductam post Concilium Agathense in Gallia celebratum, cuius decretum habetur in *Cap. Missas de Consecrat. Dist. 1.* ab Vniuersa Ecclesia receptum, vt videri potest apud P. Azorium Tomo 1. Lib. 7. Cap. 1. & P. Fagundez *de præceptis Ecclesiæ Lib. 2. de primo præcepto Cap. 1. nu. 8.* & videmus quod ipsi & alij affirmant obligationem videlicet dictam ab ipsis haberi Ecclesiæ nascentis exordijs, id quod de accessorij ratione diximus videtur certum: quod aliunde comprobari potest: ex eo scilicet quòd auditio Missæ facilè omitti sine culpa potest, si quis inquam ibi habitet vbi commoditas non suppetat conditionis: cùm tamen à seruilibus operibus vbique debeat abstinere: & ita de lucro, cuius grauis iactura sit subeunda, tenent expressè Basæus *verb. Missa 9. n. 3.* P. Filliucius *Tomo 1. Tract. 5. nu. 226.* vbi sufficere ait iacturam boni mediocris æstimationis. P. Palaus *Tomo 4. Tract. 22. Disput. vnica Puncto vlt. n. 4.* Similiter locutus, & in fine cum P. Suario & Bonacina de lucro Molitoris. P. Dicastillus *Tome 1. de Sacramentis Tract. 5. Disput. 5. n. 171. & 178.* in cuius fine, exemplo Molitoris adducto sic concludit: *necessitas, quæ excusat ab opere seruili, potest etiam excusare a Missæ auditione, si Missam nequeat audire, nisi intermisso opere & labore.* Sic ille. Quod quidem cùm apud graues Scriptores extet, & qui seruiliter laborant, ob lucrum id faciant, sine ingentis audaciæ nota nequit eorum sententia modo dicto condemnari.

An possit omitti propter lucrum.

Vacatio à seruilibus structior illa actio, quam Missæ auditio.

Communis assertio etiam circa ignorantiam.

Illius præceptum à quo tempore veniat.

Eadem die festo licere discessum, qui conjeant.

P. Dicastillus.

616. Ex Patre etiam Tamburino *ibidem §. 3. n. 9.* assertum exhibet, quo probabilem iudicat opinionem dicentium præuisionem carentiæ Missæ non obstare quo minùs ad locum desertum, vbi ex penuria sacerdotis nequibit die festo Missam audire, proficisci quis possit. Resolutio præfata extat apud citatum Scriptorem *n. 9.* adiuncta casus specie de duobus, qui Sabbato venatum ire volebant, in eumque locum, vbi auditio Missæ ob distantiam non erat futura. In quo quidem duo

Vt licentiosum se conferre, in quo Missa non futura. Vbi casus peculiaris ex P. Tamburino.

duo ex Societate docti Patres diuersimodè censuerunt: vnus enim licere dixit, quia die Sabbati audiendi Missam præceptum non instabat: negauit alter, quia instare præceptum illi visum est, eo quòd de proximo vrgeret, & consequenter adesset moraliter. Vtrumque autem probabiliter fuisse locutum P. Tamburinus affirmat. Et quidem meritò; nam Sabbato præceptum non vrget, neque tenetur quis eo die ab ea se actione continere, ex qua die sequenti obligatio pro eo tantùm vrgens nequeat adimpleri. Si enim ex aliquo capite, ex eo esset, quòd adimpletioni præcepti nequit impedimentum apponi: Atqui hoc est quando & vbi præceptum obligat, secus quando illius obligatio cessat, præsertim quando in illius fraudem non agitur, vt grauissimi Scriptores affirmant in eo, qui se confert in locum, vbi obligatio ieiunij non est, aut obseruandi Festum, vt videri potest apud P. Suarium *Tomo 1. de Religione Lib. 2. Cap. 13. n. 6.* P. Salas *de legibus Disp. 14. Sect. 5. n. 66.* P. Sancium *Tomo 1. in Decalogum Lib. 1. Cap. 11. nu. 35.* P. Rebellum *de Iustitia Parte 2. Lib. 2. Quæst. 7. Sect. 2.* Sayrum *Lib. 7. Cap. 3. n. 12.* P. Filliucium *Tomo 2. Tract. 27. Parte 1. n. 110. & seqq.* Ioannem Sancium *Disput. 54. nu. 14.* P. Palaum *Tomo 1. Disput. 1. de legibus Puncto 21.* Dianam *Parte 1. Tract. 5. Resolut. 40. & 52. & Parte 9. Tract. 6. Resolut. 16.* Medinam, Ledesmam, Merollam, Bonacinam, Villalobos, & plures alios apud citatos. Cùm ergo & ratio & auctoritas solidum probabilitati præbeant fundamentum, nihil est de præcipiti illa fugillatione curandum. Adde esse etiam qui affirmant eodem die festo posse quempiam eò se conferre, vbi obligatio Festi non est, eo quòd certis pro locis sit tantùm constitutum, aut in eo existentes ab auditione, ob commoditatis defectum excusentur. Quod quidem iuxta doctorum Neotericorum sententiam proponit P. Thomas Sancius *Lib. 3. de Matrimonio Disput. 18. n. 21.* & ait probabilitate magna non carere, quem sequitur P. Lessius *Lib. 4. nu. 58.* Vbi quidem distinctioni locus non est de die proximo aut remoto respectu eius, pro quo impositum præceptum. Quæ quidem habere locum forte possit quando quis iuxta dimidiam noctem Sabbati proficisceretur: quod vix moraliter contingere potest, vt exolutioni ab obligatione præcepti suffragetur: quia sic recedens vix tantùm spatij recessui à loco vbi est obligatio, impendere potest, vt non teneatur ad locum redire, præsertim si equitando recesserit, si autem pedester, idem poterit, nisi virium defectus obstiterit, quæ poterunt congruo laxamento reparari, cùm tot horæ noctis supersint, & etiam antemeridiani temporis.

617. Præcedentes assertiones hæc sequitur apud eumdem Auctorem ex *Lib. 1. Cap. 3. §. 8. n. 12. In audiendo Missam de præcepto, vel recitandis Horis ex obligatione, satis esse attentionem externam, vnde posse quemlibet voluntariè distrahi.* Et illam quidem tamquàm probabilem pro scrupulosis proponit, quam magis ex professo versat in *Opusculo de Sacrificio Missæ Lib. 1. Cap. 3. n. 5.* vbi pro ea, sicut & pro contraria, plures & grauissimos Scriptores adducens, concludit iuxta probabilem huiusmodi opinionem, in Sacri auditione voluntariè distractum, eius præceptum satis adimplere. De quo non est opus hîc adiecisse plura, cum circa Propositionem tertiam non paucà huic loco dixerimus opportuna. Vbi Auctor sui videtur oblitus: ad quid enim inutilis hæc repetitio, nisi fortè vt P. Tamburinum iteratò pungat, cuius sententia in Caramuele fuerat adeò enormiter vellicata? Sicut neque circa Assertionem aliam, quam expromit ex *Lib. 2. Cap. 5. §. 3. v. 3.* vbi docet idem Pater satisfacere eum præcepto, qui Horas recitat animo non satisfaciendi. Iam enim hoc Caramueli impegerat, vt vidimus. *n. 564.* Sed pergit, & consonare ait eidem doctrinæ aliam, quam tradit P. Fagundez *Resolut. moral. præcepto. 2. lib. 1. Cap. 4. n. 4.* vbi docet eum, qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacere præcepto Ecclesiæ. Vbi quidem ex modo citandi, sicut & aliàs vidimus, non obscurè apparet Auctorem hunc eos, quos tanto insectatur ardore, minimè legisse: nam P. Fagundez Resolutiones morales non scripsit eo titulo prænotatas, & prætereà. *n. 4. citato*, sententiam dictam proponit, multis pro ea congestis Scriptoribus, addens *in fine* illam esse probabilem. *Sequenti* autem *num.* contrariam statuit, tamquàm veriorem & communiorem, eamque solidis fundamentis ab auctoritate & ratione petitis ostendit alteri penitus præferendam. In quo iam omnis est dubitatio submota, quandoquidem SS. Alexander VII. eam suo Decreto proscribit iam alias adducto *die. 2. Octobris, An. 1665.* Et est ordine 13. tenoris sequentis: *Qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.* Vnde iam dici probabilis non poterit, quæ talis viris grauibus, nec leuiter doctis visa est, & à multis notæ non exiguæ vt vera defensata: Vnde mirum non est P. Fagundez suo calculo prioribus adhæsisse.

Patri Fagundez *falsò ad scripta sententia de Confessione nulla ad præcepti impletionem sufficiunti.*

Ab Alexandro VII. *proscripta.*

P. Tamburinus.

De attentione sufficienti ad impletionem præcepti.

ASSERTIO XXIV.

Infidelem, cui proponitur nostra fides vt magis credibilis, dum eius Secta probabiliter adhuc credibilis apparet, non tenetur ad recipiendam nostram fidem.

618. EX Ioanne Sancio, & Diana apud Escobarium Theologiæ moralis *pag. 39.* quibus subscribit Erardus Billius *Tract. 3. Cap. 1. de fide*, vbi ait *quod puer in hæresi educatus non peccat credendo hæresi sibi propositæ, & quam à parentibus edoctus est, nisi habeat argumenta conuincentia, & probabilitatem excludentia suæ Sectæ: quando enim probabilis est, non peccat eam sequendo. Quo fit vt multæ puellæ vsque ad vigesimum annum vix censeri possint hæreticæ, quantumcumque ad cœnam, vt appellant, accedant. Quis enim dicet eas non habere argumenta probabilia suæ Sectæ? At nemo peccat sequens opinionem probabilem.* Hanc assertionem ait esse plusquàm falsam; quia licet hæreticus ignorantia sui erroris laborans non peccet, & sit materialiter tantùm hæreticus; ille tamen, cui fides Catholica videtur magis credibilis & probabilis, non laborat ignorantia inuincibili; tum quia ratione formidinis annexæ opinioni minùs probabili, errorem aliquo modo præuidet: tum etiam quia sequendo Sectam illam,

14. Erardus Billius.

quæ ipsi apparet minùs probabilis, seu minùs consona veritati, & relinquendo aliam, veritatem contemnit, & parùm de ipsa curat: ergo ille non excusatur à peccato. Deinde, quia probabilitas Sectæ non est vera, sed apparens; aliàs nullus propter hæresim damnari posset, & vnusquisque sua in Secta saluaretur. Pro quo Lutherani cuiusdam discursum apud Caramuelem inducit: ex quo & videtur inferre, (nam illatio non ita perspicua est) stante assensu circa probabiliorem opinionem, neminem posse minùs probabilem amplexari. Sed quorsum hæc modo?

P. Escobarius, *aut adscribitur, de eo nihil.*

619. Apud P. Escobarium *citato loco* Propositio prædicta non extat, neque vbi de obligatione fidei disserit, scilicet *Tractatu. 5. Exam. 1.* Diana *Parte. 5. Tract. 13. Resolut. 19.* ex Villalobo tantùm habet, quod est apud omnes de fide agentes vti certum dogma receptum: teneri inquam infideles ad suscipiendam fidem quando illis fuerit sufficienter proposita. P. Thomas Sancius, & Ioannes Sancius id luculentiùs executi: ille *Lib. 1. in Decalogum Cap. 16. n. 32. & Lib. 2. Cap. 1. n. 6. & seqq.* & hic *Disput. 19. n. 3. & seqq.* illum secutus, & additione Auctorum dictam positionem illustrans. Circa cuius difficultatis expeditionem multa à nobis dicta *suprà. n. 474. & seqq.* iuxta quæ & modò dicendum assertionem propositam generaliter non esse admittendam, quia eo ipso quòd mysteria nostræ fidei vt magis credibilia proponuntur, obligatio pro eorum amplexu vrget, quia in rebus ad fundamenta æternæ salutis pertinentibus, & in quibus Doctorum, qui esse testes omni exceptione maiores possunt, non intercedit diuersitas opinionum, via est secura incedendum, vt benè à Magistris Bañez & Ledesma dictum, sicut & à P. Layman, quos adducit Ioannes Sancius *n. 7.* qui tamen minùs rectè locutos asserit, arguens ex eo quòd sicut in alijs materijs, vbi offensa mortalis intercedere posset fatentur ipsi eam non committi ab operante ex opinione minùs probabili, licet res magni momenti sit Deum offendere mortaliter, vel non: sic quoque ab infidelitate excusabitur infidelis non credens ductus opinione minùs probabili. Vbi de infideli loquens, etiam hæreticum comprehendit, vt ex antecedentibus constat. Sed non vrget, cùm ex dictis sit obuium discrimen: siquidem operans inter Catholicos iuxta minùs probabilem opinionem, testes habet, quos sequatur, omni exceptione maiores, quod inter infideles non accidit. & quia ibi non agitur de fundamentis præcipuis pro æterna salute comparanda, sicut in casu, de quo agimus.

Admittitur, & probatur.

Infidelem & hæreticum non excusat ex opinione minùs probabili.

In articulo mortis etiam id negat Ioannes Sancius *contra* P. Suarium, *qui reijcitur*

620. Vnde multò minùs admittendus prædictus auctor, dum contra P. Sancium etiam insurgit, qui obligationem dictam agnoscit in articulo mortis, contendens. *n. 8.* tunc tantùm in articulo mortis esse obligationem amplectendi partem securiorem, quando illa certa est, non autem quando illa etiam est sub opinione: & ita in præsenti contingere, cum Catholica fides vt probabilior tantùm proponatur. Sed quidem ratio adducta hîc etiam vrget, & robustiùs profectò, quia sic operans manifesto se discrimini æternæ damnationis exponit, nullum habens firmum ab auctoritate aut ratione præsidium. Non enim dicere poterit ad iudicium in diuino Tribunali pertractus, & se erasse deprehendens, *Domine, sic egi quia Doctores pios & doctos, ac omni exceptione maiores sum secutus, sed quia Lutherum, Caluinum, Kemnicium, aut alios farinæ eiusdem sequi magis placuit carnis voluptatibus indulgentes*: quod secus accidet fidelibus, si in opinionum delectu fortè deerrarint. Prætereà (quod & singulari est animaduersione dignissimum) hæretici sectas suas esse tantùm probabiles affirmant, & ad salutem æternam obtinendam, earum sunt probabilitate contenti. Non sic Catholici, non sic; sed orthodoxam fidem omnino necessariam ore Christi proclamant: *Qui verò non crediderit, condamnabitur.* Marci. 16. Ergo cùm orthodoxa fides vt magis credibilis obijciatur, & reuera existimetur talis, credibilius est etiam eum, qui eam non amplectitur, condemnandum. Quis autem non videat insignem in eo temeritatem admitti, si quis ea relicta via, aliam minimè securam ingrediatur? Item, Catholica fides vt certa proponitur: ergo cùm in negotio omnium grauissimo certa sint incertis præferenda, vt citatus Scriptor affirmat, quærenda est profectò à volente damnationem vitare æternam, vbi fuerit reperibilis certitudo. Atqui verosimile videri debet sic fluctuanti, in Ecclesia Catholica certitudinem talem inueniri: ergo debet illam quærere, & saltim eam vt magis credibilem amplecti: quod si fecerit, inueniet equidem quod quæsiuit, proficiens in melius, non iam opinans, sed credens ritu Catholico, bene Deo iuuante, & gratiam conferente in dies ampliorem, sicut D. Augustino, sic ipso testante, nouimus accidisse.

Vrgens argumentum contra illos, & Sotum.

De educatis inter hæreticos qui sentiant vera.

621. Et hæc quidem de ijs procedunt, qui circa res fidei tales possunt de credibilitate & opinabilitate formare discursus: de alijs autem qui inter hæreticos educati eorum ductum in religionis professione sequuntur; neque quidquam quod in contrarium mouere eorum animos possit, audierunt, aliter est dicendum; quandoquidem in his esse ignorantia inuincibilis mysteriorum fidei potest, vt est receptissima sententia. Videantur P. Suarez *Disput. 17. de fide. Sect. 1. n. 10.* Et Cardinalis Lugo *Disput. 18. de illa. n. 25.* In hoc ergo Erardi Billij assertio, quod ad factum attinet, non videtur improbanda. Sed modus loquendi & in illo, & in alijs non est admittendus, quòd scilicet hæretici habeant opinionem probabilem: nam in ijs, qui, vt diximus, circa res fidei possunt disputabiles formare discursus, meri errores sunt, & apertè damnabiles; hæresis enim vocari opinio nequit, iuxta Theologicam acceptionem. In alijs autem error etiam, sed non damnabilis, quia inuincibilis, vnde ignorantia potius vocari debet, & ea praua dispositione caret, qua prior illa. Sic ergo Ioannis Sancij sententia, quatenus & in articulo mortis obligationem excludit, parùm probabilis. si tamen probabilis, quod & mihi ita videtur. Et hac fimus censura contenti, dum à Superiori Tribunali nihil maius habemus, neque post diligentem excussionem aliarum huius Auctoris opinionum hæc videtur vstulata.

Opiniones apud illos circa sua dogmata non habet.

ASSER-

ASSERTIO XXV.

Dare pecuniam, vel aliud quid temporale pro Beneficio, vt motivum, quo voluntas Collatoris ad illud conferendum inducatur, non est Simonia. si non datur vt pretium Beneficio æquale.

25. Contra quam arguitur.

622. PRo hac citantur valentia *Tomo. 3. Disput. 6. Quæst. 16. Puncto. 3.* Tannerus, Escobarius, Sancius, Milhardus, & alij recentiores Casuistæ. Contra quam arguit ex D. Thoma. *2. 2. q. 100. arti. 2. ad. 5.* vbi sic ait: *Antequam alicui acquiratur ius Episcopatus, vel quacumque dignitas vel præbenda, per electionem, vel prouisionem, seu collationem, Simonia cum esset aduersantium obstacula pecunia redimere; sic enim pecunia pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam.* Ex quibus verbis sic format argumentum. Per pecuniam parare sibi viam ad rem spiritualem est vera Simonia: hoc accidit in casu nostro: ergo. Hinc generaliter negant Sacri Canones fas esse per pecuniam ad Ecclesiæ dignitates peruenire, vt *Canone. 3.* ex Apostolicis. In Concilio Toletano. 8. Et in Melphitano, & in facto Simonis Magi, de quo *Act. 8. Quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Quia si euasio illa de permotione voluntatis, & non de exhibitione pretij, alicuius esset momenti, in promptu erat Simoni responsio, sicut & omnibus alijs sic nundinantibus, cùm dicere possint se tantùm intendere Electorum voluntates datis muneribus permouere. Quod in Balam, & Giezi similiter locum habere poterat: pro quo Caramuelem laudat in *Theologia morali Lib. 2. n. 864.* Et hanc labem non solùm esse contra ius positivum, sed etiam contra diuinum vt aliqui Recentiores affirmant, ex D. Thoma probat in. 4. *dist. 21. q. 3. arti. 3. ad. 1.* Vbi docet quòd si iudex spiritualis munere aliquo siue magno, siue paruo, flectatur ad aliquid faciendum, Simoniacus est coràm Deo. *In paruis muneribus* (inquit) *iudici datis non iudicat* (Ecclesia) *Simoniam committi. Sed apud Deum, qui cor videt, Simonia est. Item ad. 4. Qui dat aliquid spirituale, si principaliter moueatur fauore precum, vel timore rogantis, quantùm ad iudicium diuinum Simoniam committit & rogatus & rogans.* Vnde P. Suarez in Tractatu de Simonia pro hac sententia *S.* Thomam, & alios antiquos Theologos & Canonistas refert; cuius verba cum Auctorum citatione subiungit. & addit Ecclesiam non posse id quod Simoniacum non est ex natura sua, Simoniacum efficere, cùm nequeat rerum mutare naturas. Quod & explicat exemplo contractus, qui *Molatra*, vel *Barata*, dicitur, & ab Italis *Stoco*: qui si lege Ecclesiastica prohibeatur, sicut est ciuilibus legibus prohibitus, non ideò vsurarius esse desinet contra ius diuinum. Sic enim ille censet de contractu dicto, de quo *inferius*. Et hæc probationis summa.

D. Thom.

Act. 8. v. 10.

Caramuel.

D. Thom.

In Thesauro Tomo 1. Tit. 13. n. 6. & seqq.

623. In qua quidem mirum est nihil censurarum haberi, præter communem illam, de qua sæpiùs, monstrosi Theologiæ partus. Et ego quidem verissimam contrariam assertionem existimo, de qua dixi alibi. Sunt tamen plures alij præter adductos, qui cum illis sentiant, ex quibus Amadæus *in Propositionibus ex Tractatu de Simonia Propos. 1.* exhibet Illustrissimum Arauxo, Sanctorium, Pasqualigum, Malderum. Petrum Nauarrum, Petrum de Ledesma, & hunc quidem non id expresse docentem, sed per doctrinæ consequentiam, qui modus inferendi non semper solet esse legitimus, & illi quidem se tuentur aut tueri possunt doctrina D. Thomæ *Quæst. 100. citata. arti. 3. a'. 2.* vbi sic ait: *Illi qui dant eleemosynas pauperibus, vt orationum ab ipsis suffragia impetrent, non eo tenore dant, quasi intendentes orationes emere: sed per gratuitam beneficentiam pauperum animos prouocant ad hoc quòd pro eis gratis & ex charitate orent.* Hæc S. Doctor. Ergo si quis ita collaturo Beneficium, aut quid aliud spirituale, tribuat, vt scilicet ex amicabili beneuolentia præstet, Simoniæ labem non incurret. Quam consequentiam esse probabilem affirmat Diana: immò absolutè admittendam esse, ex eiusdem est doctrina manifestum *Parte. 11. Tract. 6. Resolut. 31. §. Quæro Secundò.* Vbi cum P. Quintana Dueñas, cuius mortem amicabili dolore prosequitur *Tomo. 1. Tract. 6. Singulari. 15. n. 7.* eum, qui tradit aliquid temporale intendens vt sibi aliquid spirituale conferatur titulo gratitudinis, à Simonia excusari affirmat. Sit ergo hoc, quod neque ratione neque auctoritate penitus destitutum videtur, vtcumque probabile, dum contra illud nihil quod aliter sentire compellat, per superiorem habemus potestatem.

Qui fauens assertioni.

D. Thom.

624. Et ex confutatione assertionis prædictæ manere etiam confutatam subdit Auctor sententiam Escobarij *Tract. 6. Exam. 2. n. 14.* vbi docet Simoniacum non esse, qui promissa sine intentione soluendi pecunia ad sacerdotium peruenit. Nam verè pecunia sibi parat viam, quod Simoniacum esse D. Thomas affirmat, vt vidimus. Vnde in Concilio Melphitano etiam pecuniæ promissio prohibetur. Quod ex iudicijs etiam tribunalitijs ostenditur, in quibus non minùs corruptor iudicij est qui argentum promittit, etsi non soluat, quàm qui soluit quod est pollicitus. Vbi quidem, sicut alibi sæpè, est mendosa citatio, nam in *Examine. 2. num. 14.* non est. Sed in 1. & in eo nihil ad rem. Assertio autem occurrit. *n. 20. §. Simonia quotuplex.* Vbi ait in casu dicto esse Simoniam fictam, & ita non verè talem, sicut fictum aurum non est aurum. Quod est quidem verissimum de illo, qui promisit, quidquid de conferente sit: pro quo operæ pretium erit Cardinalem Toletum suis verbis loquentem excepisse *Lib. 5. Cap. 90. n. 4.* Sic enim ibi: *Hic est vnum dubium de eo, qui promitteret dare pecuniam pro Beneficio, animo verò non dandi, sed fictè, & sic accepit Beneficium, an esset Simonia. Ad hoc toto lib. 9. quæst. 8. arti. 1. & Caietanus Quodlib. 1. Quæst. 9. dicunt non esse: quia actus exterior ab interiori rationem sumit: vnde licet talis promissio facto instrumento confirmaretur, non esset Simonia, quamuis in foro exteriori iudicaretur Simonia, quia non confiderat interiora. Ego ita credo, quamuis Nauarrus super Cap. finale de Simonia. Cap. 9. alia procedat via, sed hæc est melior.* Sic ille. Idem tenent Petrus Nauarra, P. Suarez, Bonacina, P. Reginaldus, P. Filliucius, P. Palaus, P. Valentia, quos adducit & sequitur P. Vincentius Tancredi de *Reli-*

Circa promittentem sine animo soluendi.

P. Escobar.

Cardinalis Toletus.

gione Lib.4.Tract.2. Disput.31.num.6. & quid ad hæc monstrorum, quæ fingit, iuratus censor? Cui equidem vti suspiciendum moderationis exemplar iuuat præfatum Cardinalem de materia præsenti differentem ante oculos posuisse. Agit ille *Cap.93.* de pœna Simoniaci, & ad eum perueniens, qui dat Beneficium, sed nondum altero dante pretium, quod promisit, discordantes Nauarri & Soti sententias adducit, illius negantis, huius affirmantis pœnas incurrere, & sic addit: *Quam profectò ego etiam teneo, & credo verisimam esse*, sic *n.1.* subdens *nu.2.* auctoritatis & rationis firmamenta, & in 3. sic habet: *Nec iste Doctor vllum habet sua opinionis fundamentum. At quia hodie multi ipsum sequuntur, crederem licere aliquando vti eius opinione, cùm res hæc moralis sit, & in opinione probata: sed non semper à sententia communi hac discedendum.* Sic ille, de Nauarro locutus coætaneo suo, cuius singulari opinioni, sed ob auctoritatem Doctoris tanti à multis receptæ, sic deferendum censet, cùm tamen asserat nullum habere fundamentum. Quid ergo &c.

Eximium illius moderationis circa auctorum venerationem exemplar.

ASSERTIO XXVI.

Cùm numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit qui non maioris faciat pecuniam præsentem, quàm futuram, posse creditorem aliquid supra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab vsura excusari.

Erronea auctori, contra Caramuel.

625. SIc ex Caramuele in *Theologia morali Lib. 2. n.799.* à Sinnichio relato §. 443. qui Auctori nostro quo ad hæc integra esse videtur Bibliotheca, qui & eam vocat non solùm improbabilem, sed erroneam, & intolerabilem, & contra eam arguit ex conditione pecuniæ, quæ ex se sterilis est, ex Aristotele & D. Thoma, ac D.Basilio; vnde quòd numus numum pariat præter naturam est. Et ego quidem Caramueli neutiquam assentior, quia ad demoliendum receptissimum dogma apud Theologos & Canonistas principium minimè firmum assumit, scilicet pecuniam numeratam pretiosiorem esse numeranda, quod verum non est, si numeranda ex eo quòd præsens non sit, nullum pariat incommodum aut lucri cessantis, aut damni emergentis: sic enim perinde se habet, ac si eius Dominus eam haberet in arca multis clauibus obserata. Non est autem acerrima illa admittenda censura, quantùm ad erroneæ qualitatem, cùm SS. Alexander VII. alia sit inferiori contentus in posteriori Decreto damnabilium assertionum, in quo. 42. extat tenoris sequentis: *Licitum est mutuanti aliquid vltra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem vsque ad certum tempus.* Sit ergo vt minimùm scandalosa, nec plusquam oportet sapere, Pontificium iudicium prætergressi. Sed ad sobrietatem sapiamus. De quo & nos alibi.

Non talis videtur.

Decretum Alex. 7. *contra illam.*

Contractus dictus Mohatra *vt liceat.*

626. Dubium deinde mouet circa *Mohatras*, & respondet quòd si talis contractus fiat cum intentione lucri, & cum pacto reuenditionis præuiè inito, vt communiter fieri solet, esse illicitum, & palliatam vsuram; quidquid recentiores Casuistæ in contrarium dicant. Quia lucrari aliquid vltra sortem ex vi mutui præcisè vsura est: quod in casu tali accidit, in quo Mercator id lucratur, quo summum mercium pretium superat infimum. Sed debuerat Recentiores proferre, qui ita sentiant, quando cum pacto reuenditionis contractus talis initur, id enim communi assensu reprobatur, vt videri potest apud Cardinalem Toletum *Lib. 5. Cap.31. n.3.* P. Lessium *Lib. 2. Cap.21. n.130.* Petrum Nauarrum *Lib.5. Cap.2. n.171.* Bonacinam *Tomo.2.Disput.3.de Contractibus. Quæst.2.Puncto.3. n.20.* P.Gasparem Hurtadum *Tractatu de Contractibus Disput. 2. difficult. 15. in fine*, & sic etiam alij, & illi quidem etiam nouarum laxitatum principes, iuxta Auctorem nostrum, P. Tamburinus, & P. Escobar. Ille *Lib.8.* in Decalogum *Tract.3. Cap.7. §.8. n.9.& 10.* Hic *Tract.3. Cap.5.Exam.6.n.52.§.licet euendere.* Non est ergo cur hîc diutiùs hæreamus. Ideò ad alia.

Obiecta non vrgent, quæ quæstionis facti est, & non de iure, quod possit superfluus admitti.

ASSERTIO XXVII.

Vix vnquam teneri aliquem ad eleemosynam præcisè ex superfluo status, cùm vix vnquam huiusmodi superfluum in Secularibus, etiam in Regibus inueniatur.

627. EX P.Vasquez in Opusculo de Eleemosyna, & pluribus alijs recèntioribus Casuistis. Contra quos arguit ex D.Thoma *2.2.q.32. arti. 5. in Corp.* vbi ait, *dare Eleemosynam de superfluo, est in præcepto: & dare eleemosynam ei, qui est in extrema necessitate.* Ex quo ibidem inferunt Caietanus, Bañez, & alij eius Interpretes vt eleemosyna sit in præcepto non requiri duo simul, scilicet superfluitatem in dante, & extremam necessitatem in accipiente, sed quodlibet eorum sufficere. Addit auctoritates alias eiusdem S.Doctoris, D. Gregorij Magni, & Theodoreti idem contestantium, concludens P.Vasquium, & Casuistas alios præceptum eleemosynæ detruncasse ac mutilasse: sic enim sæculares vix vnquam largiendi lege continget vrgeri. Quæ quidem parùm & ipsa vrgent: nam doctrina D. Thomæ & aliorum libenter admittitur, teneri inquam sæculares ad eleemosynæ ex superfluis largitionem: in quo quidem quæstio de iure est. An autem superflua rarò aut frequenter eisdem suppetant, est mera quæstio facti, in qua vt suppetere affirmetur, necessarium erit censum more Romanorum inire, & familiarum omnium facultates ac necessitates expendere, vt abundantibus certa eleemosynæ mensura, ad quam teneri constiterit, præfigatur. Non ergo detruncatur aut mutilatur eleemosynæ præceptum, sed stante obligatione dicta vniuscuiusque conscientiæ circa superfluitatem dictamen conuenitur. Tenetur ex superfluo: an sit illud, videat qui solus id scire sæcularis possit. Vt verò verosimiliter affirmari possit id rarò contingere, communis eorum suffragatur vox, & experientia multiplex, vt verum hac etiam ratione sit illud vatis Regis *Psal. 30. v.10. Diuites eguerunt, & esurierunt.* Et ita cum P. Vasquio sentiunt multi grauissimique Scriptores, vt videri potest apud Dianam *Parte 2. Tract.*

27. D. Thomas.

Psal.30. v.10.

Tract.15. Resolut.32. & Tract.16. Resolut.26. & Parte 4. Tract.4. Resol.215. & Parte 5.Tractat.8. Resolut.14. §. Dices, si hæc. De quibus non plura, cùm responsio tantoperè dilucida ac concludens sit, & Patrem Vasquez ab Auctore non visum, sicut neque alios plures, quos insectatur, Scriptores, citationis exactio manifestat, dum in *Opusculo de Eleemosyna* confusè producitur. Extat ergo assertio in *Opusculo dicto Cap.4.n.14.*. Circa quod fallax etiam citatio apud Dianam, quia in citato Capite non est *Dubium* 4. in citata *Resol.* 26. vbi sic habet: *Opusculo de Restitutione Cap.1. Dub.3. n.27. & 32. & ideò Cap. 4. nu.14. asserit &c.* In Opusculo enim de restitutione nihil tale habetur neque in *Cap. 1.* Dubium 3. occurrit, sed vnicum, in quo neque dicti numeri, sed solus 10. Quod autem sequitur vtpotè quod in tali Opusculo extat, auctarium erroris est: circa quod non parùm scriptorum diligens attentio, & attenta diligentia desideratur.

P. Vasquez

628. Addit Noster constare etiam falsum esse quod ait Layman *Lib. 2. Tractat.3. Cap.6. nu.1. Confessarium absolutionem à peccatis diuiti non facile debere negare, quòd communes pauperum miserias subleuare monitus recusat, quia diues semper aliquam causam in specie præfert cur recusetur, nempè istam. Nihil habeo superflui.* Contra quem arguit, quia diues ex debito legali, subindeque ex præcepto tenetur superflua dare pauperibus, vt ex D.Thoma iam visum: Vnde si monitus à Confessario, hoc facere recusat: & ex sola ascendendi libidine præcludat viscera sua pauperibus, nec quidquam de superfluo ipsis largiatur, absolutionis incapax est. Pro quo inducit Caietanum in *Opusculo de Eleemosynis Cap.6.* Confessorē vrgentem conscientias, & instat prætereà ex eo quòd responsio illa diuitum friuola est, quia possunt illi moderatiùs viuentes multa pro liberalibus officijs reseruare, quod D. Augustini, & Senecæ verbis exornat. In quo quidem negari nequit quin multa abripiat vanitas, quibus multiplex posset leuari necessitas, vnde Confessarijs ea est cura in diuitum Confessione futura, vt eos erga pauperes beneuolos verbo & opere reddant. Ipsis autem seriò coram Deo asserentibus nihil sibi esse superfluum, credendum proculdubio, & absolutio impertienda: quod negari à nullo ritè sapiente potest, præsertim cùm circa hoc opiniones adeò ipsis fauorabiles sint, & animaduersio quidem Patris Layman antiquiorem ex ipso sic obijcientis Illustrissimo Ordine habet auctorem, Rosellam inquam à Caietano adductum *citato Cap.6.* cuius illa sunt verba: *Quòd si mihi illud Roſellæ obiecerit, quòd scilicet diuitum Confessiones audiri non possent, & Confessores damnationem incurrerent, audi Dominum* IESVM *Christum in Euangelio diuitibus dicentem: Facilius est camelum transire per foramen acus, quàm diuitem intrare in regnum cælorum. Confessoribus autem: Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.*

P. Layman *circa absolutionem diuitum prudens admonitio.*

Contra *quam nihil vrget quod à* P.Goned *obijcitur.*

Caietanus.

Matth.15. v.14.

624. Et sic cùm sentiat & pronuntiet adeò seuerus præceptor, quid tandem in causa præsenti determinet, operæ erit leue non pretium audiamus, sic enim ille statim: *Est autem magna opus circumspectione vt concludatur hunc habere superflua: Oportet siquidem considerare statum, filios, filias, seruos, alumnos, hospites, conuiuas, diuisionem, munificentiam, magnificentiam, etsi qua sunt huiusmodi: & habere semper præ oculis quòd necessarium personæ non censetur in indiuisibili: multis enim adiunctis, non apparebit superfluum, & multis subtractis non censebitur quis indigens.* Sic ille. Potuit ergo P. Layman tanti luce magisterij id lucidare quod protulit, & ex eadem aduersarius calumniosum impetum exarmare. Vbi ad Confessariorum trepidationem submouendam, & aduersos dicendi modos, quoad praxim conciliandos, id proculdubio iuuabit, si illi diuitibus pro satisfactione moderatas eleemosynas imponant, quod ipsi neutiquam recusabunt, & sic peccata sua iuxta saluberrimam Prophetæ monitionem, eleemosynis rediment, & iniquitates suas misericordijs pauperum. Omitto quædam ab Auctore suo cum Sinnichio adiecta, quibus non est opus distineri.

Daniel.4. v.24.

ASSERTIO XXVIII.

Absolutionis capacem esse hominem quantavis laboret ignorantia mysteriorum fidei, & etiam si per negligentiam quoque culpabilem nesciat mysterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri IESV Christi.

630. HAnc Assertionem supremum ex septemdecim articulis esse ait, quos Academia Louanienſis ad instantiam Archiepiscopi Mechlinienſis reprobauit: eiusque falsitatem patere asserit ex communi Theologorum sententia asserentium cum *S.* Thoma *2. 2.q.2.arti.7.& 8.* in noua lege fidem explicitam mysterij Incarnationis & Trinitatis, non solùm necessitate præcepti, sed etiam medij, esse ad salutem necessariam. Vt enim viator ad terminum perueniat, debet & locum ad quem tendit, & viam, qua ad illum tendit, agnoscere: via autem hominibus veniendi ad beatitudinem est mysterium Incarnationis & passionis Christi, iuxta illud Act. 4. *Non est aliud nomen datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri, inquit S. Thomas loco citato.* Terminus verò est clara visio Dei vnius & Trini. Sic ille arguit: sed certè non ita robustè, vt blandiri sibi possit de manifestè ostensa falsitate. Sententiam dictam plures & grauissimi scriptores antiqui & recentes amplectuntur, vt videri potest apud Amadæum in *Propositionibus ex Tractatu de fide. Propos.1.* Et P. Mendum in *Statere opin.benign.Dissertat.1. Quæst.1.n.4.* vbi ex Mag. Soto occurret D. Thomam non esse contrarium. Nec benè doctus Pater affirmat sententiam dictam habere quidem probabilitatem extrinsecam à grauissimis eius defensoribus, cùm tamen sit ratione solida destituta. Tria namque fundamenta, quæ adducit, seria profectò non sunt; & quæ pro sua, facili possunt negotio dissolui, sicut & nuper adducta de via & termino: concedimus enim viam esse Christum respectu omnium, quia per eius merita accipiunt quidquid necessarium est protendentia in beatitudinem: Trinitatem etiam esse terminum, sed non esse necessarium vt sub ratione talis cognoscatur, sicut non est necessarium cognosci quo ad omnes suas perfectiones,

28. Contra quam arguitur ex obligatione duorum illorum mysteriorum.

D.Thom.

Act. 4.

Sed contra arguentem stant plures Assertionis defensores.

P.Mendus *probabilitatem tantùm extrinsecam agnoscens confutatur.*

nes, licet secundùm omnes terminus sit. Et quidem absolutæ illæ,& tales vt simpliciter simplices à Theologis compellentur,quod personalitatibus plures negant. Cumq; per Christum sit in omni euentu comparanda felicitas, rectè dicitur non esse aliud nomen, in quo salui fieri possimus. Nomen enim non semper pro eo sumitur, quod communi acceptione vulgatur : sed pro virtute & potestate, vt est obvium in scriptura,& in forma Baptismi est id manifestum, cùm dicitur, *In nomine Patris &c.* vt videri potest apud D. Thomam. *3.p.q.66.arti.5.ad.6.ibi* : *Virtus autem diuina, quæ operatur in Baptismo, ad essentiam pertinet, & ideo dicitur. In nomine, & non. In nominibus.* Sic ille.

Nomen pro virtute & potestate in Scriptura.

D.Thom.

631. Et hucusque Propositiones à præfato Scriptore concussæ, & pro viribus impetitæ : quanto autem cum fructu ipse viderit : & videbit fortè, me ex tunc ipsi de vitæ longitudine gratulante. Nec dubito præcursuros alios in his & alijs pugnacibus scriptionibus confutandis, quæ multos cùm vellicent, ad defensionem iustam prouocabunt. Et præcurrissem ipse citiùs alijs, si commodè potuissem : verùm immensa locorum diuortia eorum, quæ non lentè concepta sunt, editionis tempestiuitatem retardabunt. Et quidem Corollario quodam notatu digno, vt ipse loquitur, illam monstrorum insectationem quorumdam ex suis instructus auctoritate concludit, in id vnum intentus, vt Casuistarum infelicem solicitudinem damnet, qui nimia suâ licentia diuinam legem, & multò magis humanas eludibiles fidelibus reddiderunt. Quod quidem & nos in multis verum agnoscimus, sed asserti illius veram comprobationem in omnibus allatis denegamus. Itaque quod dolet dolemus, quod plangit plangimus: sed dolorem & planctum non sanis membris, sed malè affectis applicamus. Dolet quidem SS. Alexander in priori Decreto nouellarum multitudinem laxitatum vt iam vidimus. *Sanctissimus D. N. audiuit non sine magno animi sui mœrore complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxatiuas.* Sic Decreti exordium. Et tamen ipse censuras multarum propositionum apud Amadæum extantium, quæ Theologis Sorbonicis Christianæ disciplinæ relaxatiuæ visæ sunt, vti *præsumptuosas, temerarias, & scandalosas* explodit citata superiùs Bulla, *quia grauissimorum Scriptorum auctoritate nituntur.* Mœrorem ergo suum eò direxit, vbi illius erat digna conquestio : quod equidem legitimi Ecclesiæ filij debent *exemplar* imitari, quod illis *in monte*, immò & in montibus, qui pro insignibus sunt eidem, *monstratum est. Exodi.25.v.40.*

Conclusio pro Assertionibus dictu.

De laxitate opinionum vt dolendum cum Alex. VII.

ASSERTVM CITATI SCRIPTORIS.

In concursu duarum opinionum æquè probabilium tutiorem esse eligendam, quod efficaciter repellitur.

Illud probat auctor ex nato axiomate de iuri. &

632. REdit ille ad institutam disputationem, & *Arti.5.* & licet Assertum propositum ex principijs ab eo positis, de quibus dictum, satis videbatur apertum, placuit ipsi illud & denuò statuere, ac nouis rationibus comprobare. Ait ergo quando in materia morali, quæ subest periculo peccati mortalis, occurrunt duæ opiniones æquè probabiles, semper eligendam tutiorem. Ita docere ait omnes Auctores *Arti.2.§.2.* ab ipso relatos pro præcedenti Conclusione, scilicet in concursu probabilioris sententiæ non posse minùs probabilem eligi. Probat ex *Cap. Ad audientiam.* Et ex *Cap. Significasti*, de homicidio, in quibus axioma illud satis tritum, in dubijs debere nos semitam, aut partem eligere tutiorem : quod & in alijs iuris Canonibus inuenitur, ex quibus celebre illud in *Cap. Si quis*, de Pœnitentia. *Dist. 7. Ergo tene certum, dimitte incertum.*

certiori parte eligenda.

Cap.Si quis de Pœnit.

Ad quod cùm diuersimodè responderi possit, vt *superiùs* vidimus, iuvat modò Sylvestri responsionem adhibere, qui verb. *Opinio.n.1.* ita scribit : *& hoc intellige non solùm quando quis facit quod in se est vt intelligat veritatem : quia talis etiam in manifestè determinatis excusaretur, cùm laboret ignorantia pro tunc inuincibili : sed etiam cùm quis ex affectione ad suum Doctorem iudicat probabiliter, vt sibi videtur, esse verum, quod est falsum. Nec obstat quòd in dubio tutior opinio est eligenda, de sponsalibus, Iuvenis : quia non est in dubio qui probabilibus rationibus flectitur ad vnam partem. Nec quod incertum dimittendum est, & certum tenendum. De Pœnit.dist.7. Si quis, quia tenet iste certum sibi moraliter : cùm in moralibus sufficiat certitudo ex probabilibus secundùm Philosophum.1. Ethicor.* Sic ille præclarus in Thomisticâ schola Magister, & antiquiorum princeps Summistarum, vt alias omittam responsiones, de quibus *suprà*, & contra quas scriptor hîc noster insurgit. Et cùm sit illa adeò genuina, & Textibus adaptabilis, mirum est ab eo prætermissam. Cur autem ita factum, non est cur operosiùs disquiramus.

Commoda responsio ex Sylvestro.

633. Post quasdam autem regulas, quas valde commodas iudicat ad modum procedendi, quando non constat quænam ex duabus opinionibus æquè probabilibus sit tutior ex illis, confutatum manere ait peruersum nouorum Casuistarum dogma, quo asserunt stante vtrimque probabilitate, iudicem posse adiudicare rem cui maluerit : quod tradit Caramuel *in Theologia morali. n. 1467.* Si ex litigantibus neuter rem possideat, & probabile censet P. Tamburinus *Lib.1.in Decalogum. Cap. 3. §. 4. n.5.* Licet contrarium ipse tueatur contra P. Sancium, & P. Franciscum de Lugo. Circa quod inducit P. Fagundez apud P. Escobarium *Tract. 3. Exam. 2. Cap. 6. n. 111.* addentem posse iudicem in tali casu aliquid ab vna partium accipere, vt sententiam in eius fauorem ferat. Quam doctrinam ait non solùm esse falsam & legibus ac regulis Iuris repugnantem, sed etiam Reipublicæ perniciosam, cum Sinnichio locutus suo, & D. Isidoro in auaros iudices declamante *Lib. 3. Sentent. Cap. 52.* Circa quæ dictum à nobis aliàs : & tot sunt cum Caramuele sentientes, vt probabilitas nequeat præfatæ sententiæ denegari : quam & agnoscit Leander à Murcia in *Disquisit.moral.Lib.1.Disput.vnica.Resolut. 20. n. 14.* Vnde cùm SS. Alexander VII. in priori Decreto, de quo *superiùs* sententiam asserentem posse à iudice in opinionum æquabili probabilitate à litigante pretium prælationis accipi, vti vt minimùm scandalosam proscripsisset; eam,

Iudex in confictu opinionum æquè probabilium non possit rem adiudicare vni.

Probabilem affirmatiua sententia.

eam, quæ voluntariam & gratuitam electionem indulget, intactam reliquit ; id non facturus, si vti peruersum dogma relegandum iudicaret. In citatione autem P. Escobarij vt sæpè aliàs deerratum : citato enim loco nihil habet : neque in *Examine. 2. citato Cap.6.* numerus extat ille : sed soli. 21. & 23. aut quidquam quod ad rem faciat. *Tractatu* autem *6.Cap.6.§.circa litem.* Sic propositæ quæstioni respondet : *Ex sententia Lessij respondeo non peccare contra iustitiam, quia processit id tantùm iure uaturæ spectato, quando est quæstio iuris, non facti. Porrò hæc omnia iure sunt positiuo prohibita.* Sic ille. Et vbi hîc P. Fagundez? Qui quidem *Tomo.2.in Decalogum Lib.8.Cap.26.n.14.* quæstioni respondens post vtriusque opinionis circa ipsam fundamenta proposita, & patronos appositos, negatiuam vt probabiliorem amplectitur, non posse inquam iudicem pretium antepositionis accipere, licet possit sequi quam voluerit opinionem. Nihil ergo perniciosum in illo, cùm tamen in falsis citationibus esse possit non toleranda pernicies.

P. Escobario male attributa.

P. Escobar.

P. Fagund. pretium non posse accipere iudicem aperti status. cui oppositum à P. Goned adscriptum.

CIRCA QVÆSTIONEM DE VNIVS.

Doctoris auctoritate ad reddendam opinionem probabilem in materia morali, & tutam in praxi, Auctoris sententia, argumentorum enodatio, & vtilia documenta.

Vnius Doctoris auctoritatem non sufficere ad conciliandam opinioni probabilitatem, vt ille probet.

634. DIctum de hoc *suprà* in *Appendice §. 3.* & videndum modò quid noui solertia Auctoris inuenerit, ex cuius discussione quæstum doctrinæ aliquem colligere valeamus. Quæstionem mouet ille *Arti. 6.* Et communiter Recentiores affirmare ait, eâque de causa, vt Sinnichius obseruat, in mutuas laudes excurrere, quod Caramuelis & Dianæ exemplo confirmat, & Episcopi Gandauensis adductis verbis, quibus mutuò se illos scabere, veteris adagij accommodatione testatur. Quo graui & serio fundamento iacto, statuit vnius tantùm Doctoris suffragium, seu auctoritatem, communiter loquendo, non posse reddere opinionem aliquam probabilem, & in praxi tutam: & probat *Primò* ex Aristotele. *1. Topicor. Cap.4.* sic dicente : *Probabilia sunt quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus, & his maximè notis.* Sed quæ vni soli videntur, non videntur pluribus : ergo quæ vni soli videntur, communiter loquendo, probabilia non sunt. Vbi quidem fallacia argumentationis est clara : nam ex Philosophi verbis id detractum, quod ad rem maximè poterat facere, scilicet postremum illud, *Aut sapientibus, & his maximè.* Ergo etiam si non sint plures, eorum auctoritas probabilitatem potest ijs, de quibus agitur, conciliare: aliàs in priori illo membro fuissent comprehensi, *Aut pluribus.*

Aristoteles

D.Thom.

635. Secundò ex D. Thoma. *Quodlib.3.Arti. 10.* vbi ait : *In his, quæ pertinent ad fidem, & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicuius magistri.* Atqui iuxta recentiorum Casuistarum sententiam excusari potest : quod ex Lactantio & Sinnichio vrget. Cui tamen luculenta responsio in Sylvestro, si libuisset legere, suppetebat : ille enim *Verb. Opinio. n. 1.* quæstione præsenti proposita sub illis terminis : *Vtrum auditores diuersorum magistrorum tenentium diuersas opiniones, excusentur, si sequantur ?* & adductis D. Thomæ verbis ex *Quodlib. citato* Panormitani & Oldradi diuersimodè loquentium, sic determinat : *Istæ autem opiniones non sunt contrariæ : quia vtraque loquitur in spectantibus ad fidem, aut mores. S. Thomas dicit quòd tales non excusantur in his, quæ sunt clarè & manifestè determinata alicubi : quo etiam modo secundùm Archidiaconum intelligitur, cùm dicit, quod in opinionibus faciens contra verum, licet non contra conscientiam, non excusatur à præcepto : puta in habendo plures præbendas, quia facit contra legem Dei : aliàs, inquit, contradiceret sibi in eodem libro, quod non est credendum : & est verum, quia in talibus non excusat ignorantia. Panormitanus verò loquitur in obscuris, & est verum opposita ratione, dicente Monacho, quòd non generatur aliquod præiudicium veritati, cùm inter diuersas opiniones à magistris approbatas, & scripturis authenticis annotatas, illam quis amplectitur, quæ sibi videtur magis consona rationi.* Sic ille : addens statim id quod *n.632.* ex eodem dedimus, & pro caussa præsenti non leue potest conferre momentum : quandoquidem ille ex nouellis Casuistis nō est, qui se mutuo stabunt, vt suis opinionibus auctoritatem aucupentur. Non ergo refragatur D. Thomas ; sed suffragari ex eius est verbis manifestum, quia exceptio firmat regulam in contrarium. Credi non debet magistro in ijs, quæ manifestè erronea sunt: Ergo in ijs, quæ non sunt talia, sed sub opinionum ambiguo, licita erit magistri docti & probati sequela.

D. Thom. luculenta responsio ex Sylvestro.

636. Tertiò ab inconuenienti. Si enim vnius viri docti & probi auctoritas sufficeret ; vel dicendum esset recentiores Casuistas non esse viros doctos & probos, vel omnes eorum assertiones esse probabiles & tutas in praxi. Primum non concedent aduersarij, cùm sit illis iniuriosum: secundum verò absurdissimum est. Quis enim dicit omnes nouorum Casuistarum assertiones suprà relatas esse verè probabiles & tutas in praxi? Nonnullas refert, quas ita absurdas reputat, vt communis, & communissimæ pietatis notiones ad eas refellendas & aspernandas sufficiant. Nec valet si dicatur esse probabiles speculatiuè, non practicè : quia ex nouorum Casuistarum principijs nulla est talis distinctio, vt videri potest apud Ioannem Sancium *Disput. 54. n. 11.* Respondeo, quidquid de probitate Casuistarum sit, circa quam non est æquum altercari: quod ad sapientiam attinet, non ita excellentem esse in omnibus, vt cuilibet debeat nouiter contra communem loquenti Theologorum mentem assentiri. Vnde extat inter proscriptas à SS. Alexandro VII. Propositio illa, quæ est penultima in priori Decreto, & de qua dictum supra : *Si liber sit alicuius Iunioris & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet reiectam esse à Sede Apostolica tamquàm improbabilem.* Circa quam obseruare iuvat, minimè prohiberi à Pontifice opinionem dictam vti probabilem amplecti, quæ apud iuniorem scriptorem occurrat, sed generalem illam assertionem probabilitatis, eo ipso quod apud Iuniorem extet,

Inconueniens discutitur ex Recentiorum Casuistarum nutante auctoritate.

Non cuiuslibet moderni opinionem ex eo quòd in libro extat esse probabilem Decreto Alexandri VII. *definitum.*

extet, & non sit à Sede Apostolica vti improbabilis exturbata. Eam ergo quam quis non ex eo præcisè quòd in libro moderni scriptoris extet, sed quia solidis fundamentis innixam perspicit, probabilem censet, quo minùs sequi possit, non est Decreto Pontificis improbatum. Vbi cùm de Recentiorum libris sermo sit, de antiquioribus nihil innouatum. Tunc sic. Sententiam vnius Doctoris sequi quem posse apud Sylvestrum, vt vidimus, neque iuniorem, neque recentiorem, neque modernum, manifesta assertio est: ergo eam amplecti quis tutò potest, & iuxta eam in particularibus casibus conscientiæ suæ processum moderari.

Aliquando, & de aliquo admittit.

637. Nec refellendum quod tandem subdit, à se inquam in assertione dictum *Communiter loquendo*: quia contingere potest vt auctoritas vnius Doctoris graui aliquo fundamento ducti, & nulla in contrarium occurrente ratione, saltem quam facilè & clarè non soluat, sufficiat ad inducendam moralem certitudinem de veritate alicuius opinionis, & ad reddendam illam probabilem. Vel etiam Doctor esse potest adeò clarus, & in Ecclesia celebris, vt eius auctoritas præponderet aliorum multorum rationibus & auctoritati, quale esse meritò affirmat D. Thomam. Vnde infert non posse satis se mirari quomodò tot Thomistæ aliàs graues pro secundis intentionibus, & entibus rationis, pro indiuisibilibus continui, pro natura & existentia temporis, & alijs similibus quæstionibus, quæ nec proficere, nec obesse possunt animarum saluti, pro S. Doctore tanta animi contentione decertent: & vix aduertant quid in rebus moralibus, & præsertim in hac grauissima de probabilitate quæstione senserit. Nam certè tantò diligentiùs mens eius circa morales materias indaganda est, quantò certiùs scimus ipsum priùs in se ipso legisse quæ alijs scripsit, & id vnum spectasse antequàm doceret, qua ratione viueret, vt cereris ostenderet qua lege viuendum esset. Non inquam refellendum, quia tandem id, quod contendimus, profitetur. Et quod Thomistas suos admonet, nos etiam libenter admittimus, quia conuenientissimum iudicamus in rebus moralibus D. Thomæ mentem, qui & fecit & docuit cum excellentia tanta, solerter inscrutari. Verùm quia Doctor sanctus opiniones vt opiniones, non vt irrefragabilia dogmata tradidit, mirum non est si oppositæ aliquando tamquàm probabiles, ipso etiam iudice, dum nihil in contrarium indicat, ad praxim vtilem assumantur.

Pro exemplo D. Thom.

P. Thomas Sancius indecorè tractatus, pro cuius defensione agitur.

638. In responsionibus ad argumenta illud non prætermittendum, quod in P. Thomæ Sancij dedecus indecorè & ridiculosè pronuntiatum de conspicilijs vt ad videnda, quæ in D. Thoma non extant, scriptoris cum eodem agentis oculis admoueantur. Probat doctus Pater *Lib.* 1. in Decalogum. Cap. 9. quod de vnius Doctoris auctoritate prolatum, & *n.* 7. id comprobat auctoritate D. Thomæ *Opusculo citato*, illis adductis verbis, *Posse quempiam amplecti opinionem, quam à magistro audiuit in ijs, quæ ad mores pertinent.* Et est quidem verissimum formalia illa verba eo loco non inueniri: sicut etiam verissimum est eorum sensum in ijs, quæ ex eodem hic scriptor statim exhibet, contineri, dum scilicet ait: *In his quæ pertinent ad fidem & bonos mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicuius magistri.* Ibi enim exceptio habetur non erroneæ opinionis, vt *n.* 635. dicebamus. Et ratio, quam statim reddit, rem facit manifestam, sic enim ille: *In talibus enim ignorantia non excusat.* Ergo de ijs tantùm agitur, quæ probabiliter nequeunt disputari, quia neque ignorari, vt luculenter Syluester exposuit, testis profectò omni maior exceptione. Quomodò autem & ab Auctore nostro conspiciliorum exigi applicatio posset, circa Scotum diximus, & circa plures alios dicere etiam in decursu Propositionum damnabilium eius iudicio, si iocari liceret, potuissemus.

Ad probabilitatem intentionis defficientia vnius Doctoris plurimi quiri quam ad alias, quia & reprobata à multis, & fundamentum minùs doctrinæ præcipuum.

639. Sed neque omittendum quod tandem asserit opinionem, quæ asserit vnum Auctorem per se ad probabilitatem alicuius sententiæ sufficere, communi Doctorum sententiæ repugnare, & ab illis non solùm vt falsam, sed etiam vt improbabilem, immò vt pernicio sam, & innumeras absurditates in materiam doctrinæ moralis inuehentem, reijci, ac improbari, vt patet ex Censura Doctorum Louanien sium: & licet auctoritas decem vel quindecim Doctorum sufficiat ad reddendam probabilem opinionem circa materiam particularem: non tamen in quæstione de opinione probabili vt sic, quia ipsa est fundamentum doctrinæ moralis præcipuum: ad principia autem talia maior requiritur auctoritas & numerus Doctorum: sicut in politicis videmus pro maiori vel minori momento rerum iudicandarum maiorem vel minorem requiri iudicum numerum: & leges fundamentales regni non posse nisi à generalibus illius comitijs statui vel abrogari. Sic ille philosophatus, cui & annuimus quatenus vnius cuiuslibet Doctoris auctoritatem pro conciliandа probabilitate non esse sufficientem, iuxta id, quod diximus, asseuerat. Cùm autem ipse vnius auctoritatem sufficere affirmet, si eas habeat, quas ex ipso posuimus, qualitates, nihil iam diuersitatis apparet inter particularium materiarum opiniones, & fundamentale illud principium, pro quo nec decem, nec quindecim, asserit sufficientes esse Doctores. Applicet ergo ipse, quod de politicis inserit, & dicat an ad leges fundamentales regni vnus sit dictis ornatus dotibus futurus sufficiens iudex? Non equidem, vt credo, sufficiet: & tamen ad fundandam probabilitatem erit satis: ergo non est similiter in politicis & Theologicis discurrendum.

Occurritur præfato dicursui.

Ostenditur id non esse principium in re morali præcipuum, & vt sic, locum habere in eo posse eamdem doctrinam.

640. Præterea, valde voluntariè asseritur principium esse fundamentale in materia morali non sufficere vnius Doctoris auctoritatem ad conciliandam sufficientem probabilitatem opinioni, vt possit quis eam tuta conscientia complecti. Principia quidem sunt, dari opiniones probabiles: posse illas licitè fideles amplecti: probabilitatem à rationum pondere, & Doctorum auctoritate conflari: talem debere esse vtriusque gradum, vt prudens quis possit pro illa ad praxim aduocanda formare iudicium. Quanta autem in particulari esse debeat auctoritas, determinabile non est, & ita circa illud diuersi & probabiles esse modi sentiendi possunt: nam aliquando pauci quamplurimos superabunt; immò & superare vnus potest, quod in celebri Doctore scriptor aduersans affirmat. Immeritò ergo dicitur illud esse

esse fundamentale principium. Quod quidem efficacissimè euincere possumus ex fundamento probabilitatis ab intrinseco, quod in opinione pro illius probabilitate requiritur: illud scilicet quod à ratione desumitur: non enim plures necessariæ sunt, sed vna momenti magni sufficit, cui plures in opinione contraria non præponderent; vnde & probabilior potest iudicari. Nec plura cum Scriptore dicto, cui ad sua rigida dictamina omnes reducere volenti, parùm profectò suis conatibus profuturo, dicere possumus quod fabuloso filio mentitus parens: *Moderantiùs opta.* Nec horrebit, vt credo, ad fabulas fabulæ illius memor de *Iansenistis*, & *Molenistis*. Pro quo operæ pretium ipsi fuerit Eligium Bassæum in *Floribus Theologiæ moralis Tomo* 1. *verb. Clausura num.* 13. adijsse, vbi inueniet post adductum *num.* 12. Decretum S. Congregationis Regularium, quo Regularibus ipsis prohibetur ad Monasteria Monialium sine licentia eiusdem Congregationis accessus, Epistolam Cardinalis Alexandrini ad P. Oliuerium Manæum Prouincialem in Flandria Societatis IESV, in qua eiusdem Societatis Patribus, & etiam Patribus Capucinis, & accessus, & instructio singulariter & liberaliter illis in partibus indulgetur. *Cùm abundè cognouissent quem fructum edant in istis partibus Patres Societatis IESV, & Capucini suis documentis & exhortationibus, quas interdum habent ad Moniales, quarum Cœnobia hæreticorum faucibus sunt expositа: statuendum iudicarunt: vti per has Litteras statuunt & declarant: de cetero quod Regularibus interdicit visitationes & colloquia, minimè comprehendi prædictos Patres Societatis & Capucinos &c.* Et quidem cùm hic de subtilitatibus Scholasticis in re Theologica non agatur, sed de morum directione, eo in genere P. Molina inter primos huius facultatis magistros recensendus venit, in quo de nouellis laxitatibus nihil: pro quo argumentum non leue fuerit citatum Scriptorem nihil ex eo inter præfata monstra damnabile protulisse. Valeat ille, & benè valeat, vt ad alium factionis eiusdem iuratum militem veniamus.

Fabula P. Gonet.

PP. Capucini, & Societatis singularis fauor à Sede Apostolica circa Moniales.

P. Congregatio Regularium.

§. IV.

Circa Vincentium Baron nuperrimum Scriptorem & duplicem eius pro moralibus antiquioris Scholæ sententijs Apologiam.

Duæ P. Baron. Apologiæ circa quas nonnulla.

641. PRior ex illis contra Illustrissimum Caramuelem pro viro docto Prospero Fagnano militat, sed contra P. Theophilum Raynaudum præeunte Dissertatione, quam circa Confessionem absentis, & absolutionem moribundi edidit, & ad calcem *Tomi posthumi* P. Suarij, *de Auxilijs diuinæ gratiæ efficacis, & illius cum creata libertate concordia* quandoque apposita, & in Tomis nouendecim postremæ impressionis desiderata: cùm tamen in syllabo operum, quæ sigillatim edita sunt, illius fiat mentio, quam & ipse exhibet *Tomo* 16. *Sect.* 1. *Pun-*

cto 9. *num.* 16. vbi id quod à se dictum de huiusmodi absolutione confirmat, & quia in Dissertatione contra illum, nonnulla habet citatus Scriptor refutatione digna, illa erit operæ pretium hoc loco proferamus, vt fiat statim, si de Apologia alia contra Amadæum Guimenium nunc interim aliquid indicemus. In qua ille contra P. Raynaudum vti libri sub mentito nomine auctorem magno impetu digladiatur: tantâque repertæ à se circa hoc veritatis confidentia, vt non dubitet suspicionem suam priorem in apertam demonstrationem fuisse prouectam affirmare. Sic *pag.* 3. & sanè si tales sunt demonstrationes aliæ, quas non semel obiectat, de illarum imaginaria qualitate necessarium erit altè impressum damnare conceptum. Nam P. Theophilum auctorem esse libri præfati tam est falsum, quàm quod falsissimum, cùm legitimus illius parens sit in Hispania notissimus, qui & viuit, & viuet vt spero pro se luculentissimè responsurus, & similiter deceptus in ijs, quæ contra eumdem Patrem scribit, faciens eum plurium librorum in suum Ordinem, & in Societatem ipsam, auctorem; cuius minùs cauti & considerati asserti veniam in fine prioris Apologiæ deprecatur. Quod quidem initio operis oportuisset affigi, non in calce, quo verosimile est non fore lectores omnes peruenturos: quod & de ijs, quæ circa P. Suarium iniuriosissimè attexuit, non ita factum, pariter condolendum: licet P. Suarij Operum is sit splendor, quem nequeat inuidiosa quæuis nubecula vllatenus inumbrare. De quo statim. Quæ cùm ita sint, ad ea, quæ diximus, discutienda, sed presso calamo, quia longiora non licent, accedamus.

Amadæum esse Theophilum Raynaud. *error nimis crassus.*

APOLOGIA
BREVIS PRO
P. SVARIO.

Disquiritur an illius auctoritas sufficiens sit ad reddendam opinionem probabilem: occasione illius circa absolutionem moribundi non in præsentia Sacerdotis confessi sententiæ.

642. NEgat citatus scriptor, & laudato illo, id ex non ignobili, vt inquit, auctore contra ipsum suis verbis loquente admiscet, quod non sine horrore & stomacho sint omnes veri sapientiæ filij lecturi. Dolent illi Diuis Augustino & Thomæ ab aliquibus exæquatum. Sed nunquid ipse tale aliquid aut cogitauit, aut passus est, qui quod ad D. Augustinum spectat delendum corditus voluit, respondente Illustrissimo Censore: *Quod scripsi, scripsi?* Nec verò cùm sæculi nostri Augustinus aut Thomas dicitur, magnis illis Doctoribus penitus exæquatur, sed eius commendatur sapientia, quæ inter huius sæculi Scriptores adeò excelluit, sicut primis illis temporibus dictorum Ecclesiæ lumi-

Diuis Augustino & Thomæ vt fuerit exæquatus illorum excellentia semper salua.

narium excelluisse omnibus est parùm etiam sapientibus manifestum. Primatum eloquentiæ Tullius habet; cui nequaquam quidquam de suo primatu detraxit, qui Lactantium Firmianum Tullium Christianum compellauit. Apud D. Hieronymum *Epist.* 7. occurret *Brennus nostri temporis* : neque tamen Brenno Gallorum regi æquabilis, qui Romam cepit, victis ad Alliam riuum Romanis. Siue ergo in bono, siue in malo, modus iste loquendi æqualitatem non intendit, sed similitudinem aliquam declarare: vt omittam Vallam & Erasmum sui temporis Lucianos. Neque vt penitus peregrinam existimare debemus huiusmodi audaciam, cùm satis notum sit magnis ingenijs, & clarissimis Scriptoribus suos non defuisse mastyges, vt Homero & Tullio, *Virgilij & Titi Liuij scripta & imagines, parùm abfuit, quin ex omnibus bibliothecis amouerit:* quorum alterum *vt nullius ingenij, minimæque doctrinæ: alterum vt verbosum in historia, negligentemque carpebat.* Sed quis ille? Caligula, vt Suetonius in illo: qui & eodem teste Senecæ scripta *arenam sine calce esse dicebat*: quem & Aulus Gellius *Noctium Atticarum lib.* 12. *Cap.* 2. ineptum, insipidum, & insulsum vocat. Prudentium elegantissimum metrico stylo scriptorem, meliorem Christianum quàm poëtam per ludibrium appellat Scaliger. Illos etiam Theologiæ Principes, & minora mundi lumina, qui carperent minimè defuerunt. De priori apud Erasmum in Censura circa Libros Retractationum & Confessionum ita quidam: *Offendunt species quædam loquacitatis: offendunt in longum productæ periodi: offendit oratio nonnumquàm ad popularem sermonem degenerans: offendit eorumdem rerum crebra repetitio &c.* Sed has ille offensionis species statim amolitur. Alterius mysticam expositionem de cultro lapideo circumcisionis adducens damnatus auctor, *Apage*, inquit, *hinc istam pruriginem.* Quod ergo si P. Suario, quantus quantus ille sit, suus fuerit insectator? Poterit ille sine modestiæ aut veritatis iniuria, quod Plato de nobilissimo auditore dicere solitus, *Sufficit mihi vnus Aristoteles*, mutato nomine feliciùs vsurpare dicens: *Sufficit mihi vnus Alexander*, Septimus inquam, ad quem sic P. Sforcia Pallauicinus, Cardinalem tunc necdum ipse Cardinalis, Tomum 1. Disputationum in 1. 2. ab eius nominis compellatione eleganter auspicatus: *Superbas Criticorum animaduersiones, superstitiosa Grammaticorum arcana, tenebas quidem, sed minimè tenebaris. Quin ingenio nihil humile aspernato, nihil arduum verito, Stagiritam simul atque Aquinatem altè hauserat. Suarium verò nostrum in humana diuinâque Philosophia præ alijs recentibus exosculatus, repetitis eum itineribus emensus fueras: vtpotè in quo nihil intactum, nihil intutum deprehenderas, subtilitatemque soliditati innexam adamabas. Nec adamasti solùm, sed propugnasti; assertis nimirùm ad eius placitum amplissimis thesibus, imberbi ore, sed inuicto,* Sic ille: de quo & *infra nu.* 713.

643. Cùm inquam neget, sic probat *Disput.* 1. *Sect.* 3. cum P. Raynaudo concertationem instituens, qui penitus affirmabat. Nam vel hoc illi conciliandi probabilitatem ius tribuitur, nulla excepta materia, vel in rebus tantùm ex præcepto ad salutem necessarijs, vbi ignorantia aut probabilitas arcet periculum peccati, & salutis. Si hoc vltimum, contra id militare ait collecta ab ipso prima exercitationis parte, & addenda ex Mercoro, Fagnano, & alijs: & sunt illa, quibus probari intenditur in conflictu opinionum eam, quæ stat pro lege aut præcepto eligendam, de quibus à nobis dictum in *superioribus.* Si Primum, id ipse Pater non admittit, qui in rebus ad Sacramenta spectantibus, & in ijs, quæ sunt de necessitate medij ad salutem consequendam, id, quod est securius, amplectendum semper arbitratur. In casu autem, de quo præcipuè agitur, quæstio de Sacramento vertitur, de absolutione scilicet moribundi eo modo confessi, quem diximus. Circa quam cùm P. Suarius fuerit deceptus, vnde & eius assertio à Clemente VIII. & Paulo V. proscripta, non est illius auctoritati adeò deferendum, vt ea ad conciliandam probabilitatem sententiæ contra alios diuersum sentientes sufficere videatur.

Sed hoc minimi, aut nullius, est profectò momenti: admitto enim *Secundum*, de quo dictum *suprà*, & nego Primum, iuxta mentem Doctoris Eximij, pro quo in *Superioribus* est efficaciter decertatum; neque modo quidquam affertur, quod nouum facessere negotium queat. Licet autem assertio, de qua erat quæstio, ad Sacramentum spectet, circa illam posse opinionem probabilem versari indubitatum est, quando agitur de casu necessitatis, qualis erat ille: vnde Paulus V. in Rituali iubet tales absolui. Quod quidem & Auctor dictus cum omnibus, vt loquitur, Thomistis amplectitur *Sect.* 4. §. 3. sic dicens: *Clemens VIII. & Paulus V. damnant sententiam Suarij, quæ materiam incertam pro certa ponit, Thomistarum sententiam non improbant, sed potiùs ad vsum reuocant, iuxta illam regulam, quæ dubia materia vel forma vti præcipit ad arcendum salutis periculum.* Sic ille. Potest ergo circa dubiam materiam diuersitas opinionum absque controuersia versari: erga & P. Suario licuit cum pluribus ea in quæstione sentire. Illationes sunt euidentes.

644. Sed erraßè dicitur, quia dubiam materiam pro certa obtrudendam voluit. Si ergo constat hoc illi falsò impingi, constabit pariter deceptum non fuisse; & ita eius auctoritas sartatecta remanebit. Constare autem ex eo ostenditur, quia aut de sententia eiusdem agitur, qua licitam absolutionem in casu prædicto censet, aut de explicatione Decreti Clementis VIII. In vtroque autem nihil tamquàm certum statuit. Sed iuxta verosimiliorem sibi locutus dicendi modum. Pro quo consulendus *Tomo* 4. in 3. *p. Disput.* 21. *Sect.* 3. vbi *n* 4. proposita sententia de necessitate præsentiæ Sacerdotis audituri Confessionem ad conferendam legitimè absolutionem, eam dicit communem. Addit deinde *nu.* 5. non esse hoc ita essentiale, quin si aduenial Sacerdos, & inueniat pœnitentem ita priuatum vsu omnium sensuum, vt nullum signum peccati aut doloris ab eo possit obtinere, possit esse aliorum relatione contentus ad absoluendum illum, iuxta eamdem sententiam, pro qua statim graues Scriptores accu-

accumulat, & solidis eam fundamentis confirmat, quam & tandem amplectitur n. 10. verbis istis: *Propter hæc decreta, & propter vsum Ecclesiæ censui semper hanc opinionem esse veram, & conformem Christi institutioni.* Et inferiùs. *Timeri autem potest ne prædicta declaratio Pontificia huic opinioni in aliquo derogare videatur.* Sic ille. Iuxta quæ cõpertum habetur eum, non vt omnino certam, sed vt probabilem, hanc proposuisse sententiam, quandoquidem vti opinionem amplectitur, & non vti certum dogma, in eoque sensu defendit, iuxta quem Doctores ab eo adducti illum est exploratum defendisse. Iam quod ad declarationem Pontificij Decreti spectat, idem ex illius verbis manifestum habetur, ita enim post illam: *Nihilominùs declarationem hanc eiusdem Pontificis censura subijcio, sicut cetera omnia, quæ tam in hoc, quam in ceteris Operibus meis continentur.* Hæc Doctor & Pius, & Eximius, in quibus videre licet modestissimum agendi modum, ab illa prorsus confidentia alienum, qua solent ab audacibus quibusdam proponi quædam tamquàm certa & indubitata, circa quæ multi, & sæpè etiam doctissimi, non dubitare modò, sed & contrariè sentire contingit. Anne tale illud apud citatum *Disput.* 1. *Sect.* 2. *Arti.* 2. §. 3. *pag.* 167. *Quoad illam consecutionem, ab opinione speculatiue probabili, aut practicè tuta, tantùm abest esse necessariam aut probabilem, vt falsissimam, & periculosissimam esse, atque atheismum inuehere, multis locis & argumentis demonstratum sit &c.*

645. Hinc iam dubitatio illa, quæ multos vexauit, insurgit. Si P. Suarij expositio congrua, & Decreto adaptabilis fuit, cur Pontificia est auctoritate reiecta? Circa hoc multi multa, & quidquid de hoc sit, certum est iam illam communiter admitti, & ad praxim adsciscì, iuxta Pauli V. in suo Rituali præscriptum: cùm apud grauissimos Theologos sententia illa dignum habeat locum, de quo ego & alibi egi, & pro quo videri potest P. Franciscus Bardi in Selectis, & erudita ad calcem de hoc argumento lucubratione. Nec non Doctor D. Petrus Aingo Ezpeleta in *Selectis & practicis Resolutionibus de casibus tempore mortis occurrentibus Tract.* 5. *Resolut.* 24. *&* 25. vbi quidquid ad exactam quæstionis huius decisionem & enodationem desiderari potest studioso lectori succurret. Est enim Scriptor apprimè doctus & eruditus, qui & singularibus firmamentis statuit posse absolui moribundum dictum, etsi testes dispositionis non adsint quando Sacerdos de illis certificatus accedit. Propter quæ, cùm ante annos aliquot quidam Dominus Inquisitor, qui & Fiscalis officio fungebatur, cùm Supremi Tribunalis Hispaniæ mandatum inuenisset, quo deleri expositionem dictam, vrgebatur, idque sic faciendum instituisset, cœpisseque de hoc non segni commonitione tractari, ab incepto prorsus, qui causam vrgebant, visis præfatis fundamentis (quamuis nuper adductus nondum prodierat scriptor) destiterunt: vt meritò dici possit opinionem istam in suæ probabilitatis esse pacifica possessione, & eidem Clementem VIII. annuisse ex grauium testium assertione affirmat P. Theophilus *citato num.* 16. *ex Tomo* 16. pro quo & citatus Ezpeleta. Vbi & addendum, in mandato illo ex punctionis Clementis & [illegible] nullam expositio-

ni præfatæ adiectam infamatoriam qualitatem, contenti Censoribus simplici illo *Remoueatur*: quia sic tunc expedire iudicatum, Deo melius aliquid in posterùm prouidente, quia & bono melius esse potest.

646. Habemus ergo ex dictis, P. Suarij auctoritatem firmam & inconcussam, vt iuxta communem sensum tot benè iudicantium de sufficientia Doctoris vnius ad probabilitatis conciliationem, nihil desiderari maius queat, Diuis Augustino & Thomæ, quibuscum comparatio nimis videtur odiosa, excellentiæ suæ incomparabili prærogatiua reseruata. Pro quo, & generali circa prædictam controuersiam assertione, de vnius scilicet Doctoris auctoritate, iuuat hoc loco Epistolæ partem exscribere, quam P. Mendus Appendici ad Bullam Cruciatam inseruit, quæ habetur post stateram benignarum opinionum *n.* 75. & est illa Illustrissimi Domini D. Petri Patheco Commissarij Generalis Bullæ eiusdem, viri iuxta pariter sapientis ac probi, cuius virtus ad Lydium est lapidem probata, ingenua repulsa supremarum dignitatum. Qui respondens eidem Patri scire desideranti, numquid in Opere illo suo sat quidem docto, & communi plausu ac veneratione recepto quidquam esset veritati dissonum, sic inter alia scribit: *En loque toca alpunto de los Religiosos, por auer visto lo Breue de Vrbano VIII. en que los prohibe el ser absueltos decasos reseruados por virtud de la Bula, quitando que ninguno, aunque sea Legado, Nuncio, ni el Comissario General pueda declarar sobre aquella determinacion, no puedo decirmas a V. P. que desfices del escribieren par la opinion contraria el P. Basilio, y nouissimè Thomas Hurtado de los Clerigos Menores, hombres de tan grande credito y autoridad como V. P. sabe, que cada vno por si basta para hacer opinion. Este en su Tomo* 2. *&c.* Iuxta satis liquet quid de Patre Suario dicere debeamus, quem Basilius ipse, & Patrem simul Vasquez, Virgiliano locutus stylo vocat *Duo fulmina belli* Scholastici. Thomæ autem Hurtadi assertiones aliquæ sunt Pontificia auctoritate proscriptæ: & tamen quia vir doctus & Religiosus, tantùm ei auctoritatis Dominus Commissarius contulit, quantum eius verbis testatum inuenimus.

Circa obligationem amplectendi semper partem tutiorem.

647. VIncentius noster circa hoc in extremum minimè tolerabile declinauit, ipsis etiam Thomistis, qui contra nouellas vt vocant, laxitates decertantibus penitus improbatum. Pro quo iuuat Patrem Goned, de quo, & cum quo nuper, sic scribentem auscultare Arti. 2. §. 1. *Secundò certum est hominem non teneri semper sequi tutiorem sententiam, sed posse sequi minùs tutam, si illa appareat probabilior, seu veritati conformior.* Quod probat duplici exemplo, ex opinione scilicet D. Bonauenturæ asserentis lapsum in peccatum mortale teneri statim ad Confessionem habita copia Confessarij: cui oppositum tenet D. Thomas. Item celebris inter Theologos controuersia est circa obligationem confitendi circumstantias aggrauantes: vbi ei, cui pars negatiua videtur probabilior, etsi opposita sit tutior, licet eam amplecti. Hoc cum ita Auctori certum

Exemplis comprobatum. D. Hieron. — Suetonius. — Aulus Gellius. — Erasmus. — Petrus Cunæus. — SS. Alexander VII. P. Suario *addictissimus.* — Card. Sforcia. — *Non posse illum facere opinionem* — *probabilem coram Auct. probat. damnare sententiam absolutionis moribundi &c.* — P. Suarez. — *Nil robori in adiecta obstendat.* — P. Baron. — *Cur à Clemente & Paulo P. Suarij ex puncta declaratio.* — *In Sacramentis ejusmodi non est tanta necessitas tefte aduersario.* — *Eam grauissimi Scriptores amplectuntur.* — P. Petrus de Aingo Ezpeleta. — P. Suarij *expositio circa Decretum Clem. VIII. ineptissima citato Scriptore inducitur, cuius sententia reipsa subscribit.* — *Nec ingrata Clementi.* — P. Theophilus. — *Rara est concordia Fratrum.* — P. Goned. — P. Petrus Pascheco.

proponatur, Vincentio noſtro, minimè tale videtur: vnde *Arti.*2. §.1. ita ſcribit: *Probabilitates tum nobis tantùm diſſuadent, cùm illis ineſt periculum, ne nos ab officio abducant, & in nouum peccatum impellant: id verò accidit ſolùm, ſi e duabus opinionibus probabilibus, aquè, aut minùs, vel etiam magis probabilem eligas, ſed minùs tutam, id eſt eam, quæ fauet tuæ libertati, alteri anteponis, quæ ſtat pro officio, & pro lege.* Cæterum præter *hoc vnicum exemplum, quod in agendis tantùm valet, plenam probabilitatum tibi copiam facimus & vſum indulgemus. Probabilium opinionum, quæ ad ſpeculationem pertinent, ſed diſputandi, atque ingenium acuendi cauſſa in Scholis agitantur, omnibus optionem damus. De rebus etiam, quæ ad Societatem humanam ſpectant, per me licet largiſſimè frui probabilibus, quæ fauent officio, & conſcientiæ conſulunt, Volo etiam liberalior eſſe: Permitto quæ nihil poſſunt formidinis injicere, ne in legem peccet. Præterea omnium probabilitatum vſum concedo, qui deſinet in certitudinem moralem.* Sic ille. Ex Fagnano autem tunc futuram eſſe ait moralem certitudinem, non cùm ſingulis adhæretur, ſed cùm plurium collectioni. *Sicut fides humana vnius aut alterius teſtis, probabilis ad ſummum eſt; ſed ſi plures iungas probos, nullo ſecum inito conſilio concordes, ex multis probabilibus & dubijs atque in certis argumentis, certam adminùs moraliter concluſionem ac regulam ſancies, quam qui ſequuntur, non aberrabunt.*

P. Baron.

Fagnanus.

Circa probabilium ſequelam larga P. Baron *licentia.*

648. Ex his perſpicuum habemus duos iſtos ſcriptores inter ſe pugnare non parùm, dum quod vnus vt certum ſtatuit, alter cenſet omnimodis profligendum: cumque inter ſe ij, qui maximè volunt haberi Thomiſtæ, ita diſcordent, non debet ijſdem mirum accidere, ſi ij, quos externos vocant, aliter quàm ipſi rebus in moralibus, & probabiliter quidem, opinentur. Deinde, ex ijs, in quibus probabilium vſus permittitur, ad aliud declinatur extremum, quod neque laxiſſimi ipſi Probabiliſtæ generatim admittunt: ſcilicet in ijs, quæ ſpectent ad humanam Societatem, largiſſimè frui probabilitatibus: ex quo quidem argui ſatis efficaciter poteſt. Nam ea quæ ad humanam Societatem ſpectant, ſeruatis iuſtitiæ terminis debent exerceri: in ijs autem multoties & id quod eſt in conſcientia tutum occurrit, vt in multis contractibus, & id etiam, in quo materialis deeſt ſecuritas, aſſerentibus pluribus Doctoribus ſine graui peccato non poſſe tale aliquid exerceri; quod & paſſim eſt cernere, vnde tot in materia de contractibus, non ſpeculatiuæ ſolùm, ſed maximè practicæ quæſtiones. Si ergo in ijs licet, quod eſt tutum relinquere, nulla eſt ratio cur non & in alijs ſit etiam licitum reputandum. Prætereà licitum aſſeritur eam opinionem amplecti, reſpectu cuius nulla pro partis contrariæ veritate ſuſpicio conſcientiam ſtimulat: Atqui aliqualis ſuſpicio ſeu formido de ratione opinionis eſt, licet non ſit adeò ſenſibilis: Ergo ſicut ſtante illa, quæ neceſſariò admittenda eſt, operari licet, ita & cùm maximè formalis, & vt ita loquar, viuida eſt. Quemadmodùm habens peccandi conſuetudinem aliquando ſine remorſu ſenſibili peccat, quod non obſtat quominùs peccatum ipſi debeat imputari. Item certitudo moralis haberi dicitur, cùm plurium collectio ad eliciendum concurrit aſſenſum: Ergo ſtante opinione, quam multorum firmat auctoritas, moralis erit certitudo de illius licita proſecutione: Atqui talis eſt quæ aſſerit non teneri quempiam ſecuriorem partem ſequi; pro illa enim innumeri certant: ergo erit licitum illam amplecti. Tandem poſſe quemuis probabiliorem ſequi opinionem etiam minùs tutam, vti certum ab Scriptore citato proponitur: ergo poterit illud vt moraliter certum quiuis amplecti talem ſecutus ſententiam: ergo & ſaltim licitum erit probabiliorem ſequi opinionem in concurſu minùs probabilis, etiamſi iſta non omnino tuta & ſecura ab omnibus habeatur.

Ex quibus pro caſu quæſtionis arguitur.

Sicut fides certitudo moralis quia admittitur.

649. Deinde arguo ex ſententia D. Thomæ, quam vt probabilem in praxi eius amplectuntur diſcipuli, & pro earum exemplo adhibere ſolent, quæ vt tales defendi poſſunt, illa ſua aſſertione conſtante de obligatione ſequendi partem tutiorem. Docet enim S. Doctor. 2. 2. *q.*67. *arti.* 2. iudicem teneri ferre ſententiam capitalem contra innocentem ſibi notum, vt talem, ſed ſecundum allegata & probata damnabilem. Quia occiſio innocentis ex ſe mala eſt, & à Deo ſpecialiter prohibita. Exodi 23. v. 7. *Innocentem & iuſtum non occides.* Vnde iudex in eum nimio illo rigore ſeuerus, periculo ſe peccati contra naturæ ius manifeſtum exponit: quod quidem vitare poſſet officium deſerendo, in quo peccatum nullum eſt. Quòd autem in præfato teſtimonio de occiſione innocentis per iudicialem ſententiam agatur, videtur irrefragabile. *Primò* ex contextu, ſic enim præcedentia: *Non ſequéris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio, plurimorum acquieſces ſententiæ, vt à vero deuies. Secundo*, quia ſi de iudiciali non ageretur ſententia, talis modò prohibitio eſſet ſuperflua; iam enim in Decalogi promulgatione præceſſerat illud: *Non occides.* Exodi 20. v. 13. vbi generalis cùm prohibitio ſit, pro innocentis potiùs obligatio eiuſdem perurgebat. Quòd ſi caſus deuoluatur ad terminos, in quibus deſertio officij non ſit iudici poſſibilis; negari tamen nequit poſſe illum quærere modum aliquem, quo ſententiam poſſit ſuſpendere, ſaluis etiam iudicialibus apicibus, vt deterrendo ſecrètò teſtes, & eis falſitatem exprobrando ſibi notam, & compellendo vt dicta reforment: aut appellationi deferendo, quam ipſe ſolicitet ab innocente fieri, vt idem apud appellatum teſtis ſit: quo euentu videtur moraliter impoſſibile teſtes ſuo in periurio perſtituros. Ad omnia autem prædicta, aut alia huiuſmodi teneri iudicem obſeruat Caietanus in illius *Articuli Commentario, in reſponſione ad. Sexti argumenti confirmationem*, dicens in propoſito ſupponi quidem *quòd ex officio iudex non poſsit illum liberare nec ex iuſtitia, nec ex epikeia, nec ex quacumque prudentia*: quod moraliter videtur impoſſibile. Sed ſit ita vt dicitur, & res in eo ſtatu conſtituta, vt iudex inter duas leges dubius hæreat, alteram non condemnandi innocentem, & aliam non procedendi contra allegata & probata in aliquo caſu. Non videtur proculdubio minùs vrgere priorem, cùm ſine horrore audiri non poſſit innocentem, talem cognitum, condemnari, quod naturæ iura vrgentiora condemnant adeo, vt neque propter bonum commune id liceat, *quia vita iuſtorum eſt conſeruatiua & promotiua boni communis, quia ipſi ſunt principalior pars m[illegible]dinis: & ideò nullo modo licet*

Ex ſententia D. Thomæ obligatio iudicem ad condemnationem innocentis, efficax argumentum.

Exod. 23. *v.* 7.

Caietanus.

Exodi 20. *v.* 13.

licet occidere innocentem vt ait S. Thomas 2. 2. *q.* 64. *arti.* 6. *in Cap.* Cùm tamen in caſu alio non ita eueniat, quòd ſcilicet in aliquo peculiari euentu legalis procedendi modus relinquatur, licet peccari in eo poſſit. Tunc ſic. Sicut obligatio eſt ſequendi tutum, in quo ſcilicet peccatum non eſt: ita etiam eſt obligatio, ſi caſus dubius aut perplexus accidat, eligendi id, in quo minùs malitiæ eſt: ſed minùs malitiæ eſt in omiſſione ſententiæ iuxta allegata & probata, quàm in condemnatione innocentis: ergo illa præ iſta eligenda eſt. Ex ſtatu autem dicto colligitur ſententiam aſſerentem, iudicem teneri ad condemnationem in caſu dicto non eſſe iuxta dogma illud de obligatione amplectendi partem ſecuriorem. In ſumma: Iudex tenetur in caſu dicto innocentem condemnare, iuxta ſententiam D. Thomæ; cùm tamen poſſit dimittendo officium, in quo nullum peccatum eſt, non ſe exponere horribilis homicidij periculo. Ergo neque obligatio eſt ſequendi ſemper quod tutum eſt. Sed dimittere illud nequit, quia caſus ad illos reducitur terminos. Nihil obſtat, quia etiamſi dimittere poſſit, dicitur non teneri. Quod licet D. Thomas non aſſerat in diſcurſu Articuli, illud tamen tradit Caietanus in illius Commentario, de miniſtro etiam ſententiæ locutus ſic ad finem: *De miniſtro autem iudicis ſciente ſententiam eſſe iniquam, dicendum eſt, quòd debet tali vti dexteritate, vt teſtimonium ſuum infirmet ſententiam iniquam, & ſi hoc non poteſt, debet petere vt ſubleuetur ab hac executione. Quòd ſi nec hoc poteſt obtinere, ſed oportet ipſum obedire, aut cedere officio, licitè poteſt publica miniſteriali poteſtate vti, à publica ſcientia & poteſtate principali mota, ſicut de iudice dictum eſt; eadem enim eſt ratio.* Sic ille.

D. Thom.

Caietanus.

Plures D. Thomæ ſententiæ, iuxta quas oſtenditur non eſſe obligationem ſequendi partem tutiorem.

Circa iciunium quando teſt, euidens cauſſa excuſationis.

650. VLteriùs arguo ex ſententia eiuſdem S. Doctoris 2. 2. *q.* 147. *arti.* 4. *in Corpore*, vbi de obligatione ieiunij in diebus præcepti ait *quòd ſi cauſſa ſit euidens, per ſe ipſum licité poteſt homo ſtatuti obſeruantiam præterire, præſertim conſuetudine interueniente, vel ſi non poſſet de facili recurſus ad Superiorem haberi.* Vbi ſignificare videtur poſſe eum, qui cauſſam euidentem habet pro excuſatione à ieiunio, non ieiunare: habendum tamen eſſe recurſum ad Superiorem, ſi facilis ſit ille futurus. Atqui in hoc non habetur reſpectus ad id, quod eſt tutius, & ſecurior pars non eligitur; cùm poſſit quis, etiam cum euidenti cauſſa ad excuſationem ieiunare. Quemadmodùm iuxta eumdem S. Doctorem ſimilem cauſſam habent qui nondum tertium ſeptennium expleuerunt, & tamen ſic ait: In reſponſione ad 2. *Conueniens tamen eſt vt etiam in hoc tempore ſe ad ieiunandum exerceant plus vel minùs ſecundum modum ſuæ ætatis.*

Circa idem in peregrinis & operarijs.

Similiter argui poteſt ex eo quod docet in *reſponſione ad Tertium*, vbi de peregrinis & operarijs, dum ait: *videtur tamen in talibus recurrendum eſſe ad ſuperioris diſpenſationem, niſi fortè vbi eſt ita conſuetum; quia ex hoc ipſo quòd Prælati diſſimulant, videntur annuere.* Vbi quidem abſque dubio tutum & omninò ſecurum eſt recurrere ad diſpenſationem, & ſic faciendo nullum eſt peccatum: ergo licet Prælati videantur annuere, non licebit aliter operari: cuius tamen oppoſitum Doctor ſanctus affirmat, & quidem multa Prælati diſſimulant, quæ non approbant, quod Vincentius noſter in laxioribus opinionibus à Sede Apoſtolica toleratis eueniſſe ait, donec earum nimia licentia Decreta prohibentia quodammodò videntur extorſiſſe. *Pag.* 110. & 192.

Circa vſurarum.

651. Poſſumus etiam arguere ex eo quod idem Doctor ſanctus docet. 2. 2. *q.* 78. *arti.* 4. vbi ait ab vſurario licere mutuum ſub vſuris petere & accipere. Quod quidem tantùm probabile eſt; vnde id ſunt qui negent, nec contemnendi ſcriptores, vt videri poteſt apud Dianam. *Parte.* 1. *Tract.* 8. *Reſolut.* 31. Iuxta quam etiam ſententiam reſpondit D. Thomas Lectori Florentino, vt teſtatur Caietanus in Commentario citati Articuli, quamuis illum conetur ad conſonum reſolutioni præfatæ ſenſum aduocare. In prædicta autem opinione manifeſtum eſt tutiorem & ſecuriorem partem, pro qua ſtat lex, non teneri, ſed eam quæ fauet libertati.

Circa eumdem.

In eodem Articulo ad Tertium ſic etiam Doctor ſanctus: *Dicendum quòd ſi quis committeret pecuniam ſuam vſurario non habenti alias vnde vſuras exerceret, vel hac intentione committeret, vt inde copioſiùs per vſuras lucraretur, daret materiam peccandi, vnde & ipſe eſſet particeps culpæ: ſi autem aliquis vſurario alias habenti vnde vſuras exerceat pecuniam ſuam committat, vt tutiùs ſeruetur, non peccat, ſed vtitur homine peccatore ad bonum.* Sic ille. Vbi quod ad vltimum attinet de habente alias pecunias minùs difficultatis continet; reſpectu autem eius, qui nullas alias poſſidet, & manifeſtum eſt ex vſurario commercio viuere, difficile ſanè eſt, quia licet intentio directa deſit, eſt tamen directa cooperatio, ſeu proxima peccato per materiæ exhibitionem: vnde & S. Doctor id negat, tenore verborum attento. Sed verò Cardinalis Caietanus in Commentario ita illum intelligit, vt quòd ad peccatum vſuræ attinet idem ſit de non habente alias pecunias ac de habente, vt ſtet reſolutio tradita de licita petitione, quia vtrobique eadem eſt ratio. Quia verò tradens pecunias non habenti, eum depoſitarium conſtituit contra leges talis officij, peccat dum illi occaſionem diſtrahendi pecunias offert, licet non ſemper tale peccatum ſit mortale. Iuxta hæc ergo ſententia D. Thomæ tantùm eſt probabilis, & ita multò magis neganda ab illis, quos in priori eidem vidimus non conſenſiſſe: & ita de illa potiori iure dicendum non eſſe dogmati illi conformem de parte tutiore & ſecuriore.

Caietanus.

Circa obligationem adhibendi ſtatim remedium peccato mortali.

652. Item S. Doctor in. 4. *dict.* 17. *q.* 3. *arti.* 1. *quæſtiun.* 4. *præſertim in ſolut. ad.* 2. docet non eſſe obligationem recurrendi ad remedium peccati mortalis ſtatim ac opportunitas pro eo occurrit: quam ſententiam communiter amplectuntur Thomiſtæ. Atqui illa probabilis tantùm eſt, & oppoſitum defendunt grauiſſimi ſcriptores tamquàm tutiorem & ſecuriorem, vt videri poteſt apud P. Suarium *Tomo* 4. *in.* 3. *p. Diſputat.* 15. *Sect.* 5. Nec dubitari poteſt talem eſſe, cùm iuxta illam damnationis periculum penitus euitetur, quod non ita accidit, ſi pœnitentia differatur.

Circa circũstantias aggrauantes.

Ibidem etiam *Dist.* 16. *q.* 5. *arti.* 2. *quæstiun.* 5. affirmat non esse obligationem confitendi circumstantias aggrauantes : cùm tamen constet opinionem contrariam valde esse probabilem, & grauissimorum scriptorum patrocinatione suffultam : vt videri potest apud eumdem Eximium Doctorem *Disput.* 22. *Sect.* 3. vbi eam veriorem & magis probandam censet. Esse autem illam tutiorem & securiorem clarius est quàm vt aliqua egeat probatione.

Circa Extremam vnctionem.

Deinde in 4. *dist.* 23. *arti.* 1. *quæst.* 3. *ad.* 1. affirmat Sacramentum extremæ vnctionis non cadere sub præceptum, etiam in extremo vitæ discrimine : quod tamen probabiliter alij minimè admittendum existimant, vt videri potest apud Dianam *Parte* 3. *Tract.* 4. *Resolut.* 170. *&* *Parte* 5. *Tract.* 3. *Resolut.* 97. *&* *Parte* 8. *Tract.* 1. *Resolut.* 58. Et minùs quidem tutum secutus Doctor Angelicus, quia aliquando æterna alicuius salus potest ex Sacramenti huius receptione pendere. Pro quo P. Suarez *citato Tomo Disput.* 44. *Sect.* 1. *n.* 7. Et sic etiam aliæ sunt, quæ adduci possent, Doctoris sancti sententiæ, ex quibus, sicut ex præfatis, non esse obligationem amplectendi partem tutiorem & securiorem, manifestius redderetur.

Immanis infectatio in P. Tamburinum propter scripta ab eo in Decalogum.

653. IMmanis profectò, & adeo immanis vt in nullum profligatæ verecundiæ, & iuratum Ecclesiæ hostem immanior possit cogitari. Incipit illa *Arti.* 2. *Sectionis* 5. in cuius exordio inuectiva prostat in P. Theophilum Raynaudum propter approbatum cum laude Auctoris opus, & §. 1. aliquarum opinionum illius collectionem apponit, & esse ait *initio* §. 2. ex multis ac ferè infinitis paucas. Contra quas Censuras Curatorum Parisiensium inflectit, quos egregiè extollit, Cardinalibus æquans, & Italis Inquisitoribus anteponens, quorum auctoritas à Sede Apostolica obtinuit, vt Apologiam Casuistarum proscriberet, quod expostulant illi, dum pari audacia licet errores ibi contentos evulgare, & mutatis Auctorum nominibus interpolare. Quod quidem in P. Tamburini scriptis in Decalogum videre licet, vbi non solùm errores ijdem, sed atrociores cum propugnatione priorum additi, qui adeò ab omni æquitate, & pietatis sensu abhorrent, vt vnus videatur Scopus huic Auctori constitutus, nempe comprobari in quam cæcitatem deuenire possit mens humana, vbi relicto fidei ac traditionis lumine ac tramite, suis sese permiserit cogitationibus abripi. Conqueruntur non partem religionis eo opere laceſſitam, sed totam funditus euerti, & hominis Christiani, qui sibi, Deôque intus viuit, quæ foris cum hominibus agit, officia charitatis & iustitiæ euigorari & profligari &c. Quarè vt moderatiùs quàm ferat rei atrocitas, loquantur, verissimè pronuntiare ait huiusmodi Ethicen tanto studio per totum orbem sparsam, minimè Christianam esse, quandoquidem hominis Christiani bonam mentem extinguit, nec Hebræam, nec Pharisaicam, cùm procul abijciat, quam Iudæi summè colebant legis litteram, & externi hominis probitatem, quam Pharisæi præferebant : nec debere Philosophicam aut humanam dici, cùm infensa sit æquitati naturali, fidei humanæ, & sensui communi, quibus Philosophia humana vt certis regulis adhæret : nec ciuilem aut politicam esse censendam, cùm Societatis humanæ fundamenta conuellat, & quæ huiusmodi Ethicam admittent regna & imperia, breui depulsa omni lege & fide, mutuis ciuium odijs, fraudibus, & cædibus sint peritura : quare nullum aliud superesse, quo nuncupetur nomen, quàm illud Iacobi. 3. v. 16. *Non est ista scientia desursùm descendens, sed terrena, animalis* (vbi habendæ illis grates, quòd non addiderint id, quod in Apostolo sequitur) & hæc cùm à Vincentio nostro probata fuerint, quandoquidem illos verissimè pronuntiasse dixit, subdit quasi ab alijs dicta fuerint, posse quidem ipsos iuxta P. Tamburini assertam opinionem probabilem constituere, cùm numero sint triginta ; immò & singulos, doctissimos, & ex illis plures Doctores Academiæ Parisiensis : & ita eorum censura circa librum dictum non poterit non probabilis reputari.

Ex Censuris Curatorum Parisiensium arguitur, in quibus iniuriosissima multa.

Iacobi 3. v. 16.

Excessus maledicentia perpensus.

Quis autem si Auctorem non haberet notum, & contra quempiam sic agi aut audiret, aut legeret, nõ meritò suspicari posset nouum aliquem aut veterem ex etherodoxorum patriarchis, ruinam Ecclesiæ minitantem ab inferis reuocatum prodijsse? & tamen Religiosus Pater, Academiæ Messanensis Primarius Professor, & doctorum plausu suis in scriptis exceptus, zelo bono in vtilitatem fidelium elaborans, is est qui sic impetitur, dum non euanidas cogitationes venditat, sed quæ ab alijs dicta, aut ex illorum assertis aliquando deducta, pro cuiusquam rationabili ductu amplectenda proponit. Quis etiam hæc legens aut audiens, Sedis Apostolicæ vigilantiam non desideret, & dormitantiam, vt more D. Hieronymi loquar interpretetur, dum scriptum hoc adeò Ecclesiæ pernicioſum, non remouet, non expungit, non damnat, non perpetuo carceri aut igni committit ? sed nihil tale attentatum post exactissimam discussionem, licet paucæ propositiones expunctæ, quæ apud ipsum, sed non parentem, licet probabilitatis nutritium, inueniuntur. Si ergo placeat cum prefatis ad ferendam probabilem censuram, vt nuper visum, eiusdem Patris, & aliorum, quos secutus ille, sententiam amplecti, erit sanè negare seipsos, quod ad singulos attinet, cùm id stare non posse contendãt. Quoad omnes autem est quod opponamus ineluctabile argumentum, Sorbonicam scilicet facultatem, ex qua plures ex dictis, ab huiusmodi censuris adeò præsumptuosis Pontificia auctoritate repulsam, vt ex Bulla SS. Alexandri VII. sæpiùs adducta constat, & in alijs non benè multoties auditam, vt propositiones nuperæ contra Sedis Apostolicæ auctoritatem prolatæ, possunt luculenter comprobare. Apologiæ autem Casuistarum proscriptio minimè causſam eorum promouet, quia propter quid sit ita circa illam actum ignoramus. Et multoties propter vnam aliquam propositionem solent libri doctissimorum hominum prohiberi, vt nuper in Hispania vidimus, visuri lucem, vbi primùm fuerint expurgati.

In Cardinales iniuria.

655. Circa id autem quod de Eminentissimis Cardinalibus dicitur, ipsi viderint an talis loquendi

Indigna comparatione.

quendi licentia debeat sustineri. Circa Inquisitores autem haberi proculdubiò maior reuerentia debuit, & vt æquandi veniant illis Parisienses Parochi, non tamen ea loquendi atrocitas vsurpanda, quam vidimus, cùm præter dignitatem officij, id in præsenti non paruipendendum occurreret, Reuerendissimum scilicet Magistrum P. Ambrosium Fracassinum Inquisitorem Generalem venetijs post approbationem Inquisitoris Patauini, & aliorum ex ipsius præscripto, nec non grauissimi P. Ægidij à Melo Franciscani Reformati, & Consultoris S. Officij Veneti, imprimendi licentiam tribuisse. In quo quidem non minorem fidei zelum, nec circa morum integritatem, & conscientiæ offendicula remouenda diligentiam, quàm in P. Baron, licet arbitremur. Qui dum suis non parcit, id sanè sic agens præstat, vt mirari iam non debeamus, si ijs, quos adeò alienos reputat, minimè contigerit pepercisse.

Libŭ P. Tamburini approbatio.

P. Comitoli digna, sed aliqua laudatio.

656. Arguit insuper contra illum eo quòd P. Comitoli gradus pro stabilienda probabilitate constitutos audaci & præcipiti calore transilierit, & P. Suarij prudentiam improbarit, quòd non patiatur relinqui opinionem, quæ consulit medijs ad salutem institutis. Nec dubitare ait quin rideat P. Sancium quasi ignavum & meticulosum, quòd morituris imponat onus tutiorem sententiam eligendi, à qua sanos exonerat eo loco, quem priùs citauerat, scilicet *Lib.* 2. *in Decalogum Cap.* 10. Sicut P. Suarium *Tomo* 4. *Disput.* 26. *Sect.* 6. Et hæc quidem cum eximia P. Comitoli laude, quem citat ad *lib.* 1. *q.* 15. Sed per errorem *primus* pro *quinto* positus. Vbi non solum *Quæst.* 15. Sed duabus etiam sequentibus de opinione probabili, solita elegantia & eruditione pertractat, non tamen præfato Auctori suo adhærens suffragio, vt ex ijs, quæ subijciam, erit manifestum. Igitur *Quæst.* 15. *n.* 1. statuit non licere minùs probabilem opinionem sequi probabiliori relicta, pro quo graues aliquot Auctores allegat, citato pro contraria Armilla, cuius assertionem vocat fœdam prolapsionem : in quo erit fortè qui dicat, nec immeritò, ipsum potiùs fœdè in huius censuræ iactatione prolapsum, & hæc quidem pro Auctore illius encomiaste esse possunt, vnde & libenter excipientur ; audiat autem sequentia. §. *Discrimen* hæc verba Ioannis Maioris adducit : *Teneatur pro doctrina, tamquàm esset celte in silice scripta, quòd in via morum modus certior est tenendus.* Et addit statim : *Additque hic non ignobilis Theologus, non etiam tutiorem esse Doctorum sententiam, quorum est tutius dictum, sed quorum certiora sunt argumenta.* Et Maioris sententiæ consentaneam ait esse ratiocinationem, dum ait securitatem facti à securitate opinionis multùm interesse : & cùm quæstio tractatur, An aliquid sit, nec ne crimen, *non tutiorem esse opinionem crimen esse dicentium, nisi vel idonea auctoritate, vel illustri ratione firmetur.* Hæc ille, iuxta quem, & ab eo citatos, illa est tutior opinio in ordine ad securitatem operationis, quæ probabilior : nec ex eò quòd in facto non sit peccatum, debere opinionem dici tutiorem, si aliàs alteram ei contrariam auctoritate & ratione non videatur egregiè superare. Quę quidem contra P. Baron apertè militant, vt ex ipsius assertione iam vidimus.

P. Comitolius pro aduersario non stat, sed contra illum

Ioannes Maior.

657. *Quæst.* 16. inquirit an Sacerdos Confessionem audiens debeat absoluere pœnitentem, qui contrariam opinionem ei, quam Confessarius ipse tenet, constanter amplectitur, & cum multis quos refert, ex antiquioribus, & minùs antiquis, affirmatiuè decernit : pro quo est illius Propositio. 4. in hunc modum : *Sacerdos, qui pœnitentibus in Pœnitentiæ Sacramento ius dicit, duplicem potest animo gerere opinionem, ac duplicem, quæ geminæ respondet opinioni, conscientiam. Prior opinio est de qualitate rei, de qua controuertitur, sit ne vera, an falsa ; iusta, an iniusta. Posterior est de qualitate personæ, sit ne propter suam opinionem digna vel indigna Sacramentalis absolutionis munere. Sacerdos igitur cum pœnitentem absoluit contraria opinantem, vtitur posteriore opinione & conscientia, qua commonefacit Sacerdos pœnitenti opinionem, quam retinet, non esse fraudi, neque ob eam Sacramenti gratia priuandum.* Hæc ille, minimè quidem conformia ijs, quæ Aduersarius contendit, vt videri potest *pag.* 70. *&* 229. vbi de hoc puncto specialiter, & longiori eius discursu, quo conatur ostendere solam maioris probabilitatis conceptionem esse non posse regulam operationis, cum quo assensu nequeat stare alius eidem contrarius, per quem sit regulanda operatio. Tandem *Quæst.* 17. de quodam circa contractum Societatis auenti scire quid ipsi liceret, sic loquitur : *Si paria contrariarum rationum momenta erant, est item in culpa, quia cùm paria inter se pugnantium argumentorum pondera dubitationem nostris animis adferant, eosque fluctuare cogant, nimirùm cùm in dubio morali est animus, ad eam partem, quæ periculi atque peccati est expers, est omninò flectendum : id enim & certæ Ecclesiæ Sanctiones identidem admonent, & Theologiæ Magistri præcipiunt. Quamquàm si alter magister alterum vitæ innocentia, vsu rerum, prudentia, ætate, scientiæ opinione, & doctrinæ gloria superasset, de eius sententia Asteus negotium suum gerere potuisset, nec iniunctæ reprehensionis culpam vllam incurrisset, licet argumentorum pondera ceteroquin æqualia essent.* Sic doctus Pater : & non sic is, qui eum pro sua opinandi ratione laudauit, fassurus profectò virum tantum veresimiliter in omnibus pronuntiasse, & in eo etiam, quòd vnum Doctorem ad fundandam probabilitatem sufficere adstruat, & ita non esse contra omnia præfata, veluti contra erronea dogmata depugnandum.

P. Comitolius. *Idem.*

Argumento fit satis, quod nimium quantùm vrgetur pro obligatione sequendi partem tutiorem.

658. AGrauissimo illud inconuenienti deducitur, quia si probabilitas, etiam tenuissima, qualem ait sufficere P. Tamburinus, dum veritas non affulget, licita sit, humanarum actionum regula : Ergo liberum erit cuique opinari vt libuerit de immortalitate animæ, de æterna felicitate & pœna, & subinde de virtutibus ac vitijs, quibus obtinenda illa, & ista subeunda. Item de mundi origine æterna aut temporaria, auctore eiusdem, ac sic de alijs Religionis nostræ fundamentis. Nam in ijs omnibus graues, & quæ vix solui possunt, difficultates occurrunt, nihilque euincens aut conuincens in alterutram partem. Ex quo sequitur omnes Atheos & impios apud

Arguit ex inconuenienti, quia contra omnes Catholicas veritates esse opiniones probabiles possunt.

Deum excusari. Vbi enim soluta à corpore anima ante diuinum tribunal stabit, contestari poterit se nihil egisse, nihil opinatam fuisse, quod à probabilitatis regula recederet, nihilque audijsse aut legisse, quo conuinceretur se post mortem superstitem fore, & sibi de ante acta vita rationem esse reddendam. Additur ipsosmet Atheos & impios multò seueriorem disciplinam à se exigere, quàm exigat prædicta regula probabilitatis, vt ex nonnullis hæreticorum & Gentilium statutis constat, quibus certum aliquid statuitur in ordine ad implenda ea, quæ ad vitæ humanæ officia pertinent. His autem omnibus occurritur hoc vno principio, in dubijs & controuersis tutiorem partem esse eligendam, quo possunt ad bonam mentem reuocari ipsi Athei, qui de rebus omnibus dubitant: vnde certissimum iudicat magis pronum fore Atheo mysteria fidei negare, & Decalogum omnino tollere, quam P. Tamburino asserere ea, quæ circa præcepta amoris Dei, fidei, & spei tradit, dum ea non obligare per totius vitæ decursum, etiam in articulo mortis affirmat. Ad probabilitatem autem fundandam satis talibus esse poterit mutorum Philosophorum auctoritas, & aliorum, qui simile vitæ secuti sunt institutum. Sed non hæc vrgere ex dictis in superioribus constare potest, quatenus ex ijs non euincitur, stante vera probabilitate, iuxta quam prudenter quis operari valeat, non esse necessarium partem amplecti tutiorem; neque consequenter dicendum leuissimam sufficere, quæ pro minima reputari potest. Quemadmodum iuxta citatum auctorem restat obligatio respectu tutioris, quando probabilitas oppositæ adeò est exigua, vt conscientiam non pulset, quia formido ad opinionem necessaria quadantenus absorbetur. Quatenus verò argumentum contra veram probabilitatem militat, respondeo iuxta dicta obligationem esse in ijs, quæ ad fundamenta saluationis spectant, id quod est tutius, amplectendi. Quòd si obijciatur eos, qui Atheorum ritu viuere volunt, posse notitiam eius doctrinæ, quę apud citatos Scriptores occurrit, habere, & ea velle vti ad persistendum in errorum suorum salebra, quandoquidem vt probabilis venditatur. Ad hoc occurrendum facilè ex eo quòd ij ipsi auctores qui de probabilitate agunt, si in eo quod asserunt digni fide sunt, multò maiorem merentur fidem, in ijs, quæ ad æternam salutem necessaria esse dicunt: est autem necessarium iuxta ipsos fidem, spem, & charitatem habere, saltim prout hæc obseruantiam mandatorum importat, in quo includuntur præcepta Baptismi, & alia: si ergo circa hæc eos sequi detrectant, in eo quod sibi fauere contendunt, neutiquam audiendi.

Sed non vrgere monstratur.

Qui modus in fide proponenda tenendus.

659. Deinde, modus efficax agendi contra prædictos in proponenda eisdem exacta fidei Christianæ doctrina consistit, quia sola est quæ possit fluctuantes animos inter sectarum incerta firmare. Nam reuera neque ex principio illo, de obligatione amplectendi quod tutius est, in negotio æternæ salutis, tranquillari poterit, qui doctrinam de probabilitate imbiberit, & perspectum se habere dixerit quod in diuersis Scriptorum scriptis continetur. Sciet enim principium illud negari à multis etiam in mortis articulo. Quid ergo ad hæc P. Baron. si infidelem velit eo argumento conuincere? Dicetne falli eos, qui sic opinantur? Sed ridebit ille, qui dicere poterit eos esse viros doctissimos, & vt doctiores illo non sint, nihil tamen ipsi ea in parte debere. Quomodò ergo stat illud hoc vno principio cohiberi posse opinionem, & morum licentiam? Erit quidem valde conueniens eo vti, quia iuxta verissimas prudentiæ regulas formatum illud, & valde opportunum ad animos non desperatè affectos vtiliter permouendos. Sed si agatur ea subtilitate, quam diximus, ad alia est arma *potentia Deo*, vt Apostolus loquitur, *ad destructionem munitionum*, quas diabolus suggerit, & ingerit, recurrendum. *7. Cor. 10. v. 4.*

660. Qui ergo ante Dei tribunal iudicandus stabit, si ei fides Christiana non fuit sufficienter proposita, ea de causa non accipiet sententiam; damnabitur autem propter peccata alia, quibus obicem posuit diuinæ illustrationi, cùm habeamus Christum esse lucem mundi, *& illuminare omnem hominem venientem in hunc mundum* quantùm ex se est: immò & per effectum peculiaris illustrationis, vt docent multi iuxta doctrinam Patrum, de quo & nos alibi. Quòd si lux illa peccatorum turbinibus extinguatur, & ideò vlteriùs beneficia gratiæ non procedant, perditio eorum ex se, iuxta Prophetam: vbi forsan erit qui dicat in Atheis Deum negantibus videri peccata non esse mortalia, cùm sint qui dicant peccata cum ignorantia Dei mortalia non esse, quia non habent rationem diuinæ offensæ: videri autem idem dicendum de ea ignorantia, quæ probabilis est, si quis vt Deum esse neget, & auctoritate aliorum, quos sapientes iudicat, & rationibus, quæ non sibi videntur leues, moueatur: sed doctrina dicta minimè est casui præsenti applicanda, quæ tantùm procedit vel in casu conditionali, impossibili tamen, si non esset Deus: vel de ignorantia puræ negationis, & non prauæ dispositionis, qua stante moraliter est impossibile vt non innumera peccata sequantur iuxta illud *Psal. 13. Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt &c.* De quo *& Psal. & Rom. 3.* Ad hoc enim videtur negari Deus, vt peccandi licentia à negantibus vsurpetur: quam quidem sub illo probabilitatis prætextu est qui concedat nullus, quam & commentitiam & rediculam est cur potiùs reputemus.

Quid de infideli in Dei tribunali.

Isaiæ 1. v. 9.

Oseæ 13. v. 8.

Psal. 13. vers. & seqq.

De æquiuocationum ac mentalium restrictionum vsu.

661. AGit de illo *Arti.* 3. & non posse absolutè negari fatetur, quando semotæ à circumstantijs, pro quo exemplum adhibet in eo, qui iuridicè non interrogatur à iudice, scilicet de crimine occulto, cuius nec semiplenam, nec vllam habet aliàs probationem. Sic initio, vbi & Caramuelem inducit mentalibus restrictionibus infensissimum, quas & ipso prout à Recentioribus traduntur, cum Sinnichio infectatur, ex quo summariam probationem vsurpat. §. 1. vbi arguit ex eò quòd Plato, Origines, & aliquot Patres mendacium esse aliquando licitum propugnarunt: quod tamen aut ipsi ijdem, vel alij vti falsum reiecerunt; Atqui mendacium huiusmodi non

Licitum non esse contendit auctor.

D. Auguſt. mendosè adductus.

non erat aliud quàm restrictiones mentales: ergo pro mendacio habendæ illæ, & ita vt licitæ neutiquàm admittendæ. Quod præsertim in casu, de quo Diui Hieronymus & Augustinus acrem habuere controuersiam, præcipuè videre licet, occasione inquam simulationis D. Petri, de qua D. Paulus ad Galatas 2. v. 13. *Simulationi eius consenserunt ceteri Iudæi, ita vt & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem.* Quam quidem ibidem se reprehendisse Apostolus attestatur: cùm tamen minimè credibile sit D. Petrum aperte voluisse mentiri, sed factum illud restrictionibus honestare: iuxta quem sensum à D. Hieronymo defensus: qui tamen *Epist.* 89. iuxta Græcos quosdam Scriptores locutum se ait, dum & non peccasse D. Petrum affirmat, licet reprehensus sit à D. Paulo, qui & ipse facti illius consors, quasi ex composito assumpti. Vnde & eam vocauerat piam simulationem, salutarem & honestam dispensationem, religiosam circumuentionem & œconomiam.

Ex controuersia inter DD. Petrū & Paulum arguitur. Gal 2. v. 13.

Nullius momenti ostenditur. D. Hieron.

Sed hæc nullius momenti sunt, & D. Hieronymus citata Epistola, suæ de simulatione sententiæ insistens, eam à mendacio alienam his verbis affirmat: *Ego immò alij ante me, exposuerunt causam, quam putauerant, non officiosum mendacium defendentes, sicut tu* (Augustine) *scribis: sed ostendentes honestam disputationem, vt Apostolorum prudentiam demonstrarent, & blasphemantis Porphyrij impudentiam coercerent, qui Paulum & Petrum puerili dixit inter se pugnasse certamine.* Sic ille *Cap. 3.* Ex quo apparet iuxta Doctorem Maximum simulationem sine mendacio esse posse, cùm causa subest, esseque illam tunc & honestam & laudabilem, nec indignam Apostolica maiestate: & ita etiam restrictiones mentales, quandoquidem ex hoc loco arguentes vt illas impugnent, eas ibidem cognoscunt. Sed ait D. Augustini argumentis conuictum D. Hieronymum, in illius sententiam, quæ & D. Cypriani etiam est, concessisse Libro contra Pelagianos sub nomine Critobuli edito, vt ipsemet D. Augustinus adnotauit *Epist.* 260. Sed D. Hieronymus non vnum, sed duos contra Pelagium & Pelagianos scripsit libros per modum dialogi inter Atticum & Critobulum, & librum ac Caput, vbi id, quod asseritur, extaret, oportuisset indicari. Sed habetur illud *Lib. 1. Cap. 8.* vbi ita scribit: *Si enim ipse Apostolus dicit de Petro quòd non recto pede incesserit in Euangelij veritate: & in tantùm reprehensibilis fuerit, vt & Barnabas adductus sit in eamdem simulationem: quis indignabitur id sibi denegari, quod Princeps Apostolorum non habuit?* Sic ille. Quod tamen licet speciem retractationis videatur habere, & D. Augustino sic assertum tribuitur in *Epist.* 226. apud ipsum tamen non extat, cùm omnes quæ illius sunt, ad eum numerum non perueniant. Nec vllo modo apparet verosimile S. Doctorem tale aliquid dicturum. Deinde, sine fundamento dicitur opus dictum fuisse posterius: vnde enim id haberi potest? Si autem posterius non fuit, contrarium potiùs asserendum, scilicet in Epistola, vbi ex professo rem discussit, sententiam mutasse, cùm in libro citato leuiter tantùm eā tetigisse manifestum habeatur. Quamquàm & dici etiam possit posterius quidem fuisse, & sine vlla contradictione locutum, quia ad assedendum reprehensibilem fuisse D. Petrum sufficit planus litteræ ipsius ita continentis tenor: eratque id ad intentum ipsius satis, vbi ostendere volebat neminem ita perfectum, vt aliquo non careat, cuius defectus notari in eo queat, quod varijs illustrat exemplis. Cùm ergo in prædicto Apostoli loco ita extet, & profundior ille sensus alibi datus & probatus, non ita obuius sit, neque ad omnium captum accommodatus, rectè potuit verba vt extant vsurpare.

Idem.

663. Dici potest ex præfata controuersia saltim haberi D. Augustinum mentales restrictiones vti damnabiles reprobasse, vtpotè quæ reuera mendacij turpitudinem continerent: sic enim scribit Epist. 19. *Hoc autem quod dicis, Non dispensatiuè, vt nostri voluere Maiores, quid sibi vult? Oro te. Aut enim hoc est, quod ego appello officiosum mendacium, vt hæc dispensatio sit officium velut honestè mentiendi, aut quid aliud sit omnino non video; nisi fortè addito nomine dispensationis fiat vt mendacium non fit mendacium.* Sic ille. Ad quod quidem dici potest *Primò* id ita esse; & ex eo tantùm haberi quæstionem hanc ex ijs esse, quæ apud Patres diuersitate opinionum, sicut multæ aliæ, ventilantur. Vnde & apud Theologos idem præstari potest, D. Hieronymi sententiam quibusdam amplexatis. *Secundò* D. Augustinum rectè existimasse, suppositio eo sensu, iuxta quem est D. Hieronymi sententiam interpretatus: quod scilicet credens firmiter Iudaicam legem abrogatam, oppositum facto ipso testaretur. Id enim neutiquàm licet simulatione addita, cùm de professione fidei agitur, nullus enim fidelis simulare se potest Iudæum, aut Mahometanum. Sed D. Hieronymi sensum non satis introspexit, vt cum alijs obseruat P. Cornelius in eum locum: ille enim de exhibendo se foris alium, quàm intus erat, minimè satagebat, sed humaniter condescendebat Iudæis ne eos exasperaret, mortuis cæremonijs vtens vti non perniciosis tunc, quod & D. Paulus non semel alibi fecit (vt in citata *Epist.* 89. demonstrat) sic præbens occasionem D. Paulo vt ipsum reprehenderet, eôque modo Iudæi ad reijciendam penitus veterem legem meliùs traherentur.

D. Auguſt. *minimè aduersatur.*

664. Præterea arguit ex D. Prospero contra Collatorem *Cap. 20.* ideſt, contra Cassianum, qui ex doctrina Abbatis Iosephi Collatione. 17. Cap. 7. & 20. mendacium vt vtile aliquando commendat. Sicut & *Lib. 5. de* institutis renunt. Cap. 37. ex Abbate Archebio: quod quidem D. Prosper eleganti argumentatione conuellit. Sed certè mendacij nomine Cassianum mentales restrictiones commendasse, vtpotè quæ mendacia mera essent, qui ita arguunt probare debuissent, & illi quidem sicut Origeni, Clementi Alexandrino, & D. Ioanni Chrysostomo sunt qui sententiam de licito in necessitate mendacio tribuant, & postremo varijs in locis, scilicet *homilia. 32. & 52. in Genesim. hom. 5. de Pœnitentia, & lib. 1. de Sacerdotio circà initium.* Sed sunt qui eumdem, sicut & alios ad sensum commodiorem aduocandos velint, pro quo eruditam adhibuit operam P. Theophilus Raynaudus *Opusculo 3. Cap. 12. in Tomo 14.* quòd scilicet de mentalibus restrictionibus debeant intelligi, mendacij nomine non in acceptione damnabili vsurpantes, sed eo vsi, quia commodius

Ex D. Prospero contra Caietanum obiectio euertuntur.

modius aliud non suppetebat, & propter vicinitatem sic vocari poterat quia reuera id, quod dicitur, secundùm receptam verborum significantiam non ita est vt profertur, & ita dici potest mendacium materiale, non formale: quemadmodùm accidit quando quis affirmat aut negat id, quod ita esse credit, cùm tamen ita non sit. Contra quem explicandi modum D. Prosperi vrgere videtur auctoritas contra Cassianum scribentis, vti mendacij in sensu minimè admittendo defensorem. Sed certè sicut D. Augustinum ex non satis perspecto verborum sensu D. Hieronymi eum diximus coarguisse, ita & de D. Prospero dici non incommodè potest, quia non semper occurrit SS. Doctoribus sensus, iuxta quem aliqua defendi in Auctoribus possunt, quos impugnare iuvat, quia eorum verba id præseferunt, quod neutiquàm censent admittendum. Carpit cum Sinnichio suo Auctor, quocum agimus, P. Raynaudum quòd dixerit Cassianum à nullo fuisse super hac re reprehensum ante Dionysium Carthusianum, qui plus mille annis Prospero fuit recentior. Cùm tamen P. Raynaudus solùm asseruerit se non meminisse aliquem legere ante præfatum Dionysium. Potuit ergo non legisse (quamvis hoc sit creditu difficile in viro adeò erudito) & etiamsi legisset, non tamen meminisse, vt passim accidit, in quo (vt cum Poëta loquar) *Scimus, & hanc veniam petimusque damusque vicissim.* Non debuit ergo vti de præcipiti assertione culpari.

P. Raynaudus *immeritò jugillatus.*

Sed grauius alij grauissimi Scriptores.

665. Fit transitus ad §. 2. vbi honorificum illud exordium: Non existimo Cassianum & Origenem in honestando mendacio eò progressos, quò Sanchez, Raynaudus, & Tamburinus æquivocationes promouerunt; nec quò etiam ipse Suarez recentiorum prudentissimus deduxit.

P. Sancius. Quod pergit ostendere, quia P. Sancius *Lib.* 3. in *Decalogum Cap.* 6. affirmat posse absque mendacio verba vsurpari, etiamsi ex sua significatione non sint ambigua, nec eum sensum verum admittant ex se, nec ex circumstantijs occurrentibus: sed tantùm verum sensum reddant ex aliquo addito mente proferentis retento quodcumque illud sit: vt si quis interrogatus, seu sponte, seu caussa recreationis, iuret se non fecisse, quod reuera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod vel non fecit, vel aliam diem, vel quiduis aliud additum: non mentitur, nec deierat; sed tantùm non dicit veritatem determinatam, quam audientes concipiunt, & verba in se significant; sed aliam veritatem disparatam. Et hanc, quam vocat Sancij laxitatem, confirmare asserit P. Raynaudum, neque

P. Suarius. omnino abnuere P. Suarium *Lib.* 3. *de Iuramento. Cap.* 10. quatenus ex graui caussa id licere sine periurio ait, esseque id in praxi tutissimum: quod tanto viro indignum affirmat Sinnichius, docente etiam viros rudes eo vti posse, si intendant affirmare vel negare eo modo, quo eorum dicta possint cum veritate constare. Post hæc ita concludit: *sed quasi viro grauissimo religioni esset (vt reuera debuit) ista docuisse, addit velut retractationis loco Cap. Sequentis: Quando solùm suppletur sensus per internam additionem meræ voluntariam, probabile est non excusari proprium mendacium & periurium: licet sit, inquit dubia: & quamuis à periurio eximat, non audet tamen à graui peccato absoluere.* Hæc ille. §. illo. 2.

Ex P. Sanc. quem laudat, vrget.

666. Et quidem cum adeò improbanda illa existimet, nihil tamen pro ipsorum infirmatione producit, simplici eorumdem propositione contentus. Sed certè cùm P. Suarium recentiorum prudentissimum agnoscat & prædicat: virum tantum, & grauissimum pariter fateatur, non potest quod in re adeò graui, & religionem concernente protulit, non eo dignissimum reputari. Neque erit credo æquus æstimator vllus, qui ad præfata non excandescat, Virum tantum non ea verborū reuerentia & moderatione tractare, qua ipse infimæ etiam sortis scriptores est semper prosecutus. Quod autem ex eo, quasi retractationis loco inducitur, nihil certè minùs habet, quàm quod asseritur: quandoquidem id quod priùs dixerat, non vt certum, sed vt probabile proposuerat: quod si posteà vt probabile proponit oppositum, quid in eo prædictis aduersum, & quod palinodiam sapiat, aut quod retractationem præseferat, deprehensum?

Tria paradoxa P. Tamburini *proponit, grauiter in eorum vnum illum.*

667. In §. 3. tria, quæ dicuntur paradoxa, ex P. Tamburino proponuntur, & excutiuntur, ex mentalibus restrictionibus, qui eo fine videtur scripsisse, vt inquit Auctor, vt omnium, qui se præcesserunt, laxitates superaret, & in laxandis conscientijs gloriam & singularitatem affectasse, multis paradoxis à se primùm inuentis, quorum *Primum est Lib.* 3. *Cap.* 3. vbi asserit, certum esse *iurare verbis æquiuocis cum caussa, perinde licitum, ac sine caussa illicitum est*: quasi paris veritatis, & æquè receptum sit apud omnes, honestari posse quacumque caussa iuramentum æquiuocum, ac sine caussa damnatur: cùm hoc vltimum omnes vno ore asserant, & res sit aperta, quandoquidem omne verbum otiosum, seu sine caussa, & sine honesto prolatum, obnoxium sit culpæ, & iudicio diuino: quantò magis iuramentum? Altera verò pars sit contra consensum omnium Theologorum, iuxta Sotum *lib.* 8. *de Iust. q.* 1. *arti.* 7. vbi ita

1. *Licitum & culpam esse, iurare æquiuocè cum alicui caussa. Contra quos arguit,*

Dominicus Sotus. scribit: *Emergit dubium, vtrum iurare exteriùs ficte sit peccatum mortale, quoniam de veniali non est dubium, quandoquidem qui dicit se iurare, & non iurat, mentitur.* Ergo res est extra controuersiam posita inter vetustiores Theologos iuramenta sine iurandi animo, etiam ex caussa, illicitè proferri. Accedit P. Suarij auctoritas, qui huiusmodi iuramenta accusat vt mortalia ex genere suo. Arguit

P. Suarius. deinde, ex iniuria, quæ Dei nomini irrogatur, dum fictè & dolosè in testimonium adducitur: & quia si fictio erga iuramentum licet, etiam blasphemia, & idololatria ex caussa licebit. Item, quia genus doli est modo prædicto iurare, quod iuxta scripturam à vita excludit æterna. *Psal.* 33. *Quis est homo qui vult vitam &c. Et labia tua ne loquantur dolum*, & quidem grauius. quando dolosæ loquelæ iuramentum accedit. Nec dici potest non esse verum iuramentum; sed fictum, quia hoc ipsum malitiæ additamentum est. quia ex D. Thoma 22. *q.* 8. *arti.* 5. *ad.* 3. iuramentum simile est remedio, quod quantò efficacius tantò nocentius, nisi opportunè adhibeatur. Vnde Eccli. 23. v. 12. 13. & 14. *Vir multùm iurans &c. Et si fruſtrauerit* (id est deceperit fratrem) *delictum illius super ipsum erit & si dissimulauerit* (id est fictum verbum aut mendacium induxerit) *delinquet dupliciter: & si in vacuum iurauerit* (ideſt,

Psal. 33.

(ideſt, sine iusta & necessaria caussa) *non iustificabitur.* Sic circa primum paradoxum.

Fit obiectis facta, & plus quàm iusta.

668. Vbi quidem mirari iuvat stylii cruentam, vt ita loquar, acerbitatem in eum virum, qui nec loro ipsum, aut eius est Ordinem aliqualiter infectatus. Tantæne animis obseruantiæ strictioris iræ? Quidquid de asserta certitudine à prædicto Patre sit, de quo dictum. *n.* 586. illius assertio paradoxum non est ab ipso inuentum, vt euidenter ostendimus. *§. præcedenti, circa Propositionem.* 12. Neque contra ibi dicta momenti noui sunt, quæ dudum obiecta. Dolus ibi malus, quem scriptura condemnat, prorsus abest, cùm ex caussa honesto artificio æquiuocationis, restrictionis mentalis, aut sine iurandi intentione iuratur, & vt dolus etiam in eo admittatur, sed honestus, facit Iuristarum communis doctrina, qui iuxta Iuris loquendi modum, & dolum bonum, & dolum malum agnoscunt. *l.* 1. §. *Non facit autem.* ff. de dolo. Cardinalis Turchus *Tomo* 2. *Concluſ.* 570. Commentarius loci ex Ecclesiastico adducti voluntarius est. *Et fruſtrauerit.* idem quod, *Si non impleuerit. Et si dissimulauerit*, iuxta Græca, *si contempserit*, ad expiationem pertinet, quæ pro periurio habetur statuta *Leuit.* 5. *v.* 4. Sicut in lege Gratiæ Confessio. Pro quo docti ex Nostris Cornelius, & Oliuerius consulendi. Potest ergo voluntariæ illius expositionis Auctori verius opponi. *Novum eius inuentum.*

Dolì diuersitas in iure.

1. Paradoxum pro caussa iuramenti dicti vnam sufficere libertatem.

669. Secundum paradoxum grauius vocat: & atrocius. Nam si quæras quæ caussa possit honestare verba aut iuramenta æquiuoca, Suarez, Raynaudus, & ceteri ferè omnes grauissimam requirunt: at Tamburinus *Lib.* 1. *Cap.* 3. sufficientissimam statuit vnam libertatem vtendi æquiuocationibus, quæ vix vlli deesse poterit, si illam Tamburini principijs metiaris, id est, tenuissima probabilitate: quare proposita illa quæstione, an reus interrogatus à iudice, non tamen omninò certus legitimus sit, debeat ad eius mentem respondere, asserit nulla ratione teneri, etiam si iu-

P. Tamburinus. dex instat censuris, *quia*, (inquit) *reus & testis ius obtinent vtendi æquiuocationibus ex caussa, à quo iure non possunt deturbari propter dubium legitimæ interrogationis.* Permittit ergo reo & testi deludere iudicem perpetuo artificio æquiuocationum sensibilium aut mentalium: nec illi placet quorumdam exceptio, qui id ius concedunt reo & testi, impendenti graui malo, non modico, quale est mulcta modicæ pecuniæ: *Sed hos* (inquit ille) *sequi non possum, quia ius æquiuocandi prævalet, siue graue, siue leue malum timeatur.* De interrogato autem iuridicè *Lib.* 3. *Cap.* 4. §. 3. post relatam antiquorum sententiam ait Recentioribus post accuratam discussionem, *visum onus esse supra naturæ vires, reum obligare ad ferendum testimonium capitale contra seipsum*: ac proinde probabile ac tutum esse reum ad id non obligari. Nec placet illi quorumdam exceptio, si aliqua spes affulgeat euadendi mortem, neque aliorum, qui solùm in casu mortis id admittunt: nam etiam in exilij, triremium, ac infamiæ caussa idem licere arbitratur.

Vnde & leue malum imminens.

Et de malo leui dubitatione subiuncta, respondet *à mortali fortè excusandum: quia de iure naturæ videtur esse, vt ne leue quidem vulnus mihi ipsi infligam.* In quo sibi ipsi contrarius, nec solum à communi Theologorum sententia, recedens conuincitur; cùm aliàs asserat ad tormenta, aliaque damna grauia vitanda posse quemlibet sibi graue crimen imponere, etiam si mors sit inde secutura. Cùm multo magis sit lethale sibi, quàm graue vulnus infligere.

Discussa doctrina, temperamentum ex impugnato auctore adiectum, & eius roborata sententia ratione & auctoritate.

670. Circa hoc dictum satis. *n.* 572. & 573. & hoc loco id videtur præsertim vrgeri quod ad leuem caussam attinet, & damnum item leue. Annuit ergo P. Tamburinus *Cap.* 3. *sit. R.* §. *Reus & Testis.* vbi. *n.* 1. id quod est dictum de dubitante circa legitimam interrogationem: ad quod quidem caussam requirit, sed sufficientem esse ait velle homines, suum custodire ius, quo possunt non aperire veritatem ei, cui ex certa & manifesta obligatione non debeant. Id quod firmari potest ex communi sententia, quam & Auctor noster amplectitur, negante obligationem aperiendi veritatem in eo, qui à iudice non iuridicè interrogatur, cuius ea est ratio, habere scilicet ius adnegandum, dum iuridicè contra ipsum non agitur: Atqui dubitans in suæ est libertatis & iuris possessione, quia in dubio melior est conditio possidentis: ergo non tenetur ad aperiendam veritatem. Quæ consequentia saltim est probabilis, pro qua ibi P. Tamburinus graues auctores adducit. Quando autem legitimè interrogatur, & damnum est exiguum, quod est ex eòdem positum affirmat. *n.* 2. illa addita de vulnere ratione, pro quo nullum auctorem allegat; sed allegare poterat Sylvestrum, Angelum, Armillam, & Panormitanum, sicut eos allegat P. Gaspar Hurtadus *Tractatu de iudicio forensi Disput.* 4. *Difficult.* 3. vbi ait alios etiam Recentiores ita sentire, eam reddentes rationem, quia durum est obligare vt quis se ipsum condamnet ad pœnam temporalem, (quidquid de spirituali sit, quæ potiùs est medicina) quæcumque illa sit, & contra se ipsum arma ministret. Neque in eo P. Tamburinus sibi contrarius reputandus, quia dum asserit ad euitanda tormenta posse quempiam graue sibi crimen imponere id non est durum respectu eius, cui maius malum tormentorum perpessio, quàm ipsa mors, & ita humanè secum agit, sicut qui secandum membrum offert ad tuendam vitam, in cuius amissione maius sibi agnoscit damnum imminere, & robustiori est spiritu quàm ille alius tormentis terrefactus.

3. Paradoxum de inductione testis ad iurandum falsum, quod tamen ipse verum arbitratur.

671. Sequitur tertium paradoxum de licita inductione testis ad iurādum falsum, quod tamen ipse verum arbitratur, de quo dictum. *n.* 571 quod quidem non esse probabile multis exemplis contenditur. & ex lege charitatis ad correctionis beneficium obligantis, & eleemosynæ genere iuvandum proximum, quo eget, dum ignorantia laborat: quæ cùm accidit in ijs, quæ ad diuinas aut humanas leges pertinent, inter humanas est miserias computanda, & ita spiritualis eleemosynæ largitione depellenda. Quæ quidem admitti meritò possunt: licet circa illa non vno modo Theologos sit certum opinari, & præsertim quando ex ignorantia nullum sequitur inconueniens, & ignorans posset ex ignorantia sua commodum aliquod reportare: adhibita circa hoc differentia inter eum, qui superior est respectu ignorantis, & curam eius gerere debet, & alium, qui specialis curæ est penitus expers, solo relicto titulo charitatis ad correctionem inclinantis, quæ iuxta te-

norem

norem verborum Christi, tunc tantùm vrget, cum aut peccatum commissum est, aut imminet verosimili suspicione: quod tamen in casu præsenti non accidit. Vbi & supponitur nullum tertio nocumentum obuenturum. Admitti inquam illa possint, vt assertioni communi novum, si tamen novum, firmamentum tribuant, quam & nos, sicut & D. Tamburinus, libenter amplectimur: vt verò aliqua probabilitas contrariæ neganda penitus sit, non videntur prævalere.

Circa Louanienses, & Curatos Parisienses, nihil dictare.

672. Sed progreditur, & §. 4. Vniuersitatis Louanien sis, circa cuius excurrit laudes, auctoritatem opponit, iuramenta æquiuoca, & cum mentalibus restrictionibus, eleganter, sed acerbè nimis profligantis. Cui cùm labes Ianseniana opponi queat ad auctoritatem prædictam infirmandam; occurrit culpam illam fuisse priuatorum. Quo admisso dicam & ego censuram illam priuatorum etiam fuisse. Neque circa hoc plura adiecisse nunc iuvat: neque responsionem circa idem, sicut & circa Curatos Parisienses promouere, de qua arguens *Disput. 2. Arti. 1. §. 1. pag.* 118. Sed vnum illud, quod in fine obijcitur tantummodò diluendum: scilicet stante æquiuocationum & restrictionum mentalium vsu licito, neminem posse scire Deum, & Christum, dum arcana diuinitatis reuelarunt, & fidem nostram sibi adstrinxerunt, ea non vsos fuisse licentia, quam indulgent hominibus. Apostolus non certam censet spem & fidem nostram, nisi per duas res, aut duobus argumentis, à veracitate Dei, & iuramento verbis addito, *quibus impossibile est mentiri Deum.* Si ergo in his admisceri prædicta possunt, omnia Religionis Christianæ fundamenta nutabunt. Sicut nutarent, si vera esset Nominalium sententia asserentium posse Deum de absoluta potentia mentiri. Sed hoc est leue, quia in materia fidei, nullus est qui concedat licitum esse illum loquendi modum, cùm debeat illa sincerè & doceri & profiteri vt ex eo nequit ad Deum argumentum transferri, vt sit ei licitum nos pertalem loquendi modum in errorem deducere aut dubios circa reuelata constituere. Præterquàm quòd ad vsum talem in hominibus aliqua caussa necessaria est, vt vidimus; ne scilicet incommodum aliquod ex simplici loquendi & iurandi modo subire teneantur. Hoc autem respectu Dei minimè affirmari potest, vt constat. Cùm autem sic arguens cum communi sententia affirmet eum qui iuridicè non interrogatur, non teneri ad mentem interrogantis respondere, & sic aliàs accidere posse; ab eisdem sanè est præfata obiectio diluenda, si alicuius est momenti. Deus certè non solùm fidei mysteria reuelat, sed ea vti certiora iuxta modum reuelationis vult haberi, vnde & hæreticus est, qui censeat circa illa posse dubitari: quod minimè exigere posset, si in eius dictis ea esset dubitandi ratio, quæ apud homines esse potest, ob vsitatam ipsis per ambages locutionem. Addo Christum Dominum aliquando sic locutum, vt cùm negauit se scire iudicij diem: dicens etiam: *Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt, domus Israel. Ego non ascendo ad diem festum istum,* ad quem tamen ascendisse constat. *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio. Nemo bonus, nisi solus Deus.* Et sic aliàs. Ita tamen eius verba ab ipso prodierunt, vt quod absolutè videbatur negare, aliunde posset in quo dictum fuisset sensu constare, vt ita sinceriſſimus per omnia veritatis Magister comprobetur.

Obiectio ex eo quòd fides potuit natare, si dicatur Deus æquiuocè locutus: qua discussa cum notanda doctrina.

Matth. 15. v. 24. Ioan. 7. v. 8. & 5 v. 22. Luc. 18. v. 19.

Verum fundamentum securitatis conscientiæ in opinionis probabilis amplexu stabilitur, exacta declaratione & obiectorum quorumdam Auctoris eiusdem dilutione.

973. POst adducta ex ipso, de quibus *Disput. 1.* ad institutum præcipuum Disputatione sequenti progreditur contra Dom. Caramuelis Apologema decertans, in cuius certaminis discursu non est nobis per otium discurrendum, certis non defuturos, qui in ijs, quæ iustam merentur defensionem, operam eruditam adhibeant, non enim admodùm desiderandam, si viuit adhuc doctus & ingeniosus Antistes, responsurus non ægrè Religioso ex strictiori observantia alumno, qui contra sibi obiecta & exprobrata ab Illustrissimis, & doctissimis in Ecclesia Principibus luculenta volumina concinnauit. Inter argumenta ergo, quæ non solùm contra illum, sed contra confertissimum Theologorum agmen Auctor noster intorquet, illud est præcipuum, quod ex certitudine morali necessaria ad honestatem operationis in ipsius operationis exercitio requiritur, Sequenti discursu formatur. Si enim hìc & nunc, cùm operari volo id, quod lege videtur prohibitum, non sum certus de licita operatione, aut ero dubius; cum dubio autem de honestate operationis nemo potest operari, quia se periculo transgressionis exponit: aut probabiliter instructus; cumque negantes id licere, consequenter dicant peccare, si operetur: fit ex eo probabile esse me peccaturum, & ita idem ex eo inconueniens sequitur, quod ex dubio, periculum inquam transgressionis. Hoc autem tantùm vitari potest sequela partis tutioris, vnde pro illa est obligatio. Ad quod quidem semel & iterùm diximus, & in speciali argumentum retorsimus contra citatum & excussum in superioribus Mag. Goned, qui cum alijs vt certum statuit non esse obligationem amplectendi partem tutiorem, siue eam, quæ stat pro præcepto, in concursu opinionis probabilioris. Modò autem addendum aliquid, quandoquidem cum Auctore agimus, qui id non admittit, sed tutius ei præferendum esse contendit, quod est probabilius vnde non videtur offensu facilè vnde fit honestatis in operante iuxta opinionem pro libertate stantem sumenda certitudo.

Difficultas ex incertitudine honestatis inquisitionis.

674. Et illam ex actu reflexo desumi, quo quis iudicat vniuersaliter licitum esse operari cum sententia probabili, idque vt certum: vnde ad particularem operationem potest etiam certò applicari, vtpotè in illa vniuersali cõtentam, communis responsio est: contra quam tamen arguit *Sectione 3. Arti. 3. §. 2.* quia si probabilitas reflexa excluderet metum peccati & falsi, & periculum salutis nullus vnquam peccaret aut operaretur ex conscientia dubia: consequens est apertè contra sensum Theologorum, & contra experientiam, & sequela probatur: Quia vix vnquàm animus hæret anceps & dubius quin vtrimque occurrant rationes probabiles: si ergo ad cuitanda dubiæ con-

Actus reflexus quoad predictum effectum improbatur.

conscientiæ peccata satis sit reflecti circa cuiusvis partis probabilitatem, cùm ea reflexio sit in promptu & arbitraria, nullus, nisi ineptus ac imprudens laborabit aut peccabit conscientia dubia, cùm remedium sit ad manum, non minùs tutum, quàm facile, secundùm aduersarios. Sed contra reclamat D. Thomas *Quodlib. 9. arti. 15.* vbi docet quæstionem de habendis pluribus præbendis absque dispensatione periculosè determinari, quia anceps est hinc & inde Theologis & Iurisperitis in diuersas partes abeuntibus. Quòd si auctoritas non sufficit: probatur ratione: Quia error numquàm excusatur, nisi ex inuincibili ignorantia, aut necessitate ineuitabili; sed qui dubius est, aut qui parti adhæret vt æquè aut minùs contraria probabili, non laborat inuincibili ignorantia, cùm dubius sit, neque vrgetur ineuitabili necessitate, cùm possit abstinere ab operatione, seu ab opinione, quæ fauet libertati, & sectari contrariam, quæ legi fauet, & est rationi conformior.

Falsitas ex receptissima doctrina.

675. Sed hæc communem responsionem de reflexione ad certitudinem sufficiente non infringunt. Nego enim conscientiam de conscientia dubia, quia in eo Doctores conueniunt ob rationem dictam, inuenientes aliam diuersam in opinione probabili à nobis traditam & roboratam. Est quidem verum eum, qui dubius est, & qui opinatur, obnoxium esse errori, & materiali violationi præcepti, etiamsi reipsa vterque id faciat, quod reuera prohibitum non est. Si autem quod prohibitum, in eo qui dubius, formalis etiam violatio est. In opinante autem idem accidit quod in inuincibiliter ignorante, quantùm ad materialem transgressionem, quia nihil plus eidem imputatur. Ad probationem autem sequelæ respondeo, si vtrimque sint rationes probabiles, ita vt nequeat intellectus ad iudicium potius circa vnam quàm circa aliam partem determinari, ibi dubium etiam intercedere, & similiter asserendum, non esse licitam operationem, si eam, quę libertati fauet, velit quis partem amplecti, nisi aliud accedat, quo possit licita operatio reddi. Erit autem illud, si iudicium ferat de vtriusque probabilitate, pro qua stant Doctores, eo quòd vtraque pars suos habeat defensores: tunc enim locum habet id, quod à nobis est non semel dictum: licere inquam partem sequi, quæ faueat libertati. Cùm ergo quis supra dubium reflectitur, si omnino dubius status conscientiæ sit, nihil reflexio confert, quia non est aliquod generale principium, iuxta quod sit licitum cum dubio conscientiæ operari. Et ita neque est vnde operatio hìc & nunc possit honestari: quod tamen secus accidit in opinione probabili. Neque D. Thomas resolutioni præsenti vllatenus aduersatur, cuius mentem in superioribus reddidimus manifestam, & nostræ ostendimus sententiæ obscurum minimè defensorem *n. 632. & 635.*

Quæ amplius & declaratur & roboratur.

676. Oportet autem vt fundamentum certitudinis iuxta principium dictum amplius declaremus, illud enim non certum, sed probabile est, immò & erunt qui nec probabile, *vt superiùs* diximus, arbitrentur. Principium est licere sequi opinionem probabilem: quod quidem si absq; exceptione vlla accipiatur, non solùm certum non est, sed neque probabile, quia in materia Sacramentorum, & nonnullis alijs, de quibus supra, id non licere, communi est Doctorum sententia receptum. Aliqua ergo limitatio adhibenda est, de qua nunc est disputatio, volente P. Baron cum nonnullis alijs, non esse licitum quando opinio stat pro libertate contra illam, quæ stat pro præcepto. Sicut vidimus *supra* etiam alios eam addere limitationem, vt non liceat in concursu probabilioris opinionis: & vt dicamus eos non admittendos, id quidem probabile tantùm est; vnde res sub in certo remanebit: quod periculum sola tutioris opinionis sequela potest euitari. Sed certè ex limitationibus præfatis infirmari prædictum principium nequit: quia si in materia Sacramentorum non est licitus opinionis probabilis vsus, neque opinio etiam est probabilis, quæ asserat vsum probabilis opinionis licitum esse in materia tali: & idem est de limitationibus alijs, quas communis doctorum sensus admittit: non est enim probabile cum damno tertij in casibus passim adductis ad vsum posse talem opinionem regulariter aduocari. Duæ illæ tantùm restant, de quibus nuper: & contra illam, quæ in concursu probabilioris opinionis non licere contendit, iam diximus quod esse satis potest ad eius falsitatem demonstrandam: sicut etiam contra rigidiorem aliam. Quę vt quidquam in proposito obtinerent, oportebat ex eis conuinci opiniones contrarias non esse probabiles, quod tamen neque factum est, *neque fiet vsque ad consummationem sæculi*, & vt sit vnus, vel alter ita sentiens, id non debet negotium facessere, quia communi Theologorum consensu iam firmatum est licere sequi opinionem probabilem, contra nonnullos, qui hoc iam pridem inficiati sunt, quibus accensendi ij, de quibus modò, qui moralem nequeunt principio dicto certitudinem detrectare.

Ex concessis ab ipso arguente veritas inclarescit.

677. Ex quorum principijs etiam arguo: admittit enim P. Baron licitum esse opinionem stantem pro libertate contra opinionem pro præcepto stantem amplecti, quando probabilissima est, ita vt opposita tenuissimam habeat probabilitatem, id quod Antonius Merenda, cuius *suprà* mentionem induximus, omnino negat, volens semper id quod est tutius amplectendum: quod quidem ideò est, quia in opinione tali suum etiam potest esse periculum, forsitan enim vera est. Ex quo etiam principio ipse P. Baron affirmat in casu necessitatis licitum esse talium opinionum vsum, immò & obligatorium, vt in materia Baptismi accidere potest, pro quo §. statim *citando verſ. Hac triplici.* Nam si reuera opiniones tales minimè probabiles sunt, neque in casu necessitatis licitus earum vsus apparet; vt non licet baptizare infantem intra vterum matris, quidquid aliqui perperam circa hoc fuerint arbitrati. De quo *Cap. Si ad matris. Cap. Qui in maternis. Cap. si qua mulier. Cap. si baptizata. de Consecrat. Dist. 4.* Iuncta Gloſſa circa *Cap. si ad matrim. verb. Nunc verò.* vbi de communi opinione. Rogo ergo vnde doctus Pater eliciat operantem modo dicto certitudinem habere de suæ operationis honestate, cùm sint qui illam cum citato Merenda negent? vt fatetur ipse *Arti. 3. citato §. 1.* ita scribens: *Aequata inter adeò dispares opiniones pugna, quarum vna pro honesto, & salute stat, altera pro commodo, victoriam illi asserimus, quæ superat æquitate caussæ: Sin verò benignior,*

Cap. si ad matris &c.

P. Baron.

benignior, vt vocant, opinio superior sit multis partibus, & deijciat alteram ad tenuissimæ probabilitatis gradum (sicut iam aliquot exemplis demonstrauimus) securitatem illi non negabo, & hæc est sententia Mercori contra Merendam, alioſque rigidiores Theologos. Sic ille. Recurrendum ſanè videtur ad principium dictũ, quia alio modo moralis nequit certitudo conſtitui. Si autẽ in maiori probabilitate illa dicatur conſiſtere, hoc eſt iam in ſententiam deuolui, quam à Mag. Goned aſſertam vidimus, & ex qua veritatem dicti principij roborauimus.

Et ex certitudine morali, quæ ab eodem admittitur.

678. Præterea, non obſtante Merendæ & aliorum ſententia, certitudinem moralem in amplexu opinionis fauentis libertati Auctor noſter deprehendit, quod quidem ex aſſerta à ſe regula eſſe poteſt, de qua §. *eodem verſ. Ad vltimam*, de exceſſu opinionis probabilis, comparatione cuius alia vix tenuiſſima probabilitate potiatur. Atqui licet opinio, quam ipſe cum Mercoro & alijs defendit, eum infimum probabilitatis gradum non habeat, quod fortè erunt qui negent, nec immeritò: illa tamen quæ affirmat opinionem, quam ſequimur, non eſſe probabilem: tenuiſſimæ vix probabilitatis eſt, vt planè improbabilem penitus non dicamus. Ergo iuxta regulam ab eo traditam certum moraliter erit poſſe nos illam amplecti. Circa Minorem verſatur difficultas: ſi tamen difficultas debeat in re planiſſima admitti, & clarè oſtenditur. Nam ad probabilitatem ſtatuendam omnia, quæ ad illam neceſſaria ſunt, cumulatiſſimè concurrunt: ſolidæ inquam rationes, grauiſſimorum Scriptorum auctoritas, tum recentium, tum antiquorum, ſapientium & timoratæ conſcientiæ frequentiſſimus vſus virorum, de quibus non pauca dicta in *ſuperioribus*: quæ adeò ſunt vrgentia, vt non niſi temerè contra illa iniurioſum poſſit elogium pronuntiari, & poterunt quidem contrà tendentes à pertinaci inſectatione ceſſare, ſi eò conatus eorum vergat, vt ſententiæ huic proſcriptoriũ edictum extorqueant, id enim deſperandum ipſis, cùm maior Theologorum pars, nec illa inferior, pro ipſa ſtet, & ferè omnes pro illius probabilitate: idque ſolum ſuis ſint obtenturi conatibus, vt in eiuſdem defenſionem noui Scriptores accincti, & illam veroſimiliorem in dies oſtendent, & contrariæ quàm ſint infirma fundamenta commonſtrent. Pugnant quidem bono zelo prædicti Scriptores Vincentij Lyrinenſis imitatione contra improbabiles, abſonas, & abſurdas, & ſine luce ac duce ebullientes nouitates, quod & nos facere pro virili contendimus; ſed non declinantes in extremum, quod docti ſemper declinarunt & erit pariter rite ſapientibus ſemper declinandum. *Medium tenuere beati. Media tutiſsimus ibis*, & in hoc medio *ſtabit IESVS qui ſtetit in medio diſcipulorum, & dixit eis: Pax vobis.* Ioan. 20. v. 19.

Ioan 20. v 19.

Sententiam, quam impugnat, eſſe probabilem, negare niſi improbabiliter nequit.

Peculiare argumentum ex controuerſia inter PP. Dominicanos & Jemitas circa auxilium efficax.

679. Vbi omiſſis plurimis, quibus concertationem ſuam contra Caramuelem inſtruit Auctor, ad eam tranſgreſſus, quam cum P. Ferrerio ad finem proſequitur, vnum aut alterum argumentum ad id ſpectans, quod nuper de probabilitate noſtræ ſententiæ diximus, oportet proponamus, & efficaciter conuellamus. Arguebat doctus Pater pro aſſerta iam probabilitate iuxta dicta à nobis, & ſic ille reſponſurus opponit: Si vnus aut alter Theologus magni nominis probabilem facit opinionem, cui tutò & prudenter adhæreamus, ſequitur Thomiſtas omnes, qui relicta ſcientia media prædeſtinationem & ſcientiam diuinam fulciunt gratia efficaci, aut omnipotentiſſima voluntate, & prædefinitione diuina, pro Caluiniſtis & hæreticis habendos, quia non tantùm vnus aut alter magni nominis Theologus, ſed recentiorum plurimi ita ſentiunt & ſcribunt, quibus citra iniuriam negari nequit auctoritas ſanciendi opiniones probabiles & tutas, ſi id iuris concedi cuiquam ſingularium, aut Societati Doctorum poteſt. Sequitur etiam ex eadem lege probabilitatum eos, qui ex vna ſcientiæ mediæ regula, remota quacumque gratia efficaci aut diuinæ potentiæ efficacia, prouidentiam & prædeſtinationem æternam conſtituunt, non abeſſe ab errore Pelagianorum aut Semipelagianorum, quia ſic cenſent omnes D. Thomæ, & D. Auguſtini diſcipuli: Atqui iſta præter grauem noxam famæ virorum integerrimæ fidei, ſummæ eruditionis ac ſanctitatis, innumera pariunt mala, quorum fidem facit hoc vnum, quod attigimus, alijs prætermiſſis, de quibus fusè *Sect.* 4.

Circa illud veritas & notanda doctrina.

380. Ad hoc argumentum vt reſpondeatur, inprimis obſeruandum eſt ſententiam Societatis circa concordiam gratiæ efficacis cum libero arbitrio non explicari fideliter, *eos, qui ex vna ſcientiæ mediæ regula, ſemota quacumque gratia efficaci* &c. quibus ſignificatur gratiam efficacem in negotio prouidentiæ & prædeſtinationis diuinæ ſemoueri, quod nullo eſt pacto admittendum. Deinde in reſponſione quæ adhibetur diſtinctio præmittitur illis verbis: *Vel enim argumentum illud extraneis ab vtraque Schola, vel ſuis auctoribus euidens eſt quoad illationem, & rem illatam &c.* Et cùm ſic reſponſio procedat, nulla circa illos, qui extranei dicuntur auctores, diuerſitas explicatur, omiſſo penitus, vno diuidente membro talis diuiſionis. Deinde reſponſio ſatis implexa eſt: ad reſpondendum enim obligari ſe ſentit pro ea parte, quæ incommodare ſententiæ ſuorum videbatur. Aſſerit ergo vtriuſque partis aſſenſum de probabilitate certum eſſe & neceſſarium; de re verò illata ſeu de errore Caluiniſtarum aut Pelagianorum, nullum eſſe poſſe; etſi poſſet, nullum adhiberi debere, nec licere, quia vtraque pars eſt paris probabilitatis, aut ferè paris; vnde ſuſpenſa mens redditur: quòd ſi aliquid ſit vnde flecti ad vnam partem queat, id licere negat, quia in hac ancipiti diſceptatione prudentia monet cohibere aſſenſum, ne quis decipiatur, aut charitatem lædat. Sed rogandus ille, cùm circa probabilitatem illationis certus ſit aſſenſus, vnde id habeat? Equidem ab auctoritate Doctorum, qui vt ipſe *ibidem* ait, viri ſunt *integerrimæ fidei, ſummæ eruditionis ac ſanctitatis.* Nam modò de probabilitate intrinſeca non agitur, quæ ſupponi debet, vt Doctorum auctoritas eidem poſſit ſuffragari. Stat ergo principium dictum de efficacia & valore ex multitudine ac qualitate Doctorum ad conciliandam probabilitatem, & quidem id Doctoribus, & merito & numero magnis denegare, vt ſcilicet probabilitatẽ nequeant opinionibus conciliare, dogma eſt in Theologia peregrinum, in qua oppoſitum velut oraculo eſt irrefragabili ſtabilitum. Neque circa materiam, quæ in argumento tangitur, plura dici in præſenti expedit, cùm de cenſuris circa ſententias

Vtraque ſententia paris inter eandem probabilitatem.

Ex maiori numero, antiquitate, & conſtantia auctorum arguitur.

tentias dictas agitur, in quo Apoſtolica Sedes ſe veriſſimas non ſemel adhibuit cautiones.

381. Argui præterea ex eodem poteſt, quatenus pro ſua firmanda ſententia probare contendit illius patronos numero & auctoritate vincere oppoſitæ defenſores. Ex antiquis enim præter vnum Armillam omnes ſteterunt pro ea, à qua primus receſſit Bartholomæus à Medina. De Recentioribus autem loquendo, ex Mercoro reponit eos, qui illam defendunt antiquis ad numeratos numerum conſtituere ſuperiorem. Vincunt etiam auctoritate, quia licet antiquis ſint fortè anteponendi in iure poſitiuo interpretando, quod arbitrio hominum mutatur: ſi tamen diſceptatio ſit de iure naturali immutabili & æterno, circa quod præſens verſatur quæſtio, antiqui Patres & Magiſtri multò Superiores. Denique quia eorum vna vox, & vnus ſenſus omnium; cum tamen aduerſariorum conuenientia teſtimonia non ſint. Vnde ab Auctore *Diſput. 1. Sect. 2. ad finem*, enumerantur ex Mercoro vſque ad quindecim diſſidentes ſententiæ, & nullus è Societate præter Tamburinum defendit ſecuritatem probabilitatum ea laxitate, qua ibidem explicatum, nulla reſtrictione adhibita rerum de ceſſitate medij & præcepti, quam apponit P. Suarez. Sed hæc non premunt: quantumuis enim & numero & auctoritate vincãt auctores pro ſententia dicta, tot pro contraria ſunt, vt minor eorum portio ad probabilitatis conciliationem debeat à ritè & ſincerè ſapientibus ſufficiens iudicari. Quod verò ad auctoritatem attinet, ſapientiſſimi, prudentiſſimi, grauiſſimi, & dignitate etiam ex illis plurimi in Dei Eccleſia ſublimes, ex quibus è Societate aſſumpti Cardinales Toletus, Lugo, Pallauicinus. An vero antiquiores, recentioribus præferri debeant, quæſtio eſt, in qua multi cum Caramuele negant, & certè ratio ab Auctore pro affirmatiua parte adducta valde eſt leuis: quòd ſcilicet ius naturale immutabile & æternum eſt, ac ſi velit eos proximiores æternitati fuiſſe; cùm tamen æternitas ſit tota ſimul & perfecta poſſeſſio: aut viciniores promulgationi Decalogi in monte Sina.

Sed nihil quod premat adducitur.

382. Licet autem inter eos diuerſi modi opinandi ſint, vna tamen eſt vox, conſenſus vnus circa negationem obligationis ſequendi quod tutius eſt. Sicut vna eſt vox, vnus item conſenſus circa prædeterminationem cum auxilio efficaci; in cuius tamen explicatione tot ferè capita quot ſententiæ: Quod egregiè oſtendit P. Suarius *Tomo vltimo poſthumo de vera intelligentia auxilij efficacis Cap.* 20. & hæc quidem gratis indulgendo Auctori id, quod de antiquorum conſenſu quaſi exploratum obiectat: cùm reuera ita non ſit, vt compertum habetur ex citatis *ſupra nu.* 65. & ex eius Ordine excipiendi complures, qui licet aſſerant debere tutius multoties eligi, id tamen negant in concurſu probabilioris opinionis: quod quidem vti certum à P. Goned propoſitum vidimus *n.* 647. Tandem, vt de antiquioribus id quod eſt certum aſſeramus, illi non de opinionibus, ſed de dubijs ſunt locuti, ſi nonnullos excipiamus: vnde immeritò in cauſſa, quę nunc vertitur, quaſi patroni partis affirmantis afferuntur. Quibus addendum quod Auctor idem habet *Parte* 2. *pag.* 14 vbi fatetur Diſcipulos D. Thomæ tractationem de vſu probabilium ferè intactam reliquiſſe, quia S. Doctor de illa in ſumma non egit, in cuius illi commentationem intenti, ijs contentus, quæ in quodlibetis de illo tradiderat à nemine impugnata. Et hæc circa partem illam priorem Auctoris noſtri; pauca quidem, quia plura non vacat ad finem operis anhelanti, ratoque alterius opera cumulatiores vindicias aut prodiſſe iam, aut propediem prodituras. Ad ſecundam ergo partem veniamus.

Circa opinionem probabilem quædam ex Diſputatione contra Amadæum propoſita & diſcuſſa cum aliquali lucis circa veriorem ſententiam adiectione.

Circa auxilium efficax magna in auctoribus aduerſis varietas.

683. Est illa ſatis prolixa, vtpotè quæ vnum integrum volumen conſtituat, ad quam cùm prompta reſponſio ſit ab auctore ſimulati nominis, ſed ſatis noto, non eſt cur noſtra deſideretur, quando aliud agimus, & occaſione eorum, quæ dicta ſunt in *Theſauro Indico*, aut tueri ea intendimus, aut additione noui alicuius luminis iuxta tenuitatem noſtram illuſtrare. Et quidem opus dictum Amadæi non eſſe adeò criminoſum, vt eidem obijcitur, Bulla SS. Alexandri VII. quartæ eiuſdem editioni præambula ſatis ſuperque manifeſtat. Vnde nec debuit qui illud approbauit Religioſiſſimus Pater PP. Capucinorum Prouincialis adeò immani inuaſione tractari, memoriam luctuoſam deſertoris infeliciſſimi renouando. Pro quo iuuat P. Ioannem Caſalas audiſſe in *Candore lilij Reflexione* 1. §. 5. vbi Petro à Clauſaualle quoſdam Illuſtriſſimo ipſius Ordini ſicut & P. Baron perditionis filios obijcienti ſic reſpondet: *Impreſſum ſibi lamentatur Religio Dominicana inſanabile vulnus: quæ dum gnauos Euangelij præcones, & immenſam Martyrum turbam è ſinu ſuo emittat in ornamentum & præcellens decus fidei Catholicæ, intercepere feſtiua matris gaudia abortiui quidam fœtus, & infandi transfugæ, qui à fide ad hæreſim deſciuerunt. Fatetur hoc ſingultibus oppreſſa Genitrix, cogitque me Pater Sanctus Dominicus, infandos partus abhorrens dicere cum poeta fraternos deteſtante erratus:*

Quærebam fratres, exceptis ſcilicet illis,
Quos ſecus optaret non genuiſſe pater.

Luget & languet his pulſata defectionibus Cyriaca Religio: Angustia, inquit, poſſedit me, quaſi angustia parturientis: emarcui cùm viderem, in tanta liberorum ſegete, quos in gloriam Chriſti & Eccleſiæ felix ſinus emiſit, repertos, pauculos quidem, ſed in quauis paucitate nimios, tranſfugas, qui viperino dente materna viſcera diſcerperent. Hæc ille: quæ & Religio PP. Capucinorum, & ipſa ſanctiſſima, meritò poſſit vſurpare. Vnde & meritò etiam addere cum eodem? *Sed debuerat ne vir, vt dicitur Chriſtianus, Catholicus, & aliquid ampliùs, addere afflictionem afflictæ, & ſignatis ex proprijs ſingulorum nominibus, (ne quis ignoraret) infandæ deceſſionis ſocijs, adhuc crudeli inſultatione, ſilentio premendos iactare, quos iam nominauit?* Sic ille, & quidem cum approbatio operis talis fuerit, in quo nihil proſcribendum ſolertia Pontificia deprehenderit, quia Auctor nihil in eo niſi varias Auctorum ſententias, & ipſi minimè quandoque

Pro Amadæo quid faciat, ſicut & pro libri approbatore, cuius Religio indignè dedecorata, vti & Prædicatoria neſcio quo.

Ioannes Caſalas.

Contra auctorem ex eodem.

probatas protulit, ad calumnias in Societatis Scriptores iactatas de laxitate opinionum depellendas, quod & posteà *in Editione* 4. sapientissimus & Religiosissimus P. Ioannes Antonius Velasquez, bis in Prouincia Castellana Prouincialis, in Regio Salmanticensi Collegio quondam sacrarum litterarum interpres, & nunc pro cœtu Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis à Rege nostro Philippo Quarto deputatus, quem & præclara eius scripta orbi vniuerso, & notissimum, & supra communem æstimationem venerabilem reddiderunt, etiam ex cõmissione Regij Castellæ Senatus approbauit. Quod & præstitit R. P. Fr. Antonius de Riuera in Supremo S. Inquisitionis Consilio qualificator, & Seraphici Ordinis S. Francisci Pater, & Diffinitor.

P. Ioannis Antonij Velasquez commendatio qui & librum approbauit.

Quod & præstitit vir aliàs insignis auctoritatis.

684. Et cum talis fuerit approbatio, non dubitauit Auctor ita scribere pag. 10. *Vix oculis meis credo, cùm ista lego, & alia, quæ pudor prohibet referre: nec dubito Capucinorum vlli huiusmodi verba excidere potuisse: atque ad istum casum multò me grauior occupat stupor, quam cùm Capucinorum Annalibus a Beuerio eleganti & Tulliano Scriptore lego casum Bernardini Ochini, è secundo Sanctissimi Ordinis Ministro Generali Apostatæ, Geneuam profugi.* Hæc ille. Ad quæ quidem maior legentem occupare stupor debet, cùm videat vt grauius scelus damnari approbationem libri à Catholico & Religioso Auctore cum præfata doctrinæ moderatione conscripti, quam Ordinis Sanctissimi Ministrum Generalem secundum, adeò apostasiæ horrendo scandalo mundum perculisse, facto ad sentinam Geneuæ tranfugio, vbi nuptijs addictus impuris, miserrimum spiritum diabolo, à quo & possessus fuerat, commendauit. Hæcne paria inter se crimina, si criminis aliquid in approbatione resedit? & miratur, ille, immò & stupet, è Capucinorum Patrum semel & iterùm Prouinciali, hoc est, austerissimo, approbationem huiusmodi profluxisse, cùm sit qui, vt vidimus, est locutus, strictioris obseruantiæ ex familia S. Thomæ Tholosanus alumnus, & cum Sanctissimum eius Ordinem quanta in veneratione habeam, ex ijs, quæ in Epithalamio & Amphitheatro scripsi satis constare possit: id, quod modo à me dictum, æqui bonique consulendum censeo, dum & amor veritatis compellit, & studium defensionis ingenuæ & sinceriss imæ, vbi innocentia periclitari conspicitur, aliquid cogit acrius effudisse.

P. Baron. truculenta nimium quantùm invectiua.

Ergo Prædicatorum Ordinem singularis Auctoris affectus.

Caramuel. *sententia damnata ab auctore citato, circa potestatem in Ecclesia damnandi opiniones probabiles.*

685. Caramuelis assertionem grauiter verberat *pag.* 17. quam ille habet in Theologia fundamentali *n.* 182. dicens, nullam in mundo dari auctoritatem damnandi opiniones probabiles: quod quidem excusari non posse ait à graui nota temeritatis, & se ita euicisse, dum omni genere argumentorum demonstrauit nihil probabilitate indifferenti ad bonum & malum periculosius, nec posse tutam fieri, nisi in euidentiam euadat, vel adhæreat legi. Verùm non ita euicisse aut demõstrasse, ex ijs, quæ à nobis dicta, & ab alijs etiam & multis & grauissimis Scriptoribus, faciliùs poterit demonstrari. Deinde, etiamsi ita esset, assertum Caramuelis ex eo non venit infirmandum. Affirmat ille non esse auctoritatem in Ecclesia damnandi opinionem probabilem. Constituat illam Auctor vt libuerit, si verè iuxta illam opinio aliqua probabilis est, eam ait Caramuel non posse Ecclesiæ auctoritate damnari: ergo nihil actum contra ipsum ex iactata illa euictione & demonstratione. Præterea. Caramuelis assertio eum habere sensum potest, opinionem quæ reuera sit probabilis, non posse ab Ecclesia damnari: quia cùm fundamenta habeat ab intrinseco vrgentia, & competentem auctoritatem, id nequit pondere alicuius potestatis infringi: cùm neque rationes ab intrinseco remoueri queant, neque auctoritas infirmari. Non ita autem euenit, quando propositio aliqua prius vti probabilis recepta damnatur: quia illa reuera non erat probabilis, sed error auctoritate inualescens, quæ auctoritas contemnitur, dum fundamenta ex principijs alijs insufficientia maius lumen Sedis Apostolicæ, consilio Doctorum adhibito, deprehendit. Iuxta quam explicationem posset Caramuelis sententia sustineri. Pergit autem, & assertum prædictum ait non solùm periculosum, sed potiùs manifestè hæreticum esse: quæ censura est valde exorbitans, & præsumptuosa ac temeraria, iuxta sententiam Alexandri VII. in Bulla præfata; cùm inter eas sit, quæ apud Amadæum extant, sed minimè ab eo probata: vt videri potest. *Propos. 1. ex Tractatu de opinione probabili num.* 4. vbi ait huiusmodi dispositionem non benè audire apud Theologos.

Quem habere commodum sensum possit.

Amadæo obijcitur ab eo præcipuus ex Dominicanis Scriptoribus non adduci, qui recensentur.

686. Circa quod obseruatione dignum occurrit Auctorem *pag.* 18. *vers. Ceterùm.* Amadæo obijcere ex recentioribus Dominicanis Scriptoribus eos pro se non adducere, qui inter alios præcipui habentur scilicet Ioannes à S. Thoma, Arauxus, Petrus à Tapias, qui nuper cum opinione sanctitatis desijt viuere, Bartholomæus à Martyribus, vocatione ad summam dignitatem, eiusque administratione simillimus, qui Theologiæ moralis summam scripsit, quasi totius Pastoralis regiminis, quam ad mortem vsque seruauit regulam. Quibus addendus Martinus de Prado præpositus Castellanæ Prouinciæ. Cùm inquam hos desideret, audiat circa sententiam, de qua nuper, quid citatus Martinez sentiat: qui *Tomo* 2. *Theologiæ moralis Cap.* 33. *in Appendice contra Caramuelem quæst.* 2. §. 3. *n.* 22. ita scribit: *Si ergo opinio sit intrinsecè probabilis, sicut nulla humana auctoritate fieri potest quòd bonum sit malum, & quod lux sint tenebræ, ita nec fieri potest quòd probabile sit improbabile. Quando autem probabilitas est extrinseca & apparens, quamuis per accidens deseruire possit, vt operantes & errantes inuincibiliter excusentur à peccato: tamen per se loquendo, ad Papam primariò & auctoritatiuè, & ad DD. Cardinales, & supremos fidei iudices pertinet declarare quid tenendum ad fidei & morum integritatem, & quid operandum, & hac via videmus innumeras propositiones antiquitùs existimatas probabiles, hodie declaratas improbabiles.* Hæc ille. Videat ergo iam Auctor an in Scriptore à se desiderato damnabile sit, periculosum, aut potiùs hæreticum, quod in Caramuele notis prædictis dignissimum iudicauit. Addit autem Amadæus in Editione 4. sic: *Verùm cùm opinio intrinsecè probabilis possit in re esse falsa, videat Martinez, quomodò potestatem id declarandi neget Pontifici.* Sic ille. Quod quidem meritò adnotatum, iuxta quod & censendum, & ex quo colligendum quàm immerito Auctor affirmat Amadæum mitiùs

Cui sit fucus illorum adductus.

Ioannes Martinez de Prado.

Amadæus.

tiùs agere cum Caramuele, quàm cum Caietano qui circa Pontificis potestatem in ordine ad prædicta, non est, vt par erat, locutus. Caramueli enim neutiquam assentitur, sicut neque Martinesio, cum aliqua moderatione idem placitum defendenti.

Dom. Arauxo.

687. Audiendus etiam Illustrissimus Arauxo *in Decisionibus moralibus Disput.* 9. *nu.* 27. ita scribens post assertum ab eo in materia Sacramentorum obligationem esse opinionem probabiliorem sequendi: *Dices quòd etiam sequens opinionem probabiliorem exponit se periculo faciendi aut accipiendi inualidum Sacramentum, & nullum, vel saltem informe, quia potest contingere talem opinionem in re esse falsam.* Ad quod post addicta exempla sic respondet: *Respondeo huic obiectioni negando sequelam, siue assumptum, quia minimè sequitur &c. Donamus enim recensitas opiniones esse inter Theologos probabiliores: tunc qui iuxta illas operatur, accedens ad Sacramentum bona fide procedit, hoc est, iuxta prudentum & sapientum meliorem æstimationem, ac proinde ignorantiam inuincibilem & iustam patitur, per quam ab omni culpa excusatur in Sacramenti receptione & vsu, ac proinde nullius sacrilegij est reus: vnde neque ex hoc capite ponit obicem fructui Sacramenti, neque illud informe potest esse.* Sic ille, manifestè admittens non esse obligationem sequendi partem tutiorem, quæ quidem minùs probabilis esse potest. Quòd autem probabilior possit esse falsa, concedit in fine *illius numeri* dicens sic: *Quòd si in eo casu opinio minùs probabilis in re sit vera, quod quidem possibile esse non inficior &c.* Non ergo eum vrget ratio Auctoris ex periculo desumpta cui se operans iuxta opinionem minùs tutam exponit, dummodò iuxta opinionem magis probabilem operetur. Qui etiam *nu.* 20. sic præmiserat tertiæ respondens obiectioni: *Ad tertium nego Minorem, quia licet possit contingere probabiliorem opinionem in re esse falsam; verum tamen operari iuxta illam est conforme rectæ rationi, & tutum in conscientia: quia huic iudicio (v. g. sequenda est in praxi opinio probabilior) practicè non potest subesse falsum, licet speculatiuè loquendo possit ei subesse falsum, in quantum talis opinio in re potest esse falsa.* Hæc doctus Magister, quem si loquentem desiderat Auctor, audiat quæ assertioni suæ minimè conformia, de tutioris sequela, deprehendet.

Mag. Ioannes à S. Thom.

Nec desiderandus Mag. Ioannes à S. Thoma, qui *Tomo* 1. *in* 1. 2. *Disput.* 12. *Arti.* 3. *n.* 10. sententiæ nostræ apertissimè suffragatur. Sic enim ibi: *Ex quibus liquidò colligitur fundamentum eius, quod proponimus, videlicet quòd stante probabilitate practica, seu prudentiali, possumus licitè operari, etiamsi insurgant dubitationes speculatiuæ, quia istæ dubitationes oriuntur ex eo quòd non possumus penetrare quid in re sit, vel non sit, & ita fluctuamus & dubitamus in ipsa speculatione, quia speculatio semper conatur penetrare veritatem & obiectum suum, quantùm possibile est, nec quiescit nisi ipsa rei euidentia. Si ergo ad habendum prudens & practicum dictamen rectum de agendis non requiritur certitudo speculatiua de eo quod est vel non est in re, sed sufficit practica de eo quod deberet esse, & morali ac humano modo iudicatur possibile: ergo posita ista probabilitate practica, & prudenti, quæcumque dubitationes speculatiuæ insurgant (quæ omninò insurgunt, dum non datur euidentia de opposito) aut etiam si altera pars securior & tutior, seu probabilior videatur, non tenemur id sequi, aut omittere, quod absolutè & simpliciter prudens est, & prudenter regulatum.* Sic ille, habitus his temporibus Thomistarum doctissimus. Qui & *n. seq.* probat non esse obligationem sequendi quod prudentius est & *nu.* 14. adducit verba D. Thomæ *Quodlib.* 8. *arti.* 13. à nobis superiùs data, & ex illis arguit, nam ex ipsis *apertè constat quòd vbi intercedit diuersitas opinionum, postulat D. Thomas vt nulla sit dubitatio orta ex tali contrarietate opinionum: ergo supponit quòd non obstante probabilitate opinionum, oportet quòd vt licitè operetur, non remaneat, neque oriatur ex talibus opinionibus aliquod dubium: constat autem quòd omnis opinio semper secum affert aliquam formidinem seu hæsitationem, saltem quantùm ad cognitionem seu speculationem: ergo si vult D. Thomas quòd ex talibus opinionibus contrarijs non oriatur aliqua dubitatio vt quis operetur, supponit quòd aliqua certitudo, seu aliqua extinctio dubitationis remanet, non obstante formidine intrinseca opinionum: & talis remotio dubitationis, seu certitudo, est practica, quia dicit D. Thomas, quòd si manente tali dubitatione operetur, periculo se committit, & sic proculdubiò peccat. Loquitur ergo de dubitatione operationi coniuncta, quæ vtique practica est.* Sic philosophatus ille iuxta præfatum D. Thomæ Articulum, in quo suæ cogitationis fundamentum præcipuum repetit constitutum, cuius doctrinam minimè eidem fauere expositio dicti Magistri satis manifestat. Cuius & non contemnenda illa *in fine n.* 15. vbi ita scribit: *Si est certus de hoc facto, quòd scilicet fecerit sufficientem diligentiam, id est, quòd non leuiter processerit in consulendo, & inspiciendo* (si videlicet vir doctus sit, vt præmiseras) *secundùm quod rei grauitas postulat, plus vel minùs: tunc habet certitudinem practicam, nec ex contrarietate opinionum adducitur in dubitationem, nec periculo se committit. Si verò factis istis actionibus; quibus sufficiens diligentia fieri solet, adhuc non certificatur an fecerit sufficientem diligentiam, quia ignorat in quo puncto sufficiens diligentia consistat, potest consulere alium, si sibi non fidit, vel ampliùs studere & inspicere, si sit vir doctus. Quòd si adhuc non quiescit, reputari debet pro scrupuloso, vel dubio speculatiuo, quod deponendum est.* Hæc ille, ex quibus constat in conflictu opinionum necessarium non esse ratione dubij suborti ad partem confugere tutiorem: & etiam virum doctum posse sibi ipsi & alijs satisfacere in ordine ad conscientiæ directionem. Consulendus etiam *n.* 31. *& seqq.* vbi eleganter probat vnius Doctoris auctoritatem, etiam recentioris, opinionem probabilem constituere posse, cum Montesino & P. Vasquez: pro quo est illud meritò huc arcessendum ex nu. 31. *Quòd si fundamenta & pondera rationum in his Recentioribus debent facere probabilitatem: parùm interest quod sint plures, vel vnus tantùm, quia non ex personis æstimanda est fides & ratio, sed ex fide personæ. Vnde etiam vnus vir doctus potest facere probabilem sententiam, si rationum momenta debent ponderari, & illa sunt ad id sufficientia. Nam plerumque in antiquis hoc modo opiniones probabiles ab vno vel alio insigni Doctore introductæ sunt, quæ postmodùm magnam auctoritatem meruerunt.* Hæc doctus Magister, quem si desiderabat Auctor, habet quidem

suis verbis loquentem, sed veritatem, non rigidum illud dogma, sibi & Fagnano suo, & vix alteri placiturum.

Iuxta Illustrissimum Tapia P. Thomas Sancius *facere potest opinionem probabilem.*

690. Id autem quod de vno Doctore ad conciliandam auctoritatem sufficere citatus dudum scriptor asseruit ex Illustrissimo D. Fr. Petro à Tapia, cuius etiam auctoritatem ab Amadęo non adductam in reprobum sensum Auctor accersit, ideò iam adnectendum, quod ex eôdem proponit P. Andreas Mendus in *Statere benignar. opinionum Dissertat.* 14. *n.* 108. vbi ait docere illum ad reddendam opinionem probabilem sufficere auctoritatem P. Thomæ Sancij vt ille desinat in ita generaliter de viris similibus sentientes censurarum fulgetra manu, imperiosa quidem, sed fatale habentia nihil, nisi suo fortè auctori, iactare. & quod ad Illustrissimum non minùs sanctitate quàm Sede Fr. Bartholomæum à Martyribus attinet, quem etiam inter alios non relatum criminatur, nihil occurrit, quod attexendum oporteat in fauorem causſæ, sicut neque Auctori quidquam in eodem repertum, quo suum posset placitum, monstrum equidem ab aliquibus dictum, vt fatetur ipse, comprobare. Cùm ergo ille asserat ex citatis quemlibet instar plurium esse posse, & maioris sint apud eos auctoritatis, quàm ceteri omnes collectim obscuri nominis, quos Amadæum ait inquisisse diligenter: ex ipsius attestatione habemus in paucis citatis quamplures habere nos sententiæ nostræ ex illius præclara familia patronos. Quod felix faustumque sit.

Instauratur probatio.

In consodalem iniuria.

691. Atque ex his manifestum redditur, quod *pag.* 20. non sine graui sui consodalis iniuria pronuntiat, Magistri inquam Barnabæ Gallego de Vera, quem Amadæum sæpius in patrocinium laxitatum suarum aduocare asserit, & esse illum infimi ordinis Auctorem, qui Tractatum de conscientia probabili inseruit quintæ aut sextæ editioni Ioannis à Cruce, vt adiunctus graui Auctori vendibilis fieret. Et ita ab Amadæo factum affirmat, quia celebriores ex illustri sua familia eidem aduersantur. Vbi quidem in strictioris obseruantiæ alumno mirari iuvat ita abiectè de sui Ordinis docto Magistro sentire, & sensum suum non fuisse veritum mundo reddere manifestum, quem nec legisse videtur, quia de Editione operis Fr. Ioannis à Cruce confusè loquitur, nesciens an quinta, an sexta fuerit, & Tractatum de conscientia probabili ab ipso operi citati Auctoris insertum; cùm tamen Tractatus dictus non tantùm de conscientia probabili sit, sed absolutè de conscientia, omnes illius status comprehendens. Et quidem satis doctus, qui & seiunctus venditionem sperare posset, breuis licet, cùm celebritati scriptoris minimè operis officiat breuitas, quod citatus Mag. Ioannes à Cruce in suæ lucubrationis Præfatiuncula adiuncto eruditionis suffragio præmonitum voluit. Auctor quidem grauis, vt agnoscit Tractatus dicti minimè laudabilis depretiator: qui *pag.* 22. Scotistæ cuiusdam opusculum commendans, qui suum nomen occultauit, *fugiendæ*, inquit, *vt puto, gloriæ, quam breuissimo scripto maximam & perpetuam meretur.* Sic ille. Quod autem in patrocinium ab Amadæo eo sit fine adductus, qui eidem exprobratur, quàm sit veritati iniurium, ex celebrioribus scriptoribus dedimus, clarissimè manifestum. Offendere autem potuit rigidum scriptorem, quòd citatus Magister Gallegus in Præfatione ad lectorem ex Glossa Prologi Constitutionum sui Ordinis protulit, vbi tria dicuntur esse præcipua, quæ salutem animarum impediunt, & de tertio sic: *Tertium est nimia austeritas in consilijs & opinionibus: terrentur enim homines ex hoc, in tantùm vt salutem propriam negligant. Quapropter relaxanda est (quantùm fieri potest) rigiditas & auctoritas in consilijs, ac homines benignè tractandi sunt.* Sic ibi. Quid autem rigidius, quid austerius quàm teneri homines adsequendum semper id quod tutius & securius est? Cui & illud proximum, Teneri ad probabilius: Cui & illud, Non posse iuxta aliorum sententiam probabilem, cùm sibi est commodum, operari. Item, ad operandum cum securitate agmen Doctorum esse necessarium, adhibendam inter eos, ad gradus excellentiæ dispiciendos, operosam discussionem. Quia verò citatus Magister Ioannes à Cruce vt grauis Auctor laudatus, videndum an ex eo aliquid nostræ sententiæ opportunum adsciscì possit. Ille ergo in Directorio conscientiæ circa Septimum præceptum *Quæst.* 7. *Arti.* 2. *Dub.* 11. *Conclus.* 3. Sic scribit: *Eligens dignum omisso digniore, in sententia probabili nihil restituet Ecclesia, seu Reipublicæ.* Qui tamen statim ait oppositum esse probabilius. Ergo iuxta ipsum non vrget obligatio sequendi sententiam probabiliorem, neque id quod tutius est; quandoquidem in casu dicto de tutiori nequeat parte dubitari.

Quod negatum eidem, falsìa concessum.

Constituit PP. Prædicatorum conuentum indulta.

Mag. Ioan. à Cruce.

Inuectiua in Societatis IESV Scriptores circa opinionum laxitates propositas & deuastata.

692. CVm §. 4. duas quasdam absurdas assertiones protulisset Auctor, aliam Iansenistarum dicentium Divum Thomam non legisse suis in fontibus D. Augustinum, sed in Gratiani Decreto, & libris Petri Lombardi, & ita ab eius doctrina circa gratiam & prædestinationem recessisse: reponentium in eos alteram dicentium Ianſenium solùm in Caluini scriptis sanctum legisse Doctorem, quas meritò improbandas censet verbis illis, quæ sibi meritò applicare sæpiùs potuisset: *Non admodum placent huiusmodi accusationes aut defensiones, quæ magis suis auctoribus nocent, quàm ijs, in quos agunt.* Cùm inquam sic præfatus fuisset, ita scribit: *Non ausim dicere paris esse, vt sic loquar, improbabilitatis, à recentioribus Societatis Theologis laxiorem probabilitatum vsum, aliqua sui parte arctatum intra strictiores metas, ac Augustinum numquàm D. Thomæ lectum nisi in Magistro sententiarum, vel Ianſenio in Caluini libris. Sed dissimulare etiam nolim mihi maximè suspectum fuisse vbi primùm legi assertum, nec propius à vero, quàm superius paradoxum abesse, quod paucis breui totius quæstionis examine demonstrabo.* Hæc ille. Iuxta quæ satis compertum habetur affirmare tandem illum id, quod initio dixerat se non ausum pronuntiare: Theologos inquam recentiores Societatis minimè laxiorum probabilitatum vsum intra strictiores metas, aliqua sui parte coarctasse. Itaque assertum illud, quod vti alienum ponit, & ab aliquo ex duorum illorum paradoxorum auctore profectùm, suum facit, & quod in eo

Duæ absurdæ assertiones.

P. Baron.

eo est inuidiosum & iniurium pergit demonstrare. Et quidem memorem esse oportuit Asserti sui *in Parte priori pag.* 406. vbi sic scribit: *Disputationis* 1. *Sect.* 2. *ad finem enumerauimus ex P. Mercore vsque ad quindecim dissidentes sententias; & nullus, quod sciam, è Societate, præter Tamburinum defendit securitatem probabilitatum ea laxitate, qua explicatur illo Opusculo, nulla restrictione adhibita rerum necessitate medij & præcepti, qualem apponit Suares.* Sic ille. Ergo Societatis Auctores laxitatem probabilitatum, aut probabilitatem laxitatum non sunt effræni licentia, sed moderatione adhibita contutati. Quidquid de P. Tamburino sit, de quo iam dictum, qui vt modum excessisse dicamus, non est ex illo generalis regula deducenda, sicut ex multis Dominicanis Patribus, quos transfugas ille compellat, non patitur Thomisticam scholam de patrocinio simili coargui, inimica semper nouitatum.

A Mercore pro Societate suffragium.

Negatur illi singularis laxitatum præfigatio.

693. Duplicem deinde quæstionis sensum proponit. Primus est plures è Societate Theologos improbasse vagum probabilitatis vsum, nullis metis coërcitum, & certas illis præscripsisse. Secundus, hoc illis singulare esse, & à ceteris aliorum Ordinum Theologis antiquis vel recentibus, laxatæ probabilitati vltra omnem modum certos fines præscripsisse. Et circa primum fatetur plures temperasse probabilitatis vsum, & neminem de illo iustius Sanciuisse Paulo Comitolo, quem secundo gradu sequuntur Suares, laxitates probabilitatum, seu duas propositiones de sequenda opinione minùs tuta, & minùs probabili correxisse quatuor exceptionibus, de Sacramentorum ministris, de iudicibus, de medicis, de Scholarum Professoribus, quos secuti sunt plures, vt agnoscit eiusdem instituti, qui latè referuntur ab Auctore *Quæstionis facti Cap.* 8. qui, vt constat ex Præfatione eiusdem operis §. *Huic commodo*, est P. Des Camps. Arguit deinde contra illos, quia parùm consequenter ad sua principia eas metas adhibuerunt: vel enim omnino hæ duæ propositiones, quas propugnat dictus Pater, erant abijciendæ, vel immeritò Sacramentorum ministros, iudices, medicos, scientiarum Professores, fraudent communi iure: & qui illud statuunt, magis consentaneè locuti, & fortè minùs periculosè: quia cùm illa probabilitas adeo vaga & effrænis sui horrorem incutiat, tot absurdis & malis, quæ secum trahit, qui illa submouent, seruato principio vnde prorumpunt, horrorem mali, non venenum minuunt, & immedicabilius faciunt. Obscura sanè conclusio, cuius videtur esse sensus, eos qui probabilitatem cum dicta limitatione sequuntur & docent, periculosiùs agere, quia horrorem minuunt generalis assertionis sine vlla limitatione, quæ quidem non multos asseclas videtur habitura, quia horrore suo eos submouet; quod non ita accidit in assertione dictis exceptionibus emollita; quæ quidem faciliùs poterit se insinuare secururis, sed suo cum veneno, quia principium illud de licita sequela opinionis probabilis, suo apud ipsos in robore perseuerat. Erit ergo nocentius, quia secretius venenum.

Et exceptiones in Sacramentis, & alia temerito assertas pronuntiatur.

Nihil in præfata præter verba. Exceptiones desunt.

694. Sed hæc omnia verba sunt, & vt dici solet, meri logi, quia in assertione dicta suis cum limitationibus nihil est mali, sed commodi multùm, dum integritati Sacramentorum, tribunalium æquitati, vitæ hominum, securitati doctrinæ tali est moderatione consultum: in ijs enim peculiaris ratio est, propter quam non debeant generali dogmate comprehendi. Quemadmodum Auctor suo illo rigido de tutioris partis sequela decreto exceptiones varij generis necessitatum non excludit, quæ cùm in puncto indiuisibili non consistat, multùm relinquit arbitrio, & varijs casibus ianuam aperit, obligationem respectu eorum inducens, qui ab ea liberos se agnoscebant, & ita suo quasi iure priuantur. Nec tamen propterea patietur ille minùs consentaneam doctrinæ consequentiam exprobrari. Ex quo fit minimè vrgere quod additur ex laudato illo Scotista sic contra exceptiones arguente: Quia non videtur quo illæ inniti fundamento possint: nam æquè chara est mercatori, militi &c. Sua anima, ac sacerdoti & iudici suo; & paris est periculi peccatum in nundinis, bello &c. ac in tribunalibus, templis, ac pharmacopolijs admissum. Pœna æterna damni & sensus æqualis est noxæ pro homicidio & furto, quàm pro iniqua sententia. Alijs ne regulis conscientia medicorum, iudicum, & Sacerdotum, alijs militum, & mercatorum metienda est, vt istis laxissimus probabilitatum vsus permissus, illis prohibitus sit? Aliumne Deum colunt?

Argumentum contra illas, ex Scotista.

695. Minimè inquam hæc vrgent, ob iam reditam rationem: quia in Sacramentorum certa administratione ad duo attenditur. Primum est ipsa Sacramenti integritas, quæ si aliquid necessariò requirit, ex probabilis opinionis vsu, si reipsa vera non sit, constare nequit, vnde sic operans se periculo Sacrilegij committit. In rebus autem alijs etiamsi opinio vera non sit, coràm Deo est inculpanda conscientia, dum prudenter in ea proceditur, & ita æquiualet meram complectenti veritatem, Secundum est periculum æternę damnationis in recepturo Sacramentum, si fortè ipsi ad iustificationem necessarium sit: ex opinione enim probabili falsa nullum ei remedium accedet. In iudice specialis obligatio esse potest ratione præcepti vt sequatur veriorem opinionem, quia ad hoc constituitur, sicut Dominicanus alumnus absolutè loquendo potest opinionem quamlibet probabilem amplecti; cùm tamen ratione præcepti aut iuramenti ad D. Thomæ sequendas sententias adstringatur. In medico clara est ratio, ne scilicet vita hominis periclitetur; qui si moriatur, nullo potest probabilis opinionis adminiculo malum tantum reparari. In Professoribus item, quia ad hoc constituuntur vt quod sciunt doceant, & discipulos sibi similes forment: sicut in Professoribus peculiarium doctrinarum est dicendum: Nam Cathedram D. Thomæ suis sumptibus perennaturam instituens, eius, & non aliorum vult opiniones prælegi, sicut & qui D. Bonauenturæ, Scoto, ac Durando in diuersis Academijs erexerunt. Ex quo argui contra Auctorem, & suum illum Scotistam potest. Quia opiniones in dictis Cathedris prælegendæ minùs probabiles erant opinionibus D. Thomæ iuxta priorem, & Scoti iuxta alium. Et tamen eas docendi obligatio est: ergo possunt illæ securè teneri. Si dices legi ad speculatiuam exercitationem. Contra est, quia Fundatores non eo animo tales Cathedras erigi voluerunt. Sed vt prædictorum Magistrorum sententiæ auctoritatem inde

Quod esse debile demonstratur, & eius ratio reddita.

Ex diuersis in Academijs Cathedris pro doctrina certorum Doctorum promenda, vrgens comprobatio.

retinerent, & sic ad praxim aduocari possent: aliàs deberent, & quidem meritò, inutiles reputari, sicut accideret in Cathedris pro linguis Hebraica, Græca, & alijs, institutis. Ad quid enim illæ, si earum peritia nulli sit vsui vnquam futura?

Dominicani Magistri pro nostra sententia.

696. Quia verò circa ista graues illos Scriptores, de quibus *n.*686. diximus, iuvabit audire, id non est iusto & rationabili Auctoris placito subtrahendum. Magister ergo Ioannes à S.Thoma *Tomo 1. in.*1.2.*Disput.*12. circa Sacramentorum ministrum hæc habet. Primo *n.*12. Sic statuit: *si Ecclesia diuersos vsus permittat & approbet, licet vnus sit probabilior & securior alio, alius tamen sit probabilis & admissus: vtrumque potest facilè sequi eo modo & forma, quo est admissus. Si autem contra vsum & permissionem Ecclesiæ alia opinio seu vsus probabilis sit, non potest in praxi tutè sequi, sed debet tutiorem & probabiliorem sequi.* Sic ibi. De Sacramento Pœnitentiæ in speciali loquens. n. 51. ita scribit: *Secundò contingit iste casus vtendi opinione probabili relicta probabiliori, quando est opinio probabilis circa iurisdictionem ministri, ita quòd sit titulus saltem apparens & coloratus &c.* Videndus etiam & *n.*53.*vers.Specialiter*, vbi de Matrimonio etiam iuxta eamdem regulam de maiori relinquenda probabilitate decernit. *Et n.*54. Sic ait: *In Sacramento Pœnitentiæ circa materiam remotam, quæ sunt peccata, potest & debet minister conformari sententiæ probabili pœnitentis, etiam omissa probabiliori, si tamen illa sit practicè probabilis.* Hæc ille circa ministrum Sacramentorum, qui iuxta Auctorem vnus pro pluribus æstimandus, vt dubitari nequeat probabiliter locutum.

Mag.Ioan. à S.Thom.

De Sacramentis, in quibus locum habere minus probabilis sententia potest.

De Iudice, qui & possit circa illam iudicare.

697. Qui & circa iudicem ita loquitur.*n.*18. *Quòd scilicet quando diuersitas probabilitatis & opinionum non est ex parte facti, vt si sint diuersæ interpretationes probabiles*, possit sequi iudex etiam partem minùs probabilem, constat ex dictis, quia illa pars remanet in se probabilis, & aliàs pars probabilior non constituit titulum, vel possessionem, vt reddat meliorem conditionem ipsius &c. Hæc ille, laudandus profectò iuxta Auctoris sensum, quia consentaneè ad sua est principia locutus, quod P. Suariò defuisse pronuntiat. In eo autem, si laxitatis accusandæ ratio, minùs certè in P. Suario, quàm in præfato Magistro culpabitur, qui eam non esse admittendam iudicasse asseritur, cùm tamen reuera ita non sit; non enim de iudice egit, sed de Sacramentorum ministro, & medico, nisi deceptus est, qui id ei attribuit ex eo quòd de docente ita testatus in.1.2. *Tract.*3.*Disput.*12. *Sect.* 6. *n.*9. ibi: *secus verò est in docendo* (nam in consulendo contrarium præmiserat) *nam tenetur præceptor seniorem & veriorem doctrinam docere:* Quod non apparet, quia de Professoribus locutum attestatur. Videndus etiam. *n.*10. & Magistrum Ioannem à S. Thoma doctus ex eadem familia Magister anteiuit, scilicet Gregorius Martinez, qui in.1.2.*q.*19.*arti. dub.*6. *circa secundam conclusionem*, affirmat quod si opiniones sint circa ipsum ius, quod diuersas accipit interpretationes probabiles, potest sequi minùs probabilem iudex relicta probabiliori, & alienam relicta propria, dummodò omnes sint intra limites probabilitatis practicæ. Sic ille censet non infimi gradus scriptor, quod de alio dictum sed eximiæ sapientiæ laudem & lector & scriptor assecutus.

P. Suarez.

Mag.Greg. Martinez.

Vrgetur ex exceptiones dicta non sint tribuenda singuliter Auctoribus Societatis.

697. His ita circa priorem quæstionis sensum præmissis, ad secundum transgreditur, rogans: An quatuor exceptiones dictæ vagæ probabilitatis singulares sint Suaresio, alijsque Societatis scriptoribus, ita vt ceterorum Ordinum scriptores aut antiqui aut recentes, illas non adhibuisse vt compertum habeatur. Quod quidem ille negat, ita de eo certus, vt oppositum duobus illis paradoxis adnumerandum arbitretur probatque inductione scriptorum, ex quibus primus est Magister Aluarez *Disput.*80.*in.*1.2. duas tantùm circa vsum probabilitatum sententias referens: Primam Caietani de obligatione partis tutioris, & alteram Bartholomæi Medinæ conterranei sui, & hoc etiam nomine illi videtur addictior. Ergo ante Medinam ignota erat opinionis pro libertate deligendæ licentia; & ita sola regnabat Caietani sententia, quam secutus est P.Comitolus, & gloriatur se à D. Thoma sumpsisse, non inuenisse suo marte; nec opus fuit exceptionibus P. Suarij, quas laxasse potiùs ait, quàm restrinxisse hanc licentiam; cùm exceptio firmet regulam in contrarium: & ita ijs exceptis, de quibus ille, de alijs pleno iure licebit reliquis. Ad quæ quidem neganda est consequentia; vbi sic arguentem memorem esse, vt aliàs dixi, oportebat, Armillam se patronum esse sententiæ agnouisse, quam posteà Medina amplexus est, fuit enim Armillæ Auctor, Bartholomæus Fumus Apostolicus Inquisitor Medina antiquior. Deinde, infirma profectò illatio est ex eo quod Aluarez solum pro ea Medinam afferat, alios eiusdem patronos minimè fuisse. Eodem enim modo in contrarium formari argumentum poterat, sic solum citat Caietanum: ergo ante illum sola aduersa regnabat opinio. Est quidem id vsu frequentissimum, vt in referendis sententijs, non earum omnes sectatores adducantur, sed sæpè aliqui, quandoque vnus, & aliquando nullus. Nec talis erat Mag. Aluarez, celeberrimus Thomista, vt propter patrium affectum singularem sententiam, D. Thomæ, vt dicitur, contrariam, & heri natam sequeretur. Quid P. Comitolus sentiat iam vidimus: & laxasse potius quàm restrinxisse P. Suarium, dicitur quidem: sed dicta quàm sint veritati contraria res ipsa coarguit. Exceptio quidem firmat regulam in contrarium; sed magis firmat qui sine exceptione eam statuit. Et hoc quod exceptione agitur, arctare est, limitare, restringere, & ita licentiam cohibere: quod quidem Doctori Eximio præ alijs meritissimò tribuendum. Quid vltra?

Medina & Aluarezio infensus Scriptor.

Armilla ex antiquioribus contrarius ipsis.

Aluarezio indigna impostura ab eodem.

Fauent Doctores, quorum obscurari mentem accusatur.

698. Quatuor testimonijs, quibus Quæstionis facti Auctor antiquitatem sententiæ de libero opinionis probabilis delectu conatur euincere, ipse infirmare contendit scilicet D. Leonis. D. Antonini, Alberti Magni, Panormitani, & Sorbonæ ex Dionysio Carthusiano. Et cùm etiam addatur Sylvester, plures quatuor sunt, Alberto magno inter quatuor numerato, quatenus à D. Antonino citatus. Sed certè illius conatus minimè id obtinet, quod se obtinuisse videtur gloriari. De Sylvestro quidē dictum *suprà.* cuius verba ad rem maximè facientia supprimuntur. D. Antoninum truncatum exprobrat, cùm illius verba hæc sint ex. 1. *p. tit.* 30. *Non peccat qui adhæret opinioni alicuius Doctoris, & habet rationes probabiles*

Sylvester.

D.Antoninus.

biles pro ipsa, magis quàm pro opposita opinione. Sic S. Prælatus. Atqui hæc satis aperta pro opinione benignam licentiam indulgente, vnde iure optimo potuit pro ea à P. Sancio allegari. Panormitanum à Sylvestro adductum *verb. Opinio. Quæst.* 1.*ex Cap.Capellanus.* asserentem eum, qui sequitur opinionem alicuius Doctoris non subtiliter inuestigatam excusari à peccato quandiu falsa non apparet, quamuis progressu temporis falsa conuincatur, ita explicat, vt de iuris apicibus debeat intelligi, quorum est excusabilis ignorantia, maximè si ad res iuris positiui pertinet. Atqui hoc non satisfacit: nam licet ignorentur iuris apices, hîc & nunc de eo agitur, de quo an sit contra legem dubitatur. Responsio autem vnius Doctoris ex parte libertatis stat, & non pro lege, ideò enim iuxta eam operans dicitur excusari: si enim iuxta legem operatus fuisset, non erat aliquid, pro quo excusatio quæreretur. Ergo iuxta Doctorem dictum non extat obligatio amplectendi partem tutiorem.

Panormit.

699. Ad Theologiæ Facultatis Parisiensis decretum, proposita re, de qua agebatur, respondet ex Carthusiano *in* 4. *dub.* 25. *q.* 3. Quæsitum enim est à Theologis Parisiensibus, an mulieri volenti Religionem ingredi, posset ingressus permitti, recepta gratis pecunia, in Monasterio, cuius præscriptus esset Monialium numerus pro suis redditibus, nec plures alere posset, nec subinde vllam recipere, nisi ferret secum ad victum necessaria? Ad quod duo sapientissimi Theologi responderunt, primùm, videri id licere, si fiat sine fraude, aut vlla vi, nec reijcienda sit puella, nisi pecuniam numeret. Sed quòd hodie receptissimum est vt nulla in Monasterio Virgo admittatur, nisi collata dote: visum est quid habere simoniæ; quare ad fugiendam, seu semouendam huius vitij suspicionem, tandem respondent tutiùs esse nullam recipi vltra numerum præscriptum, quia non habet Monasterium quo alat, nec tutum putat eo nomine quidquam accipere. Ad quæ sic subdit: *Poterant ne viri memorati apertiùs damnare laxitatem opinionum, quàm correcta & retractata priori opinione, quæ videbatur recedere à rigore, magis quàm ab æquitate legis? Ergo timebant sibi ab opinione minùs tutæ, quamuis fortè magis probabili.* Sic ille. Sed certè in primis, nulla retractatio in prædicta duorum Theologorum resolutione conuincitur, quia non dicitur eos illam adhibuisse, sed visum esse, alijs scilicet, qui attenta conuenientia aliter responderunt. Erat ergo iam tunc receptissima sententia de probabili sequela opinionis stantis pro libertate. Deinde, etiamsi demus retractatam fuisse, idem profectò sequitur: si enim regnaret, vt dicitur, priscis illis temporibus sententia de illicita sequela, non potuerunt Theologi illi sapientissimi priori sua responsione eidem contraire. Prætereà, responsio vltima probabilitati prioris responsionis minimè contrariatur, quia solùm proponitur vt tutior, & de consilio ad semouendam simoniæ suspicionem. Tandem ab Auctore dicitur opinionem priorem fortè fuisse magis probabilem: iudicarunt ergo id licere, licet minùs tutum & id quidem esse magis probabile: ergo minùs tutam partem amplecti, non solùm probabiliter, sed probabiliùs licet, vbi compugnantia aperta dispicitur in hu-

Dion. Carthus.

Theologia Facultatis Parisiensis decretum fauore ostenditur.

Contradictio in responsione.

iusmodi assertionibus: si enim contra partem tutiorem ire nullo modo licet, quomodò opinio, iuxta quam id licitum est, probabilis esse potest? quomodo etiam magis probabilis? Neque enim dici potest absolutè loquendo probabilitatem consistere, non autem respectiuè, seu in conflictu cum altera: quia absolutè considerari nequit, nisi vt contraria legi, siue vt stans ex parte libertatis: sic teneri in ordine ad praxim nequit: ergo non est probabilis, ne dum magis probabilis. Quod autem §. 5. de probabilitate speculatiua dicit, nouissimum inuentum est, eam causæ præsenti applicando, & facillimè potest impugnari: contra quam etiam militat ratio adducta, quia contra regem ire absolutè malum est.

Ioannes Nider *fautor manifestus, & quid de scrupulosis apud ipsum.*

700. Antiquus etiam est Auctor ex Prædicatorum Ordine, qui refertur in Appendice ad disputationem, quam citat Scriptor noster, & suo tempore satis celebris Ioannes Nider, qui plures ex antiquioribus refert scrupulosis remittentes opinionis probabilioris delectum, sicut & tutioris, & circa id inquisitionem. Et iubens vt contenti sint minùs tutæ & probabilis electione, & cuiusuis Doctoris Classici consilio acquiescant. Constat autem pro scrupulosis non esse statuendas regulas, iuxta quas illi improbabiles possint opiniones amplecti. Vnde Auctor idem *pag.* 79. *vers. Ista præscribit*, de D. Antonino locutus hoc idem admittit, sic dicens: *Adde D. Antoninum non ita indulgere scrupulosis, quin velit illos & grauioribus & probabilioribus argumentis suas res peragere, quæ inualescant aduersus scrupulos, & dubia leuia, quibus torquentur.* Sic ille. Cùm ergo scrupulosis vsus minùs probabilium & minùs tutarum opinionum indulgetur, supponitur illas tales esse etiam respectu aliorum, vt tutò ad praxim aduocari possint, vt scilicet sciant illis licitum esse quod etiam alijs licet: aliàs maiores ipsis conscientiæ remorsus adderentur, cùm scire possint id, quod consulitur, esse improbabile, & generaliter tuta non posset conscientia practicari.

P.Baron.

Limitationes ante P.Suarium *oppositas à* Mag. Bañez *contendit* P. Baron. *& ab eo hanc.*

701. Feruet adhuc contradictionis spiritus, & §. 5. *citato* solicitam disquisitionem à se factam ostendit circa recentiores Thomistas, qui laxitati opinionum suffragati sunt, & exceptiones à P. Suario traditas apud eosdem extare, adductis eorum testimonijs conatur reddere manifestum. Vbi inter Mag. Bañez, & P.Suarium præcipuè instruitur comparatio, quia illius scripta alterius scriptis fuere priora annorū aliquot interstitio, de ijs loquendo, in quibus de exceptionibus vterque disseruit: in quo maiori laude dignum iudicat P. Comitolum, qui antiquiorem doctrinam de probabilitate statuens, id ex D.Thoma, & alijs proposuit, quod minimè exceptionibus indigebat. Ergo P. Suarez ex Mag. Bañez correctiones vagæ probabilitatis deduxisse concludit. Quem & secuti ex eodem Ordine alij, quos citat, inter quos est Magister Gregorius Martinez *superius* adductus, quem, laxissimus omnium cùm videatur, mira expositione in suum trahere dogma contendit, quæ si alicuius esset momenti, posset eum alijs citatis Auctoribus applicare. Quod quidem adeò est absonum, vt ad id redarguendum, sola Scriptorum talium lectio sufficientissima debeat reputari. Sed illud non omittendum, quod ex citato Auctore profert, affirmare,

Sicut & à Gregorio Martinez.

affirmare scilicet ipsum probabilitatem securam & practicam de Cambijs non posse statui suffragio illorum, qui commodum ex cambio percipiunt: ad quod sic subdit: *Qua regula funditus cuertit securitatem nouarum opinionum ex suorum auctorum suffragio repetitam: quia nulli, vel certè pauci sunt huiusmodi opinionum auctores, qui ex huiusmodi inuentionibus non expetant gloriam auidiùs, quam Trapezitæ ex suis Cambijs.* Sic ille, in multos gratissimos & doctissimos Scriptores supra omnem exaggerationem iniurius: & illud commodi ex eo reportare possumus, quòd scire inde non obscurè possimus qualis ea opinio sit, quæ talibus fundamentis certitudinem suam conatur roborare. Iam quod ad comparationem illam Mag. Bannesij & P. Suarij spectat, negotium sanè videtur momenti non magni. Sit ita vt dicitur, & probatur, scripta illius *in* 2. 2. Tomum 3. in 3. p. P. Suarij præcessisse. Anne ex eo conuincitur quod est illius calculationis intentum? Scripsit prius, aut potius vulgauit prius scriptum, ergo inde qui posteriùs vulgauit edoctus. Debilis consecutio, quandoquidem qui posteriùs edidit, aut ante editorem præeuntem scribere potuit, aut paribus in scribendo passibus decurrisse. Bañez & Zumelius Salmanticæ Competitores, & vti ex P. Francisco Coëlbio excepi, qui prius in hac Regia Limana Audientia Togatus iudex, posteà Religionis nostræ Alumnus, & sapientia ac probitate conspicuus, Zumelius præ Bannesio celebris, licet huius scripta maiorem fuerint æstimationem assecuta. Sic ille censebat: sed iudicium hoc ego alijs, iusta ductus ratione, reseruo. Illud certò dixerim Mag. Zumelium scriptis P. Suarij nondum editis profecisse: quod & illi doctissimus Alfonsus Curiel in quadam oppositione, similitudine adducta Cerei Paschalis, cui parua candela super ponitur, festiuè, & cum plausu auditus, obiecit. Illi ergo, per quem adeò eximij proficiebant Theologi, expectandum fuit vt Bañez suum illud scriptum pangeret, ex quo pro coërcenda probabilitatum laxitate exceptiones illas pro ministris Sacramentorum ederet, quos habet *Tomo* 3. *citato Disput.* 16. *Sect.* 2. *vers. Secundò colligitur & seqq.* His addendum perquam falsum esse exceptiones illas apud Bannesium haberi, vt consulenti constabit. Solùm enim ait teneri hominem probabiliorem opinionem sequi, quando ex opposita aliquid contra Dei honorem, aut proximi vtilitatem sequeretur, & ad probabiliorem sectam, si fidelis non sit, amplectendam: de alijs nec verbum. Non ergo inde in P. Suario profectus.

P. Baron. *in grauissimos Scriptores iniurius.*

De Mag. Bañez, & P. Suario, *quod explo-ratum.*

Cum Mag. Zumelio *prioris collatio.*

Ludouicus Lopez *quid ex* Bannesio *statuat.*

702. Thomistas recentiores, qui sententiam Bartholomæi Medinæ manifestè sunt amplexi, præter citatos, trahere etiam nititur in *reprobum sensum*, eum scilicet, qui ab eorum & verbis & mente est prorsus alienus. Et in particulari adducit Ludouicum Lopez, qui post Medinæ sententiam explicatam adnotat Ybañes (pro Bañez) eruditè obseruare licitum esse eligere opinionem probabilem ad actiones seu contractus, secus verò cùm in dubio versamur de rebus ipsis, præsertim si magni sint ponderis, vt sunt quæ pertinent ad salutem, quales sunt sine dubio (addit Auctor) cùm apud Bañez non extet, vt videri potest. 2. 2. q. 10. *arti.* 1. *Conclus.* 4.) ad illam necessariæ ex solo præcepto, quia in his eligenda est probabilior: pro quo & duos graues scriptores allegat, Ioannem Martinez de Prado, & Arauxum, quos sibi aduersari non diffitetur Amadæus, vt ille loquitur, & in eamdem mentem aduocari posse Ioannem à S. Thoma cum Mercoro pronuntiat, & aliòs à se non visos similiter, sicut & Mercadum, Nazarium, & Candidum, qui obiter tantùm hanc materiam delibarunt: vt scilicet numquàm probabilis seu tuta sit opinio pro libertate, quamdiu stat contrà æquè aut magis probabilis pro honesto. Quo circa hoc agendi modo nihil excogitari ineptius potuit, quando scriptorum verba adeò perspicua sunt: id quod in vno Ioanne à S. Thoma à nobis allato manifestissimum apparet, ideò enim eum suis verbis loquentem induximus, vt & alij adduci possent: qui cùm pro assertis suis eos patronos allegent, in quos allata non quadrat explicatio, nequeunt diuerso ab illis sensu locuti proclamari. Cùm item vti aduersarios citent eos, quorum menti accommodandos affirmatur. Et distinctio illa de actionibus & rebus tantùm abest quòd præfato faueat intento, vt oppositum potiùs veniat inde comprobandum. Nomine enim actionum non solùm veniunt contractus, aut aliæ, de quibus non sit præceptum: si enim præceptum non est, neque locus etiam quæstioni, quia est circa opiniones stantes pro libertate contra præceptum, & ita Auctor *pag.* 44. Bannesij sententiam explicans id apertè protestatur verbis illis: *Earum scilicet, quæ versantur circa actiones exercendas, seu circa res ex solo præcepto necessarias, & earum, quæ de rebus ipsis agunt &c.* Quamuis verum sit Bannesium in contractibus exemplum apposuisse; sed absolutè de moralibus locutum actionibus affirmat Ludouicus Lopez in *Instructorio Cap.* 287. §. *Pro illucidatione*: qui & id, quod de opinionibus circa res versantibus asseruit, ad materias speculatiuas asserit pertinere. Nihil ergo neque ex Bannesio, neque ex Ludouico, quod Auctori faueat, apud eosdem extat, quos minimè ab eo visos ostendit, sed apud Mercorum forsitan, aut alium bonæ fidei scriptorem, cui eam præstare minimè dubitauit.

*Aperti*ssimis *Scriptorum verbis tenebre in-apertissima expositionis effusa.*

Distinctio de actionibus, & rebus apud Bannesium, *vt fauens, contra* P. Baron.

703. Quod verò explicatio dicta non congruat, ex ijs, quæ addit, potest etiam manifestiùs demonstrari, dum inter Bartholomæum Medinam, & P. Molinam comparationem prosequitur hoc loco neutiquam omittendam. Ait enim videri sibi Medinam maiori quadam fortunæ in Scholis, quam nominis similitudine cum Molina conuenire, & quam iste in Theologiæ partem dogmatricem induxit, inuenta à se, vt in Domino gloriatur, scientia media futurorum, supercomprehensione caussarum secundarum innixa, doctrinæ de scientia Dei, de prædestinatione, de Gratia à SS. Augustino, Bernardo, & Thoma haustæ immutationem, eamdem inuexisse videri Bartholomæum Medinam asserta securitate salutis, & immunitatè à peccato opinionibus pro libertate, etiam minori probabilitate pugnantibus aduersus opiniones de rebus ad salutem ex præcepto aut necessitate medij necessarijs. Atque vti Molinæ præter totam Societatem innumeri ex alijs familijs adhæserunt, ita in Medinæ nuperum inuentum pedibus manibusque iuerunt multò plures & longè apertiùs ex alijs, quàm ex sua. Ex Augu-

Inter Medinam & Molinam *facta comparatio quoad assecutam doctrinam.*

Ex omnibus Ordinibus benignæ sententiæ Sectatores.

Augustiniana quatuor, *Salonius*, *Aragonius*, *Ludouicus Beia*, *Basilius Poncius*. Ex Carmelitana tres, *Corneio*, *Lezana*, *Vrbanus ab Ascensione*. Ex Cistercienfi *Lorca*, *Petrus à S. Ioseph* (qui videndus *in Idea Theologiæ moralis Lib.* 1. *Cap.* 3. vbi omnia à nobis tradita resolutoriè decernit.) *Malletus*. Ex Benedictina *Sayrus*. Ex Franciscana *Angles*, *Pelbartus*, *Villalupensis*, (*Villalobos*) *Ioannes Pontius*, *Haozeur*. Ex Capucina *Bassæus*, *à Coriolano*, *Caspensis Gesualdus*. Ex Ordine SS. Trinitatis *Leander à Sacramento*. Ex Ioroselymitanis (corrige Hieronymianis) *Garcias*. Ex Clericis Minoribus *Auersa*. Ex Theatinis *Diana*, *Pasqualigus*, *Marcus Vidal*, *Lanfrancus*. Ex Barnabitis *Bossius* (sic corrige) *Homobonus*. Ex Sommaschis *Spinula*. Ex Oratorio *Merula* (Merolla) *Guazinus & Ianuarius*. Sic ille habet Catalogum contexens ex Auctore Quæstionis facti P. Des Camps, de quo ille (vt dixi) in Præfatione. Qui Medinæ asseclas ex Societate cur prætermiserit nescio, cùm adeò plures sint, vt citatos omnes ex alijs familijs æquare possint, aut etiam superare. Neque verò omnes ex familijs dictis recensuit ille, cùm plures profectò sint, sicut plures etiam extra familias, licet *Nauarrus* ex sua etiam familia sit, Religione inquam S. Antonij Ronceuallis. Et ex familia D. Mariæ à Mercede Redemptionis Captiuorum sui etiam sint docti sectatores, ex quibus *Ludouicus à S. Raymundo*. Augustinianis addendus *Henriquez*. Carmelitanis *Fr. Antonius à Spiritu sancto* ex Discalciatis in *Directorio Regularium Parte* 2. *Tract.* 3. *Disput.* 6. *Sect.* 1. §. 5. in cuius *n.* 173. cum Ioanne Sancio & Vidal illud habet speciale scilicet subditum, si vir doctus sit, & qui possit facere opinionem probabilem, non teneri obedire prælato præcipienti aliquid, si probabiliter iudicet se ad id non obligari. Cistercienfibus Illustrissimus *Caramuel*. Franciscanis *Bordonus*, & *Cyprianus Crousers*. Capucinis *Leander à Murcia*, qui in suis Decisionibus moralibus *Lib.* 1. Disput. vnica, id omne tenet, & ex professo probat quod est à nobis & assertum & probatum. Clericis Minoribus *Thomas Hurtadus*. Theatinis *Thomas del Bene. Tomo* 1. *de immunitate Ecclesiast. Cap.* 7. *Dubit.* 7. *Sect.* 4. *n.* 1. & 2. *qui & in* 3. adducit Ioannem Valerum, qui cum Ioanne Sancio & Petro de Nauarra, alijsque à nobis adductis. *n.* 65. ad classem secularium spectat, & sunt illi ex Iurisperitis innumeri.

E Societate omnes alios æquant, aut excedunt.

Fr. Anton. à Spiritu sancto, ex quo singulare pronuntiatum.

704. Iuxta quam comparationem, vt condonemus id, quod de immutata doctrina D. Augustini, D. Bernardi, & D. Thomæ ex tradita scientia media à P. Molina, in quo est manifestus commissus excessus contra mentem Pontificum, & eorum seueriissimas sanctiones: quod ad caussam præsentem attinet, excipiendum cum laude est doctrinam de opinione probabili à Mag. Medina traditam ita plausibiliter exceptam, sicut est etiam recepta scientia media, innumeros extra Societatem assecias consecuta. Et cùm innumeri pro illa sint ex familijs omnibus, & sæcularibus scriptoribus, nihilque magis in vsu: ex eo habemus interpretationem illam, de qua nuper, nullum habere fundamentum: omnes enim prædicti iuxta eum sunt locuti sensum, quem Mag. Medina vti singularis in hac parte dogmatista dicitur tradidisse. Præterea, ad probabilitatem dictæ sententiæ statuendam immensum auctoritatis pondus accedit ex illius innumeris patronis: vnde illam velle funditus euertere, est conari *contra ictum fluuij*, quod Spiritus sancti monitis prohibemur. *Eccli.* 4. *v.* 32. immo & contra *mirabiles elationes maris. Psal.* 92. *v.* 6. ac vndarum impetum velle penitus cohibere. Nec de his plura, cùm & hîc Auctor circa probabilitatem sententiæ, quam impugnandam assumpsit, finem obiectorum faciat, descensurus statim ad peculiares cum Amadæo decertationes pro diuersis opinionibus ab eo propositis, & Societatis scriptoribus aut fallò, attributis, aut de singularitate acerbiùs suggillatis: cùm tamen reuera apud Dominicanos scriptores extare ab eòdem, adductis ipsorum verbis, euincatur. Ibi ergo eum, ad alia properantes, finem etiam huic opellæ daturi, relinquamus. Id addentes post hæc scripta circa Amadæi librum à Sede Apostolica, aut congregatione Iudicis Decretum confixionis prodijsse, quod necdum vidi. Illi ergo standum, & ex dictis nihil quod contrarium esse queat vllatenus eliciendum. Si quid autem circa dicenda opportunum, aut importunum in decursu occurrerit, & discussione opus sit, diligentiæ erit nostræ, vt minimè desideretur: quamuis illa eadem ferè sint, circa quæ controuersia vertitur, de quibus iam dictum in superiori concertatione cum eiusdem instituti acerrimo bellatore P. Ioanne Baptista Goned. Quia verò P. Raynaudus sub mentito Amadæi nomine operis, de quo agitur, creditus Auctor, Stylo cruento mactatur, operæ pretium erit hîc pro viro tanto aliquid subdidisse, & de ipsis iniurijs coronam illi honorariam conformasse.

Ecclı. 4. *v.* 32.

Multiplex in fauorem Societatis & benignæ opinionis illatio.

P. Theophilus Raynaudus ab immani impostura cum laudis auctario vindicatus.

705. CVm multa & probrosa, & prorsus indigna contra prædictum Patrem ab ipso operis exordio fuisset iaculatus, dum ipsum in Amadæo petit, iam credens eumdem, iam fluctuans circa illud: & quod multis sibique pænè persuasum, à credulitate repellens, in *fine Arti.* 2. §. inquam *vltimo* hæc habet: *Primò* Amadæum aut Theophilum esse, aut diabolum. *Secundò*, instructissima bibliotheca Collegij Societatis Lugdunensis, & copiosa librorum supellectili, quorum est ciuitas illa emporium nobile, vnde & fuit facile ex toto orbe Bibliopolarum opera libros comparare, ad farruginem suam conficiendam, adiutum. *Tertiò*, Confinxisse eos, qui numquam scripserunt, nec vnquam extiterunt. *Quartò*, insscia Societate vulgasse librum, quod de more illi, sæcularium opera ad talia vti solito. *Quintò*, incarceratum Auennione, id quod & alij, vt Casulas *pag.* 228. eidem semel & iterum exprobrarunt. *Sextò* ab scriptore isto damnabilis illi objicitur origo ex Albigensium reliquijs, qui D. Dominico prædicante, & Inquisitoris Apostolici munus exercente, in sabaudicam vallem confugerunt ex Gallia, facti ex tunc Inalpini: quæ valles adhuc sordent profanis Waldensium, & Albigensium reliquijs: vnde & hinc proculdubiò væsanum liuorem veniisse dicunt, quem à decessoribus

Multa aperte falsa in P. Theophilum *iactata.*

bus hereditario iure, & natiuo excepit influxu in D. Dominici Ordinem, & eius Alumnos. *Tandem*, ipsum morte instante, quasi vltimo mandato, posthumum & infelicem hunc partum commendasse amicorum alicui, cuius opera malis auibus prodiuit.

Eorum falsitas detecta.

706. Sic ille, sed immeritissimò: meminisse enim oportuit exempli in hac materia frequentis, vt non semper liceat opinionem probabilem amplecti, & ea vti, quando scilicet in alicuius exitium, aut notabile potest cedere nocumentum: vt cùm venator videt à longè quod probabilius putat esse feram, nequit saiua conscientia sagittam emittere, cùm sit probabile esse hominem, & ita verum esse reipsa queat, vnde sagittæ emissio exitialis futura. *Et si mentito nomine sit Theophilus Raynaudus (quod multis, mihique iam pænè persuasum) nolim credere. Hoc ne Cycneo cantu &c.* Si ergo non vult credere, si neque opinionem circa id probabilem habet, & iuxta ipsum, id quod est tutum, penitus amplectendum: Quomodo qui *sagittas suas ardentibus effecit*, non vnam aut aliam in Theophilum, sed plures, meritò iuxta Apostolum *tela nequissimi* (diaboli inquam talia ministrantis) *ignea*, iaculatur? Hîc, hîc potiùs illa, quam in mentito Amadæi nomine, delitescit. Amadæus non est Theophilus. *Quis sit* (vt cum Poeta loquar) *iam scire potestis.* Matriti degit, non in Theologiæ æternum dedecus, vt dicitur; sed vti illius decus à doctis, & piè, sanè, ac sincerè affectis, consultus, dilectus, celebratus. Non ergo ex Lugdunensi libraria supellectili ad Apologeticam farraginem instructus Raynaudus. Sed confinxit, aut libros, aut Auctores, quisquis ille est. Et vnde hoc probatur? Argumento nullo, & falsiloquio comperto: nullus enim citatur liber, cuius non possit copia, videre eam cupientibus, exhiberi. Dolet Auctor quod neque centesimam eorum, qui citantur, vix partem ad manum habeat, & ita Amadæum in tuto se, & extra teli iactum collocasse, tot librorum allegationibus, quibus respondere non possent, eorum copia carituri. Atqui potuit Amadæus contrario duci discursu, in Gallia inquam typographico apparatu insigni, nullum eorum, quos citat, librum defuturum. Præterquam quòd non Tholosanis tantùm Patribus librorum indigis, sed orbi scribebat vniuerso, Lugdunensibus proinde, vbi in Societatis Collegio instructissima bibliotheca, qualem in PP. Prædicatorum Conuentu haberi iure quidem potest optimo iudicari. Et hæc circa tria priora.

Psal. 7. v. 14.

Ephes. 6. v. 16.

Sæcularium opera non vsum suis in scriptis conuincitur.

707. Iam quod de sæcularium adhibita opera ad editionem dicitur, & ita de illa insciam Societatem, hollucinatio est. *Si quando longior instabat peregrinatio, amicis sæcularibus suas lucubrationes credebat. Hoc ob vno eius familiari mihi relatum, cui sui Ethicæ partem, aliaque scripta reliquit.* Sed an reliquit vt ederet? Nonne potuit familiari scriptorum aliquorum copiam facere cupienti ex illis proficere, vel vt ea exscribenda curaret, sicque ad typographiam idonea redderentur? & quidem dum insciа creditur Societas, eius videtur honori & charitati Auctor consulere, ne immanis criminis editi perniciabilis operis aliquomodo particeps habeatur. Atqui non esse tale Sedes Apostolica iudicauit, dum iactatas in illud censuras digna animaduersione mulctauit. An non poterat Societas honori suo militanti docti scriptoris lucubrationi enormiter læsa conniuere? Quot & quanta scripta eidem infesta à Prælatis sui sacri Ordinis non dissimulata solùm, sed etiam approbata? Sint testes, vt de alijs taceam, Casalas, Goned, Baron, qui occasione alios impugnandi, Societati, & eius scriptoribus, à quibus in nullo læsi, minimè pepercerunt. Et hoc circa *Quartum*.

Circa incarcerationem notanda narratio.

708. Circa Quintum de incarceratione, id dabimus, sed dabimus cum incremento gloriæ inde Auctori clarissimo comparatæ. Audiendus ille in *Prato spirituali, seu Centuria prima historiæ Christianæ æui nostri*, extante *Tomo* 17. §. 2. vbi de Theresiana virgine sanctitate & prodigijs celebri narrationem instituens, post alia ita scribit: *Cetera in præsentia premo. Vnum, quod me proximè tangit, præterire nec possum, nec debeo. Seruus Dei ab homine iniquo & doloso circumuentus, immò & à diuite & strenuo calumniatore per potentiam oppressus, carceri mancipatus erat cum ingenti infamia. Nam tametsi nulla carceris causa prodebatur (nec verò prodi poterat, & denique perspicuè deprehensum est hominem hostili tantùm malignitate grauatum, labis omninò purum, & vitæ integrum fuisse) tametsi inquam ita res haberet; tamen vulgus externa illi speciei carceris intentum, multa de eo & indigna, & ab eius genio alienissima ferebat atque iactabat. Fortè cùm primùm ea calamitas inuoluit hominem, pius Parthenonis Curator, sororum precibus illum, generatim tantùm, & tacito personæ nomine commendarat: id quod cum ceteris, hæc ipsa, de qua agimus, ancilla Dei, fideliter, feruideque est executa. Sed cum conclusio in carcere ad multos iam menses protraheretur; siue per eorum, ad quos exsolutionem vrgere attinebat, auersam mentem, siue per potentiam & malignitatem criminatorum, fuit qui ad hanc nominatim Dei famulam adiret, & vt captivum precibus apud Deum iuvaret, deprecator accederet. Illa, num Religiosus esset, pro quo orare rogabatur, sciscitata est. Cùm annuisset qui rogabat, leniter ipsa arridens, hoc (inquit) iam pridem pro illo præstiti & à P. Gregorio (nomen est viri Religiosi ex eadem familia sanctitate conspicui, paucis ante annis vitæ functi) edocta sum, Religiosum illum innoxium esse, nec vlla sua culpa contrusum esse in carcerem, sed vt Christo conformatus excoqueretur, & merita cumularet, ac quia Deo compertum est ita illi expedire. Hoc responsum captiuo renuntiatum, mirum quanto illum perfuderit gaudio, & quanta illum ad diuinam prouidentiam, quæ in sui dispositione non fallitur, conformitatem conciliarit.* Sic ille. Vbi manifestè apparet de se locutum. Fuit ergo ille *Integer vitæ, scelerisque purus*, malignitate hominis potentis oppressus, & testimonio falso degrauatus. Sic Deo permittente ex fine illo, qui venerabili est virgini, viro sanctitate conspicuo internuntio, & iam cælite, redditus manifestus. Potuit ergo ille cum castissimo Iosepho, qui & ipse falsa impotentis iræ mulieris testificatione diuexatus est, & in carcerem detrusus, verissimè dicere: *& hîc innocens in lacum missus sum.* Genes. 40. v. 15. *Christianæ virtutis & Religiosæ vitæ exemplar.* Sic illi, quibus probè notus, operum Censores. *Tomo* 1.

P. Raynaudus.

Gen 40. v. 15.

Laus Fr. Nolani eiusdem adaptata.

709. Vnde quod de Fr. Nolani incarceratione Sodalis sui à Casalas dictum, cui illa fuerat, sed falsò

falsò vt ostendit (penes quem sit fides) ob Constitutionem Innocentij X. de quinque Ianseniani hæresibus pertinaciter exceptam, iuuat in causam nostram aduocare. Sic enim ille pag. 138. *Nolanum autem dum exhibes ad Turrim Nonnanam, post ad Tullianum iussu Pontificis traductum, ad quid collimas? Incarceratum vis ostendere virum Cyriacum? Non negamus, sed causam inclusionis inquirimus. Hanc tu assignas, quòd nempe Constitutioni Pontificis quinque Propositiones damnantis illusisset. Verum est: fuit hic rumor per almam vrbem sparsus ab æmulis doctrinæ Angelicæ, eorumque arte ad Pontificis aures fraudulento astu delatus: At vbi comperta est rumoris falsitas, aperitur illi carcer, nec curat egredi, nisi comprobata publico lumine innocentia, imitatus, & superans Christiana fiducia Philosophicam Socratis constantiam, qui vt ait & miratur Seneca Epist. 24. in carcere disputans, & exire (cùm essent qui permitterent fugam) noluit, remansitque, vt duarum rerum grauissimarum hominibus metũ demeret mortis, & Carceris. Sic noster Socrates Christianus liber in vinculis Nolanus, donec dissipata calumnia, comprobata detenti integritate, ac veritate effugante tenebras, quibus aliquando obsessa latuerat, iussu Alexandri VII. vix ad Pontificatum sublimati, redditur captiuo libertas, infamato antiquus splendor, adeptaq; est hoc improperio nouum probatæ innocentiæ fulgorem, siquidem remittitur ad Fratres, & aduocatur à Pontifice, qui paterno affectu solatur innocentem, iubetque in Comitijs Ordinis Generalibus tunc Romæ celebratis Definitoris suæ Prouinciæ Hybernicæ frui extra ordinem suffragio & loco, Nolanum ad nouum gloriæ splendorem sublimandum. Non Socratem carcer inhonorat, sed honestat, carcerem Socrates, rutilantque nouis fulgoribus tot sancti viri è carcere egressi, hæreseos ac Magiæ insimulati. comprobato merito ac innocentia. Fulget in vinculis Ioannes fulgentior Chrysostomo Paulus in carcere, quam in cælo, oneraturque catenis Christus veritas, Christus Innocentia. Non dereliquit Nolanum in vinculis sapientia, sed descendit cum eo in foueam, & attulit illi sceptrum Regni, irrefragile incontaminatæ fidei ac doctrinæ testimonium, quam exinde altiùs & firmiùs spirante animo docet, profitetur, propugnat.* Hæc ille: quæ quidem, *si mens non læua fuisset*, pius & Christianus casus proximi sui factus interpres, accommodare eidem meritò potuisset.

Nolani imperio argumentum.

Præclara ex humiliatione victoria Apoc. 6. v. 2.

710. Sed vero aliter accidit in P. Theophilum regesta præfatæ narrationis antitheti, dum prædictus Scriptor ait clausum, incarceratum, conclusum, non ab extraneis, præualente calumnia, sed à domesticis veritate comprobata, qua velli suæ æternum inusserat opprobrium. Nolano carceris ostium reseraſſe innocentiam animi, illi pœnitentem vultum: mutatoque latibulo, non deserto. Atque sic præmiserat: *Dicitur enim, verè an falsò?* &cùm falsum esse posset, certo tamen opprobriorum nimbo perculsus: & ad significationem ærumnæ vix verba sufficiunt, dum clausus, incarceratus, inclusus pronuntiatur. Laboris suæ causam ingenuè ille & verissimè patefecit. *Præualente calumnia, & ab extraneis illa*, quod negatur. Sed qui calumnia concussus, & contrusus in carcerem, in carcere philosophatus est. Exiuit (liceat pro imitatore Christi egregio, vt ex adducta narratione constat, verba de illo prolata aliqualiter vsurpare) *Exiuit inquam vincens vt vinceret. Apoc. 6. verſ. 2.* non mutato latibulo, sed deserto, verùm vt Romam è latibulo, ad splendidius diuinæ sapientiæ theatrum conuolaret. Sic panegyristes eius alter, quo cum modò præsertim agimus, quorum si conuenientia testimonia non sint, id quidem innocentiæ causæ militabit. *Hoc ab vno eius familiari mihi relatum est, cui suæ Ethicæ partem, aliaque scripta reliquit, cum Auenione è carcere Romam profectus est.* Si Roma latibulum, quis apertus locus est? Romam ergo profectus eximiæ sapientiæ, & omnigenæ eruditionis specimen luculentum exhibuit. Et qui aliquorum eius operum intercepto vsu claritudinis suę detrimentum aliquale perpessus videbatur, Pontificia benignitate & æquitate ab eôdem implorata circa exactam reuisionem per viros ab affectibus liberos obeundam, id assecutus est, quod *peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet & tabescet.* Psal. 110. v. vlt. editionem videlicet nouendecim voluminum ex nobili typographica officina, ad omnem splendorem & decorem ijs, quæ ad externam speciem attinent concinnatis, vt quamcumque possint, Regiam etiam Bibliothecam, illustrasse. Dicere ergo non immeritò possumus, quod de castissimo Patriarcha, quem in carceris perpessione secutus (vt nuper dictum) apud scriptorem sacrum legimus, beneficia sapientię in eodem prędicantem: *Hæc iustum non dereliquit sed à peccatoribus liberauit eum: descenditque cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret illi sceptrum regni, & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant: & mendaces ostendit, qui maculauerunt illum, & dedit illi claritatem æternam.* Sap. 10. v. 13. & 14. Quòd flammis addictus liber contra Cyriacos scriptus, quid ad illum, qui suum esse negauit? Cùm insuper à flammarum sententia vindicatus sit, honori eiusdem Patris, qui ab aliquibus creditus auctor fuerat, Senatus supremi Tholosani Præside consulente, vt ex ijs constat, quæ in Tomi prioris vestibulo producuntur. Gaudebit ergo sceptro sibi regni à sapientia delato, & æterna illa claritate, qua Dan. 12. v. 3. *Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.* Et circa Quintum ista hæc.

Editorum operum claritudo.

Et maior auctoris.

Sap. 10. v. 13. & 14.

Dan 12. v. 3.

Circa generis impuritatem depulsa calumnia.

711. Circa sextum de damnata origine ex Albigensium fæcibus, culpandus venit sat crassus error, Patrem scilicet Theophilum in aliqua Sabaudicarum vallium natum, cùm manifestissimum sit patriam eius esse Nicæam Italiæ vrbem, siue Niciam, vt alij vocant, in regione Pedemontana, quę Sabaudię Duci subiacet, vt videri potest apud Geographos, de qua & Paulus Antonius de Tarsia in Europa carminibus descripta Elegia 3. de Italia.

M. Ant. de Tarsia.

Plena licet fuerit Nicia, sola iacet.

Testatus id Pater ipse suaOpera consecrans Magno Sabaudię Duci, à quo eidem Regia humanitate rescriptum, vt primo Tomo eorum videre licet. Non ergo ex natiua habuit indole vnde Dominicanos Patres væsano prosequi liuore posset, cuius cùm præcipuum argumentum Diatribæ contra Cyriacos sit, & hoc ille negauerit, cessat profectò ratio cruentæ adeo infectationis. Accedente viri grauissimi testimonio id ipsum contestantis, de quo Auctor idem in Præfatione. Si quis inter Hispanos infame aliquid contra alium effu-

tierit, & reconuentus an illud dixerit negauerit, ceſſat infamiæ nota, & qui infamatus cenſebatur, à legibus honorariæ vindictæ liber proclamatur. Cur ergo tale aliquid in caſu noſtro meritò non exigamus, vbi non mundano ritu, ſed Chriſtianè, ſed Religioſè res agi debet? Timendum ſanè ne ſit Iacob aliquis, qui dicat: *Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura.* Gen. 49. v. 7.

uſen. 49. v. 7.

Fabula poſtremi in morte mandati.

712. Circa vltimum de poſtremo mandato, morte inſtante dato amico, cuius opera opus, ſed infelicibus auibus prodiuit, quid ſit dicendum res ipſa palàm oſtendit. In quo Auctor ſibi non conſonans comprobatur, qui *Diſp.* 1. in ipſo eius exordio ita ſcribit: *Sed Deus meliora pijs. Abſit vt de viro Catholico ac Religioſo, quamuis Noſtrum profectò hoſte, tam atrox ſcelus, & mortem adeò infelicem ſuſpicer: quamuis ſtylus, eruditionis ac variæ lectionis oſtentatio non diſſentiret à Theophilo.* Sic ille. Deinde P. Theophilus viuebat *anno* 1664. cùm die 20. Martij publicatum eſt Decretum, quo SS. Dom. Alexander ſupplicationi eius annuens circa reuiſionem, de qua nuper, per Eminentiſſimos Cardinales ſacræ Congregationis de Indice ſuorũ operum copiam fecit ampliſſimam edendorum, quod extat Tomo 1. inter liminaria alia. Atqui Amadæus multo antè prodierat: nam tertia eius editio fuit *anno* 1661. Valentiæ; vnde & prima ac ſecunda anteriores extiterunt. Quomodo ergo moriens editionem operis potuit amico commendare? Hîc certè Catochroniſmo eſt manifeſto peccatum. Nam de tempore mortis ignoratio nulla in ipſo, cùm & annus & dies adnotatus reperiatur, in peruigilio inquam Feſti omnium ſanctorum. Sed quo id animo? Neſcio, Deus ſcit. Neque ego Religioſo præclari adeò Ordinis, & ſtrictioris obſeruantiæ, indigno crediderem. Defenſio ſemper pacatiſſimo animo ſuſcipienda eſt; ſi enim præferuidè, & exardentiùs, valde difficilè erit inculpatæ tutelæ mederamen obſeruare. Quod vtinam in nobis ita accidat, pro quo & deſiderium & ſtudium teſtatum velim, quod vtinam Deus dignetur vtili ad ipſius gloriam euentu fortunare. Et ex dictis ſatis euadit compertum quàm fuerint coniecturæ fallaces, quibus in Præfatione vſus, vt aliquo modo ſaltim certum euinceret P. Theophilum pro opere dicto operam aliquam præſtitiſſe, & quidem quod de ſtylo dicitur, neſcio quomodo vel leuiſſimum potuerit fundamentum exhibere. Nam Amadæus ferè aut penitus Scholaſticus eſt, cùm tamen Theophilus ſemper vltra vulgarem dicendi modum aſſurgat: vnde & ab aliquo inconſultè, & reſponſione eius acriore digniſſimo, latinitatis excellentia recognita, circa ſuperioris doctrinas, vti minùs habent, ſuggillatus. Pro quo & ſatis fecit ipſe; & vt taceret, pro eo poſſent tot egregia volumina omnigenæ eruditionis referta theſauris reſpondere. *Obſtupuere vulgò ad hanc vbertatem periti rerum, atque Sapientes:* Verba ſunt nobilium Lugdunenſium, quibus talis vbertas, non paruo fuit, prælorum ſudore, compendio, dum R. P. Ioannem Paulum Oliuam Præpoſitum Generalem Societatis *Tomo* 17. cui illum conſecrant, alloquuntur. Videtur ergo Theophili alterius, Antiocheni inquam, omnium huius nominis antiquiſſimi & copiam & elegantiam aſſecutus, de quo D. Hieronymus in Scriptoribus Eccleſiaſticis, cùm quædam ab eo compoſita protuliſſet, ita ſubdit: *& alij breues, elegantesque tractatus ad ædificationem Eccleſiæ pertinentes.* Et alios cum eidem retuliſſet adſcriptos ſic ſubiungit: *Sed qui mihi cum ſuperiorum voluminum elegantia & phraſi non videntur congruere.* Sic Doctor Maximus, vt in Theophilo noſtro imitationem & nominis, & copię ac elegantiæ in ſcribendo, & quod plus eſt, inſignis probitatis, imitationem nobilem liceat ſine inuidiæ infami tormento prædicare. Vtinam illi iam eorum ſit datum iungi conſortio, quorum gloriam eliganti & erudito eſt calamo proſecutus, Lugdunenſium inquam Martyrum, Patriarcharum, Triados Brunonis, Franciſci de Paula, & IGNATII Loyolæ, quos ſibi fecit amicos, non *ex mammona iniquitatis*, ſed proferens *de theſauro ſuo noua & vetera*, vt cùm deficeret, reciperent eum *in æterna tabernacula.*

Fallaces coniecturæ circa Amadæum cum Theophilo confuſum.

Antiquitas Theophili in Recentiori dotes.

D. Hieron.

Luc. 16. v. 6. Matth. v. 52.

Pro Patre Franciſco Suario ex citato Scriptore noſtro ſingularis commendatio.

713. ANtequam à viro tanto dicturi alia recedamus, vt id quod de Eximio Doctore P. Suario profati ſumus, pro quo & auctarium hoc loco exhibendum promiſimus, feliciter impleamus, audiendus ille in *citata Centuria* §. 32. vbi ita ſcribit: *Æui noſtri duo clara lumina eiuſdem appellationis, videre adoleſcens memini: alterum Granata dederat, Auenio alterum. Priorem copioſa ingenij ſoboles toto orbe clarum fecit. Tot enim & tanta de rebus Theologicis ab eo conſcripta extant, quanta vix ab vllo, non modò huius ætatis, ſed etiam ſuperiorum ſæculorum. Nec numeroſitas ſcriptionum ſoliditatem* (audiat hoc quodcumque eſt illud maledicentiæ portentum) *aut accurationem labefecit, vt ijs vſu venire ſolet, qui multa, non multùm ſcribunt. Sed vbique ſui ſimilis lectorem implet, & ſuſceptam difficultatis diſcuſſionem exhaurit, conſuli, & euolui digniſſimus. Me verò multò magis afficit inſignium illius hominis virtutum recordatio. Erat enim cum Deo per orationem coniunctiſſimus, & quod in tanta hominis luce, & apud omnes ſplendore eximium videri debet, vilis erat in oculis ſuis. Aderam cùm appulſo Auenionem vrbs vniuerſa ad eum vel conſpiciendum effuſa, è primarijs Doctoribus vir clariſſimus Dionyſius Chriſtianus publico nomine gratulationem elogijs ampliſſimis refertam exhibet. Ille nihil ſecus ad iſta commoueri, quàm ſi de ignoto homine ſermo haberetur. Spirant eamdem humilitatem ſcripta eius omnia, in quibus nullus vſquam tumor, nulla aliorum contemptio deprehenditur. Quia verò Deus emittit fontes in conuallibus, hoc (D. Auguſtino interprete) cœleſtibus donis complet humiles corde; non erit operoſum æſtimare quanta eſſet in adeò humile pectus diuina largitas, quantum (vt pia credulitas fert) in cælo decus ab eadem ſit repenſum in perpetuas æternitates, tam demiſſa celſitudini.* Hæc ille ad cognominem tranſiturus: pro quo & ego in Epithalamio & Amphitheatro nonnulla, pauca quidem, licet ampliora pro viro incomparabili ſemper pauca futura, quem verbo læſiſſe, aut Calamo, ipſam eſt innocentiam, ipſum eſt ſapientiæ florem pulcherrimum temeraſſe.

Theophil.

Circa dicta Sectione 6. diſiecta citati Scriptoris hoſtilis obiectio ob priuilegiorum defenſionem à Societate in cauſſa fatis nota prætenſam.

714. DIctum ibi circa Bullam Gregorij XV. ab Vrbano reuocatum, & Breue Innocentij X. circa controuerſias inter Religiones, & Epiſcopum Angelopolitanum, de quibus Amadæus in *Propoſitionibus ex Tractatu de Fide Propoſit.* 15. quæ apud Aduerſarium hæc erat: *Plures Propoſitiones defendebant apud Indos* defendebant Ieſuitæ contra poteſtatem & iuriſdictionem Epiſcopi, *ſuper quibus* condemnati fuerunt ab Innocen. X. in Bulla expedita *die* 14. *Maij. an.* 1648. Ad quã quidem reſpondet Amadæus id, quod reuera fuit, de quo & à nobis dictum, quamuis in eo ipſius ſenſum non probemus; quòd cenſeat diſpoſitionem dictam Pontificis locum habere etiam poſt inuentam Vrbani Bullam quoad ſpecialem vim circa Regularium punitionem ab Epiſcopis inferendam. Inſurgit autem P. Baron *Diſputat.* 3. *Sect.* 1. §. 4. obijciens eidem ex Aquila (quod & ſæpè aliàs aſſeruerat) ſuum opus manifeſto furto compilatum, qui prior defenſionem illam vulgari ſermone conflauerat. Et cùm apud illum ſupra centum triginta duas, Amadæum eas ſupra centum viginti perſtrinxiſſe, octo de priuilegijs ſui inſtituti, ſeu immunitate ab Eiſcoporum poteſtate, vna fuiſſe complexum. Et quidem exiſtimare ille potuit Aquilam & Amadæum ſolo nomine diſcerni & eum ipſum, qui vulgari ſermone contra Eſclapem opus dictum ediderat, poſteà, vt defenſio eius & grauior, & amplior, & validior, & vbique etiam eſſet peruia, Latino eam ſermone edere, & Propoſitiones augere aut minuere pro libitu potuiſſe: ſicut variare etiam nomen potuit & cognomen ipſius conuenienter inſtituto.

Propoſitio iniuriosa Societati.

Tenuiſcula diſtinctio.

Duo monita ſtrenuiſſima

715. His præmiſſis, duobus ait ſe monitis fore contentum: ſcilicet, cùm huiuſmodi priuilegia, nec ipſi, nec vlli Religioſorum poſſint obtendere, niſi Pontificia auctoritate collata; cùm hac de re lis mota fuit ab Epiſcopo Angelorum, & Romam deducta ad Summum Pontificem, huiuſmodi priuilegiorum legitimum iudicem, cuius mero arbitrio ſunt collata, ſe non capere quo iure, eo inuito & abrogante, ſeruari aut vſurpari poſſint. Interceſſerunt enim aduerſarij, detrectato quo licuit iudicio Pontificio, & ad Regem confugêre cauſſati Epiſcopũ Romam appellaſſe contra regij Patronatus, propriaque iura, & publicam tranquillitatem. *Iure an iniuria* (inquit ille) *& nimio litigandi æſtu, hæc tentata ſint, alij iudicent. Quod ad me attinet, mallem mihi abrogari omnia priuilegia, quàm ijs artibus, & vitiligationibus tutari: nec crederem ſalua conſcientia vſurpari, vbi primùm ſciuerim affixum ad valuas S. Petri Decretum*, quo reuocantur. *Neque enim obtenderem quoſcumque Patronatus, aut titulos oneroſos, quia mero arbitrio Pontificum data excepi: nec conquererer mihi abrogata, eodem in Pontifice, quo ſoleo, aut certè debeo, comparatus eſſe in Deum, à quo ſolam obſequij gloriam, magis quàm donorum ambirem: & qui vitam dedit, ſi auferat, promptus & gratus parebo.* Sic ille ſanctè & religioſè, animum erga Sedem Apoſtolicam ſuum, quo cum laude excipimus, proteſtatus. Sed certè hoc loco non cum Amadæo, ſed cum Societate videtur, litium religioſiſſimus detrectator litigare: dum ipſi obijcit, eius inquam filijs, quod ab ipſius eſt ſpiritu alieniſſimum, Sedis ſcilicet Apoſtolicæ deeſſe obſequi, & contra eius placitum in ſæcularibus tribunalibus pro conſeruandis priuilegijs agere ab eadem abrogatis. Neque aduertit cauſſam dictam ſolius Societatis non fuiſſe, ſed Religionum omnium in Indijs degentium, & ita etiam Dominicanorum Patrum, qui & in illa iudices Conſeruatores fuerunt. Sed fortè non cauſſabitur in eadem etiam acri improbatione decernere, quod & ſolitus, dum contrarios ſuis placitis deprehendit, vt transfugas infamare.

P. Baron.

716. Non negamus Priuilegia à Sede Apoſtolica conceſſa, ab eadem poſſe, cùm illorum ſit & iudex & auctor, reuocare. Cuius reuocationis conſtituta voluntate, eaque maximè publico teſtimonio declarata, inique acturos reluctantes libenter affirmamus. Atqui ſic egit Societas. Hoc erat probandum, nec calumnia pro argumenti parte ſubſtitui: quod vitilitigare potiùs eſt. Ad Regium autem Patronatum, attendi debere, cùm de Priuilegijs agitur, is tantùm negare poſſit, qui rerum iſtarum altam ignorantiam affectauit. Nec video quomodo id Galliæ Regibus, atque eius miniſtris probandum veniat, pro illorum conſeruatione ſollicitis, & quæ ad ſui reuocationem plus exigunt, quàm ſoleat pro communibus adhiberi. Et vt ſtet à Sede Apoſtolica reuocata, quis dubiter Regem adiri poſſe, vt reuocationis notitia habita, & fortè æmulorum importunitatibus impetratæ apud illam pro noua conceſſione agat, quam videat ſuis regnis opportunam, ijs, ad quos illa ſpectant, interim iuxta abrogationis tenorem agentibus? Quod quidem accidit poſt Bullam Gregorij XV. donec Regis noſtri precibus ab Vrbano VIII. illius eſt obtenta reuocatio. Et quidem dolorem reuocatorum Priuilegiorum circa audiendas Confeſſiones Dominicani Patres non leuibus argumentis teſtati ſunt, circa *annum* 1274. quo mortuus eſt Rembertus Ordinis Quintus Generalis, Innocentio Quarto Summo Pontifice, qui Bullam edidit contra Ordines Mendicantes, qua prohibebat ne ſæculares abſque expreſſa Paſtorum licentia audire poſſent in Pœnitentiæ tribunali, cum nonnullis alijs, quæ afflictionem, non modicam inferebant. Tunc Dominicani per totum Ordinem poſt Matutinas preces noctu perſolutas ſubiecerunt Pſalmos Pœnitentiales, cum additis Orationibus ad B. Virginem, & id impetrarunt quod ipſorum hiſtoriæ referunt, viderique poteſt apud P. Balingham in Kalendario Mariano die 15. Iulij, quamquàm id quod refert, ad anteriores ſit annos referendum, licet Venerabilis Humberti mors eo ab ipſo deſignato acciderit. & tunc quidem non ſolùm media fuiſſe ſpiritualia adhibita, ſed humanis etiam locum datum, ex ijs habetur certum, quod refert P. Mag. Ferdinandus del Caſtillo *Tomo* 1. *hiſtoriæ Ordinis Lib.* 2. *Cap.* 51. & 52. in quorum primo ſit ille ſuis verbis audiendus: *Y llegaron los emulos à la Corte Romana en proſecucion da la cauſa penſando que hacian liſonxa al Pontifice, pasò el negocio muy adelante. Fue neceſſario que el Mucho*

Circa reuocationem priuilegiorum nihil indebitum à Societate peractum.

PP. Dominicani quid olim in cauſſa ſimili fecerint.

Ferdin. del Caſtillo.

Vimbertoſe partieſe à hacer nueſtro à tuentas nouedades y alteraciones, y a dar razon de los de ſu Orden en la plaza del mundo. Y porque el primero y principal medio para todas eſſas es acudira Dios &c. Regis etiam patrocinium, Diui inquam Ludouici, ijs in tempeſtatibus imploratum, ſatis compertum habetur ex Bulla Alexandri IV. apud ipſum, deque *Cap.53. ſub data 5.Octobris an.1255.* & nihil horum tantis Patribus indecorum, vt neque tale debeat, quod iuxta ſimilem formam effectum à Religioſis Societatis, & alijs ex Mendicantibus in cauſſa dicta, niſi iuiuriosè agendo, reputari.

717. Sed ſuis in monitis pergit ille, & ait non ſibi ſatisfacere exceptionem Amadæi vitiligantis contra Gregorij XV. decretum, quod teſte Salgado, poſteriori Vrbani VIII. reſciſſum circumfertur. *Nam præter quòd* (verba illius do) *teſtari oportebat gratum animum in Gregorium XV. quo nullus meliùs de Societate meruit, aut mereri potuit, relatis aluo Sanctorum Diuis IGNATIO & Xauerio: quid Decretum dubium ab vno teſte obſcurum, ambiguum, ac ſubinde apud me nullum, ad Decretum, quod toto orbe circumferebatur?* Sic ille: cui tamen iuſtiſſimè reponendum non ſine Societatis iniuria exceptionem dictam, qua nec læſus ille. aut ſuarum qui ſquam, improbatam, dum ei labes ingratitudinis exprobratur in Pontificem adeò de illa bene meritum, vt ipſius memoria debeat in æternum & vltra conſeruari. Quod quidem & ipſa recognoſcit, & ſingulis annis die 12. Martij perennatura commemoratione teſtatur. Rata nihilominus nihil contra hoc debitum præfata agendi ratione committi, ſi quod ab Vrbano in eius Conſtitutione reuocatum, ſuum habere conaretur effectum. Hoc enim & Gregorius ipſe valle debuit ſciens Conſtitutiones Pontificias reſciſſioni eſſe obnoxias, & facturum perperàm, qui reuocationibus obluctari velit, cùm ſciat priores ſecum eo ipſo quòd reuocatę ſint omiſiſſe valorem. Et quidem Conſtitutio dicta ad inſtantiam Religionum reuocata, vnde commune Vrbani VIII: beneficium, à cuius communicatione ſubtrahere ſe non poterat IESV Societas, futura in eo impertinenter, vt ſic loquar, immò & odioſiſſimè ſingularis, & eorum quidem qui ita objiciunt circa huiuſmodi cauſſas conſcientias reconuenio, rogans quid ipſi facerent? An allubeſcente magno, & ad miniſteria obeunda cum fructu & tranquillitate ſpirituali commodo, illud recipere, promouere, ac defendere minimè procurarent? Iam quod de vno teſte adiectum ex Reſponſione ad Propoſitionem dictam quàm ſit inconſultum apparet: non enim vnus tantùm teſtis, ſed plures allegati. Quanto autem cum fundamento, ipſo eſt patefactum euentu: ſiquidem Vrbani VIII. Bulla reperta eſt poſt diuturnam conquiſitionem. Circumferebatur quidem toto orbe Decretum, ſit ita vt dicitur. Sed reuocatio non vnius aut alterius, verùm communi etiam fama ferebatur, quandoquidem Religioſorum ſolicitudine comparata, & more ſolito promulgata, non poterat non ad multorum notitiam deueniſſe. Cùm ergo Salgadus, & pauci alij aſſertores producuntur, ex ijs illi, qui ſcriptis id publicis teſtati ſunt, cùm tamen ex non ſcribentibus potuerunt eſſe complures: fama enim non ex Scriptoribus tantùm, ſed ex ſcientibus coaleſcit.

P.Baron *aui diu laudandi non laſſus.*

Societas erga Gregor XV. *æternam gratitudinem tuo Decreto firmauit.*

Vnus tantùm teſtis falſo obtrectat.

Bulla Vrbani VIII. inuenta.

DE DIVI PARENTIS IGNATII EXERCITIIS.

Auctoris eiuſdem propoſita & depulſa calumnia. Vbi & alia circa ipſum, & Societatem.

718. OCcaſione eorum, quæ Amadæus habet *Propoſit. 11. 12. & 13. ex Tractatu de Fide*, quædam aſſerit minimè toleranda, quia & Diuo Parenti incommodant, & illius Exercitiorum auctoritatem videntur infirmare. Prior ex illis ſic habet *S. IGNATIVS maiorem quàm D. Paulus prudentiam ſpiritus aſſecutus eſt: & Apoſtoli ſi hac tempeſtate degerent, eiuſdem, quem Societas, viuendi modum amplexarentur.* Ioannes Euſebius Ieſuita in libello de Amore IESV, & MARIÆ. Huic calumniæ reſpondet Amadæus nec cupit, nec ſolet citare Anonymum, ne facilè de mendacio conuincatur. Negat tale aliquid in libello à ſe ſemel & iterùm lecto contineri: & addit P. Euſebium dum primùm audiuit, obſtupuiſſe & exhorruiſſe. Adſere poterat non vnum eſſe libellum de amore dicto ſed duplicem diuerſa editione euulgatum. Malè ergo, confusè, & cæco modo citatio dicta procedit, ex auditione fallacis aſſertoris, ſi non aliunde, malo ſemper parente, concepta. Ad quæ P. Baron *Diſput,3.Sect.1.§.1.* reponit Franciſcum à Pietate, qui reſpondit Aquilæ dictam calumniam propulſanti, teſtari ſibi à fide digno aſſertum hanc Propoſitionem primæ editioni illius libelli inſertam, ſed cùm ſcandalo eſſet omnibus, exemplaria illius editionis omnia ſumma cura fuiſſe occultata, & aliam editionem ſuſceptam, eraſa illa Propoſitione. Vbi quidem prouerbiale illud occurrit, malæ cauſſæ peius patrocinium Franciſcus à Pietate teſtis adducitur, libri illius Scriptor, qui cum ſcandalo & horrore mundi prodijt, totus honori Societatis non modò deterendo, ſed & profligando contextus. Vnde ſtatim ab ortu ſupremi S. Inquiſitionis Tribunalis edicto ad perpetuum eſt carcerem condemnatus, & maiori quidem ſupplicio dignum cùm comperiſſent aliqui ſuo ipſorum iudicio flammis illum addixerunt. Rem in hoc Peruuiano regno notiſſimam refero. Religioſus quidam ex eodem Ordine, præfati non ignarus edicti multa auctoris dicti volumina ſpargenda aut gratis aut pretio ex Hiſpania ſecum exporta-

Propoſitio P. Nierembergio *falsò adſcripta.*

Franciſcus à Pietate impius Scriptor, cuius liber proſcriptus, & flammis non ſemel addictus.

exportauit vnum Piuræ, cum ſæculari viro Regio quæſtori gratificaturus pro hoſpitio tradidiſſet, ad lectionis ille primordia exhorruit, & populares aliquot ad plateam conuocans, accenſa pyra coràm ipſis, in eam volumen iniecit dicens bona quidem fide, ſed non ſecundùm ſcientiam: *Hac ego vice futurus ſum Inquiſitor.* Idem, licet non ita publicè factum cum alio, quod dum iter Religioſus dictus ageret Præbendario dedit cuidam docto & notæ probitatis, qui & Vicarius Generalis erat Truxillienſis Eccleſiæ vacantis. Et vterque quidem à DD. Inquiſitoribus reprehenſus ob vſurpatam auctoritatem, ſed nihil erga illos durius actum, quia zelo bono ductos perſenſerunt circa opus, quod ſtatim à lectione ſupplicium flagitioſi repoſcebat, à Pietate per antiphraſim compellatum, cùm impietatem illud non redoleret ſolùm, ſed etiam exhalaret, & Religioſus quidem iuſtum Dei iudicium expertus, in carceribus S. Inquiſitionis diu detentus, viuit modò ſuo in maiori Conuentu poſt ſtrictioris clauſuram, ſed vti reus adhuc, neſcio quem longarum eius hiſtoriarum finem habiturus. His ſi addamus Venerabili P. Euſebio Propoſitionem adſcriptam, cùm audiſſet, obſtupuiſſe & exhorruiſſe, quis locus extat futili narrationi de occultatis ſumma cura editionis prioris exemplaribus? Quod equidem & impoſſibile fuit, eorum plurimis intra & extra editionis locum diſpertitis, ignotis emptoribus diuerſorum ſtatuum &c. Apertiora hæc ſunt figmenta, quàm vt ea oporteat confutare.

Propoſitio alia Exercitiorum libro, & eius Auctori iniuriosa.

719. Propoſitio 12. hæc eſt: *Maior eſt perfectio habere animum indifferentem ad exequendum, quod Deus reuelauit, quàm determinatum ad id, quod in Euangelio reuelauit, & docuit. In libello primitiuo Exercitiorum Ieſuitarum fol. 31. & 32. in editione Burgenſi an.1574.* Reſpondet Amadæus opponens Bullam Pauli Tertij, librum in ea Exercitionum approbantis ex certa ſcientia cum omnibus in eo contentis poſt approbationem Cardinalis Burgenſis hæreticæ prauitatis Inquiſitoris, Philippi Epiſcopi Saluciarum, & Fr. Ægidij Foſcarij Magiſtri ſacri Palatij: ex grauiumque Theologorum, quos allegat, ſententia probat Pontificem in ijs, quæ ad mores ſpectant, approbandis errare non poſſe: quod adeò certum reputat Mag. Bañez 2. 2. *q.1. arti.10. dub.8. Concluſ.4.* vt ſic concludat: *Tam certa eſt concluſio, vt oppoſitum non dubitem eſſe hæreticum.* Pro quo & in *Editione* 4. adducit Mag. Ioannem à S. Thoma 2.2.*q.1. Diſp.9. fol. ipſi* (meliùs pagina) 769. vbi ſic ille: *De fide eſt quòd moralitas talis præcepti ſeu regulæ non eſt mala, & eſt de fide in virtute illius vniuerſalis quòd quæcumque dicuntur ex Cathedra ſunt ſeruanda & facienda.* Sic ille. Refert tandem S. Patris verba, ex quibus calumniandi occaſio deſumpta à lectore maligno, cùm ſanctiſſima ſint, & regulam in negotio ſpiritus, atque electionis ſtatus contineant ſingularem, & concludit D. Hieronymi verbis Epiſt.25. Diuum ſic Auguſtinum alloquentis: *Macte virtute: in orbe toto celebraris. Catholici te conditorem antiquæ fidei venerantur; & quod ſignum maioris gloriæ eſt, omnes hæretici deteſtantur.* Hæc ille.

Quanta ſtorum auctoritas.

Mag. Bañez.

M. Ioan. à S. Thoma.

D. Hieron.

720. Circa quæ Auctor admittens illas D. Auguſtini laudes D.IGNATIO adaptari, impatienter audit ea, quæ in Exercitijs continen-

Quæ contemnorum in eiſdem certitudo.

tur, ita certa pronuntiari, vt eorum æquent certitudinem, quæ in Canonicis libris certa habentur: quod & iuſtam ait præbiturum hæreticis anſam de ſic ſcribente, & de Catholicis omnibus, ſi illi aſſenſerint, expoſtulandi, cùm citra hæreſim nequeat objici libello Exercitiorum quidquam. Criminabuntur enim Catholicos ſingulis diebus librorum Canonicorum numerum augere, eoque prouehi quotquot habuerint præfixam Pontificiam opprobationem, quod citra ludibrium fidei Catholicæ nec dici poteſt; nec cogitari. Sic ille poſtquàm ita fuerat locutus: *Duodecima Propoſitio etiam deprompta eſt ex Aquilæ 29. ſeu potiùs ex libro primitiuo Exercitiorum D.IGNATII, qua illuſtris ille Patriarcha Societatis videtur innuere maioris eſſe perfectionis animum habere indifferentem ad exequendum quod Deus reuelarit, quàm determinatum ad id, quod Euangelium nos docuit.* Sic Auctor ferè cum Anonymo impoſtore conueniens, quatenus quod ille Sanctiſſimo Parenti tribuit, ait ipſe videri innuere, & Propoſitionem ex primitiuo libello depromptam: vnde & non obſcurè ſignificat expunctam ab alijs tenquàm ſanæ doctrinæ contrariam. Quod quidem D. Patriarchæ non poteſt non iniurium accidere, quidquid eum Auctor aliàs collaudarit. Pro quo in primis hæc vltima propulſanda calumnia; in primitiuo inquam libello Propoſitionem dictam extitiſſe, in alijs expunctam, & quidem ad id proſpicuæ falſitatis conuincendum ſatis eſſe poteſt Bulla approbationis poſt doctiſſimorum illorum virorum diligentiſſimum examen: non eſt enim credibile Propoſitionem dictam adeò abſurdam, aut non lectam, aut lectam ſine correctione permiſſam: cùm Cardinalis Burgenſis omnia à ſe lecta teſtetur, & Pontifex, *Omnia & ſingula in eis contenta auctoritate prædicta, & ex certa ſcientia approbet*, collaudet, & ſcripti ſui patrocinio communiat: omnibus enim verbis illis vtitur, & hæc quidem ratio moralem videtur certitudinem continere. Quidquid de gradu certitudinis ſit, quem habent ea, quæ peculiarem approbationem Pontificis è Cathedra decernentis adquirunt. Quod quidem hoc loco non videtur neceſſarium, quia de Propoſitione vt modò extat non agitur, quæ irrefragabilis veritatis eſt quantùm ad ſuam conuenientiam: ſed de illa, quæ in libello primitiuo contenta dicebatur, & à Sanctiſſimo, à Deoque illuminatiſſimo Diui Patriarchæ ſpiritu eſt penitus aliena. Doctrina autem illa, quam ex probatis Theologis Amadæus ſtatuit, ſolidiſſima eſt, nec verenda hæreticorum expoſtulatio, quia libri approbati à Sede Apoſtolica eo modo, quo Exercitia, rari erunt: in Canonizationibus autem ſanctorum, quæ frequentiores, illud deuorandum eſt: fore enim hæreticum, qui contraierit, grauiſſimorum Theologorum ſententia eſt, quia iuxta illos de fide eſt Pontificem in eo errare non poſſe. Accedit, prædictis noua Bulla Alexandri VII. peculiari etiam approbatione Exercitia condecorantis, dum illa obeuntibus per octo dies Indulgentiam plenariam impertitur, eamque perpetuam, qualem conceſſerat nullam, vt R. P. Generalis Goſwinus Nikel ad Prouincias ſcripſit, pro quo & apud nos extat authenticum exemplar.

P. Baron.

Exercitia illibata conſeruantur.

Pontificia approbatio.

Ab Alexan. VII. *approbata & commendata.*

721. Carpit deinde Amadæum, dum in eo deſiderat

Culpatus Amadæus approbatores fuisse Dominicanos. Sed defenſus.

desiderat æquum & gratum animum : si quæ enim occurrit occasio grauandi Dominicanos; nusquàm patitur elabi, sed nomen & familiam diligentissimè adnotat, vt errorem inurat, aut calumniam : tunc vero diligentissimè occultat Dominicanæ familiæ nomen, sicubi locus aliquis sit comprobandi in omnes, maximè in Societatem bene merendi studium. Et tribus autem Censoribus Pontificia auctoritate designatis pro examine Exercitiorum, duo erant Dominicani, nempe Ioannes Toletanus Cardinalis Episcopus Burgensis, & Ægidius Foscarius Episcopus Mutinensis, auctor Catechismi Romani. & Corrector Missalis ac Breuiarij Romani, in cuius excurrit laudes, concludens Amadæum in Dominicanos scribere, vti in eos, qui Societatem, & eius institutum Vaticano odio prosequuntur : Sed absit vt hoc de viro, qualem *superiùs* dedimus, adeò aberrans iudicium suspicemur. Nomina, & titulos exhibuit vt in Bulla extant, & ante Exercitia ipsa vti approbatores proponuntur : neque enim ibi Ordo, ex quo duo illi clarissimi Præsules assumpti sunt, habetur expressus. Et quod ad Foscarium attinet, cùm Magister Sacri Palatij dicatur, satis ex eo notum extitit ex præclaro commilitio Diui Dominici fuisse. Ioannem à Toleto si prætermisit ille à Religioso Ordine commendare, id alij ingenuè præstiterunt, & in primis P Petrus de Paradeneyra. Nec credo Philippum Saluciarum Episcopum expostulatum iri quòd eius nobile cognomen omissum, cùm dictus sit Archintus. Addo, negotio, de quo agebatur, commodius proculdubio futurum, si in duobus prædictis Religiosus fuisset status declaratus, siquidem Amadæi scopus is erat; quem Scriptor ipse, & Præfatio eius manifestant : non inquam à PP. Dominicanis absurdarum opinionum inuidiam in Societatis scriptores regerendam; quandoquidem & ipsi easdem scriptis comprobarunt. Quid ergo Propositionem in Exercitijs contentam insectantur, quam ipsi conuincuntur approbasse? Sic poterat, sed non sic factum ab ipso : vnde neque alienationem animi in bene meritos de Societate & eius instituto licet in eo coniectare.

Ægidij Foscarij Iaus.

Commentum de Exercitiorum parte in antiquiori alio libello contenta.

722. Et præfatis non contentus id subdit, quod Exercitiorum, videtur auctoritatem infirmare, Patres scilicet Benedictinos Monasterij S. Germani Parisiensis libellum Ioannis de Cisneros ex sua familia, & ex Monte Serrato editum Barcinone *an.* 1530. sua in Bibliotheca seruare dono datum Caroli de Montahal Archiepiscopi Tolosani, & Petri de Maria proximi decessoris. Eo verò asserunt ad minùs prima lineamenta & rudimenta Exercitiorum contineri P. IGNATII, quæ exceperit, cùm primùm apud Monserratum rerum diuinarum & spiritualiũ peritia imbutus est sub magisterio Benedictinorum, quæ ipse longo huius diuinæ scientiæ vsu absoluerit : atque illa Exercitia varijs incrementis mutata esse, eos nosse ait, qui Hispano & Latino sermone exarata legerunt, non minùs inter se, quàm à primis Ioannis Cisneros elementis; vt certa illa & Apostolica traditio non potuerit illis auctoritatem asserere, quam vindicat Amadæus; pro quo verba multiplicat. Sed aliter proculdubio censuisset, si Præfationem Latinam, quæ ipsis in Latinum versis versione duplici iam pridem est affixa, præle-

Immutata fuisse & esse illa demonstratur.

gisset. Vt enim ibi dicitur, duobus sunt versa modis. *Altera versio non solum sensum sensui, sed* *Præfatio Exercitiorum.*
panè verbum verbo : altera (quæ visa est præferenda) sensum tantùm sensui, sed fideliter reddebat. Quid deinde? *Cùm ante approbationem Summi Pontificis destinatis Censoribus videnda proponerentur, vtraque translatio est eis oblata : & licet omnino liberæ censuræ eorum subycerentur, vt adderent, minuerent, mutarent, prout in Domino videretur : tamen, ne verbo quidem mutato, vtramque versionem (quod testimonijs eorum in architypis exemplaribus patet) approbarunt.* Hæc ibi. Quæ quidem P. Ioannis Polanci esse Diui Parentis Secretarij testatur P. Petrus de Riuadeneyra inferiùs adducendus, & scripta sunt Diuo ipso Patre viuente, *anno* videlicet 1548. versio autem illa sic approbata ad vsum retenta est additione, minutione, aut mutatione nulla. Vnde quod secus accidisse asseritur, mera calumnia est. Is verò qui collatione Hispani exemplaris facta id testatus est, quod ab auctore dictum, ex eo deceptus fortè fuit, quòd in versione, quæ præferenda visa fuit, non verbum verbo, sed sensum sensui redditum deprehendit.

723. Iam quod ad libellum Fr. Ioannis de Cisneros attinet, in primis error est nominis amouendus, non enim Ioannes, sed Garcias dictus, de quo & eius spirituali Tractatu, qui *Exercitatorium* dictus P. Mag. Fr. Antonius de Yepes *Tomo 2. historiæ D. Benedicti, Centuria. 5. Cap. 2. fol. 236. Col. 3. & seqq.* vbi & quæstionem circa Exercitia versat, asserens quidem Diuum Patriarcham Exercitatorio præfato iuuari in spiritu potuisse, ductore ipsius P. Fr. Ioanne à Chanones viro valde exemplari, & magni spiritus. Librum autem Exercitiorum non eo tempore ab eo conscriptum, quo Manresæ fuit : tunc enim litterarum expers; cùm tamen in Exercitijs Sacræ scripturæ auctoritates ab eodem adducantur vnde & Paulus Tertius in Bulla approbationis affirmat ea *ex Sacris scripturis, & vitæ spiritualis experimentis elicita* : pro quo & alias rationes accumulat, concludens vsum quidem prædicto Exercitatorio pro se & alijs, quorum ab initio conuersionis spiritualem salutem eximius procurauit, donec studio litterarum, & vsu diuinæ communicationis altiùs & profundiùs edoctus, id scribere potuit, quod magnum scientiæ Theologicæ & mysticæ præsidium requirebat. Tunc ergo in Exercitatorio, cùm esset iam potens opere, sermone, & scriptis, multa posuisse, addidisse, abstulisse, illudque suo instituto & viuendi modo accommodasse : quo adeò ingentem vtilitatem mundo contulit, & eius filij ac discipuli extraordinarios effectus peragunt, magni Magistri vestigijs insistentes. Ex quo quidem (vt verum sit) nihil elici potest, quod Auctori possit, cum quo est concertatio, suo illo in commento suffragari. Adiutus libro P. Garciæ de Cisneros, viri quidem magni spiritus, & sublimis magisterij, quem & Beati titulo dictus scriptor insignit, cui multa, demptis plurimis, adiecit; alium planè confecit magno discrimine à priori diuersum, vt scriptor idem fatetur. Hunc ergo summus Pontifex approbauit, & omnia in eo contenta. Quid inde obstaculi, vt non debeant omnia in eo contenta inconcussæ veritatis reputari? Pro quo præstat Auctorem eumdem sic loquentem

P. Antonius de Yepes quid circa negotium hoc censeat. Vbi de Auctore Exercitatorij P. Garciæ de Cisneros.

Paulus Tertius.

Ex eo nihil pro P. Baron dato quod assumit.

Mag. Antonius de Yepes.

quentem auscultare : *& quemadmodùm Angelicus Doctor S. Thomas nihil de opinione amittit, eo quòd ijs fuerit vsus in summa Theologica, quæ ipsi suus prælegerat Magister Alexander de Ales, quia nullus doctus nascitur, & summa est auctoritas & sapientia scire alienis laboribus vti, eos condigerendo, & pro prijs reddendo : Ita nec Exercitia à B. IGNATIO ordinata suum pretium non amittunt, eo quòd ea in suæ conuersionis exordijs apud Dom. Nostram de Monserrato didicerit, vbi illis temporibus adeò sublimiter tractabatur via vitæ spiritualis & perfectæ.* Sic ille ex Hispano versus. Iuxta quæ fatendum profectò est, cùm Christus Dom. Angelicùm Doctorem allocutus dixit : *Benè scripsisti de me, Thoma*, ea etiam, quæ ex Alexandro, sed facta iam propria, summæ Theologicæ inseruerat, à Christo item approbata : sicut & necessariò affirmandum summam Theologicam D. Thomæ à summa Alexandri esse absolutè diuersam, quin debeat obstare profecisse ex Magistro irrefragabili. Quæ omnia præsenti causæ veniunt lineis paribus adaptanda.

Exercitia à D. IGNATIO Manresæ composita.

724. Sed Diuum Parentem Exercitia tunc temporis composuisse, quo Manresæ fuit, testatur P. Petrus de Riuadeneyra in Epistola ad Patrem Giron Rectorem Salmanticensis Collegij *an.* 1607. *die.* 18. *Aprilis* Matrito, quem dictus P. Mag. Yepos consulendum voluit circa huiusmodi quæstionem, & quam citato loco integram repræsentat. Vbi concedens quidem ab Exercitatorio dicto verosimilem in Diuo Parente profectum, negat opus illud cum Exercitiorum libro in re quapiam ex præcipuis conuenire, cùm circa hoc facta ab ipso fuerit accurrata collatio, vnde & ita concludit : *Itaque dubitari nequit quin duo isti libri diuersi sint, & secundum à priore non desumptum. Asi que no se puede dudar, sino que estos dos libros son diferentes, y que el segundo nose tomò del primero.* Ad id verò, quod de Sacræ scripturæ notitia obijciebatur respondet ex speciali lumine à Deo infuso id accidisse. Quod mirum quidem, sed quia mirum & novum, ab Ecclesia inter eius mirabilia in officijs sacris celebratum. Sic enim in Lectione. 1. Secundi Nocturni : *Quo tempore* (cùm Manresæ inquam degeret) *homo litterarum planè rudis admirabilem illum composuit Exercitiorum librum, Sedis Apostolicæ iudicio, & omnium vtilitate comprobatum.* Sic ibi. Habuisse etiam tunc scripturæ Sacræ notitiam, ex ijs, quæ ibidem habentur, potest non obscurè deduci, sic enim dicitur ante prædicta : *Claris adeò illustrationibus à Deo recreatus, vt posteà dicere solitus sit : Si Sacræ scripturæ non extarent, se tamen pro Fide mori paratum ex ijs solùm, quæ sibi Manresæ patefecerat Dominus.* Sic ibi. Claris ergo illustrationibus ea, quæ in Sacris Litteris continentur, agnouerat, paratus mori pro illis, quamuis omnis de ipsis abesset scriptio, vnde & non lecto Genesi, quod in eo de mundi creatione dicitur, & modum à Deo in ea seruatum, ad ripam fluminis cùm staret, reuelatum ipsi, in eius vita scriptores referunt : ex quo pro alijs instrui poterit argumentum. Pro quibus & hæc satis.

Sacrum Officium S. Ignatij.

Propositio alia ex P. Baëza lanceata.

725. Ad propositionem 13. deinde progreditur, quæ talis est : *Si IGNATIVS cellecturus Societatem, gladium exacutum relinqueret, saccum, cilicium, famem ostentaret, quoties hypocrisis notam incurreret? verùm sapientior ipse gladius acutus, non hypocritum imperium portans, pallio & calceis obtegit gladij duritiem.* Sunt formalia verba Iesuitæ Baëza *Tomo 1. in Euang. Lib. 2. Cap. 7. §. 11.* Ad quem quidem Amadæus adhibita explicatione loci à P. Baëza in commendationem altæ prudentiæ D. Parentis inducti ex *Sap.* 18. *v.* 14. & 15. vbi de morte primogenitorum in Ægypto agitur Angelorum ministerio peracta, de qua *Exodi.* 12. verbis illis : *Cùm enim quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cœlo à regalibus sedibus, durus debellator, in mediam exterminij terram prosiliuit, gladius acutus in simulatum imperium tuum portans &c.* vbi pro *In simulatum* Græcè est ανυπόκριτον, *anypocritum*, idest, non hypocriticum, non fictum, sed verum. Vnde P. Baëza suo more subtile documentum elicuit, cuius summa est D. IGNATIVM eum habitum suæ Religioni elegisse, qui non præ se ferret austerius quidquam, sed honestis Clericis, communem, quia illum instituto suo est commodiorem arbitratus : acturi enim cum hominibus pro eorum æterna salute procuranda, communi meliùs habitu, quàm horrido, negotium tale tractabunt, nihil quod familiari agendi modo obstare possit habituri : quam agendi rationem cùm habuerit Christus, non potest non satis conueniens iudicari. In quo & illud est commodi, longè scilicet à nota hypocriseos futuros, cui sunt habitus austeriores obnoxij, sancti licet, & omni laude dignissimi. Imperium ergo hypocriticum eo sensu accipiendum est, non equidem quòd reuera tale sit, sed quòd occasionem aliquando præbere possit, non tamen propterea damnabile, quia & multa sunt talia laudabilia & sancta, quæ retinenda sunt, periculis remotis non attentis, quæ si attendẽda semper, multis rebus momenti maximi impedimentum compararent. Iuxta hæc benè concludere Amadæus potuit nihil esse acerba animaduersione dignum in illa panegyrica & concionatoria applicatione, cùm in similibus non soleant, quæ dicuntur, cum omni Theologico rigore pronuntiari, quamuis ego ita fieri conuenientius semper iudicaui.

Conuenienter explicata.

Sap. 18. *v.* 14. & 15.

Austerior agendi modus à citato Scriptore prælatus, cum aculeo in Societatem.

726. Quæ cùm sensum, vt dixi, habere conuenientem possint, nihilominùs P. Baron redarguendum P. Baëzam censuit, dum ait abesse à se vt patiatur eiusdem cum dicto Patre instituti professores ipsi in Propositione præfata assentiri, quod Pharisaico typho non careret, si ex vita communi, honesta quidem, sed minùs austera, quam profitentur, putarent se alijs asperioris vitæ studiosis anteponendos hoc nomine quòd isti propiùs Ioanni Baptistæ austerissimæ vitæ cultori, illi Christo (eiusque Discipulis) qui vitam communem vixerit, & instituerit, nec dedignatus sit nuptijs interesse, & Pharisæorum conuiuijs. Alienissima namque est ista cogitatio à viris modestissimis & Religiosissimis. Addit tamen, vt viam sternat narratiunculæ, non dubitare se quin aliquorum mentem subire possit, pro quo exemplum cuiusdam minùs circa hoc prudentis adducit : admonens tandem conuenientius esse ad domandæ libidinis necessitatem, austeriorem vitam, ieiunijs, lecto duro, & alijs corporis macerationibus amplecti, quam Christum in ijs, quæ ad vi-

tam ſpectant communem imitari : illa enim non hypocrito imperio, ſed gratiæ Chriſti potiùs tribuenda. Sic ille cenſet, ſuo cum aculeo, dum laudat, qui in Amadæo laudes eorum, quos iniqua, vt cenſet, impugnatione percellit, nequit æquanimiter ſuſtinere. Et id quidem ſtudio ſtrictioris obſeruantiæ indulgendum, quam in eo, ſicut & in ſimilibus, laudamus, & glorificamus, nec de prælatione contendimus : & P. Baëzæ non alia fuit mens, vt vidimus : id vnum pro explorato habenti, modum ſcilicet, quem Societas in vitæ ratione obſeruat, valde eſſe conuenientem; quod cùm ita Divus Parens iudicauerit, & à Sede Apoſtolica in Confirmationibus Inſtituti, atque à Concilio Tridentino ſic etiam iudicatum ſit, negari aut reuocari in dubium, ſine ingenti præcipitatione, temeritate, & grauiore cenſura nequit. Circa quod quidem multi multa, & præ alijs Eximius Doctor P. Franciſcus Suarex *Tomo 4. de Religione Tract. 10. Lib. 1. Cap. 9.* vbi & à *n. 17.* inueniet qui legerit Societatis Regulam valde ſtrictam eſſe, vnde & meritò dici poterit eius alumnos ſtrictiorem obſeruantiam profiteri, non quidem Monachalem, ſed Clericalem.

Societas minimè de prælatione contendit, laudabili ſuo inſtituto conuenit.

P. Suarez.

727. Habet autem illa ad moderandos affectus & caſtitatem tuendam media ſatis opportuna, ex PP. Patrum nobiliori magiſterio petita, quæ non ſint ad macerationes corporis (de quibus non pauca in ipſa, ſed ſecretioris arbitrij, immò & ſæpiùs admiranda) reſtringenda, dicente Apoſtolo 1. Tim 4. v. 8. *Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt; pietas autem ad omnia vtilis.* Circa quod P. Ambroſius, vel quiſquis ille eſt Commentariorum auctor, ita ſcribit : Exercitium autem corporale ad modicum vtile dicit *Ieiunare enim, & abſtinere à cibis, manente auctoritate Creatoris* (de quo immediatè fuerat locutus Apoſtolus) *non multùm prodeſt, niſi addatur huic pietas, cuius opera multorum precibus adiuuatur ad Dominum promerendum.* Sic ille. Quòd ſi pietas *recta vita* eſt, iuxta D. Hieronymum : quantùm pro ea in Societate communis ſolicitudo peruigilet, nullus nequit niſi per affectatam ignorantiam dubitare. Vbi cum eodem cæleſti Magiſtro claudendum Rom. 14. v. 2. & 5. *Is qui manducat, non manducantem non ſpernat : & qui non manducat, manducantem non iudicet : Deus enim illum aſſumpſit. Vnuſquiſque in ſuo ſenſu abundet.* Vbi animaduerſione dignum illud, quod D. Ioannis Chryſoſtomi ſubtilem intelligentiam non ſubter fugit, verba inquam illa, *Deus enim illum aſſumpſit*, non fuiſſe de non manducante prolata, ſed de manducante : cùm tamen de priori dicenda viderentur. Reddit autem rationem ſic dicens : *Deus enim illum aſſumpſit : hoc eſt ineffabilem ſuam gratiam erga illum oſtendit, & ab omni crimine liberauit.* Sic ille. Et quidem meritò : nam ita vſu venire ſolet, vt manducantes, hoc eſt legibus abſtinentiæ non adeò ſeueris vtentes, & cum moderatione carnibus, alijſque cibis veſcentes, ad excellentiora diuinæ gloriæ facinora à Deo mirabiliter aſſumantur : qui potens eſt illos gratiæ ſuæ præſidijs ab omni crimine, & ita etiam à libidinis lubrico liberare. Quod cùm ita contingere poſſit, & in Societate non leuia veritatis huius argumenta ſuccurrant, præſtat à iudicijs abſtinere præpoſteris eos, qui de abſtinentiæ ſeuerioris conſuetudine poſſunt, ſed in Domino gloriari *vnuſquiſque ergo in ſuo ſenſu abundet*, ſed rationabiliter, & iuxta cæleſtis prudentiæ regulas temperato.

1. *Tim. 4. v. 8.*

Notanda pro anteriori agendimodo.

D. Ambr.

D. Hieron.

Rom. 14. v. 2 & 5.

D. Ioan. Chryſoſt.

PARS

PARS SECVNDA.

In hac, quam proſequimur, varietate, Partium diuiſio eum habet finem, qui eſt in Præfatione propoſitus, vnde hîc nihil, quod admoneri ſpecialiùs debeat, occurrit. Sit ergo

SECTIO PRIMA.

De Pontificio Decreto circa Beatificatos. Vbi vtilia nonnulla.

1. Sanctiſſimi Alexandri VII. circa Beatificatos Decretum ante annos aliquot prodiit, poſt aliud Innocentij X. cuius tenorem adducit Diana *Parte 9. Tract. 10. Reſol. 21.*) iuxta quod multa non licent, quæ anteà aut habebantur certa, aut probabiliter ad praxim trahebantur. Quod cùm ad Indias peruenisſet, aliquæ circa illud ſubortæ ſunt quæſtiones, ex quibus illa, & quidem præcipua. An in ijs, in quibus Beatificati videbantur eſſe in poſſeſſione, illa poſſet retineri, ita vt Decretum circa futura tantùm diſponeret E. g. Collocatio imaginum in Eccleſia, & in altari, feſtum in Natali die, aut in alio, ſi commodè in eo non poſſet celebrari, Eccleſiæ titulus, expoſitio publica Reliquiarum, & exportatio in ſupplicationibus, ac inuocatio, Patronatus, & octaua. Pro quibus vt non licerent, præter ipſius Decreti tenorem, Hiſpaniæ praxis ab aliquibus proponebatur, cùm tamen inde ſcriptum ſit de huiuſmodi Decreto ſuæ ſanctitati ſupplicatum. Ex quo factum eſt vt apud nos res hæc in eôdem ſtatu ſit relicta, quem ante Decretum conſtat habuiſſe. Nihilominùs grauiſſimo hoc negotio vti par eſt conſiderato.

Diana.

Difficultates circa illud ſubortæ in gradu.

2. Dico Primò. Beatorum imagines in Eccleſijs & altaribus collocatæ poſſunt in eiſdem conſeruari. Id probo ex Decreti tenore, quia de futuro loquitur; eſtque illud doctrinæ communi conforme circa leges, quæ circa futura tantùm diſponunt, vtpotè regulæ operationum, vt multis citatis docet P. Suarez *lib. 3. de legibus Cap. 14. n. 8.* valde enim diuerſum eſt ſtatuere Pontificem vt Beatorum imagines non ponantur, ac vt poſitæ tollantur, quod iam reſpiceret futurum. Cumque hoc non iubeat, ſed primum, illud, & non iſtud, debet cenſeri prohibitum. Pro quo & extat manifeſta deciſio in Cap. *Quoniam* finali de Conſtitut. vbi ſic loquitur Gregorius IX. *Cùm leges & Conſtitutiones futuris certum ſit dare formam negotijs, non ad præterita facta trahi, niſi nominatim in eis de præteritis caueatur.* Sic Pontifex. His accedit futurum ſcandalum ex tali nouitate : quod quidem in his regionibus, in quibus indigenarum fides adhuc tenera, debet ſpecialiùs præcaueri. Præterquam quòd in hoc nullum apparet inconueniens : nam Beatos in altaribus collocari, intra latitudinem Beatificationis cadit, & ita ſtare poteſt vt altare occupet, nec maiori ſit in culmine honoris ſupra Beatificationem conſtitutus. Sunt etiam multi, qui cenſeant eo ipſo quòd miſſa de Beato dici queat, altare eidem poſſe dedicari. Sic Diana *Parte 11. Tract. 10. Reſolut. 21.* apud quem Patres Fagundez, Tamburinus, & Amicus, Sed certè horum ſententia poſt Decretum dictum non vera euincitur, rebus vt nunc; quamuis veroſimiliter illius auctores fuerint locuti, Pontificiam ſic interpretati voluntatem : vbi enim adeò expreſſa habetur, præſumptio ceſſat. Et ratio eſt : quia cùm totum hoc negotium ab illa pendeat, poteſt vt ſibi bene viſum fuerit ritum moderari, & licet plus ſit poſſe ſacrificium in Beati honorem offerri, quàm altare in honorem eiuſdem dicari, & ſic in eo imaginem ipſius conſtitui; magis tamen eſt vtrumque : & id quod tale eſt non iudicat Apoſtolica Sedes expediens, quia videtur cultus ille Canonizatorum propiùs, quamuis abſolutè poſſit cum Beatificatione componi. Et quidem ſi ratio illa momenti quidquam haberet, ex ea fieret nihil quod Beatificatis negatur, conuenienter ſtare : quia omnia illa minùs ſunt, quam Euchariſti cum ſacrificium pro Beatificatorum honore conceſſum.

Altare cum Miſſa conceſſa venire qui cenſeant.

Beatorum imagines poſſunt in Altaribus & Eccleſijs retineri.

P. Suarez.

Leges pro futuris ſeruantur.

Cap. Quoniam

3. Dico Secundò. Feſta celebrari ſolita in honorem Beatificatorum diebus eorum memoriæ à Sede Apoſtolica deſignatis, celebrari poterunt non obſtante Decreto præfato. Hoc non videtur ita certum vt prius : ſunt autem pro eo ij, quos adducit ſuppreſſo nomine Diana *ſuprà §. verùm oppoſitum*, licet illis non annuat, ſtante Innocentij Decreto, cuius quoad hoc eadem eſt ratio, quæ Decreti Alexandri. Et probatur, quia licet continuatio in huiuſmodi celebritate futurum quid ſit, pro quo lex ferri conuenienter poteſt iuxta dicta, ipſa tamen Feſti conſtitutio vt continuanda, & conſuetudo circa illam, quid præteritum eſt, & ita non cadit ſupra illud. Vbi etiam locum habet quod de ſcandalo dicebamus : ſi præſertim Feſta huiuſmodi dotata ſint, vt circa Beatum Franciſcum Borgiam in hoc D. Pauli Collegio videre licet : illuſtris enim Matrona ſatis luculentam pro illius celebratione dotem viuens præſtitit, & moritura confirmauit. Vbi & recepta doctrina de conſuetudine ſuccurrit, quam lex non abrogat, niſi exprimat, iuxta id quod cum Monteſina tradit Diana *Parte 6. Tract. 5. Reſolut. 22.* Pro eodem etiam eſt ratio adducta Aſſertionis præcedentis, quòd ſcilicet ex hoc non conſurgat ſpeciale aliquod inconueniens, cùm id admittere poſſit amplitudo Beatificationis : ſitque Beatificatus tali honore dignus : *Nimis enim honorificati ſunt amici tui Deus.* Pſal. 138. neque à ſuæ ſanctitatis mente alienum, quod iam multi ſentiunt, ſcilicet eſſe de fide non poſſe errare Pontificem in Beatificatione, ſicut neque in Canonizatione, de quo ego

Feſta celebrari ſolita poſſunt continuari.

Lex non abrogat conſuetudinem niſi exprimat.

Pſal 138. v. 17.

Tomo

Tomo 1. *Theologicorum Problematum.* Et Romæ sententiam istam valde esse receptam affirmat Lezana *Tomo* 4. *Consulto* 1. *nu.*57. cuius illa verba: *Iuxta dicta in superioribus ex Castro Palao, & Ludouico Casp ensi, quod etiam doctissimis viris vrbis arridet &c.* Id quod fuit satis SS. Alexandro perspectum, vt fideli narratione cognouimus: nec mirum, cùm & libros versaret, esset que in Theologica facultate doctissimus, vt constat ex ijs, quæ diximus, *Parte* 1. *n.*642. quod præterea est multiplici experientia pernotum.

Lezana.

Titulus Patroni potest conseruari, pro quo exemplum.

4. Dico Tertio: Quod ad Patronatum aut Titulum spectat, similiter est tenendum propter similes rationes, & quod ad Patronatum attinet, id non excedit terminos Beatificationis, vnde ciuitati Neapolitanæ, sic ea postulante, datus inter alios Patronus B. Andreas Auellinus ex illustri Congregatione Clericorum Regularium: & cum postea Diua Patritia, & S. Franciscus de Paula Patroni accessissent, suborta quæstio est de præcedentia in publicis supplicationibus, eo quòd Diui prætati Canonizationes essent honorificentia sublimiores. In qua S. Rituum Congregatio pro Beato Audrea sententiam protulit, vt videri potest apud Pasqualigum *Decisione.*507. & quod ad Titularis prærogatiuam spectat similiter est certum, vt constat ex Bulla Sixti Quarti, quæ est 39. huius Pontificis in Bullario Emmanuelis Roderici, cuius tenorem exhibui *Tomo* 1. *Theologicorum Problematum in Prolusione Apologetica.* §. 8. Concedit enim vt in honorem B. Alberti nondum fastis Sanctorum adscripti erigi templa possint, id quod eius prædecessor Calixtus Tertius, vt ibidem attestatur, iam viuę vocis oraculo prærogârat. Idem est de B. Recho, qui & Patronus Ecclesiæ ac Titularis esse potest, iuxta Decretum Congregationis Rituum ab Vrbano VIII. approbatum die. 4. Iulij, & *die.* 24. *Nouembris. an.* 1629. pro quo Gauantus in *Thesauro Sacrorum rituum Tomo* 2. *Sect.* 1. *Cap.* 5. *Tit.* 2. *n.* 12. *& Sect.* 3. *Cap.* 9. *n.* 3. *& Sect.* 7. *Cap.* 10. *n.* 15. Cùm ergo prærogatiuæ dictæ cum Beatificatione stare possint, & possessio præcedat, à qua sine inconueniente nequeunt Beati remoueri, valde verosimile est contra eos in hac parte minimè Decretum præfatum militare.

B. Andreas Auellinus *Canonizatus Prælatus.* Pasqualigus.

Potest etiam & Ecclesia Titulus.

Pro octaua nullum est solidum fundamentum.

5. Dico Quartò. Quod ad Octauam attinet nullum est solidum fundamentum ad eam Beatis concedendam, dum pro eo peculiaris concessio non fuerit verosimiliter comprobata. Et quidem ante Decretum dictum Alexandri iam hoc fuerat Decreto alio Innocentij X. declaratum, de quo Diana *suprà* & ante illud tradiderat Diana ipse *Parte* 3. *Tract.* 5. *Resolut.* 9. Secutus P. Luisium Turrianum 1. 2. *Tomo* 1. *Disput.* 17. *Dub.* 28. *& alios.* Quod probo. Quia cùm ante Decretum Alexandri id fuerit Decreto Innocentij prohibitum, & ante illud etiam non fuerit solida aliqua ratio ad Octauam inducendam: quod secus factũ est non potuit rationabilem consuetudinem reddere, nec legitimam possessionem. Et quidem Octaua nequit Canonizatis etiam Sanctis tribui sine Sedis Apostolicæ licentia, aut iuxta Rubricas, si videlicet Patroni aut Titulares sint. Quomodo ergo verosimile sit Beatificatis illam posse, simplici profectò pietate, concedi? vnde cùm Religiosa Augustiniana ex Recollectis Matritensibus, quæ se Regis filiam dicebat, apud SS. Alexandrum preces humillimas posuisset, vt sibi & consociabus liceret Festum B. Thomæ de Villanoua cum Octaua celebrare, à quo se miraculosè sanatam asserebat; Inde ille Canonizationis potius peragendæ occasionem arripuit; vt in Relatione authentica eiusdem Canonizationis habetur. Non ergo sibi licere cum Octaua celebrare Religiosæ illæ licitum censuerunt, sic à viris doctis circa negotium istud instructæ: quod & Religiosi Patres Augustiniani similiter pro se ipsis iudicarunt; aliàs & Monialibus eiusdem Ordinis proculdubio licuisset.

Decretum pro eo Innocent. X.

Petita pro Thoma de Villanoua.

Defectus publicationis nequit obtendi.

6. Neque dici iam potest id, quod apud Dianam aliqui *citata Resolut.* 21. in fine dicunt, prædicta scilicet Decreta non fuisse sufficienter publicata, vel non fuisse recepta, vel non tollere praxim & consuetudinem communiter in aliqua prouincia receptas. Ad quæ ille sic ait: *Sed ego has responsiones suis auctoribus libenter relinquo: ipsi videant, & de illis rationem reddant, si fortè vocentur à Sacra Congregatione. Mihi verò bonum est Romanis Oraculis reuerenter, vt facio, adhærere.* Sic ille, de ijs locutus, qui de Innocentij Decreto modo prædicto sentiebant, in quo præter id, quod de Octaua dictum est, generaliter statuitur vt circa Beatificatos nihil præter id, quod concessum fuerit, peragatur, sed omnino concessionis forma seruetur. Non inquam dici potest: Nam præter id, quod citatus Scriptor prudenter admonet, & suo exemplo confirmat, præfati, de quibus sermo, de Innocentij, vt dixi. Decreto loquebantur, non de nouiore Alexandri, de cuius publicatione dubitari nequit, ideò enim ad nos Roma transmissum. Quòd autem receptum in Hispania quoad Octauas fuerit, pro certo habetur, nisi fortè ante illud ob Decretum Innocentij iam fuerant illæ sublatæ vbi Beati, aut Patroni non erant, aut Titulares. Quod ad punctum, in quo sumus, nobis sufficit. Et verò cùm de lege constat, & an sit recepta dubitatur, debere seruari receptissima sententia est, pro qua Bonacina *Tomo* 2. *Tractatu de legibus. Disput.* 1. *Quæst.* 1. *Puncto.* 4. *n.*44. Doctores adducit, sicut & Mag. Gallegus *Tractatu de Conscientia. Dub.* 101. ex Societate præsertim. Et quamplures congerunt qui de conscientia differunt, Bossius, Del bene, PP. Bardi, & Franciscus de Lugo. Et licet Diana *Parte* 1. *Tract.* 10. *Resolut.* 3. cum P. Salas, qui posteà sententiam reuocauit & P. Azorio *Parte* 1. *Lib.* 2. *Cap.* 19. *Quæst.* 12. contrariam probabilem arbitretur; id certè locum tunc habet, quando dubium est probabile, vel tale vt ad dubitandum sit rationabile fundamentum, quia alij dicunt, alij negant, vt ex eôdem P. Azorio colligitur, dum sic loquitur: *Potest eam partem amplecti, quæ negat legem vsu esse receptam.* Addens statim doctrinam de probabilitate rationum vt credatur non fuisse receptam. In nostro autem casu non ita accidit, quia vt non sit receptum dictum Decretum, nullum, quod momenti alicuius sit, extat fundamentum; neque enim est pars, quæ receptum neget, ob cuius auctoritatem prudens possit dubium subintrare.

Diana.

Contrarium probabile, quando & dubium tale.

P. Azor.

Lex. de qua dubitatur an sit recepta, obligat.

7. Et quidem si de illo in Hispania supplicatum, non ideò in Indijs obligatio suboritur abstinendi ab eiusdem obseruantia, quia non versatur circa aliquid, quod ad ipsas specialiter spectet, propter quod non admittuntur dispositiones Pontificiæ, nisi fuerint in Regio Indiarum Consilio registratæ. Vnde si benè visum fuerit Indiarum Prælatis, possunt illas, & istam specialiter, de qua loquimur, ad praxim applicare. Et dubitari etiam potest an debeant, quia in Hispania occurrere aliquæ rationes potuerunt, propter quas est interposita supplicatio, quæ tamen in Indijs non deprehendantur. Et in diuersis prouincijs stare ea diuersitas potest circa legis acceptationem, vt pro certo supponit Bonacina *suprà n.*32. Et ita reuera est communi sensu & praxi in ipso Concilio Tridentino. Nihilominùs quia Indiæ Regno Castellæ sunt adnexæ, & illius legibus gubernantur, de quo in *Thesauro*, quando supplicatio interuenit in ijs, quæ omnes concernunt, eidem standum, expectandumque est vt appareat quem supplicatio exitum sortiatur. Quam quidem posse sub debito respectu interponi, vbi ratio pro eo subest, benè obseruat Bonacina, addens, dum Pontifex non respondet, regulariter loquendo supplicationi annuere, & legis obligationem auertere. Sic. *n.*41. *& duobus seqq.* Pro quo & Dom. Araux. *in Decisionibus moralibus Tract.* 1. *Quæst.* 11. *n.*4. *& seqq.* vbi & de iure Hispaniæ circa huiusmodi supplicationes, & illarum iustificatione. Dequo & nos in *Thesauro. Tomo.* 1. *Tit.* 2. *n.*91. *& seqq.*

In Indijs vt obliget Decretum.

Supplicatio vt liceat, & ne suspendat executionem.

Beatorum Reliquiæ exposita possunt quo in statu relinqui, qua & adorari possunt &c.

8. Dico Quintò. Quod ad exponendas Reliquias spectat, sustineri potest ob iam acquisitam possessionem, & futuram ex eo notam. Est enim certissimum adorari posse, quandoquidem possunt imagines, in quibus minor ratio, quia magis extrinsecæ. Vbi & valde vrgens argumentum ex Missæ Sacrificio in ipsorum honorem oblato, desumitur: est enim id quoddam genus reuerentiæ summum. Vnde & quod in Rubricis disponitur circa humiliationem capitis, cùm Sanctus, de quo fit officium, nominatur, ad Beatos extendendum, qui & Sancti in eôdem officio sæpiùs appellantur: *Beatus ille Sanctus. Domine ille Sanctus. Quo Sanctus hic de corpore &c.* Cùm ergo adorari possint, & ex eo quòd expositæ habeantur notabile in conueniens non emergat, quod tamen posset ex mutatione circa hoc facta timeri, conseruari in sua possessione possunt. nec Fidelium deuotio ex mutatione fraudanda.

Potest etiam publica inuocatio sustineri.

9. Dico Sextò. Publica Beatorum inuocatio, vbi vsu firmata est, & omitti sine nota nequit, continuari potest. Probatur ex eo quòd illa non sit ita Canonizatorum propria, vt ad Beatos non possit extendi. In officio enim Sacro, & in Missa, quæ etiam cùm priuata, publica est, inuocantur. Publicè etiam in Choro, lecto Martyrologio, in quo eorum aliqui continentur, vt in Amphitheatro misericordiæ videri poterit *n.*288. *& seqq.* quibus nunc addi potest Beata Magdalena de Pazi in eôdem, debita, vt credi debet, auctoritate, & Beata Catharina Bononiensis reposita, inuocantur, dum statim dicitur, *Pretiosa.* Et vt hoc interim dicam ex repositione tali Beatorum in Martyrologio illorum sententia non vera conuincitur, qui dicunt Beatificationem non includere iudicium circa Sanctitatem eius, de quo agitur, sed solùm esse permissionem: est enim honor peculiaris dispositione Sedis Apostolicæ constitutus, qui plusquàm permissio est, vt constat: vnde aliqui, quorum memini in Amphitheatro censent eo ipso quod quis in Martyrologio extat, debere Canonizatum censeri, propter rationem dictam inuocationis, & absolutæ compellationis. Cùm ergo modus inuocationis dictus, non admodùm diuersus sit ab eo, qui in publica supplicatione accidere potest, verosimile est SS. Alexandrum non ita velle suum obseruari Decretum, vt in casu, in quo peculiares circumstantiæ occurrant, non possit Beatis honor prædictus exhiberi.

Beatificatio non est tantùm permissio, sed dispositio iudicialis circa eulium.

Dum Episcopi non vrgent, procedi in cultu potest.

10. Dico Septimò. Cùm Episcopis executio Decreti prædicti iniungatur, dum illi cessant, & nihil ex stabilitis mutant, procedi potest in illis. Quod quidem in huius Limanæ Ecclesiæ Archipræsule experimur qui zelo magno circa Ecclesiasticos ritus cùm sit præditus, in hoc negotio nihil est aut aggressus, aut locutus. Quod quidem cùm accidit, non est ignorantiæ tribuendum, sed vel difficultati circa executionem animaduersæ, aut commodioris temporis expectationi. Ad eum modum, quo dicunt aliqui, tributa dum non petuntur, non vrgere obligationem in conscientiæ foro pro eorum solutione: & certè quando Pontifices volunt aliquid irremissibiliter fieri, censuras solent adijcere, quibus in casibus sibi quisque est pœnæ executor. Quamuis aliquando ad maiorem eius, quod præcipitur, firmitatem, & pœna in foro animæ, & simul etiam executionis cura alicui auctoritatem habenti soleat demandari. Quod quidem positioni præsenti non incommodat, immò roborari videtur ex ea. Et in Prælatis quidem Religionum id apertiùs videre licet, quibus à Pontifice iniungi aliqua solent suis subditis præcipienda: quod dum non faciunt, tuti illi in conscientia manent, etiam si aliàs sciant talem Pontificiam dispositionem extare. Sic enim iuxta Prophetam *suscipiunt montes pacem populo, & colles iustitiam*; & hierarchicus seruatur influxus cœlesti similis, dum inferiores à superioribus illuminati ad diuinæ voluntatis executionem progrediuntur.

Psal. 71. *v.* 3.

Debent illi adhibito Theologorum consilio procedere.

11. His addo Episcopos in huiusmodi executione, viris doctis ad consilium adhibitis, nec Iurisperitis tantùm illis, sed Theologis debere procedere: vt in simili iubet Vrbanus VIII. in Decreto, de quo *Sectione sequenti.* Quia res magni momenti est, & cùm ad genus adorationis spectet, valde Theologica, vnde illis maximè adhærendum, si præsertim Episcopus Iurista sit: ij enim valde addicti litteræ esse solent, vnde consultissimè à Sede Apostolica dispositum, vt in S. Inquisitionis causis Qualificatores Theologi adhibeantur. Quod & facere Episcopi debent vbi Inquisitores desunt, cùm ipsi Ordinarij iudices sint, & ita eumdem debent modum procedendi seruare ad inquirendam veritatem, & iuxta eam iudicandum. Quod quidem in Indijs accidere potest deficientibus Inquisitoribus, & ita eorum silente Tribunali; cui defectui in tanta orbis vtriusque distantia nequit nisi post longiora temporum interualla prouideri. Et oporteret certè circa hos curam supremi Tribunalis extendi, ne fortè deficientibus etiam Episcopis confusio magna in re adeò graui, & summi profectò momenti suboriatur.

& Qualificatores adhibere, cùm Inquisitorum munere fungantur.

12. Dico Vltimò. Imagines virorum aut feminarum

Imagines non Beatificatorum vt retineri in Ecclesijs queant.

minarum fama sanctitatis illustrium, quæ in Ecclesijs constitui prohibentur, etiam habitu supplicum, retineri possunt, dum *non cum laureolis, aut radijs, seu splendoribus, & quocumque alio veneration em & cultum præseferente & indicante* ponantur, quod est ab Vrbano VIII. prohibitum. Ratio est adducta *superius* de vi legis circa futurum tantùm disponentis, dum aliud non exprimit, sicut habetur expressum in Decreto dicto, vbi de ijs, quæ aliquid ex antè dictis præseferunt, sic statuit: *In Oratorijs, aut locis publicis, seu priuatis, vel Ecclesijs* (ne) *apponantur, & si quæ apposita sunt, amoueantur.* Sic ille. Quod de amotione formali accipiendum est, scilicet in quantùm veneration em aliquam præseferunt. Vnde si ijsdem in locis talia auferantur, aut deleantur insignia, poterunt in illis, non violato Decreto, relinqui. Illud autem quod in eo apponitur, *& quodcumque aliud veneration em & cultum præseferens & indicans*, Sectione sequenti ampliùs exponendum.

Vrbani VIII. decretum.

Post hæc scripta SS. Dom. Clemens IX. in peculiari Breui ad Reginæ nostræ instantiam concessit ut Beata Rosa non solum limensis ciuitatis eius patriæ, sed totius Peruviani Regni principalis esse Patrona possit, & vt eius festum die 26. Augusti ex præcepto ab omnibus eiusdem Regni incolis obseruetur, ex quo sufficiens videtur fundamentum haberi, vt eius imago possit publicè circumferri, sicut de B. Andrea Auellino diximus parte 2. *n.* 4. Et id quidem videtur prænogatiua Patronatus importare, vt inuocari Patronus publice possit, & ita etiam eius imago in publica supplicatione deferri, cum sit præ alijs, & inuocandus, & honorandus.

SECTIO II.

Circa non Beatificatos quæ sint prohibita, occasione peculiaris casus apud Indias, cum vtilibus animaduersionibus declarantur.

Casus pro positus.

13. Hic Limæ mortuus Oblatus quidam apud Dominicanos Patres, qui natalium obscuritatem (erat enim ex Hispano & Nigra mixtim progenitus) probitate vitæ, & religioso agendi modo profligauit. Qui & aliqua fecisse miracula ijsdem Patribus attestantibus dicebatur. Vnde & ad Sedem Apostolicam scriptum vt pro eo publicè honorando remissoriales litteras iuxta consuetam formam expediendas imperaret. Et erat illius corpus in communi sepulchro, è quo tamen extrahendum, vt in nouo Sacello infirmarij locaretur, censuerunt. Id quod aliqua cum pompa fieri, deportato in Ecclesiam, & cum solemni Missa ac concione tumulationi præaptato. Quia verò res visa est Pontificijs Decretis non conformis, apud eos, quorum intererat, inconuenientibus hoc in genere obuiam ire, deliberatione habita, id quod est ipsis opportunum, censoribus auditis visum, statuerunt.

14. Et in eo quod dicti Patres agere voluerant, nihil fuisse quod Decretis prædictis obstaret, probari poterat discurrendo per singula. Nam è tumulo transferre ad tumulum non erat veneration is aliquod aut cultus sublimioris argumentum: sed quia defunctus talis munus Infirmarij cum communi laude obierat, dicebatur ei deberi peculiaris hæc memoria, vt in Sacello eiusdem memoriam etiam omnium & affectum pariter ad virtutum eius imitationem prouocaret. Si enim cognatorum corpora transferre licet, non quidem sanctitatis, sed humanæ coniunctionis intuitu, vt in sepulchris alijs decenter iaceant: cur non idem liceat ex religiosa affectione, cùm non debeant esse Religiosa corpora deterioris præ sæcularibus conditionis. Ad id autem sufficere Prælatorum Religionis licentiam constat ex priuilegio Leonis X. quod ex Cespedes de *Exemplar. diuis.* 209. adducit P. Pellizarius *Tractatu* 8. *Cap.* 5. *n.* 176. vt Regulares concedere possint facultatem exhumandi cadauera, & transferendi de loco in locum. Quod quidem cùm respectu Sæcularium liceat, manifestum est respectu Religiosorum multò magis id licere.

Corporum translatio licet.

Cespedes. P. Pellizarius.

15. Prætereà funeralis aliqua pompa à sepulchro in Ecclesiam non videtur vnde possit illicita censeri, cum neque contra aliquam sit Pontificiam prohibitionem. Licet enim per Ecclesiam non sit iter directum ad Sacellum, sed circuitu sit vtendum, ad pompam aliquam benemeriti alumni, fieri sic potest, estque illud in vsu cum Sæcularibus, vt longiori aliqua deducantur via, vt sic plura dici Responsoria possint, & comitatus laxiori spatio amplior videatur. Item in Ecclesia ob prælentiam SS. Sacramenti deuotiùs orari potuit, & Responsorium solemniùs decantari. Sic cum ex vno in alium locum defunctorum corpora transferuntur, Parochis, per quorum Paræcias fit transitus, sua iura debentur: vnde & orta quæstio an possint occultè transferri ad vitandam iurium talium solutionem. Et respondet affirmatiuè idem P. Pellizarius *n.* 177. Est autem ex eo argumentum pro causa præsenti, dum volunt talium legum auctores corpora, quæ ex vno in alium locum transferuntur, cum debita pompa deferri, qua non debent, moderata tamen, Religiosa priuari.

Sicut & funeralis pompa.

Occulta translatio generaliter licet.

16. Iam quod ad Missam solemnem spectat, licitum prorsus apparet, præsertim si aliqua sit ex ijs, quæ dici pro Defunctis possunt. Missam etiam de SS. Trinitate, vel alio modo posse cantari in die Anniuersarij talium cum Molfesio & Trullench tradit P. Quintana Ducñas *Tomo* 2. *Singularium Tract.* 14. *Singulari.* 2. *n.* 9. & ratio est, quia id non inuenitur prohibitum vbi alia prohibita extant, & exceptio firmat regulam in contrarium. Et videri alicui posset in casibus similibus translationis conuenientiùs Missam de SS. Trinitate, de Spiritu sancto, de SS. Sacramento, aut de B. Virgine cantari, quàm pro Defunctis: ea enim videtur significari Defunctum talem posse illa inter purgatrices flammas indigere detentum: quod quidem cum opinione sanctitatis eius non videtur post lapsum annorum plurium cohærere. Quod si reuera accideret, non ideò Missa pro eius gloria dicta minùs ei ex opere operato prodesset, vt est constans Doctorum sensus. Et quod ad fructum ex opere operantis pertinet, ex peculiari cultu SS. Trinitatis, Spiritus sancti, SS. Sacramenti, B. Virginis, adde & Angelorum, cum

Solemnis Missa, & quæ.

Publica quies.

cum eorum intercessione coniuncto, aut etiam Sancti Religionis Fundatoris, potest abundè quod ex ea parte deficit, compensari.

Alexander ab Alex.

17. Concionem etiam publicam haberi posse affirmat citatus Auctor cum eisdem Molfesio & Trullench, in qua de virtutibus talium Defunctorum agatur. Si enim Conciones pro ijs haberi solent in eorum exequijs, qui sine excellentis opinione sanctitatis mortui sunt; quantò id potiùs quando virtutum excellentia meretur apud populos commendari; vt & sic eminentibus laus impendatur debita, & alij ad eorum imitationem prouocentur. Pro quo tot sunt exempla, quæ occurrunt passim, vt non sit opus circa hoc diutiùs immorari, & hunc morem laudandi defunctos apud antiquos viguisse, maximeque apud Romanos, ostendit Alexander ab Alexandro *Lib.* 3, *dierum genialium Cap.* 7. vbi Tiraquellus cumulum eruditionis adiungit. Qui & apud Ecclesiæ Patres obseruatus, vt videri in Diuo Gregorio Nazianzeno potest, D. Gregorio, Nysseno, D. Ambrosio, D. Ioanne Chrysostomo, D. Maximo, D. Bernardo, & alijs.

Apparatus, & concio in S. Inquisitionis tribunali inconuenienter prohibita.

18. Sed his non obstantibus multi moderationem circa præfata habendam censuerunt. Totus enim ille apparatus eò videbatur tendere, vt defunctus, de cuius iam diu erat quòd agebatur cultu apud Sedem Apostolicam obtinendo, aliquod haberet veneration is augmentum. Sin minùs quid opus erat nouo illo apparatu, cùm translatio posset secreta cæremonia celebrari. Vnde licet nihil ex præfatis se solo videretur obstare, coniunctum illud publico plausu conquisito, contra Sedis Apostolicæ mentem & verba prorsus apparebat. Amoueri iubeantur imagines, vt vidimus *num.* 12. in quibus aliquid esset *veneration em & cultum præseferens & indicans*: & an non veneration em & cultum præse fert defunctum ante annos plures honorifico ritu transferre, vulgata translatione, & concione prænuntiata? Quando ergo tale quid ex honore talibus impenso colligi aut timeri potest, neutiquam est permittendum, etiamsi actiones honorificè aliàs videantur permissæ. Et hoc est quod nomine scandali significant aliquando Scriptores, vt videri potest apud Lezanam *Tomo* 2. *verb. Sanctorum cultus num.* 6. & P. Palaum *Tomo* 2. *Tract.* 8. *Disputat.* 2. *Punct.* 3. *num.* 7. & 8. & P. Quintanam *suprà*. scandalum enim ex eo contingere potest quòd adstantes ad cultum non debitum prouocentur. Si enim ipsi nihil aliud, quàm quod vident fieri, & eodem modo præstent, nullum ibi scandalum est. Periculum ergo dictum nomine scandali significatum, quod præcauendum etiam Benè aduertit P. Baldellus *Tomo* 2. *Lib.* 3. *Disputat.* 13. *num.* 21. Id quod in casu nostro præsertim videtur locum habere potuisse. Cùm enim defunctus dictus ex ijs fuerit, qui Mulati dicuntur dum tales, qui magno in numero sunt, cum sic celebrari conspicerent, & alij ex Æthiopum & Indorum promiscua turba, Sanctum existimarent, & Sanctorum eidem cultum adhiberent, ea cultus discrimina, de quibus Doctores agunt, distinguere nescientes. Quod quidem & in Hispanorum vulgo etiam accideret: quis enim ex vulgo circa ista peritus? Licet ergo prædicti Patres in nullo se velle dicerent Decretis Pontificijs contraire, de quo dubitari non poterat; nihilominùs quia actio ipsa non videbatur illis conformis, moderatio visa est adhibenda, vt reipsa adhibita est, prohibita concione.

Quid nomine scandali in talibus significent Scriptores.

P. Baldellus.

19. Et quidem licet concio haberi possit in exequijs, quæ post mortem fiunt, insolita tamen post annos à morte plures ad nihil videtur deseruire, nisi vt populus ad peculiarem veneration em excitetur: præsertim concurrentibus alijs, de quibus *suprà*: si prætereà sint narranda miracula, quæ dum non audit populus, vix aliquem de sanctitate laudati solet notabilem conceptum efformare. Quid autem circa hoc à Sede Apostolica habeatur dispositum sciunt Theologi, quibus Vrbani VIII. Decretum non potest non esse perspectum, quod plures adducunt, & inter alios P. Pellizarius *Tractat.* 6. *Cap.* 4. *num.* 50. & 51. Lezana Tomo 1. Cap. 12. n. 39. & *Tomo* 2. *citato num.* 6. Bassæus *Tomo* 2. *verb. Reliquiæ Sanctorum.* Integrum autem habetur apud Dianam *Parte* 4. inter Pontificias Constitutiones ad S. Tribunal Inquisitionis spectantes, & verò miracula aut reuelationes in libris vulgari omnino ibidem prohibitum inuenitur: quod autem voce vulgari nequeant, non ita apparet, attento Decreti tenore: & est hoc solerti obseruatione dignissimum, in quo non videntur Scriptores ita exactè vt par erat, processisse.

Non fuisse contentientem concionem.

Vrbani VIII. Decretum circa miracula, & reuelationes &c.

20. Quod ergo ex vi præfati Decreti, nullo modo vulgari prædicta queant, praxis S. Tribunalis videtur ostendere, quia Domini aut in speciali prohibent, cùm aliquid occurrit, vt in casu dicto, aut prædicata reprehendunt. Et prætereà in ipso Decreto videtur habere fundamentum, dum in eo sic dicitur: *Vt autem præmissa diligentiùs obseruentur: vniuersis & singulis tam Ordinarijs, quàm hæreticæ prauitatis Inquisitoribus, districtè præcipit vt in sua quisque diœcesi vel Prouincia sedulo peruigilet, ne sine approbationibus prædictis imagines cum memoratis signis exponantur, aut miracula, reuelationes, ac beneficia prædicta publicentur, aliáve contra superiùs disposita fiant.* Sic Pontifex. Vbi cùm absolutè publicationem prædictorum sedula diligentia impediendam præcipiat, ad omnem tum scripto, tum voce videtur Decretum extendendum. Vbi enim lex non distinguit, neque nos distinguere debemus, & propositio indefinita æquiualet vniuersali, & sic alia de vulgaribus axiomatibus.

Quod ad S. Tribunal spectat.

Decretum citati verba.

21. Sed verò cùm præfata dispositio ad præcedentia referri debeat, non est in illa vis ea, quæ primo se prodit aspectu. In præcedentibus enim nihil de publicatione voce facta continetur, vt est ex Sermonis processu manifestum. Notatur abusus in eo quòd *miracula & reuelationes, aliaque beneficia à Deo per eorum intercessiones accepta in libris rerum ab ipsis gestarum enarrentur.* De voce nec verbum. Sequitur prohibitio: *Ac pariter imprimi de cetero inhibuit libros eorumdem hominum, qui Sanctitatis, vel Martyrij fama, vel opinione (vt præfertur) celebres, è vita migraue-*

De illorum publicatione voce facta non proceditur.

Sed libris editis.

migrauerint, gesta, miracula vel reuelationes, seu quæcumque beneficia tamquàm eorum intercessionibus à Deo accepta continentes &c. Ecce circa scriptos libros totam tendentem prohibitionem. Cùm ergo & Ordinarios & Inquisitores vrget; vt sedulò circa impediendam publicationem peruigilent, non de alio publicationis genere, quàm de præfato accipiendum, quod vltimis illis verbis comprehendit: *Aliaue contra superiùs dispositа*: planè indicans ea, quæ nuper expresserat, non alia esse, quàm ea, quæ cum prohibitione præmiserat, & à præfatis iudicibus volebat ad omnimodam obseruantiam sedulo peruigilio deduci. Estque id iuxta vulgares Iuris regulas à Doctoribus passim allegatas, scilicet quòd *dispositio omnis inspicitur & interpretatur prout verba diuiguntur.* Pro quo Barbosa *Tractatu de Axiomatibus Iuris. Axiomate* 73. *num.*17. Item, *verba quantumuis generalia debent restringi ad rationem & causſam, propter quam fuerunt prolata, & intelligenda sunt secundùm ea, quæ præcedunt.* Iuxta leges & auctores apud eumdem *Axiom.*222. *nu.*28. vbi & *nu.*40. *Quòd verba generalia restringuntur secundùm subiectam materiam.* Ex dictione etiam *superiùs*, quæ eadem est cum dictione *suprà* cùm adijcitur verbis *Dicta*, aut *Disposita*, idem colligitur: *Est enim relatiua ad præcedentia cum omnibus suis qualitatibus*, per Textus & Doctores apud eumdem *Tractatu de Dictionibus, Dictione* 395. Cùm ergo *Alia superiùs disposita* dicuntur, illa ipsa, & non alia, aut alio modo intelligenda veniunt.

Axiomata Iuris circa Dispensationis interpretationem.

Cur ab Inquisitoribus prædicta possint prohiberi.

22. Cùm ergo hæc ita se habeant, si quando contingat à DD. Inquisitoribus miraculorum aut reuelationum euulgationem prohiberi, non videtur id ex vi præfati Decreti procedere, sed quatenus attentis circumstantijs videtur ad venerationem & cultum conciliandum tendere; sicut actiones aliæ, de quibus dictum, & licet in Concilio Tridentino circa miracula specialis etiam extet prohibitio *Sessione* 25. *de Reformat. in Decreto de inuocatione &c. Sanctorum.* Quod ibidem traditur, ad Episcopos spectat, sicut & Reliquias approbare. Vbi & notandum ibi non prohiberi publicationem, sed admissionem, sic enim ibi: *Nulla etiam admittenda esse noua miracula, nec nouas Reliquias recipiendas, nisi eôdem recognoscente & approbante Episcopo.* Possunt ergo in Concione narrari, quamuis admissa non sint, nullam maiorem eis auctoritatem tribuendo, quàm sit ea, quæ humanæ fidei debeatur. Per quod conciliari potest locus iste Concilij cum alio eiusdem Sessionis in Decreto de Purgatorio, vbi cùm de Concionatoribus sit sermo, inter alia sic additur: *Incerta item, vel quæ specie falsi laborant, euulgari ac tractari non permittant.* Scilicet Episcopi. Possunt enim miracula (& de reuelationibus idem est iudicium) certa esse ea certitudine, quæ ad eorum narrationem sufficiat, & ita specie falsi non laborare. In quo Concionatorum conscientia & prudentia conuenitur.

Concilium Trident.

De Reliquijs alia est ratio, pro quibus approbatio Episcopi requisita.

23. Si dicas Concilium eodem modo loqui de miraculis ac Reliquijs, & ita ex eo videri consequenter inferri, quòd sicut Reliquiæ exponi nisi approbatæ nequeunt, ita neque miracula. Id non vrget. Admitto enim illationem, & ideò assero miracula non posse proponi vt certa & ab omnibus necessariò recipienda, sicut in Reliquijs seruare Concilij dispositione tenemus. Est præterea inter illa notanda diuersitas, quòd in Reliquijs, cùm minimè certæ morali certitudine sunt, magnum est inconueniens in earum expositione ad venerationem, quòd scilicet adoratio immerenti tribuatur: quod tamen in miraculis non ita accidit, cùm iuxta verosimilia fundamenta populo in Concionibus proponuntur. Vnde Ecclesia, quæ in adoratione Reliquiarum adeò cauta est, in Officijs Sanctorum aliqua solùm prout apud Ecclesiasticos Scriptores occurrunt, solet proponere, quæ incerta aliquando sunt, vnde ea Scriptores aliqui non admittunt. Sic annorum numerum ab orbe condito in Festo Natiuitatis Domini, Crucem in aëre visam in prælio illo insigni, quod in Hispania celebratur Titulo *Triumph. S. Crucis*, de quo plures dubitant. Sicut de aliquorum Apostolorum gestis in eorum Officijs enarratis. Vnde & in libris de nouo editis miracula narrari perspicimus, & reuelationes annuentibus Prælatis, dum ea in illis cautio ab Auctoribus adhibetur, ea scilicet non vt inconcussæ auctoritatis, sed vt fidei humanæ fouenda suffragio, à se pro fidelium pietate promouenda vulgari. Pro quo Lezana *Consulto* 1. *nu.*27. *&* 28. *ex.* P. Ballello.

Aliqua incerta in Officijs sanctorum ponuntur.

Lezana.

24. His ergo circa casum præfatum prælibatis, videndum restat quid erga non Beatificatos vlteriùs liceat: circa quod iam illorum modum dicendi reiecimus, qui omnia licere affirmant, quæ non sunt expresè prohibita, quæ ad laureolas, radios, seu splendores, reducuntur. Cùm enim, vt vidimus, in Decreto prohibitum appareat quidquid cultum ac venerationem præ se fert, aut indicat; aliquid profectò ampliùs debet prædictis adijci, quandoquidem prædicta verba neque superflua existimari debent, neque vt synonima interpretanda. Vbi quòd ad laureolas attinet oportet priùs exponamus. Circa quod P. Quintanad. *suprà nu.*7. laureolas prohibitas esse dicit, quæ ex splendoribus, aut luminis radijs ex eorum capite emanentibus, aut circa eorum capita effulgentibus, efformantur. Illis enim lumen inaccessibile, quo Beati fruuntur in gloria, & corporum claritas, qua resurgendo fruentur, designatur, vnde illæ solis iam canonicè declaratis, sanctis, aut Beatis debent tribui ex Pontificia institutione. Addit *num.*8. coronas alias ex diuersarum arborum folijs confectas non prohiberi, quia communes illæ victoribus sunt, vnde communiter imagines cum illis permittuntur, videntibus Prælatis, & minimè repugnantibus. Idem autem quod laureolis dictis significari diademate ex lineis in formam arcus conformatis, quo sæpissimè depinguntur, ipse & alij contestantur.

Quid non permissum.

De laureolis. Vbi quid de illis P. Quintana Ducæus.

25. Sed contra hoc esse videtur, sic explicatam laureolam, superfluè expressam, quandoquidem nihil aliud significat, quam radios & splendores ex capitibus emanantes. Verba autem in legibus debent aliquid operari, & non esse superflua: proinde ita debent intelligi, ne maneant sine effectu: vt multis Textibus

Commodior explicatio.

Lex debet intelligi vt non maneat sine effectu.

tibus & auctoribus exornat Barbosa *Axiomate* 222. *citato num.* 11. & cum Coronæ etiam ab Angelis allatæ non videantur prohibitæ, quandoquidem, vt dictum est, Prælatis non reluctantibus sic vsus obtinuit, qui, & Romæ videtur admissus, aliud certè quærendum, ad quod se prohibitio debeat extendi. Et certè nullum apparet commodius, quàm id, quod diadema dicimus, siue semicirculus sit in capite eminens, qui picturis aptior; siue integer, vt in statuis. In picturis enim non ex radijs aut splendoribus formari solitus, & ei congruit Coronæ etymon iuxta Grecam originem, est enim à Κορονις, seu Κορωνη sic dicta, est autem Coronis summitas circuli, vt exponit Carolus Paschalis *Lib.*1.*Cap.*1. Si autem quæras cur circulus aut summitas, seu semicirculus prohibiti sint, qui speciem coronæ non ita præseferunt, cùm tamen coronæ permissæ sint: Ratio discriminis ex Ecclesiæ dispositione reddēda, quæ in vno voluit gloriam significari vt certò iam obtentam, non in alio. Et dispositionis ratio ea etiam esse potuit quòd modus diadematis dicti numquàm est vsu receptus ad heroum excellentiam designandam aut alias coronas promerentium, vnde opportuit ab Ecclesia ornamentum aliquod speciale pro sacris imaginibus decerni, quo eorum, quos exprimunt, gloria signaretur. Quod & in titulo videre licet, quo Ecclesia vtitur ad eorum beatitudinem indicandam, vocat enim eos *Sanctos*, quod quidem non est apud Ethnicos inuenire Latina vsos lingua, vt numina etiam honorarent sua. Diuos quidem vocarunt Cæsares; quo titulo etiam Ecclesia vtitur, & sanctis attribuitur: sed non ita vt iuxta antiquitatis ritum Imperatoribus, ac Regibus, summisque alijs velit negari Principibus, vnde in eorum elogijs illud solet esse principium D. O. M. scilicet *Diuo, Optimo, Maximo*, cùm scilicet opus aliquod eisdem dedicatur. Numquàm tamen Ecclesia compellationem sancti erga ipsos pateretur.

Coronæ permissæ ab Angelis adhibitæ.

Coronis quid.

Nomen sancti apud Ethnicos inusitatum circa sua numina.

Cur Summo Pontifici tribuatur.

26. Quòd si erga Pontificem Summum ita fert antiqua consuetudo, dicitur enim Sanctus Pater, & etiam sanctissimus: titulus quidem sanctitatis, non personæ vt talis, sed dignitatis est, & commodè stare potest, eo quòd propter vices Christi in terris eo possit compellari nomine, quod est proprium Beatorum, & quia eminenti quadam ratione, & cum maxima amplitudine id continet, quod apud homines reddere potest Dei seruos insignes maximè glorioſos, quandoquidem canonizare potest, & sic titulum *Sancti* conferre multis, quo glorioſior nullus. Sic & Ecclesia vocatur Sancta, quia in ea est cælestis potestas, qua fieri sancti possint, per magisterium scilicet, & Sacramentorum administrationem. Nihilominùs nomen sancti non est vsurpandum nisi adiectiuè, vt scilicet adiunctum alteri significanti dignitatem, quia aliàs sensus mutatur: vnde stare posset quòd nomen *Sanctissimi* solitariè & antonomasticè posset esse in vsu, non tamen ideò nomen *Sancti* vllatenus admitti deberet: vt si Romæ diceretur, *sic iubet Sanctissimus*, *Sanctissimus ægrotat*, *Sanctissimus se contulit in Vaticanum*, & sic in alijs. Quia nomen tale ad designandum Pontificem destinatum est, non ita aliud, nisi vt alteri additum. Et in hoc nulla est alia quærenda ratio. Neque *Sanctissimi* compellatio maiorem gradum sanctitatis semper indicat, quam sit eius, cui nomen est Sancti tantùm attributum, vt videre licet in Officio sacro: nam de D. Petro Alexandrino loquens Ecclesia in lectione de eôdem sic habet: *Petrus Episcopus Alexandriæ post Theonam virum Sanctissimum, sanctitatis & doctrinæ splendore non solùm illustrauit Ægyptum, sed toti luxit Ecclesiæ Dei.* Vbi quidem cùm maiorem & sanctitatis & doctrinæ splendorem in D. Petro agnoscat & prædicet, illum Sanctissimi titulo non effert, quo Theonam extollendum iudicauit.

Compellatio sancti non semper maiorem gradum sanctitatis indicat.

27. Inquirendum autem restat an præter diadema, radios & splendores aliud sit, quod à Pontifice prohibitum debeat reputari; nam reuera ita eius verba indicant, vt *superiùs* dicebamus, ne cogamur asserere fuisse illud superfluè additum de indicante & præseferente cultum & venerationem, quod apud auctores non occurrit declaratum. Et quia hominum ingenia sunt varia, atque ingenioſa pietas, quidquid sic fuerit inuentum, vt cultum videatur & venerationem excitare, debet censeri prohibitum, & de ijs loquimur modò, quæ ad imagines spectant, quid scilicet esse possit quod prædictis æquiualeat. In quo quidem vix aliquid speciale designari potest cùm tamen esse specialia multa queant, quibus aliquos gloriam esse consecutos, ac propterea cultu esse dignos peculiari designatur. Vt si in aliquo effigientur simiſes Sanctis quibusdam, in quo illi singulares, præsertim in morte, extiterunt. Et ad hoc referendum quod habetur in citato Tridentini Concilij Decreto, de cultu Sanctorum verbis illis: *Statuit sancta Synodus nemini licere vllo in loco, vel Ecclesia etiam quomodolibet exempta vllam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit,* Ideo namque insolita esse potest, quia alicuius saltim non Beatificati, eo habitu, vt cultus ei indebitus intendi videatur. Et vt intentio in saluo sit, si res ipsa id præsefert, facto potiùs, quàm verbis standum; quia voluntas magis facto, quàm verbo declaratur, vt ex multis probat Barbosa *Axiomate* 93. *nu.*11. & vbi damnum aut periculum in facto est, verbalis non attenditur excusatio.

Quid insuper non licet licet in speciali non prohibitum.

Concilium Tridentin.

Insolita imagines vt prohibita.

28. Et prædicta quidem supponunt sententiam Molfesij *Cons.*45.*num.*31. cuius ipse meminit in *Promptuario iuris Tract.*11.*nu.*52. & 53, non esse admittendam, vt ad praxim reducatur, dicentis alicuius non Beatificati imaginem posse cum radijs & diademate depingi, quam & esse aliorum recentiorum affirmat Diana *Parte* 3.*Tract.*5. *Resolut.*9. Et eam improbat cum nonnullis, quos citat; non tamen asserit improbabilem post Decretum Vrbani scribens, ante quod Molfesius scripserat, asserens nihilominùs esse Recentiores, qui eam sequantur. Et quidem vt deinceps ita effigientur nullo modo probandum est: quòd verò in iam effigiatis aliquid huiusmodi tolerari possit, dum ij, quibus Decreti Vrbani executio, committitur, non contradicunt, erunt, qui fortè existiment; cùm præsertim imago talis sine aliquo non potest scandalo in prædictis alterari, & per-

Radios & diadema licere malè à quibusdam assertum.

ſonam exhibet notæ ac celebris ſanctitatis. Quo euentu vt ſecurè procedatur, & ſcandalum vitetur, loco radiorum aut diadematis poteſt corona florea, aut aliàs decora ſubſtitui: ſic enim populus nihil de ſanctitatis conceptu detrahet, & iuxta probatiorem vſum res hæc momenti tanti tranſigetur.

Decretum Vrbani VIII. *alia prohibentis.*

29. Venio ad alia, de quibus Pontifex in eodem Decreto ibi: *& ad illorum ſepulchra tabellæ, imagines, & res aliæ ad beneficia accepta tectificanda, & lampades & alia lumina apponuntur.* Hæc ſtatim prohibet poſt laureolas, radios, & ſplendores, & addit clauſulam inculcatam: *& quodcumque aliud venerationem & cultum præſeferens & indicans.* Vnde ſicut circa imagines quid illud eſſe poſſit diximus, ita & circa alia ſimiliter eſt explicatio ſubijcienda. Et inferius quidem videtur id, quod non ita expreſſerat, dictum Decretum protuliſſe, dum in eo ſic dicitur: *Ad horum hominum ſepulchra vetuit etiam* (Pontifex) *ac inhibuit tabellas, atque imagines ex cera, aut argento, aut ex alia quacumque materia, tam pictas, quàm fictas, atque exculptas appendi ſeu affigi, & lampades, ſeu alia quæcumque lumina accendi &c.* Sed quia prior illa clauſula ampliſſima eſt, quæ ex vi illius ſunt prohibita non debent ad enumerata reſtringi: vnde quidquid vllo modo, argumento ex ſimilitudine ſumpto, cultum & venerationem indicare repertum fuerit, debet penitus prohibitum reputari. Alia ergo quæcumque lumina vltra lampades expreſſas, ſicut ex candelis, accenſis facibus, odoratis flammis, elychnijs poſt vitreas ampullas aquis diuerſicoloribus plenas locatis, ad ſplendorem cumulandum, & ſic alia. Et Molfeſius quidem *num. præced.* adductus poſſe cereos ad ſepulchra nondum Beatificatorum accendi, vtroque loco contendit, ſicut & vota etiam nomine communitatis deferri. Contra illum tamen & alios ſimiliter ſentientes videtur dictum Decretum prodijſſe. Quamuis ſeruandam in hoc conſuetudinem diœceſis dicat Trullech *Lib. 2. Cap. 9. Dub. 6. nu. 7.* ex quo Baſſæus *Tomo 2. verbo Reliquiæ ſanctorum n. 10.*

Contra Molfeſium *cereos & vota admittentem.*

Conſuetudinem qui admittunt.

Quid votum in præſenti.

30. Et quod ad votum attinet, vt hoc loco à Scriptoribus ſumitur, donarium ſignificat accepti beneficij monumentum futurum, ad ſepulchrum eius, vel locum alium eiuſdem veneratioñi dicatum, cuius creditur meritis obueniſſe. poteſt & in magis vſitata ſignificatione vſurpari pro facta Deo promiſſione, & quæri an tale aliquid poſſit erga non Beatos exerceri. In quo de priuata cuiuſque promiſſione loquendo non videtur poſſe negari, iuxta receptiſſimam ſententiam de cultu priuato licito, vbi ſcandali abeſt periculum. Poteſt ergo quis in honorem talis vouere Deo ieiunium, eleemoſynam, pœnitentiam, & alia pietatis opera, de quibus Lezana *citato loco ex Tomo 2. verb. Cultus ſanctorum nu. 6.* vbi ait quòd poſſumus in eorum natalibus lætari, ab operibus ſeruilibus abſtinere, Deo vacare, ieiunare, &c. quæ cùm honeſta ſint, etiam poſſunt voto firmari, & ita ſic addit ille concludens poſſe votum in eorum cultum offerri. Sed difficultas eſt an fieri à Communitate poſſit, à Religioſis videlicet vnius Conuentus aut Collegij, vel à ſæculari etiam Congregatione. Et videtur quidem ſimiliter dicendum eum eadem limitatione, quia non inuenitur prohibitum, neque in particulari, neque generalibus clauſulis: præſertim ſi cùm votum ſit, proteſtatio ſimilis addatur ei, quam iubet Pontifex in hiſtorijs talium adhiberi. Et quidem ea, quæ propria Beatificatis ſunt, de quibus dictum, nequeunt priuatim vſurpari, vt apud citatos eſt obuium: vnde imagines cum radijs, aut laureolis haberi nequeunt, neque lumina in eorum honorem accendi. Si ergo publicum votum non licet, neque priuatum licebit. Cùm autem liceat, argumento eſt etiam publicum eſſe licitum, vbi periculum præfatum non timetur. Quod tunc præſertim poterit locum habere, cum votum emiſſum fuerit, quo aliquid faciendum promittatur, ſi Deus interceſſione talis ſui ſerui beneficium dignetur ſpeciale concedere, quod & ſit eius meritis impetratum. Tunc enim ſcandalum eſſe nullum poterit, ſed qui id reſcierint, gratias Deo agent, & ſerui Dei merita, quæ ipſe nota fieri huiuſmodi munificentia intendit, recognoſcent.

Sicut & publicum ſint prohibita.

Licet priuatus cultus, & qualis. Lezana.

Votum ob miraculum.

31. Illud autem videtur non ita conforme Decreto, ſi lege aliqua aut ſtatuto ieiunium indiceretur ex voto, aut aliter obſeruando. Ieiunia enim talia non ſolent in Eccleſia niſi pro ſanctis Canonico ritu declaratis indici, vti peculiaris ritus feſtiuitati eorumdem adnexus. Quod ſi aliquando in Religionibus tale quidquam accidit, vt in Societate noſtra, in qua ieiunium in peruigilio D. Parentis IGNATII nondum faſtis Sanctorum adſcripti à Congregatione Generali 7. iniunctum eſt, erat tamen gloria Beati conſpicuus: & non defuere qui circa factum dubitarint; ſed immeritò, in id enim viri doctiſſimi conſenſerunt. Et quia Diui Parentis mentio incidit, meminiſſe iuuat voti à pluribus nauigantibus dira tempeſtate iactatis in naui ex Mexicano ſinu in portum Nouæ Carthaginis contendenti, in qua Illuſtriſſimis D. D. Bartholomæus Lobo Guerrero Noui regni Granatenſis Archiepiſcopus vehebatur, Limanus poſteà, qui cum alijs duobus è Societate Patribus hortatoribus votum in honorem Diui Parentis emiſit, Deo promittens ſe in eius Feſto iam aluo Sanctorum inſerti, qui nec Beatus tunc temporis, Miſſam Pontificio ritu dicturum, & voti compotes facti omnes, dum Dominus ſerui ſui fideliſſimi precibus exoratus *imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna.* Matth. 8. Rem elegantiſſimus & grauiſſimus vitæ Scriptor ſuis omnibus cum circumſtantijs Lectori obtius exhibebit. Et hæc occaſione caſus, de quo dictum, diſſeruiſſe ſufficiat, ne ad communia plus iuſto digrediamur, quamuis eo tendere digreſſiones curem, vt non communia, ſed peculiaria ſubminiſtrem. Ad quid enim ſcribimus, qui vltra communia, & in multis repetita voluminibus, nihil ſumus de theſauris noſtris niſi vetera prolaturi? Sit ergo

Ieiunio ex ſtatuto non conforma Decreto.

Circa D. IGNATIVM quid ſaltem.

SECTIO

SECTIO III.

An officia pro adminiſtratione iuſtitiæ inſtituta vendi poſſint. Vbi quid pro Indijs ſpeciale.

32. DIctum de hoc in *Theſauro Tomo 1. Tit. 1. num. 161. & ſeqq. & Tit. 3. num. 46. & ſeqq. & Tit. 5. num. 167. & ſeqq.* nec leuiter vt reor; ſed hoc loco addendum aliquid, quod vtilis eſſe operæ pretium poſſit, occaſione eorum, quæ in Auctoribus poſtmodùm in lucem editis occurrerunt, ex quibus Dom. Arauxo in Deciſionibus moralibus Diſput. 8. ſect. vnica ea. quæ ſequuntur, zelo ſemper exæſtuans, aſſerendo proponit. *Primò* talia Officia natura ſua eſſe vendibilia à ſupremis Principibus, ſi idoneis, & pretio iuſto tribuantur. Venale enim eſt quodcumque eſt pretio æſtimabile, & talia ſunt officia huiuſmodi, quæ & honorificà, & multas poſſunt vtilitates emptoribus conciliare. *Secundò* ex iure Canonico & Ciuili vendi non poſſe *l. vnica C. ad legem Iuliam de ambitu, & in Authentico de mandatis Principum §. Illud tamen & l. 2. C. de Muriligulis. Et in Authent. vt iudices ſine quoquo ſuffragio fiant, & in Hiſpania Lib. 1. Ordinamenti. Tit. 5, l. 1. Cap. Sancimus 1. q. 7. & in ſtatuto ſpeciali Pij V. an.* 1571. Vbi addi poteſt eo anno mortuum magnum illum Pontificem, & ita ſtatutum dictum veluti teſtamento reliquiſſe, in quo vltimam declarauit voluntatem. Addit tamen prædictas leges iam vſu contrario abolitas, & quaſi mortuas. *Tertiò*, licet venditio ſpeculatiuè loquendo licita ſit, non tamen expedire; & ita eſſe licitam ſpeculatiuè, non practicè, iuxta receptam illam diſtinctionem, quam exemplo illius ſententiæ declarat, iuxta quam Baptiſmus verbis illis adminiſtratus, *Ego te baptizo in nomine Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab vtroque*, probabiliter eſt validus, & à Caietano defenditur, id tamen ſolùm ſpeculatiuè, quia ad praxim trahi licitè nequit. Cùm enim vt licita ſit venditio opus ſit idoneum eſſe, qui emerit, & pretium eſſe moderatum: hoc in praxi obſeruari regulariter nequit, licet in raro aliquo euentu poſſit accidere, quod non tollit quin ſit dicendum moraliter impoſſibile. *Quartò* factam turpiter venditionem futuram validam, ita vt emptor officij illud iuſtè exercendo non peccet, nec teneatur illud dimittere, neque prouentus illius reſtituere, donec per ſuperiorem, aut iudicis ſententiam priuetur, exemplo Beneficiarij incurrentis irregularitatem, aut committentis crimen læſæ humanæ aut diuinæ Maieſtatis, iuxta valde receptam Nauarri, aliorumque ſententiam. Sic ille concludit, à lamentabili regnorum ac prouinciarum damno ex venditione officiorum auſpicatus.

Dom. Arauxo *vendi poſſe negat attentis, quæ regulariter accidunt.*

Sed factum tenere.

Contrarium ex ipſius doctrina ſtatuitur.

33. Sed certè non videtur illa adeò moraliter impoſſibilis, vt reduci ſæpiùs ad praxim nequeat, iuxta eumdem doctum Magiſtrum. Nam vt vidimus *Parte 1. n. 440.* vnum ex medijs ab eodem adhibitis ad grauamina gabellarum amouenda, venditio officiorum eſt, cum duabus illis conditionibus idonei emptoris, & pretij moderati. Si autem eſſet moraliter impoſſibile duas illas conditiones concurrere, tale medium aut remedium ineptum deberet meritò reputari. Vt ergo ineptum non ſit, aliter videtur de impoſſibilitate ſentiendum. Quod autem de diſtinctione practici & ſpeculatiui in opinionibus inducitur, ſatis dubium negotium eſt, & exemplum minùs commodum, cùm receptiſſima ſententia ſit opinionem ſpeculatiuè probabilem non poſſe ad praxim adduci, quando ex illius vſu dubius valor redditur Sacramenti; quod & ij fatentur, qui diſtinctionem illam negant: vnde & addunt tunc etiam ſententiam eſſe ſpeculatiuè reſpondentem practicæ, quia abſtrahendo hic & nunc ab operatione, veriſſimum eſt non poſſe quempiam vti opinione probabili in materia Sacramentorum. Aliud ergo exemplum adduci debuiſſet.

Practici & ſpeculatiui diſtinctio non adaptatur inſtituto.

34. Illud autem pro Indijs maximè facit, in quibus difficiliùs eſt conditiones ad honeſtandam venditionem dictam inueniri. Non enim qui ex Hiſpania ad eadem aſſumuntur emere illa ſolent, cùm nullus ſit pecunia valens in illius fortunatis regionibus, qui ad Indiarum theſauros adſpiret, relicturus certa, & traiectione marium, ac nouorum experientia climatum, geminatis periculis incerta quæſiturus. Danda ergo nundinatoribus incognitis, & ita de idoneitate ſuſpectis. Vbi & quo pretium auctius, maius & damnum, ob futuras multorum, ac Indorum maximè, vexationes: quæ quidem frequentes, etiam cùm venalitas non interceſſit; quid ergo ſtimulante illa, & dato pretio, exactore crudeli? Cui aliud, & ſatis quidem exploratum accedit, traditumque à D. Thoma *Opuſculo 21.* in quo Duciſſæ Brauantiæ reſpondet circa ea, quæ illa fuerat in caſu huiuſmodi percontata, & ita ſcribit: *Sequitur igitur quòd vt plurimùm illi officia in terra vestra ſuſcipiant, qui ſunt peiores, ambitioſi, & pecuniæ amatores: quos etiam probabile eſt ſubditos veſtros opprimere, & veſtro etiam commodo non ſic fideliter procurare.* Sic S. Doctor. Scio Reges noſtros, & eorum Indicum Conſilium circa vitandas Indorum vexationes curam ſolertiſſimam adhibere: ſed vt minùs moueat (quod abſit, & abeſſe conſtat) illa profectò debet eos cura ſat pungere, Regij fiſci cauſſam incuriosè agi, & eos Regis *commoda non ſic fideliter procurare.* Vnde lucroſa non euadit prædicta venditio, quandoquidem plus eſt, quod Regius amittit fiſcus, quàm ſit illud, quod pro tali eſt acceptum officio. Et quidem Indiarum opulentia Indi ſunt: magna enim auri & argenti copia, quibus illas Deus locupletauit, habenda nihilò, deficientibus Indis: & defecturi ſanè iniquis gubernatorum talium vexationibus degrauati. Hinc ego venditionem talem eliminandam penitus in *Theſauro* cenſui, & eam Proregibus minimè licitam oſtendi, quod & citatus Magiſter vt certum ſtatuit, dum ſolis ſupremis Principibus eam, quam ſpeculatiuè tantummodò talem exiſtimat, licitam eſſe concedit. Et mirum profectò eſt velle Dominos iſtos (ſed non omnes) ſibi practicè licitum, quod ſolùm ſpeculatiuè ſupremis docti adeò Magiſtri iudicium licere pronuntiat.

In Indijs magis impr. probanda venditio ob Indorum vexationes.

D. Thom.

Et penitus eliminanda.

35. Iam quod de turpi addit venditione difficultatem aliquam videtur continere: cùm enim præmittat honeſtari venditionem, ſi pretio iuſto, ſeu

Aſſerta citati Scriptoris non ſibi

coherentia, & quid circa restitutionem.

seu moderato, & personis idoneis à supremo Principe fiat, vel de illius licentia expressa, aut interpretatiua, additque statim sic: *Facta tamen aliter eorum venditio, erit quidem turpiter facta, valebit tamen.* Talis quidem assertio ad omnia videtur præcedentia referri. Valebit ergo etsi fiat pretio immoderato. Et hoc quantum ad id, quod de restitutione dicitur, conferre poterit, quando si restitutio aliqua fieri debet, ementi potiùs quàm vendenti facienda videatur. Valebit etiam si fiat non idoneo. Cum quo in primis non videtur quomodo possit componi quod sequitur: *Ita vt emptor efficij illud iustè exercendo non peccet.* Quomodò enim non peccet, aut iustè exerceat ineptus? Deinde Ineptus ad officium, illi renuntiare

Ineptus illi renuntiare debet.

tenetur, quia titulum non habet ad illius retentionem, neque actu, neque in radice collationis, neque in potestate eius, qui impedimentum possit auferre. Quod secus accidit quando quis iure possidens, ob culpam priuandus venit, cuius priuationis ipse, cùm pœna sit, non debet esse executor, quod quidem esset satis durum. In hoc autem, de quo agimus, obligatio renuntiandi officio non est pœna, sed aliquid ad modum acceptionis iure naturali consecutum. Vt si ineptus coniugio contraxit, non vi pœnæ, sed naturalis vinculi, debet coniugio renuntiare. Et ita benè

P. Lessius.

obseruat P. Lessius *Lib.2. Cap.29. n.66. §. Tertiò, Eadem*; quòd quando est impedimentum iuris naturalis vel diuini, nihil fit, quia potestas humana eum defectum supplere nequit. Defectus autem, de quo loquimur, talis est, vnde sic vendens aut emens nihil facit: & sicut vendens tenetur contractum rescindere, vt ait idem Pater, *Cap.*

Quid si non admittatur renuntiatio.

32.n.30. ita & emptor. Quòd si non admittatur renuntiatio, faciat quod potuerit, donec opportunitas renuntiationis adueniat. Et quidem cùm officij nequeat obligationibus satisfacere, nequit integrum stipendium leuare, quod esse debet labori conforme. In quo quidem si certioratus Princeps de rei statu conniueat, cessare circa hoc scrupulus poterit, si ex suo ille stipendium ærario tribuat: si autem tribuat Respublica, eidem est restitutio facienda, sicut & damnorum, quæ fuerint ex absurdo gubernationis modo subsecuta. Ecce quali se labyrintho tales implicent, nullius Dædali ductu ad viam rectam reducendi.

Venditio facta à non supremo Principe est inualida.

36. Præterea, venditio vti valida toleratur, etiam si non fiat à supremo Principe, aut de illius licentia (nam & hoc præmissum, & supra illud cadit clausula prædicta) At hoc dici nequit, quia titulus omnis etiam coloratus deest, vt deesse est certum quando seruus rem domini vendit, & quoad hoc manifestè apparet non posse exempla illa de irregulari & criminoso erga vtramque Maiestatem adduci. Neque Nauarrus adductus, cùm pœnales dicit esse leges venditionem prohibentes, & ita non obligare nisi post sententiam asserit, cum ea amplitudine est locutus, vt ad prædicta possit extendi; sed quatenus non obstantibus legibus potest fieri translatio dominij. Et hoc quidem si verum esset Doctorem hunc tale aliquid in casu præsenti affirmare, cùm tamen reuera nihil tale in eo sit inuenire. Nam in *Manuali. Cap.21.n.7.* in quo citatur. nec verbum habet. *In Capite autem 25. n. 7.* Vbi quæstionem de venditione dirimit, illam approbat, nullo circa

Nauarrus falsò in contrarium adductus.

præfata de pœnali lege verbo subiuncto. Sed desiderium proponens suum, vt pretia pro officijs exhibenda taxarentur, quia aliquando ita immoderata sunt, vt ementes grauia inde damna patiantur.

Consuetudinem dandi officia cum pensione alqua, aut in dotem filiæ ministri damnat citatus Scriptor, vbi & de media Annata.

37. His præiactis transit citatus Scriptor difficultates aliquas discussurus, & quærit quid sentiendum de consuetudine conferendi officia cum onere soluendi annuam vel menstruam pensionem, aut soluendi semel tantùm, & pro vna vice, dimidiam partem emolumentorum, siue stipendij à Rege vel Republica consignati. Quid etiam de alia consuetudine introducta, & à Nauarro notata, conferendi hæc officia in dotem filiæ ministri. Et ait in fauorem horum facere ipsam consuetudinem introductam, continuatam, & à nemine reprobatam: nec non quòd per hunc modum officia non venduntur, sed conferuntur viris doctis & idoneis, & cum onere moderato. Contra illam tamen esse ait, quod de æquiualentibus eadem est ratio: vendere autem officia, & illa conferre cum onere soluendi certam pensionem, aut dimidiam partem prouentus, aut etiam loco dotis, æquialentia sunt. Estque quæstio de solo nomine appellare id, quod pro ipsis offertur, pretium, vel dotem, vel pensionem, vel dimidiam Annatam. Vnde rarò honestari potest huiusmodi forma conferendi officia talia, & numquàm nisi duabus illis conditionibus seruatis: quandoquidem eadem mala sequuntur ex hoc, ac ex eorum venditione. Est etiam novum genus tributi vltra id, quod à Republica ad Principum est patrimonium constitutum: quod nisi noua interueniente necessitate nequit imponi, & tunc debet in communes vsus expendi.

Eius fundamenta non urgent.

38. Verùm laudandus licet veniat huius Auctoris zelus, vt aliàs dixi, eius rationes ad improbandam vt illicitam dictam consuetudinem, nihil prorsus vrgent. Non enim esse venditionem ex eo constat, quòd sicut in officijs sæcularibus dictis pensio illa adijcitur, sic in Beneficijs Ecclesiasticis Indiarum, & fortè etiam alibi, ea quæ Mensata dicitur, ex Pontificia concessione persoluitur. Et tamen nequit dici ibi venditionem interuenire, quia esset contractus Simoniacus. Item, quando in Beneficiorum collatione pensio apponitur, concessione legitima, venditio non est: ergo neque dicendum est eam dari quando à Rege in officiorum collatione disponitur. Et certè cùm officium pro dote confertur beneme-

Aliqua pro talibus semper necessitas.

riti ministri filiæ, nulla ibi venditionis vmbra dispicitur, sed donatio remuneratoria, non iustitiæ titulo, sed gratitudinis. Ex quo etiam colligitur non esse tributum, quia illud tunc habet rationem talis, quando ex rebus proprijs taxata exigitur portio: hîc autem nihil tale euenit, sed Rex ea conferens, quæ propria sunt, aliquid inde reposcit à volente officium consequi, cùm ad id non teneatur. Neque circa hoc inuita debet esse Respublica, quæ in suo corpore non grauatur, sed id potiùs habet leuaminis, vt quod ab omnibus erat fortè exigendum, à paucis comparatione multitudinis exigatur.

39. Et aliqua semper ad dispositiones tales compellit necessitas, etiam cùm bellorum turbamenta sileſcunt, quia rerum pretia maiora sunt, quàm ijs temporibus fuerint, quibus Regum sustenta-

tationi competens est pecuniæ summa à Republica constituta, vt non addam, quod in nostris est Scriptoribus inuenire, Reges scilicet nostros non electione populi tales esse, sed iure conquistæ, & sic daturos leges, non accepturos: quamuis illi pro sua erga vassallos fideles Regijs digna pectoribus affectione, in multis eorum fuerint voluntati, initis pactionibus, obsecuti. Quidquid autem Reges emolumenti ex officiorum venditione reportant, in bonum publicum cedere obseruat Dominicus Sotus *Lib.3. de Iustitia. Quæst. 6. Arti.4. circa finem Conclus.2.* quod non placet citato Scriptori, quia non reputaretur cedere in bonum commune, nisi ipsi ad tale bonum applicarent, vt ad pontium, & murorum reparationem. Sed hoc non vrget contra doctum illum Magistrum, quia licet non applicaretur ad visibiles respectu omnium illos effectus, non omnes, pro quibus Regia emolumenta curantur, debent populo esse palpabiles, cùm sibi persuasum habere debeat Reges suos esse iustos, pios, vassallorum amatores, & contrarium circa hoc ferre iudicium, non potest sine graui conscientiæ noxa, consistere.

S. Thom.

Cum onere mutui vt possit conferri.

40. Censet etiam cum Soto, Bañez, & P. Azorio, quos citat, non posse eum, qui officium à Rege aut emit, aut recipit iure cum hereditario, illud vendere: circa quod non est hærendum, quia inoffenso est resolutio, de qua & nos in Thesauro. Addit non posse conferri officium cum onere mutuandi, quia est cooperari contractui vsurario ex parte accipientis, qui aliquid accipit vltra sortem ratione mutui. Propter quam rationem id negat D. Thomas *citato Opusculo parte 2. quæsiti.5.* Sed hoc procedit remanente mutuo in ratione mutui sine aliqua circumstantia, & posset negotium sine scrupulo peragi. *Primò*, si lucraturus cum pecunia, quam mutuam dat, lucrum cessans remittat, quod officio accepto compensatur. *Secundò*, si mutuum non in pactum ad iustitiam spectans reducatur. Sed daturum se promittat ex debito gratitudinis, vel vt Regi indigentiam tunc patienti subueniat, neque Rex ad aliud velit obligare, de vassalli fidelitate certioratus. *Tertiò*, si certus quis de difficultate, qua Reges solent mutuò accepta persoluere, id agere nolit, nisi quasi pro pignore accepto officio, vt si non solui contingat, iustam habeat compensationem. Si dicas sequi ex hoc solutione facta debere officium reddi, quia pignus est facta solutione reddendum. Responderi potest ideò non esse in rigore pignus, sed quantùm ad securitatem. Quod si & lucrosum accipienti, id ex natura sua habet, vt fructifera pignora, & in super quidquid supra securitatem habet, ex Regis gratia tribuitur nolentis cùm vassallo ad æquales iustitiæ lineas decertare.

De Dynastis recognoscentibus Superiorem quid sentiat idem.

41. Deinde affirmat Dominos recognoscentes superiorem habentes facultatem alienandi & vendendi officia, posse licitè ab eorum possessoribus ex rationabili causa pensionem aliquam extorquere fructibus eorum proportionatam. Quod intelligit de officijs inferioris classis, vt Baliui, seu oppidorum Præfecti, qui Tenientes dicuntur, Tabellionis, & similibus: nam officia maioris classis, vt Magistratus, Consiliarij, Prætoratus, numquàm licet Principi locare, ac pensione affi-

cere, nisi quando, & cum eisdem conditionibus, cum quibus illa vendere liceret. Quod probat *Primò*, quia certum est Prætorem & Magistratum cum ministris inferioribus in huiusmodi officijs à se subrogatis aliquam quantitatem sibi soluendam in pactum posse deducere, & illam licitè recipere, eo quòd isti ad illum vt inferiores ministri executores comparantur. Sed etiam Domini subiecti habentes facultatem alienandi & vendendi hæc officia vt vicarij & ministri Regis, eius commissioni & potestati subrogantur, & ipsius priuilegio vtuntur: ergo eâdem ratione poterunt super illis aliquam pensionem imponere, siue vna tantùm vice, siue menstruam, siue annuam. Hanc consequentiam cùm neget Bañez, quia Prætorum & Dominorum magna differentia est; cùm sint illi executores, & ita partem sibi exigere ab ijs possunt, quibus aliquid committunt, quod tamen non habent Domini, qui dici nequeunt executores, neque ministri officij executionem committentes, sed verum tribuentes titulum. Instat: nam licet Commissarij, ministri, aut executores non sint officia possidentes respectu Dominorum, benè tamen vt subditi eorum procedunt ab eis dependentes in fieri. & tituli collatione: ac proinde non est cur pro illa, aut pro conseruatione in officio, quæ est pretio æstimabilis, aliquid emolumenti non possint extorquere. *Secundò* probat, quia cùm possint vendere, quod est maius, possunt & minùs, scilicet imponere pensionem. *Tertiò*, quia sic habet immemorialis consuetudo, & Domini solent emolumentum dictum loco alicui pio applicare.

Discrimen inter illos & Prætores circa emolumenta, vt respuat.

Sed non recte inferre ostenditur, neque consequenter ad propriam doctrinam.

42. In quo quidem dicendi modo quantùm ad rem ipsam attinet, & quatenus ex Prætorum facultate arguitur, non ita certa esse illatio potest, vt videtur iudicari. Nam Prætores cum Tabellionibus nequeunt pacisci pro parte emolumentorum, quia ab eisdem non subrogantur. nec sunt eorum commissarij in ordine ad executionem, & ita ab illis accipere quidquàm nequeunt. Deinde, Consequentia illa, Possunt pensionem imponere, quia possunt vendere, quod est plus, iuxta citatum Scriptorem non valet, vt vidimus. *n.37.* qui pensionem mediæ Annatæ censet illicitam, cùm tamen minùs sit, quàm officij venditio. Prætereà, Immemorialis consuetudo vim non habet, nisi sit rationabilis, iuxta *Cap.1. de Constitut. in.6.* & in hoc genere aliquæ sunt minimè tolerandæ, quas radix omnium malorum cupiditas introduxit. Vnde ex consuetudine argui nequit, nisi quatenus illa est à viris doctis & probis approbata, per quod auctoritatem ab extrinseco habet, & ita potuit hoc loco argui, si consuetudo se sola vt fundamentum assertionis à rationibus seiunctum debuit vsurpari. Et quidem cum ita res habeat, & scrupulos circa talia excitando, nullus sic fructus eliciendus, sed potiùs scandalis occasiones ministrandæ, quia scilicet ita operari soliti à consuetudine non desistent, etiamsi eisdem scrupulus illiciti contractus inijciatur; commodissimum est ratione quavis ad illius iustificationem iuventa, conscientias in sua pacifica possessione relinquere, quod & præstabit in similibus obseruari. Vbi autem consuetudo non fuerit circa prædicta, distinctione loquendum: nam præfatus Scriptor licitam pensionem putat quando Dynastis à Rege

Scrupuli circa dicta inutiliter & periculosè excitantur.

Cui venditio licet, etiam licet & pensio, non ita cui alienatio.

conceditur vt possint officia alienare, aut vendere; in quo tamen diuersa ratio est, quia venditio inuoluit id, quod minus est, scilicet pensionem; vnde licet consuetudo non sit vt illa imponatur, potest pro libitu Domini, cui venditionis est facultas, imponi. At verò alienatio non importat pensionem, nisi fuerit ad illam etiam concessa potestas, quæ optimè stare sine pensione potest; neque propterea inutilis est censenda concessio, quia re vera ad auctoritatem officia conferentis spectat, qui & potest in sibi deuinctos transferre, & multos sic etiam sibi officiosos reddere: sicut in Patronatu accidit, ratione cuius nequit commodum aliquod temporale haberi sine simoniæ labe: & tamen magni semper factum est posse ad Beneficia præsentare. Et vbi nihil etiam iuris spiritualis interuenit, patronatus piorum operum etiam in æstimatione habetur: est enim facultas ad benefaciendum, in quo homines Deo redduntur simi-

Sicut in Patronatu.

Act. 20.

les, & Christi oraculo *Beatius est magis dare, quam accipere.* Quia ergo ex concessione alienandi non sequitur dari pariter facultatem exigendi pensionem, vbi ex consuetudine introducta non est, obuiandum ipsi. Posset autem introducta tolerari, sciente id Principe, quia sic eius voluntas posset interpretari, vt ad alienationem cum effectu prædicto extenderetur, vt reuera potest extendi, cùm minùs sit quàm venditionis ius ab eodem attribui non repugnans.

Consuetudo vt queat tolerari.

Officia Rectorum ciuitatis vendi posse, sed si ineptis, esse peccatum lethale.

43. Officia Rectorum Ciuitatis posse à Rege vendi approbat, & probat, addens cum Soto *suprà Concluſ. 3.* quòd si solius pretij ratio habeatur, & ineptis conferantur, est peccatum lethale, vtpotè actio Reipublicæ iniuriosa. Item, Ministros, quorum officia habeant stipendia taxata, nihil vlteriùs accipere posse, quia sic cum Republica conuenerunt, sicut facultatum Professores in Academijs, vbi stipendia eisdem competentia designantur. Et concludit honestari eorum venditionem posse quandoque, si damna, quæ ex illa regulariter sequuntur, prudenter præcaueantur.

Ex hu. qua admittit, coarguitur dictus Magister.

Atqui illud est moraliter impossibile, & practicè, iuxta eiusdem doctrinam: ergo numquàm humana prudentia poterit damna inde secuta præcauere. Vel aliter arguendo, & meliùs: Damna ex venditione secuta prudenter præcaueri possunt: ergo non est moraliter impossibile; & ita non rarò solùm, sed frequenter venditio poterit honestari. Quòd autem ratione empti officij non possit quis vltra salarium quidquam accipere, nisi omnino gratis datum, quod rarò euenit, communis resolutio est simpliciter loquendo. Quia vero salaria aliquando exigua sunt, nec labori proportionata, quæstio apud Auctores obuia subintrat, an possit in eo rerum statu aliquid vlterius accipi. Licet enim stipendia, quando primùm taxata sunt, sufficientia fuerunt iudicata, pretijs rerum auctis, vt aliàs dictum, mutatio status secuta est, vnde aliter iudicandum: nec enim debet quis iuxta Apostolum proprijs stipendijs militare, vt verè militat, qui congrua labori non recipit, etsi aliqualia recipiat. Sed quia res periculosa est, & in causa propria, præsertim cùm de pecunia agitur, bonus sibi iudex nullus, docti & ab affectibus liberi Confessarij, aut etiam alij consulendi, de quo cùm aliàs egerim, hæc adnotasse sufficiat. Pro quo & videndus, si suppetat

Quid de salarijs quando exigua sunt.

1. Cor. 9. v. 7.

P. Ioannes Erardus Fullonius in *Lib. 1. Machabæorum Cap. 16. 1. Sect. 2. nu. 8. & 9.* Vbi licet optimis adductis auctoritatibus venditionem dictam improbet; probat tandem cum Diuis Augustino & Thoma, & sepositis incommodis & periculis.

P. Ioannes Erardus Fullonius.

SECTIO IV.

Circa electum Episcopum, de concubinatu suspectum difficultas specialis, quæ & pro Indijs specialim expedita.

Casus propositus.

44. ID quod accidisse in Belgio narrat Dom. Arauxo in *Decision. moral. Tract. 1. Quæst. 3.* pro Indijs timeri potest, & fortè aliquando accidit, præsentatum inquam ad Episcopatum, & confirmatum à Pontifice, vtpotè opinione virtutis ipsi suffragante; dum Bullæ expedirentur, ad Senatum Belgicum delatum est, quòd in concubinatu per decem & octo annos computruerat, pellice domi retenta, & ex ea septem filijs procreatis, quod est per testes à delatore adhibitos sufficienter comprobatum. Et obnitente Senatu ne in Bullarum expeditione fieret progressus, fauentium quorumdam opera impetratæ sunt, nil Pontifice resciente. Earum tamen executio suspensa est, quia Senatus suum placitum denegauit, iuxta illarum consuetudinem Prouinciarum, à Sede, vt credi debet, Apostolica, Confirmatam. Huic euentui, vt singularis non sit, Indicum alium, de eo, qui præfatum electum prolium numero æquauit, aut etiam superauit, addere possumus, & in eo quidem anteferendus iste, quòd honestam quando electus est, vitæ rationem, abolitis pristinis erroribus, sectabatur. Quod quidem dicere non vereor, quia quòd ad personam attinet, iam illa ante annos complures è viuis excessit; & si fortè aliqui historiam norunt, quia grandæuiores, nullam defunctus in Domino ex eo potest boni nominis iacturam sustinere. Et talia ad futurorum exemplum vtilia esse possunt, in Indijs maximè, vbi propter distantiam vita est multorum incognita, qui tamen fauore aut fœnore ad dignitates huiusmodi foueantur, & verò etiam prouehantur, vt si aliquando euenerint talia, acturi circa illa non obstupescant, & modum circa ea procedendi habeant inoffensum.

45. Circa prædictum ergo casum citatus Scriptor asserit *Primo* stante sola præsentatione Regis Catholici, & detecta præsentati turpitudine, suspendendam præsentationem iuxta *Cap. Priusquam 28. dist.* ex D. Gregorij *Epist. 40. Lib. 8.* desumptum, qui electionem cuiusdam farinæ Diaconi noluit confirmare, quæ à Neapolitano Clero facta fuerat: est autem ratio eadem præsentationis à Patrono factæ, quæ electionis successit loco. Neque allegari potest ius ratione illius acquisitum, quia conditionalis fuit, si videlicet non esset cum læsione iustitiæ, populi scandalo, & Ecclesiæ detrimento. His addendum hanc esse Summi Pontificis voluntatem iuri præfato conformem, dum sic ait D. Gregorius: *Vnde si rationem voluissent attendere, nec illi eum eligere, nec*

Dom. Arauxo *circa illum pronuntiat.*

1. Suspendendam præsentationem.

D. Gregor.

ipse debuerat consentire. Sic ille. Cum ergo, qui nec eligi potuit, nec in electionem consentire debuit, meritò potest Patronus præsentationis beneficio priuare. *Nam qua præsumptione audet ad Episcopatum accedere, qui ad hoc longam corporis sui continentiam filiola teste conuincitur non habere?* Doctor sanctus exclamat. Quid iam dicturus, si numeratam prolem, de qua agimus, comperisset.

Talem non esse inhabilem ad Episcopatum, & confirmationem tenere. Nec Patronum posse eam sine iure priuare, bene tamen Pontificem admonere, qui & remouere potest.

46. Sed quia Bullis expeditis iam extra Regis iurisdictionem existit: facta à Pontifice Beneficij collatione, & quidem valida, licet contra Dei voluntatem, sicut & ordinatio valida est etiam indignissimi, vnde & Deo displicens, addit *Secundò* talem non esse inhabilem ad Episcopatum, quia in eo neque vt Clerico, neque vt Episcopo verificantur ea, quæ à Concilio Tridentino *Sessione 25. de Reformat. Cap. 14.* circa tales disponuntur: neque enim ter monitus, nec suspensus à Prælato, aut ipso facto, monitioni Concilij Prouincialis non obsecutus. Cùm ergo lex pœnalis sit, & sententia condemnatoria aut declaratoria desideretur, nemo eum Pontifice inferior potest à iure, quod in re habet dimouere. Potest tamen & debet Rex Catholicus placitum negare, & Pontificem reddere certiorem, vt communi scandalo remedium præstet, & eius expectare sententiam, cui omninò parendum. Neque insolitum quid accidet si Pontifex confirmationem reuocet, sicut vidimus electionem repulisse. Pro quo est eiusdem S. Doctoris decisio alia *Lib. 2. Epist. 44.* quæ & habetur in *Cap. Habuisse 33. dist.* vbi Tarentinum Episcopum cessare ab officio iubet, veritate criminis eum apud propriam conscientiam accusante. Sed circa prædictam obligationem subdit *Tertiò* eam quidem esse, non tamen certò, sed probabiliùs, quia probabile est posse Regem ab hoc negotio manum continere, eo quòd præsentatio bona fide facta sit, & ita iam est functus suo munere, adhibita tamen competente correctione. Concludit *Quartò* Pontificem non laturum contra electum talem depositionis sententiam, aut omnimodæ priuationis, quia numquam ille est de crimine admonitus, quod iura exigunt, trinam inquam monitionem, de qua Concilium Tridentinum *suprà*. Et *Cap. Si quisquam Cap. sicut, & Cap. Si autem*, de cohabitat. Cleri cor. Hinc ad nostra.

S. Gregor.

3. Patronum posse probabiliter ab admonitione cessare.

4. Depositionis sententiam Pontificem non laturum.

Assertio 1. In casu dicto, & similibus suspendendam à Prouisibus præsentationem.

47. Dico Primò. Stante scandalo dicti generis, sicut & quolibet alio, Regia præsentatio suspendenda est. Et schedula ad Proreges transmissa ab eisdem retinenda. Constat ex dictis, quia Rex suspendere tenetur, ergo & Prorex sciens Regem malè informatum præsentasse, quia locum eius tenet: & quemadmodùm in rebus alijs rescripta non debent executioni mandari, cùm errorem continent manifestum, ita & in casu dicto faciendum, vbi damnum in re summi momenti magno cum fundamẽto timetur. Quod autem non solùm in concubinatus crimine, sed in alijs sit etiam similiter faciendum, probatur ex citato *Cap. Superiùs*, vbi sic ait D. Gregorius: *Petrus item Diaconus, quem à vobis electum assentis, omninò quantùm dicitur simplex est, & nostis quia talis hoc tempore in regiminis debeat arce constitui, qui non solùm de salute animarum, verùm etiam de extrinseca subditorum vtilitate & cautela sciat esse solicitus. Nam de eo insuper ad nos peruenisse cognoscite, quòd solidos dederit ad vsuras, quod vos oportet cum omni subtilitate perquirere, & si ita constiterit, alium eligite, & ab huiusmodi vos persona sine nota suspendite. Nam nos amatoribus vsurarum nulla ratione manus imponimus.* Hæc Divus ille & Magnus: pro quo & *Cap. Catinensis. 61. dict.* omnia complectens.

Cap. Superius.

Sufficere certam vndecumque notitiam.

48. Dico Secundò. Ad prædictam suspensionem sufficit extraiudicialis notitia, firma tamen, etiamsi nullus sit qui obijciat. Id probo ex doctrina Glossæ ad citatum *Cap. Si quisquam. v. Filiam*, vbi sic habet: *Ex hoc Capite videtur quòd iudex ex suo officio possit aliquid supplere de facto, quod sibi non constat tamquam iudici. Et licet non obijciatur aliquid à partibus contra personam electi; ipse tamen superior potest obijcere. Sed hoc ideò supplet de facto, quia illud spectat ad substantiam electionis, sicut supplet de tali facto, quod spectat ad substantiam iudicij, vt dixi. 2. q. 7. Alieni.* Sic ibi. Et in *Cap. Alieni*, ad quod se Ioannes Glossator refert, multa habet ille pro resolutione præsenti firmanda satis opportuna. Quod ergo licet iudici, non potest non licere Patrono, qui voluntariam velut iurisdictionem exercet, sicque est ab Ecclesia talis honoris prærogatiua decoratus, vt eidem Ecclesiæ in ministrorum fidelium prouisione curet omnimodis consulendum.

Glossa *in Cap.* Si quisquam.

3. Idem. Stante multitudine filiorum, etiamsi diuturna fuerit continentia, non debet præsentatus admitti, sed iuxta dicta suspendenda præsentatio, & Rex admonendus.

49. Dico Tertiò. Stante multitudine filiorum, etiamsi diuturna fuerit continentia, non debet præsentatus admitti, sed iuxta dicta suspendenda præsentatio, & Rex admonendus. Probatur ex *citato Cap. Catinensis*, in quo sic Pelagius Papa Episcopo Messanensi Eucarpio: *Mox ergo Dilectio tua ad supradictam Catinensem Ecclesiam pergat. Et hominem de Clero, qui nec vxorem habeat, nec filios, nec crimen aliquod Canonibus inimicum eligi cum auxilio Dei compellat.* Sic ibi. In casu autem nostro & filij, nec legitimi illi, sed Sacrilegi, & crimen Sacris Canonibus inimicum. Vbi responderi potest ex adductis citati Cap. *Priusquam* verbis: *Qui ad huc longam corporis sui continentiam, filiola teste, conuincitur non habere.* Vbi ergo continentia longa, iam transactum crimen non præstat impedimentum. Et ita Glossa verb. *Parvulam* ait sic: *Paruitas filiæ fuit argumentum quòd non diu fuerat continens: vnde aliud esset, si habuisset magnam filiam: & sic non obstat, vt infra. Cap. De Syracusana.* Sic Glossa: quæ tamen ex ijs, quæ subdit, exponenda, ait enim: *Vnde ibi (scilicet in Cap. De Syracusana) fuit dispensatum: sed hodie iure communi nullus talis promouendus est in Episcopum, vt 61. Dist. Catinensis.* Hæc illa. Et quidem in Cap. *De Syracusana*, vbi habens filios ad Episcopatum admittitur, sic disponitur: *Quæ de re summo studio ab eòdem Syracusana vrbis Episcopo priusquàm à nobis in Episcopum contingeret ordinari, huiusmodi exegimus cautionem, per quam & suam fateretur, quantula esset præsentis temporis habita rerum descriptione, substantiam: & nihil per se, aut per filios & vxorem, siue quamlibet propinquam, aut domesticam, vel extraneam fortè personam, de rebus audeat vsurpare Ecclesiæ, & vniuersa sui Episcopatus quæsita tempore, Ecclesiæ suæ dominio sociaret.* Sic ibi. Iuxta quæ satis intelligendum venit quàm sit odiosa & suspecta Ecclesiæ ista proletariorum electio, in qua etiam cùm filij legitimi

Glossa.

Cap. de Syracusana.

legitimi sunt,talem vult adhibendam cautionem. Cùm ergo vbi Sacrilegi illi non sit omittenda, eorum est renouanda memoria, & magis publica reddenda turpitudo. Ecce ergo scandalum, ecce Ecclesiæ dedecus, ecce non obseruandæ Ecclesiasticæ disciplinæ suspicio. Quomodò enim sperari possit puniturum concubinarios illum, qui adeò in eâdem hæsit salebra, vti numerosa pignora contestantur? vt dicere ei meritò possit de crimine reprehensus: & tu, *in eâdem damnatione es.* Lucæ.20.v.40. Vel certè fuisti, & pro supplicio sublimem es dignitatem assecutus.Sine nos de Episcopatus adeptione non agentes, ad quem, si contingat ascendere, studium etiam obueniet castitatis. Vide *infra.*

4. *Etiam vna tantùm prole stante, si diuturna non fuerit continentia.*

50. Dico Quartò.Etiam si vnus tantùm filius aut filia electo Clerico sit, stantibus incontinentiæ præsentis,aut non diu antè abolitæ argumentis, iuxta dispositionem *citati Cap. Priusquam*, præsentatio est similiter suspendenda.Probatur ex eodem Capite, & illius ratione, atque etiam ex scandalo, ac experientia, ex qua constat incontinentiæ ignem non diu antè sopitum, dignitatis adeò Sacræ reuerentia non extingui. Id quod D. Gregorius citato in *Cap. Priusquam* satis innuit. Pro quo & in *Cap.Siquis Episcopus.*81.*dist.* Extat item apud elegantissimum Belgici belli Scriptorem viro de maximo in mundi oculis illud: *Prouinciam quadriennio cùm rexisset, magna quidem prudentiæ laude,minore tamen pudicitiæ cura, quàm Senem, sacráque ornatum purpura, condecebat, Romam rediit.* Accedit Cap.*finale.*25.*Dist.* vbi sic dicitur: *Primùm itaque sine crimine iubetur esse Episcopus: quid alio verbo ad Timotheum irreprehensibilem nominatum puto* (.1.Tim.3.v.2. Tit.1.v.7.) *non quod eo tamen tempore, quo est ordinandus, fit sine illo crimine, & præteritas maculas noua conuersatione diluerit;* sed quòd ex eo tempore, *quo in Christum renatus est,nulla peccati conscientia mordeatur. Quomodo enim potest Præses Ecclesiæ auferremalum de medio eius,qui in delictam simile corruit? Aut qua libertate peccantem corrigere potest, cùm tacitus ipse sibi respondeat eadem se admisisse, quæ corripit? Ecce qui ordinandus est in Episcopum, non solùm tempore suæ ordinationis. Sed etiam omni tempore post Baptismum à crimine immunis debet esse.* Sic ibi ex Innocentio Papa,iuncta D. Hieronymi auctoritate, ex quorum doctrina illationem videtur Gratianus deduxisse. Quia verò hoc visum est durum, hominum fragilitate dispecta, sic scribit Pelagius Pontifex Florentino Episcopo: *Fraternitatis tuæ relatione suscepta, eius latorem Secundas quidem nuptias expertum non fuisse didicimus: castitatem tamen cum priori seruasse coniugio designasti. Et quamuis multa sint, quæ in huiusmodi casibus obseruari Canonica iubeat sublimitatis auctoritas: tamen quia defectus nostri temporis,quibus non solùm merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, districtionis illius non patitur manere censuram: & ætas illius,de quo agitur, futuræ incontinentiæ suspicionem auferre dignoscitur; vt ad Diaconatus ordinem posit prouehi concessisse nos noueris. Micenam verò ancillam eius, de qua se post vxoris transitum filios habere confessus est, iubemus vt tua dispositione cuiquam Monasterio continentiam professura tradatur. Hoc ex dispensatione misericordiæ: Ceterùm ex rigore disciplinæ &c.*Cap.*Frater cui satis.*34. *Dist.* Licet autem in illo non sit fermo de Episcopis, Glossa tamen dispositionem dictam cò tendere affirmat,vt dispositum in dicto Cap finali temperetur.Quod etiam de corporum humanorum defectu hîc dicitur, meritò debet ad omnes eum patientes extendi. Siue ergo Iuris rigorem, siue æquitatem sequamur, stat positionis nostræ veritas, non inquam ad Episcopatum admitti debere, qui recentis incontinentiæ crimine obstrictus inuenitur.

Pelagius *Pontifex.*

*Cap.*finale 25.dist.

5 *Bulla etiam supprimenda.*

51. Dico Quintò. Si non solum præsentationis chirographum, sed testimonium Confirmationis authenticum ad manus Proregis deueniat, & verò etiam Bullæ, eorum est suspendenda traditio in casibus, de quibus *suprà*, donec scilicet Rex de rei statu reddatur certior. Hoc est iuxta. *n.*45. *&* 46. Nam Rex in isto casu suum debet placitum denegare: ergo & Prorex cooperari debet vt id præstare possit; cùm tamen præstare nequeat rei statu penitus ignorato. Si dicas hoc pacto Ecclesiæ vacationem protrahi, quod sine magno eius stare detrimento nequit: id non releuat, quia perinde haberi debet electio talis ac si irregularitate, aut impedimento alio electus laboraret: quo euentu nequit longa vacatio in patrocinium talium aduocari. Et multò id euidentius, si mortuum inuenisset: vel si electioni renuntiasset, vt fecerunt nonnulli annis proximè elapsis, Hic enim Indiarum labor, cui non est hucusque remedium assignatum. Quod autem de Prorege dictum est,ad eos debet extendi, qui gubernationi præsunt, & Regis loco Patronatum exercent, si ad eos fuerint chirographa Regia transmissa, vt de more habetur.

P.Famianus Strada *an.*1574.

Quid si alia via ad manus electi Scripta deueniant.

52. Sed quid si scripta talia ad præsentatorum manus alia via deuenerint. Id quidem faciendum, quod est vsu etiam receptum, vt scilicet petantur illa, & videatur quid iuxta Regia mandata faciendum sit, & recognoscatur an verè authentica sint, ne quid contra Regium patronatum cœca erga huiusmodi cupiditas moliatur. Vbi autem apprehensa fuerint, retineantur, bono aliquo indicato prætextu, quòd scilicet oporteat Regium Indiarum Consilium ante executionem ob emergentem difficultatem admoneri. Nec nouum est prouisiones tales caussa interueniente suspendi: iam enim vidimus ante annos aliquot electum quemdam in Episcopum Popaianensem, qui turbas & multas & graues dederat, quo minùs ad Sedem illam contenderet iussum impediri. Et quando in vi tantùm præsentationis sumus, posse laicos Patronos variare, non solùm accumulatiuè, præsentando, alium cum priore, sed priuatiuè etiam,si detur caussa,tenent Sacræ Rotæ iudices in Bononiensi, quam refert Nicolaus Garcia *Parte* 5. *Cap.*9. *n.*213. ex quo & Barbosa *de Officio & potest.Episcopi. Allegat.*72. *num.*158. Caussa autem præfati generis existente, seu cuiusuis alterius, ex qua futurum sit scandalum,non solùm variari dicto modo potest, sed obligatio est etiam sub mortali ita faciendi. Inter scandala autem numerandum illud, quod ad personam ipsius electi pertinet. Si enim ipse consentire in electionem nequit, vt D. Gregorius de illo asseruit, de quo *n.* 45. & de quo etiam citato *Cap. Habuisse* 33. *Dist.* qui ei scriptum præsentationis tribuit, scandalo ipsi est, quia occasio peccati proxima,

Patroni vt possint variare.

proximo,& grandis quidem peccati,vtpotè quod quamplurium sit futurum scaturigo.Sed meliora Deus.

SECTIO V.

An pater & filius illegitimus possint esse Religiosi simul in eâdem Religione.

53. CIrca hoc extat prohibitio in Constitutione Gregorij XIV. idibus Martij,an.1591. de qua Emmanuel Rodericus *Tomo* 1. *qq. regul. Quæst.*13. *arti.*11. *&* 12. Miranda in *Manuali Prælatorum Quæst.*23.*arti.*7. Ascanius Tamburinus *Tomo* 1. *Disput.*15. *Quæst.* 15.P.Pellizarius *Tomo* 2.*Tract.*8.*Cap.*5.*n.*69. Et alij. Et quia casus in Indijs accidit, visum est mihi quæstionem cum vtilibus obseruationibus enodare. Gregorius ergo in præfata Constitutione, in qua rigorem Sixtianæ,summum equidem circa illegitimorum receptionem, moderatus est, sic habet post concessam admissionem, omnia à Prædecessoribus dispositа ad Iuris terminos reuocando: *Dummodò tamen filius illegitimus in Religione, in qua pater suus, siue ante, siue post natiuitatem dicti filij, professus fuerit, non admittatur, quod expressè prohibemus.* Sic ille. Propter quod citatus P. Pellizarius talem illegitimum filium vocat irregularem, non absolutè, sed respectu solum illius Religionis, in qua eius pater emisit Professionem, ex quo videtur censere Professionem esse nullam.

Constitutio Greg.14.

Assertio 1. Non obstante illa est valida Professio.

54. Dico Primò. Prohibitio dicta non infert irregularitatem respectu Religionis, pro qua extat prohibitio: vnde si recipiantur ea non obstante, valida erit Professio. Sic Fr. Emmanuel in *Summa* 2.*p.Cap.*4.*Tit.de Nouitijs pag.*9.*&* citato *arti.* 12. Probatur, Quia Pontifex simplicem tantùm prohibitionem apponit, verbis illis, *Quod expressè prohibemus*, nihil circa valorem actus in contrarium effecti,decernens, vt decreuit Sixtus V. in Constitutione, cuius moderationem exequitur. Et est illud iuxta receptissimam scribentium doctrinam Theologorum & Iurisperitorum, vt affirmat P. Suarez *Lib.* 5. *de legibus Cap.*29. vbi *n.*3. in materia, de qua agimus hanc esse Pontificum mentem per euidentem deducit consequentiam. Nam Sixtus V. prohibuit Professionem fieri nisi sub certo modo, addens clausulam irritàtem.Et Clemens VIII.prohibitionem confirmans, irritantem clausulam sustulit: *Supponit ergo* (infert ille) *prohibitionem nudam non irritare.* Videatur, irrefragabilia pro hac positione à Iure petita exempla prosecutus.

P.Suarez.

2. Prohibitio dicta obligat sub mortali.

55. Dico Secundò. Prohibitio dicta obligat sub mortali. Sic colligitur *Primò* ex multorum doctrina asserentium in materia graui non posse obligationem esse leuem, qui videri possunt apud Dianam *Parte* 3. *Tract.*6. *Resolut.*74. *&* *Parte* 4. *Tract.*4. *Resolut.*191.Deinde ex P. Suario *Lib.*3. *de legibus. Cap.*26. *n.*8. vbi ex verbis prohibendi colligi obligationem sub mortali affirmat, si cadant supra materiam grauem. Addunt alij apud Dianam *Parte* 10.*Tract.*15.*Resolut.*45. id verius quando finis legis vltra materiæ grauitatem est etiam grauis, & res præcepta multùm ad id conducit. De quo nos in *Thesauro Tomo* 1. *Tit.*2. *n.*3.*&* *Tit.*3.*n.*96.*&* *seqq.*In præsenti autem casu materia absque dubio est grauis, sicut & finis, & res præcepta multùm confert ad illud, vt scilicet Religiosus status grauibus careat notis & offendiculis, dignitatesque illius dignis & honorabilibus personis conferantur: ex quo & illius decorem, in Dei & hominum oculis, & consequenter Religiosam obseruantiam constat dependere.

3. Oppositum est probabile.

56. Dico Tertiò. Sua probabilitate non videtur carere contrarium positioni præfatæ. Id ostenditur, quia Simplicissima prohibitio est, & præter id, quod de graui materia est dictum,nulla est alia obligationis sub lethali coniectura: at fundamentum istud non omnes accipiunt,dicentes numquàm esse obligationem intelligendam, etiamsi materia grauis sit, nisi constet de præcipientis expressa voluntate. Cùm enim circa materiam grauem cadere non grauis obligatio possit, vt videri potest apud Dianam citatis locis de legibus: cur nobis onus graue impositum debeamus agnoscere, vbi de voluntate legislatoris, quæ benigna est semper æstimanda, nullum est indicium saltim moraliter manifestum, aut ex communi Doctorum sensu, & fidelium praxi, vt de multorum præceptorum obligatione philosophari classici Scriptores solent, in ieiunio scilicet, Festis, Horarum Canonicarum recitatione &c. Et certè non parùm homines fecerint, & id vtinam ab ijs obtineri possit, vt præcepta notoriæ obligationis obseruent, etiamsi non talia desinant obseruare. Vbi & dici poterit materiam prohibitionis dictæ non esse adeò grauem,nec ad finem Religiosæ obseruantiæ admodùm opportunam, vt sine eo non possit illa consistere. Sixtus quidem existimauit ad prædictum finem omnia illa esse valde necessaria, quæ rigidis prohibitionibus conatus est stabilire: quæ tamen Gregorius statim abrogauit; vnde non ita necessaria immò neque conuenientia arbitratus est. Et erit fortè alius, qui hoc ipsum, quod Gregorio prohibitione dignum apparuit, etiam censeat abrogandum. Religiones namque elapsis temporibus eximiè floruerunt, & tamen de rigoribus istis nihil expertæ. Quamuis negari nequeat pro temporum varietate dispositiones etiam posse vtiliter variari.

Pater admitti potest in Religione in qua filius est professus.

57. Dico Quartò. In Religione, in qua filius illegitimus professus est, potest pater admitti. Id probo. Nam Pontificis prohibitio in hoc casu non procedit, sed è conuerso locutus ille, vt patet & cùm dispositio sit odiosa, non est ad non expressa, iuxta communes Iuris regulas, & Doctorum receptissimum sensum, extendenda.Deinde Pater absolutè loquendo nullum habet impedimentum quo minus recipi possit, si præsertim sit legitimus: ergo repelli non debet. Si dicas debere, quia idem sequitur inconueniens. Contra est, quia prohibitio circa filium habet rationem specialem in odium scilicet impuri & scelesti natalis: id quod in iure sæpiùs expressum: atqui in patrem odium tale cadere non potest,quia supponitur legitimus; vel si legitimus non sit,id in illo non attenditur, vt patet: quia cùm de illo agi-

tur,

tur, nihil de illius legitimitate, aut illegitimitate profertur, sed consideratio tota in ordine ad filium occupatur: ergo non est eadem ratio. Præterquam quòd etiamsi eadem ratio sit, non debet odium extendi, sicut neque extenditur, iuxta communem sententiam, priuilegium de persona ad personam, etiamsi ratio in illis eadem sit.

In Religionibus, in quibus filiationes sunt prohibitio non vrget.

58. Dico Quintò. In Religionibus, in quibus de more habentur filiationes ita vt in vno professus Monasterio, transire ad aliud nequeat, prohibitio dicta non videtur habere locum. Quod quidem ex eo colligitur, quia in eo casu quodlibet Monasterium est quasi peculiaris Religio, & dummodò pater in vno, & filius in alio sit, ea videntur inconuenientia cessare, quæ Pontificem ad prohibitionem dictam permouerunt. Dices posse vnum ex illis eligi ad Prælaturam, quod quidem Fr. Emmanuel *supra* concedit in filio, etiamsi à patre sit Religioso genitus: in eo autem non leue inconueniens esse videtur. Sed certè tale non est admissa dicta sententia, cuius oppositum tenet Miranda in Manuali Prælatorum *Tomo* 2. *Quæst.* 2. *Art.* 10. & Ascanius Tamburinus *Tomo* 1. *Disp.* 5. *Arti.* 15. nam ratione relationis inter vtrumque non datur, vt est euidens: nam pater & filius legitimus, in eâdem esse Religione possunt, immò & filij plures, vt sæpè visum. Ex eo autem quòd ex damnato congressu, ratione Prælaturæ nihil speciale, quod obstare possit, habetur: quia neque tunc in eôdem futuri Monasterio. Quòd autem factus Prælatus sine offensione sit in hac parte processurus, ipsi qui sunt electuri dispicient; sin minùs procul hinc, procul esse à prælatione compellant. Si futuri laici, cessat ratio.

sicut neque in Societate circa non Professos.

59. Dico Sextò. In Societate Iesv, si pater non fuerit solemniter professus, recipi filius poterit, non obstante dicta prohibitione. Probatur ex tenore ipso prohibitionis, *Siue post natiuitatem dicti filij professus fuerit.* Atqui Professio pro solemni iuxta communem significationem accipitur, vt dictum *Parte* 1. *Sect.* 7. Licet enim votorum simplicium emissio dici non impropriè Professio possit, iuxta communem acceptionem potest in præsenti vsurpari, quia non de fauore agitur, sed de odio, quod dispositio ipsa præsefert, vt Fr. Emmanuel *citato Arti.* 12. affirmat. Neque dici potest idem inconueniens, quod vitare intendit Pontifex dicta prohibitione, in Societate locum habere, quia iam id improbatum est *Assert.* 4. Pro quo & suffragatur sententia multorum apud P. Pellizarium *Tract.* 10. *Cap.* 5. *n.* 92. asserentium eos, qui Monasteria Monialium ingrediuntur absque vlla prorsus licentia, & non prætextu alicuius facultatis, quam habeant, non incurrere pœnas contentas in Constitutione Gregorij XIII. quia Pontifex in ea de solis ingredientibus dicto est prætextu locutus: & tamen eadem inconuenientia ex tali ingressu timeri possunt, & fortè maiora; quia verbis standum est legis, vbi præsertim illæ aut odiosæ, aut pœnales sunt. Et sic possunt alia exempla proferri: licet non desint qui in prædicto casu, sicut & in similibus, contrarium tueantur: qui tamen prædictam doctrinam non negant, sed propter peculiares alias rationes aliter censent asserendum.

Obiectio Decreto ea eiectus obligans in illa.

60. Sed potest obijci ex ijs, quæ habet P. Pellizarius *Tract.* 8. *Cap.* 8. *n.* 41. & 42. vbi ait Decretum Sacræ Congregationis de eiectis & Apostatis, vt non nisi ob incorrigibilitatem expelli queant, cum circumstantijs in eôdem expressis, & ab Vrbano VIII. dispositis, Societatem Iesv comprehendere, quia iuxta priuilegia sibi concessa potest non incorrigibiles eijcere, etiam Professos, quando id ad maius suum bonum expedire iudicauerit. Addit tamen quòd si loquamur de eiectione ob incorrigibilitatem, tunc vtique illa facienda est iuxta tenorem Decreti præfati: quippe quod in amplissima forma derogat omnibus priuilegijs in contrarium concessis, & consequenter etiam indultis hac de re factis in fauorem Societatis; & ita ait censuisse viros doctos Societatis à se consultos. Vbi cùm generaliter loquatur *de eiectione Religiosorum Societatis*, etiam non Professos videtur comprehendere. Atqui Vrbanus de Professis tantùm est locutus, vt constat ex Decreti verbis, ibi: *vt in posterùm à Religionibus nullus legitimè Professus eijci possit, nisi sit verè incorrigibilis* &c. Ergo similiter etiam in casu nostro dicendum. Sed certè huiusmodi assertio præfati Scriptoris ad Professos tantùm debet extendi, ne sibi apertè contrarius videatur: ait enim Decretum dictum non habere locum in Coadiutoribus formatis, etiam Spiritualibus, & multò magis in ijs, qui post biennium emissis votis nondum habent gradum in Societate, ob specialia illius priuilegia, & praxim iuxta quam etiam non incorrigibiles eijciuntur, vt ostendit P. Suarez *Tomo* 4. *de Religione Tract.* 10. *Lib.* 3. *Cap.* 9. *n.* 11. Non est tamen propterea existimandum Societatem in ijs, quos eijcit, moribus incompositis, ante eiectionem correctionis curam omittere, & statim vtcumque criminosos in sæculum amandare. De corrigendis enim summum illi studium est, pro quo & leges sunt sanctissimæ constitutæ, vt Prouincialis illa, quæ est officij. 42. *Prouincialis erit, iuxta commissam sibi facultatem, auditis suis Consultoribus, vel, si necessitas vrgeat, Superiore, & Consultoribus eius loci, vbi tunc erit, qui ipsi videbuntur, adhibitis, iudicare de causis sufficientibus ad dimissionem: curabit tamen, ne ad hæc extrema, nisi quàm consultissimè, & alijs tentatis remedijs, veniatur.* Nullus ergo, cuius in melius mutatio possit sperari dimittitur, si de proximo faueat spes; nam diu expectare cum aliorum damno nequit. Quin etiam aliquando oportet eiectione pro scandalo satisfieri, siue erga externos, siue erga domesticos illud acciderit, & seruari eam, quam ministeria Societatis exigunt, eximiam morum puritatem, *vt non vituperetur ministerium nostrum*, quod ab Apostolo admonemur. Sed de eiectione dicendum etiam *inferiùs*.

Decretum Vrbani VIII. de eiectis. Negatur comprehensio & efficaciter ostenditur.

P. Suarez.

Regula Prouincialis Societatis circa dimissionem, consultissimè faciendam.

2. Cor. 6. v. 3.

61. Dico Septimò. Licet ea, quæ de illegitimis in eorum fauorem diximus, ita sint, ab eorum tamen admissione in Religionibus, præsertim in Indijs, vbi frequens sanguinis impuritas, regulariter abstinendum, quia hoc est iuxta Sedis Apostolicæ mentem & de Sixto V. satis id perspectum habetur: Gregorius autem, qui rigidas eius abrogandas censuit Sanctiones, eatenus indulsit, quatenus ex indulto magnum aliquod bonum in Religiones possit redundare, dum scilicet

Circa illegitimos parcè vtendum facultate, pro quo & esse statuta possunt.

scilicet quis inueniri talis queat, *qui cumulo meritorum suffragante, defectum natalium suppleat*, vt ille loquitur. Et id quidem in filijs naturalibus facilius admittendum, spurios autem, adulterinos, incestuosos, sacrilegos, quis non videat vtilissimè repellendos? Ego certè in Societate nullum etiam naturalem ad statum Scholasticorum admisi, dum Prouinciæ curam semel iterumque subiui, & est id alta repostum mente, sicque R. P. Generalem ordinaturum confido, qui circa hoc & meum, & aliorum iudicium requisiuit: naturalem scilicet rarum, alterius fæcis nullum oportet admitti. Circa nostra hæc mens: viderint alij quid sibi futurum sit magis erga sua pro necessitate temporum opportuna.

Sic erit iuxta omnino iuxta petitionem.

Vt flare id possit, cùm videatur contra ius commune.

62. Sed difficultas circa hoc videtur non leuis emergere: videtur enim non posse in Religionibus eam claudi portam, quam Sedes Apostolica vult apertam. Neque enim contra Apostolica decreta, sicut neque contra iuris Canonici dispositiones, quæ & ipsæ Apostolicæ Sedis placita sunt, constitui aliquid in Religione potest, nisi quatenus ab eadem Sede indultum fuerit, vt est communis scribentium sensus. Ex quo fundamento censuit Diana *Parte* 2. *Tract.* 2. *Resol.* 1. per Decretum Capituli Generalis alicuius Religionis, nisi fuerit à Papa confirmatum, non posse tolli facultatem, quam *Cap. finale* de Pœnitent. & remission. concedit Prælatis, vt possint sibi quemcumque eligere Confessarium; pro quo alios adducit. Ad quod dico difficultatem hanc Doctores nostros in casu magis vrgenti iam enodasse, videlicet circa statutum non admittendi in Societate eos, qui sanguinis infectione laborant. Quia verò dici potest statutum illud esse à Sede Apostolica approbatum cum alijs, præsertim à Paulo V. in Bulla *Quantùm Religio*, ad nostrum, quod esse posse contendo, dico aliud esse statuere contra Decreta Pontificum inducendo generaliter abrogationem potestatis, aliud modum in exercitio talis potestatis adhibere. Et primum quidem dici potest potestatem transcendere Societatis, quia nequit reddere, incapaces sui instituti & quasi irregulares, vt vidimus locutum P. Pellizarium: aliud verò nullatenus repugnat, quia remanente in R. P. Generali potestate ad quorumlibet ex dictis admissionem, ordinare potest vt sine eius facultate non recipiantur, volens consulere Societati, cui talium admissio incommodaret: sicut idem præstare posset in Prouincia aliqua circa ætatem: quòd scilicet non admittantur nisi expletis septemdecim aut octodecim annis, eo quòd in talis Prouinciæ originarijs aut maiores vires ad Religionis experimenta, aut maturius iudicium ob inconstantiæ periculum experientia comprobatæ. Quod videmus etiam generaliter factum circa proiectiorem ætatem, vt videlicet admitti nequeant quinquagesimum annum superantes, nisi Generali eodem dispensante; cùm tamen ius illos non reddiderit incapaces. Sic videmus in multis Religionibus ab earum Capitulis Decreta varia prodire circa admittendos: & iam multæ timentes sibi ab eiectis à Religionibus alijs, acta conficiunt, quibus ingressus illis interdicitur, sub nullitate Professionis. Et prudentissimè quidem sic statuunt, non ligantes venturis manus, vt si aliter visum fuerit ipsis statuere, tradita sibi ab Apostolica Sede vtantur potestate. Ita quemadmodùm posset Religio statuere vt hoc anno nullus recipiatur ob rationes conuenientiæ, quæ occurrere possunt, ita & valet pro præsenti rerum statu idem præstare, quid in posterùm expediat successoribus prospecturis.

Diana.

Cap. Finale de pœn. & remiss.

Bulla Pauli V. pro Societate.

SECTIO VI.

An in partibus Indiarum necessariò obseruari debeat Decretum Vrbani VIII. circa eijcien os à Religione. Vbi quid de Societate IESV.

Statuitur in illo solos incorrigibiles dimittendos, & qui tales habendi sint.

63. In Decreto dicto, de quo *nu.* 60. cuius & integrum tenorem exhibet P. Pellizarius *Tomo* 2. *post Tractatum* 9. inter Decreta Sacræ Congregationis à Regularibus publicè legenda quotannis, & Barbosa post Allegationes de potestate Episcopi: iubet præfatus Pontifex vt nullus eijciatur legitimè professus, nisi sit verè incorrigibilis: & vt verè incorrigibilis minimè censeatur, nisi concurrant non solùm ea omnia, quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur, sublatis omnibus quoad hoc Religionum statutis; verùm etiam vnius anni spatio in ieiunio & pœnitentia probetur in carceribus, quo elapso, si non resipiscat, eijciatur, sed à Generali tantùm de Consilio & assensu sex Patrum, qui ex grauioribus eligendi in Capitulis vel Congregationibus singulis generalibus, præcedenti iudiciali processu, ac plenè probatis caussis expulsionis, iuxta sacrorum Canonum præscriptum. Circa quod extant Responsa Sacræ Congregationis Concilij data Procuratori Generali Ordinis D. Mariæ de Mercede apud Dianam *Parte* 11. *Tract.* 2. *Resolut.* 13. & pro quo ea, quæ apud Auctores occurrunt, breuiter proponam, & posteà quid mihi verosimilius appareat subiectis Assertionibus indicabo.

P. Gibbalinus nihil obstare illud ait, quia non reuocantur priuilegia.

64. P. Gibbalinus, quem ob eruditissimas editas disquisitiones Canonicas laudat solita ingenuitate Diana *Parte* 9. *Tract.* 9. *Resolut.* 57. affirmat, non obstante Decreto dicto, posse Regulares suis circa hoc priuilegijs vti, quia illorum non meminit; & quamuis meminisset, cum illorum pleraque, & ferè omnia indigeant derogatoriarum derogatorijs, & nullam huiusmodi clausulam Decretum apponat, illis non derogat, sed explicat tantùm ea, quæ ad incorrigibilitatem ex iure communi petuntur: nam ait præter ea, quæ à Iure postulentur: se addere annuum carcerem; quare non agit de his, quæ ex iure naturali aut priuato constituuntur. Præter quàm quòd cùm de illo Decreto authenticè non constet, & vsus ipsi non consentiat, non officit ijs, quæ ex varijs Pontificum indultis concessa reperiuntur. Sic ille *Disquisit.* 4. *Cap.* 4. §. 13. *nu.* 67. Cui adstipulatur Brunus *de Priuilegijs Regularium Parte* 1. *Tractat.* 4. *Cap.* 6. *Propos.* 9. quantùm ad Decreti nutantem fidem, aut vim; cùm sit Congregationis Cardinalium, quod vim legis non habet, quæ destruat priuilegium, vt vsus contrarius demonstrat. Hinc infert eiectionem à

solo Prouinciali factam esse validam, etiamsi dicatur non licita: & vt talis sit, consulit vt Prouincialis consilium Capituli Prouincialis adhibeat. Valorem colligit ex eo quòd nullum est verbum in Constitutionibus Apostolicis, in quo nullitas actus deduci queat, sed tantùm ad illum consultiùs exequendum, & quod ad carcerationem attinet, vbi constaret de aliquo non posse emendationem sperari, aut aliàs de in dispositione ad illam, non esse applicandum tale remedium affirmat, sed ad electionem procedendum, etiamsi Decretum vt obligatorium recipiatur.

Qui secus sentiant, iuxta satis declaratam Sedis Apostolicæ mentem, & vsum Religionum.

65. His omnibus contradicunt P. Pellizarius *Tract. 8. Cap. 8. nu. 3. 41. & 42.* Lezana *Tomo 1. Cap. 23. n. 3. & seqq. & Parte 2. Cap. 12. nu. 8.* vbi ait quod cùm *an. 1635.* Constitutiones quædam grauis cuiusdam Religionis Vrbano VIII. oblatæ fuissent pro Apostolica approbatione, Eminentissimus quidam Cardinalis, & Reuerendissimi alij Prælati, quibus cura easdem examinandi ab illo commissa fuit, noluerunt explicationem admittere aut approbare, quem Peyrinis ait à Sacra Congregatione Concilij emanasse, scilicet posse Generalem, aut eius generalem Visitatorem in qualibet Prouincia, in qua id opus fuerit ad effectum electionis, assumere sibi sex ex Diffinitoribus illius, de quorum consilio & assensu possit prædictos incorrigibiles eijcere, quod & ipse Lezana loco priùs citato dixerat: vtpotè quod in suæ Religionis Constitutionibus appositum inuenitur *Parte 4. Cap. 21. §. 14.* Sed iam suspectam valde reddi declarationem dictam affirmat, & se credere non posse Religionem suam ea vti, dum clariùs de ea non constiterit. Et ita rectà in Congregatione PP. Carmelitarum Discalciatorum in Hispania cautem esse vt in huiusmodi expulsione forma Decreti seruetur. Addit. *n. 19.* omnia circa hoc priuilegia reuocata. Quod & tenet Diana *citata Resol. 57. & Parte 11. Tract. 2. Resolut. 13.* vbi, vt diximus, Responsa illa Procuratori præfato data proponit, & eorum authenticum testimonium. Bonacina de *Clausura Monialium &c. Quæst. 2. Puncto 12. nu. 7.* Ascanius Tamburinus *Tomo 3. de iure Abbatum Disputat. 8. Quæst. 7. n. 7.* & alij communiter Decreti vim & vsum agnoscentes, sicut & docti viri, quos P. Pellizarius circa id, quod ad Societatem attinet, se consuluisse testatur, & Diana contra secus sentientes ait stare stylum Curiæ Romanæ, & praxim omnium Religionum ad vnguem Decretum dictum obseruantium in Bullario appositum *Tomo 4.* cum clausulis annullatiuis tam claris, vt miretur quomodò esse potuerit, qui contrariam sententiam fuerit amplexus, de P. Gibbalino locutus. Eodem modo sentiunt alij, quos adducit Barbosa *in Summa Decisionum Apostolicarum Collectan. 276.* quibuscum absolutè sentit.

Lezana.

Diana.

Barbosa.

Assertio 1. Decretum dictum non constat generaliter esse receptum.

66. Dico Primò. Prædictum Decretum esse generaliter in vsu, nequit verosimiliter affirmari. Id ostenditur. Nam P. Gibbalinus in Gallia scribens testatur non esse vsu receptum, & Brunus Pœnitentiarius Lateranensis Gregorij V. & Vrbani VIII. Romæ, licet Gallus & in Gallia scribens, quibus meritò credi potest, cùm sint viri Religiosi, docti, & magnæ diligentiæ, qui potuerunt quid circa hoc illis in regionibus contingeret, obseruare. Vnde Diana nuper adductus, ex eo quòd Romæ circa vsum deprehendit, generalem non potuit vsum stabilire. In quo quidem difficultas nulla occurrere potest, ob quam talis Decreti obseruationi possit incommodi quidquam creari. Nam si vbi quis degit, obseruationem suadeat vsus, benè id quidem se habet; quia quòd alibi in vsu non sit, nihil refert: Sicut non refert modò in ordine ad obseruantiam Concilij Tridentini in Decretis de Reformatione, quòd illa in Gallia recepta non sint, quandoquidem vbi quis adest Gallia non est, aut Germania, in qua etiam huiusmodi aliquid inuenitur. Quod & in alijs Pontificum Decretis cernere iuuat, ex quibus Clementis VIII. celebre illud de largitione munerum in Hispania non receptum, de quo in Thesauro Indico à nobis dictum. *Tomo 1. Tit. 3. n. 32. & 34.*

Decretum Vrbani 8. sufficientem habere auctoritatem vt debeat obligatorium reputari.

67. Dico Secundò. Prædictum Decretum sufficientissimam habet auctoritatem, vt debeat obligatorium reputari. Probatur ex ipsius tenore. sic enim ibi: *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum &c. auditis Religionum Superioribus, réque diligentißimè perpensa, communicato etiam consilio cum S. D. N. Vrbano VIII. atque ex peculiari Sanctitatis suæ facultate, infrascripta Decreta edidit.* Et infra. *Ne qua verò difficultas in supradictis Decretis & Ordinationibus exequendis suboriatur, sacra Congregatio, sanctißimo D. N. annuente atque approbante, vniuersis Generalibus, Prouincialibus, Commissarijs, Ministris, Præsidentibus, Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Guardianis, Vicarijs, & quibuscumque alijs Superioribus quorumcumque Ordinum, vel Congregationum, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, & locorum Regularium, vbique locorum existentium, iniungit, serioq; mandat, vt illa diligenter obseruent &c.* Iam de publicatione esse dubium nequit, cùm passim Auctores de illo agant, & responsa circa illud in Sacra Congregatione data id reddunt irrefragabiliter manifestum. Quid ergo desiderari ampliùs potest ad inducendam obligationem? Vnde qui de auctoritate non ita dignè locuti sunt, illius non videntur tenorem inspexisse. Et quidem P. Gibbalinus, dum ait in eo non derogari priuilegijs, satis id videtur ostendere, sic enim in Decretis dictis: *Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis &c. exemptionibus quoque, indultis, & priuilegijs &c.* Brunus autem ita scribit: *Scio equidem Decretum Congregationis Concilij Tridentini iussu Vrbani VIII. editũ, vt refertur à Barbosa in Tractatu de Constitutionibus & Decretis &c.* Atqui Barbosa ibi non habet Decreti talis tenorem, & ita videri apud ipsum non potuit, & sic neque exactum circa ipsum ferri iudicium,

Brunus Chalsiensis.

Ratio impossibilitatis sat obligationis, exemplo Bullæ Cruciatæ circa absolutionem non petentis parti satisfacere.

3. Per se loquendo etiam in Indijs obligat quando etiam in Indijs obligat.

68. Dico Tertiò. Prædictum Decretum per se loquendo etiam in Indijs obligat in quantum seruari potest. Hoc ex ipsius tenore apparet, ibi, *Vbique locorum existentium.* Item ex illius exordio, ibi: *Sacra Congregatio Regularium electorum & fugitiuorum statui consulere, illorumque scandala submouere, & succrescentem numerum frangere opere pretium existimans &c.* Atqui damnum hoc in Indijs maximè timeri debuit, vnde & remedium ipsi oportuit non minùs quàm regiorum aliorum incolis adhiberi. Dixi *Per se loquendo*: nam per accidens

dens potest aliter accidere, ratione inquam notitiæ eiusdem ob longissimam distantiam. Sed iam quidem id allegari nequit, quia cum Auctores de illo passim agant & Romæ Religionum omnium constet vsu comprobatum, nequeunt Prouinciales non esse illius conscij, ad quos præsertim executio spectat.

Sed obseruatu valde difficile.

69. Dixi etiam, *In quantùm seruari potest*, quia quod attinet ad sex Patres eligendos vt cum Generali decernant, nequit in his partibus locum habere. Et id quidem etiam in Europa valde difficile visum est, Generalem scilicet secum ducere semper prædictos Patres pro expulsione facienda, quando casus occurrisset, & ideò supplicatum esse Sacræ Congregationi pro remedio affirmat Peyrinis *Tomo 2. priuileg. Minimorum, in Constitut. 10. Vrbani VIII. §. 4. nu. 1.* eamque respondisse quod vidimus *nu. 65.* Satis autem compertum est neque huic etiam dispositioni, etiamsi responsio eam mereretur fidem, quam eidem citatur auctor attribuit, sicut & attribuerat Lezana, & ipsius Religio, vt *citato n.* diximus, in Indijs esse posse locum. Quia verò res grauissima est, & quam sine multorum consilio peragi Sacra Congregatio, & per eam loquens Pontificia iniungit auctoritas, illud in casus contingentia à Prouincialibus adhibendum, ex præcepto, quod grauiter videtur vrgere.

Et quod ad carcerationem attinet, sat impossibile.

70. Deinde, quod ad carcerationem pertinet esse potest moraliter impossibile, vt experientia ostendit: si Religiosi ad auri & argenti fodinas se conferant, vnde non sine violentia magna retrahi possunt, nec sine scandalo futura, & inutili strepitu, dum suos habent illi defensores, & securitas adest nulla eos ad suos Conuentus reducendi. Quomodò ergo carcerandi tales? & quomodò etiam permittendi, vt Religiosum gestantes habitum, cum deprauato agendi more dedecorent, & suas pariter Religiones? Eijciantur ergo Prouincialis sententia, quæ eisdem intimetur, & fiat publica, hacque constet Religionem talia non probare, & eo quo potest modo scandalosam licentiam castigare. Sic visum viris doctis, & est Decreto prædicto non repugnans, quòd cùm carcerationem statuit, de possibili intelligit: quando ergo talis non est, aliter procedendum. Et cùm pariter significet oportere tales à Religione eijci, vt scilicet aliquod sit mali adeò ingentis remedium, ad illud profectò veniendum, quia aliud esse nequit, ni velimus hos impunitos penitus derelinqui. Pro qua resolutione stat communis doctrina in alijs casibus. Nam excommunicatus vt possit frui beneficio Bullæ Cruciatæ, & absolui, debet prius parti satisfacere: & tamen, si satisfacere nequeat, absolui valet; vt videri potest apud Dianam *Parte 1. Tract. 11. Resolut. 24.* plures Doctores congerentem. Similiter ære alieno grauatus nequit ingredi Religionem, nisi prius soluat: & tamen, si soluere nequeat, ingredi potest, vt videre licet apud P. Palaum *Tomo 3. Tractat. 16. Disputat. 1. Puncto 7. §. 4.* & apud alios.

4. Decreto obligata priuilegia.

71. Dico Quartò. Priuilegia Religionum non obstant Decreto, quia in illo quoad hoc non obstantiæ vrgentissimæ & apertissimæ proponuntur, derogatoriarum derogatorijs exclusis: quod cùm etiam neget P. Gibbalinus id, quod de nõ viso Decreti tenore diximus, hinc etiam comprobatur. Idem ostenditur ex ijs, quæ adduximus. *n. 67.* circa auditos Religionum Superiores, qui proculdubio priuilegia sua erga materiam deliberationi propositam allegarunt. Præterea, Si priuilegia quoad hoc reuocata non sunt, nihil profectò præfato Decreto actum, quo posset damno adeò ingenti opportunum remedium adhiberi. Id ostendo. Nam ferè omnes Religiones habent communicationem priuilegiorum, & ita ferè omnes etiam eo deberent remedio carere, & malum sine spe illius sustinere. Vnde benè miratur Diana fuisse, qui circa hoc posset hærere, & adeò perspicuæ veritati contradictionis nubem obiectare.

Societas IESV illo comprehenditur.

72. Dico Quintò. In Decreto præfato etiam est Societas IESV comprehensa. *Primò* id probari potest ex nuper adducta ratione, quòd scilicet Religionum omnium Superiores sunt auditi, vnde & Superiores Societatis, quos indubitatum videtur priuilegia sibi in hac parte fauentia produxisse: nihil autem motam Congregationem constat ex eo quòd si speciale circa eam aliquid seruari voluisset, id in Decreto ipso fecisset manifestum; cùm tamen nihil tale, sed oppositum appareat, ex quo id probatur *Secundò*, nam mentionem Societatis induxit nomine *Collegiorum & Domorum*, quæ ipsi propria: Collegia enim Sola Societas ex Religionibus habet, quæ sint ordinariæ suæ habitationis, & Domus Professas, quæ Domorum nomine solent nudè posito designari, vt ex Constitutionibus, Bullis, Priuilegijs, & alijs Instituti scriptis compertum habetur Constituta Parte 6. Cap. 2. §. 2. *In Domibus, vel Ecclesijs, quæ à Societate ad auxilium animarum admittuntur, redditus nulli, ne Sacristiæ quidem, aut fabricæ applicati, haberi possint.* Et §. sequenti: *Professi viuent ex eleemosynis in Domibus.* Gregorius XIII. in Bulla, *Ascendente Domino*, ibi: *Sicut nec in Professorum bonis Domus vlla, aut Ecclesia, vel Collegium dictæ Societatis succedere potest.* Sic & alibi. *Tertiò*, quia etiam respectu Societatis oportuit præcaueri damnum, quod ex electione timeri posset, etiamsi illa cum magna attentione & consilio in hoc negotio, sicut in alijs, procedat: vnde nulla ex Religionibus quantumuis perfecta, & strictæ obseruantiæ, à Sacra Congregatione exclusa fuit, & ita PP. Carmelitani Discalceati se Decreto penitus subiecerunt, & ex parte Patrum Cisterciensium eamdem subiectionem profitentium, postulatum ab eadem sacra Congregatione id, quod memorat Lezana *citato Cap. 23, num. 4.*

Constitut. Societatis.

Greg. XIII.

Non tamen non solemniter professos.

73. Dico sextò. Decretum dictum non comprehendit eos, qui in Societate non sunt solemniter professi. Id probo ex tenore Decreti ipsius, ibi: *Nullus solemniter Professus eijci possit.* Et est iuxta dicta *nu. 59.* si dicas tales esse incorrigibiles posse, & opportuisse à Sacra Congregotione ipsis remedium prouideri, atque ita non exceptos in eius Decreto. Id facilè, diluitur. Nam Congregationi notissimum fuit Societatem habere ex vi peculiaris instituti facultatem ad horum dimissionem, votorum vinculis resolutis, vnde suæ consulit puritati: & ex hac parte nihil timere potuit, ex quo grauia illa incommoda, de quibus est præfata, sequerentur. Deinde clarè arguo ex ijs, quæ

quæ circa electos disponuntur: sic enim ibidem: *Præterea statuit, vt ijdem Superiores nemini ex Religiosis expulsis litteras testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolicam reijcientes, vel iubentes aliam ingredi Religionem.* Vbi manifestum est expulsos à Societate non intelligi, quia nec Religiosi sunt quando expelluntur, cùm desinant esse tales, & litteræ testimoniales eisdem conferuntur, nulla impositа obligatione ex superadditis: ita enim consequenter: *Item, vt electi extra Religionem degentes sint perpetuò suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinarijs locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.* Atque nihil tale in expulsis, de quibus agimus, accidit; vnde egressi, si habeant titulum, ordinantur, & ordinati ad exercitium Ordinum admittuntur. Iubetur ita super seruari. *Cap. Ne Religiosi* finale, de Regularibus, in quo Gregorius IX. præscribit quid sit circa fugitiuos faciendũ, sicut & circa electos, eos annuatim solicitè requirendo &c. Additque Constitutionem dictam in ijs etiam habere locum, seruandamque esse, qui iustè, diffinitiueque, ac Iuris ordine seruato expulsi fuerint; dummodò tamen in expulsis huiusmodi subsit spes euidens emendationis, ex litteris saltem testimonialibus Ordinarij. Quis autem non videat omnia hæc valde aliena esse à Societatis instituto in materia, de qua agimus? & ita post præfatum Decretum in Societate antiquus & originarius vsus sine dubitationis alicuius offendiculo est obseruatus, incorrigibiles eijciendo, eos scilicet, qui iuxta ipsius Constitutiones tales habendi sunt: ad quod quidem non est necessarium vt ea concurrant, quæ ad electionem debent intercedere Professorum. Et ita R. P. Generalis, cui satis est perspecta Sacræ Congregationis mens, eas expulsiones probat, de quibus fit certior ex Prouincijs, in quibus constat ita procedi ac si Decretum dictum minimè à Congregatione Sacra prodijsset.

Decretum Vrbani 8.

Cap. Ne Religiosi.

7. Secus in Professos.

74. Dico Septimò. Circa Professos in Societate debet dictum Decretum obseruari. Hoc euidenter infertur ex dictis *Assert. 5.* Nam si illud comprehendit Societatem, & non quo ad eos, qui Professi non sunt, Professi debent comprehensi censeri absque vmbra dubitationis; siue quatuor votorum sint, siue trium tantùm, quia isti etiam verissimi Professi, & in omni rigore sunt.

Et tantùm cùm ob incorrigibilitatem eijciendi.

75. Dico Octauò. Assertio prædicta tunc locum debet habere, cùm Professi eijciuntur titulo incorrigibilitatis. Sic P. Pellizarius *citato Capite 8. n.42.* Diana *Resolut. 57. citata §. sed pace*, qui citat Lezanam *citato n.4.* vbi tamen nec verbum de Societate: ex eo autem forsitan citandum duxit, quòd asseruerit omnia priuilegia à Sacra Congregatione circa hoc abrogata. Ratio est clara, quia ille titulus est, circa quem dispositio præcipua, aut vnicè, aut principaliter occupatur, vt ex tenore constat, & verbis eiusdem adnotatis *nu. 60.*

9. Etiam alius titulus est probabile.

76. Dico Nono tamquàm probabile Professos Societatis eijci posse alijs titulis diuersis ab incorrigibilitate. Sic P. Suarius *Tomo 4. de Religione Lib. 10. Tract. 11. Cap. 1. n. 2. & seqq.* cuius fundamentum vim habere videtur etiam post Vrbani Decretum, ante quod scripsit. P. Palaus *Tomo 3. Tract. 16. Disput. 4. Puncto 20. n. 2.* P. Pellizarius dudum citatus *n.41.* & Diana *§. vltimo.* Vbi ita scribit: *Nota* tamen, quòd non obstante supra dicto *Decreto Vrbani VIII. Generales Societatis IESV hodie possunt expellere suos subditos ex alijs titulis, quàm incorrigibilitatis: nam Decretum loquitur tantùm de electione propter incorrigibilitatem, & quoad hoc tantùm tollit Regularium priuilegia, non autem si extarent priuilegia, ob quæ ex alio titulo aliqua Religio posset subditos expellere, vt habet Religio Societatis IESV propter eminentem sanctitatem, sapientiam, & prudentiam in Ecclesia Dei celeberrima: & ideò à Summis Pontificibus variis priuilegijs decorata. Quæ omnia confirmantur ex vsu & praxi: nam Generales Societatis post dictum Decretum expellunt suos subditos vigore priuilegiorum ex alijs causis quam incorrigibilitatis. Vide Pellizarium vbi supra n.41, qui tamen poterat prætermittere ea, quæ dixit n.3.* Sic ille, ingenio & ingenuitate clarissimus, erga quem semper Societas gratum fouebit affectum, eximiarum laudum, quæ in eius operibus extant, cumulum recognoscens. Circa nuper autem dicta obseruandum occurrit, erga punctum, in quo versamur, non multùm conferre quod ex praxi adducitur: nam illa circa eos alligari tantùm reipsa potest, qui Professi non sunt, & ita fauet Assertioni 7. non præsenti, vbi de Professis sermo: non enim praxis Societatis habet vt Professi eijciantur, nisi Religionem aliam ingressuri. In eo autem quod P. Pellizarium, quem accuratissimum & amicissimum compellat, carpere videtur ob non prætermissa ea, quæ habet *nu. 3.* ipse certè potuit amicabiliter reprehendi, quia & prætermittere potuit ea, quæ ex ipso dedimus. Qui enim legerit huiusmodi reprehensiunculam, suspicari poterit aliquid minùs cautè aut modestè ab illo dictum; cùm tamen non ita sit, sed aliqua in consequentia doctrinæ, vt videbimus *infra*, quod licitè potuit, & suo more modestissimè obiecisse.

Diana

P. Pellizar.

Probatur iam Assertio ex Bulla Gregorij XIII

Probatur iam Assertio ex Bulla Gregorij XIII *die 22. Septembris, an. 1582.* vbi post dubitationem propositam sic ait: *Nos re perpensa, atque diligenter examinata, Societatis ipsius puritati atque incremento, emissorumque pro tempore saluti consulere volentes, statuimus vt deinceps in perpetuum liceat dicto Præposito, quos iudicauerit, ab ipsa Societate emittere.* Sic ille. Dubitatio autem fuerat: *An Præpositus valeat etiam Professos ex causis exigentibus ab ipsa Societate emittere?* Cùm ergo non vna illa tantùm causa incorrigibilitatis, sed diuersæ assignentur, & illæ non videantur in dicto Decreto repudiatæ, vis priuilegij persistit. Item. In dicta dimissione dicitur non solùm Societatis puritati, sed emissorum saluti consuli: ergo non de incorrigibilitate tantùm agitur; quia cùm tales dimittuntur, non eorum saluti, sed Societatis bono consulitur, vt ex generali dispositione Decreti constat, ibi: *Elapso autem anno, si nihilominùs non resipuerit, sed animo indurato in sua peruicacia perseuerauerit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tamquàm pecus morbida ac membrum putre, eijci tandem possit.* Sic DD. & sic Pontifex.

Probatio Assertionis Greg XIII.

77. Dices videri oppositum in Decreto statui verbis illis: *Ad hæc, vt in posterùm à Religionibus nullus legitime Professus eijci possit, nisi sit verè incorrigibilis.* Vbi vnica illa incorrigibilitatis causa ad

Quid dicatur obstare.

adiectionem admittitur. Propter hoc P. Pellizarius *citato n.3.* in hoc, vt vidimus *num. præced.* vbi id habet, quod Diana dixit prætermittere potuisse, ita planè sensit; sic enim ibi: *Quæres Tertiò. An Regulares modo eijci possint ab Ordine alio titulo quàm incorrigibilitatis, saltem vigore priuilegiorum ac statutorum peculiarium hac de re extantium. Respond. non posse, cùm in citato Decreto Sacræ Congregationis id expressè prohibeatur his verbis: In posterùm &c. quod est abrogare priuilegia in contrarium concessa, non solùm explicitè (quomodo ibi abrogantur) sed etiam implicitè, vt patet.* Hæc ille. Ad quæ responderi potest quod *citato n.42.* ipse tradit, priuilegium scilicet Societatis nulli alteri Religioni communicari, quia id sic statuit ibidem Pontifex: & ita in citato loco de Societate non fuisse locutum, sed de Religionibus alijs. Verba Pontificis in citata Bulla, cuius initium est, *Cùm aliàs*, sunt quæ sequuntur: *Præsentis autem gratiæ communicationem omnibus alijs, etiam qui sua priuilegia cum prædicta Societate copiosè participant, participaréque poterunt quomodolibet in futurum, fieri omnino prohibemus.* Sic ille. Sed certè si hoc ita se habet, vt nulla Religio simile habeat priuilegium, neque cum Societate in illo participet, non videtur locum habere potuisse dubium, sicut neque illius resolutio. Dubium enim supponit esse priuilegia, & resolutio statuit ea non obstare, quia penitus sunt per Decretum abrogata. Sicut ergo abrogata illa sunt, quia ita explicitè in Decreto habetur, ita etiam videtur de Societate dicendum, quia non excepta quoad Professos. Quod enim communicatio priuilegij dicti prohibeatur, non influit aliquid speciale, vt non debeat abrogatum censeri vrgentissimis clausulis, in quibus etiam de Societate agi videmus *Assert. 5.* Præterquam quòd licet priuilegium dictum per viam communicationis cum Societate noluerit Pontifex alijs Religionibus esse commune, id non ostendit aliàs non potuisse illud habere, aut post Gregorij dictam concessionem non extare concessiones similes, & ampliissimam communicationem. Licet enim ille participationem in futurum etiam prohibeat, id non tollit quo minùs Pontifices successores illam possint indulgere: non autem est communicatio talis admittenda, nisi illi exprimant concessionem ad illa se etiam extendere, quæ sunt communicari prohibita, vt verba Pontificis habeant proportionatum ac certum effectum, nec frustranea censeantur. Omnium erga Religionum quo ad hoc eadem videtur esse ratio.

Sed dispelliam illud.

Greg. XIII.

Tollatur tamen.

Quomodo possit probabilitas cum Decreto componi.

78. Et hoc quidem quantùm ad consequentiam doctrinæ in Pellizario, cuius prior Assertio est absque dubio valde probabilis, ac propterea ego in Assertione proxima id, quod statui, dixi tantùm esse probabile, quia verba legis vrgebant pro contraria positione. Oportebatque à prioris defensoribus ostendi vnde constet cum negatiua illa *Nullus* exceptionem de causis alijs præter incorrigibilitatem, quæ sola admittitur, posse componi. Videtur autem posse fundari ex motiuo ipsius Decreti in id tendentis vt scandala ex electione prouenientia submoueantur; sic enim in illius habetur exordio: Atqui id tantùm accidit quando incorrigibiles eijciuntur: non ergo de electis alijs ex causis iuxta priuilegia dispositio prædicta procedit. Præterea, cùm dicitur *Nullus eijci possit, nisi sit verè incorrigibilis*, non videtur id referri ad alias electionis causas, sed ad excludendum non veram incorrigibilitatem, vt sit sensus: *In posterùm qui non est verè incorrigibilis, non eijciatur.* Nam diuersus videbatur modus loquendi futurus, si absolutè vellet Congregatio id statuere quod aduersa sententia contendit; ita scilicet: *In posterùm nullus eijci possit nisi incorrigibilis: is autem verè censendus est talis, qui &c.* Etiam retenta dictione *Nullus* potest esse commodior sensus, quem intendimus, hoc modo: *Nullus eijci possit incorrigibilis, nisi qui verè talis sit.* Nam cùm verè talis opponatur non verè tali, & propositio modalis sit, tantùm videtur circa modum dispositio versari. Id quod materia, de qua agitur, persuadet, ex qua fit vt aliquando dictio, *Nullus* patiatur limitationem, vt ex *Cap. Non semel* 18. q. 2. probari potest ibi: *Quòd autem nullis canonicis iuribus Monasteria dicuntur esse subiecta, non ita intelligendum est, quin ipsi Episcopo aliquid nomine Eulogiæ, vel in die Dedicationis, vel in Natali sanctorum, quorum nomine ipsum Monasterium dedicatum est, debeat offerri.* Sic ibi: Cùm ergo sensus esse, quem diximus, possit, & ex huiusmodi interpretandi modo minùs grauentur Religiones, & earum priuilegia sic sarta tecta habeantur, potest securè ab eisdem ad praxim reuocari. Dispositio enim dicta, licet quatenus in bonum Religionum tendit, videatur fauorabilis; reuera tamen, cùm priuilegia abroget, quæ meri fauores sunt, odiosa debet penitus reputari, iuxta ea, quæ in *Thesauro* ex professo dicta sunt circa Constitutionem Innocentij X. pro gubernationis spatijs in Societate seruandis &c. *Tomo 2. Tit. 12. n.46. & seqq.*

Ditio nullus patitur limitationem.

Cap. Non semel.

Est illud odiosum.

DVBIVM INCIDENS.

Circa electionem in Societate non Professorum, votorum vinculo non sublato.

79. DVbij fundamentum in *Decreto 22. Septimæ Congregationis* habetur tenoris sequentis: *Illis, quibus è sola importunitate, cùm nulla iusta subsit causa, dimissionem concedere Societas cogitur, non nisi cum obligatione aliam intrandi Religionem, in qua regularis obseruantia vigeat, in posterùm concedendam, eamque obligationem Patentibus inserendam: ac nonnisi rarissimè permittendum, vt liber omnino talium quispiam ab omni votorum obligatione ad sæculum redeat*, scilicet Congregatio censuit. Hinc in casus contingentia suborta difficultas, & ramosa quidem. Cùm enim instaret quidam, dimissus est, sed suorum vinculo votorum post biennium emissorum adstrictus, facultate vtendo, quæ videtur concedi, dum solùm rarissimè permittendum dicitur vt tales à votis liberi dimittantur: ex quo euidenter infertur non raras dimissiones eorumdem cum votorum retenta obligatione futuras. Quòd aliunde nec videtur non esse Decreti tenori conforme, cùm in eo dicatur vt tales nonnisi cum obligatione aliam intrandi Religionem dimittantur. Quòd ergo votis ligati, & sine obligatione aliam intrandi Religionem, dimitti possint, non videtur dispositioni

Decretum Congreg. 7.

Casus propositio.

dicti Decreti conformari, vel saltem valde dubiam remanere.

Electus eo ipso videtur à voto liber, & ratio. P. Thomas Sancius.

80. Accedit illud, quod graues Scriptores ex Nostris dicunt, scilicet P. Valentia *Tomo* 3. *Disput.* 6. *Quæst.* 6. *Puncto* 6. *vers. & hoc modo.* P. Vasquez *Tomo* 2. *in* 1. 2. *Quæst.* 96. *Disput.* 165. *n.* 86. & eos secutus P. Thomas Sancius *in Decalogum Tomo* 2. *Lib.* 5. *Cap.* 1. *nu.* 11. scilicet Generalem dum expellit non Professos, non dici eorum vota relaxare, aut in eis dispensare, sed conditionem tollere, qua sublata, vota extinguuntur ea deficiente. Quod adeò verum est, vt & si Generalis expellens vellet eos remanere votis ligatos, non posset id efficere; nam deficit conditio vt obligent; scilicet quamdiu Societas eos retinuerit; & ideò omnes illi; cum hæc vouent, addunt: *Iuxta modum in nostris Constitutionibus expressum:* qui est (vt dicitur in illis *Parte* 5. *Cap.* 4. *Lit. B. in Commento*) vt non sint perpetuata ex parte admittentis, sed quamdiu Generalis eos non expulerit. *Constitutio Societ.* Pro eodem facit id, quod habet *n.* 30. vbi de illo disserens, qui vota emitteret non seruata forma Societatis, scilicet sine verbis illis, *Omnia intelligendo iuxta ipsius Societatis Constitutiones*, in quibus conditio dicta subintelligitur, & exponens id, quod *Parte* 2. *Cap.* 4. *nu.* 3. Constitutionum habetur, ita subdit: *Dum autem dicitur per dimissionem non manere hunc liberum ab his votis, intelligendum est ex vi dimissionis, vt manent alij, qui cum ea tacita conditione vouent, nempe intelligendo omnia iuxta Societatis Constitutiones.* Sic ille. Circa quod etiam P. Palaus *Tomo* 3. *Tract.* 16. *Disput.* 4. *Puncto* 20. *nu.* 12. id etiam habet, quod videtur eidem doctrinæ fauere: tractat enim casum in terminis de extorquente dimissionem importunitate, & ait illam esse validam, quia importuna instantia sufficiens motiuum est ad illam in Societate volùtarios ad sua ministeria milites requirente, & solùm eum modum dimissionis agnoscit. Nihilominus.

Assertio 1. Posse ligatum ejici. P. Suarez.

81. Dico Primò. Qui in Societate solemnem Professionem non fecerunt, ejici possunt suis ligati votis. Sic colligitur apertè ex P. Suario *Tomo* 4. *de Religione Tract.* 10. *Lib.* 11. *in Proœmio*, vbi ita scribit: *Est ergo alia mutatio per dimissionem, seu electionem ab ipsa Religione per potestatem, seu iurisdictionem eius, quæ solùm contingit in Professis: nam alij solent liberi dimitti, vt dictum est. Si autem aliquando dimittantur ligati, eamdem proportionem seruabunt: & ideò de sola dimissione Professorum superest nobis dicendum.* Sic ibi: & *Cap.* 3. *nu.* 1. sic habet: *Si autem contingeret huiusmodi Coadiutorem formatum expelli sine absolutione ab obligatione votorum, vel cum onere ingrediendi Religionem, vel simpliciter & absolutè, sic eadem de illo ratio est, quæ de Professis trium votorum &c.* Cardinalis Lugo in Card Lugo. Responsis moralibus Lib. 4. Dub. 23. n. 2. circa dubium ibi propositum, post alia sic ait: *Si verò dicas ipsum manere adhuc Religiosum* (dimissum inquam cum onere non accedendi ad talem locum sub obligatione reincidendi in votorum vinculum) *toto illo tempore intermedio, falsò ergo supponitur dimissus à Societate; manet enim propriè Religiosus Societatis, & subditus eius Prælatis sicut antea, & ita manebit vsque ad mortem* &c. Agnoscit ergo dimissionem stante obligatione votorum, neque in eo aliquam inuenit à Societatis potestate alienam rationem.

82. Probatur Primò. Quia non apparet solidum fundamentum ad hoc negandum: magis enim est posse Professos ejici cum tota sua obligatione; & tamen id fieri in Societate potest, vt vidimus. *Sectione præced.* Si dicas circa Professos non extare conditionem, quæ circa alios, dum scilicet in Societate retineantur, iuxta dicta *n.* 80. Contra est, quia conditio illa non procedit de materiali habitatione in Societate: stat enim à Religione ejici, & nihilominùs Religiosum manere, vt constat ex Decreto S. Congregationis citato, cum præfata distinctione, materialis & formalis permanentiæ: scilicet dum Societas illos voluerit sua sub obedientia retinere. Et ita intelligendi sunt Doctores adducti: estque verissimum Generalem dimittentem è Societate non posse facere vt votis maneant ligati, scilicet quando eos formaliter è Societate dimittit, contra id quod videntur sensisse illi, qui apud Cardinalem Lugo *suprà*, non iudicarunt absonum vt dimisso cum onere non accedendi ad talem locum, reincidentia in vota statueretur, quamuis ille de Societate non esset, quia de illo iterùm admittendo minimè tractabatur. Et hæc ratio est maximè à priori. *1. Prouatio, quia nihil est quod obstet.*

83. Secundò. Quia in citato Decreto id videtur non obscurè significari, vt vidimus. *n.* 79. exceptio enim illa significata aduerbio *Rarissimè* gregem firmat non rarissimam dimissionem aliter faciendam cum illo genere dimittendorum. Stante enim importunitate cogitur Societas ad dimissionem, vt ibidem dicitur: quæ coactio arguit non posse conuenienter sic importunos retinere: ergo expellendi illi, vt hoc onere Societas liberetur. Hoc stabit certò. Sed imponatur illis obligatio aliam intrandi Religionem. Atqui erunt qui nolint, vt ferè semper accidit, quod experientia comprobatum. Erunt etiam qui nequeant, quia infirma eisdem valetudo; quos tamen Societas libenter conseruaret. Quid ergo faciendum? Expellendi sanè, quia onus sunt Societati importabile; & cùm rarissimè à votorum obligatione liberi dimittendi sint, eisdem adstricti recedent. Si dicas in Decreto non apponi exceptiones illas, *Si nolit, aut non possit*, & ita ad subeundam obligationem ingressus in aliam Religionem vrgendos. Id non obstat, quia ex contextu satis mens Societatis innotescit, vt hæc duo inter se componantur; retineri scilicet non posse, quia Societas ad eos eijciendos cogitur, & rarissimè à votis liberos dimittendos. Ad quod quidem conferre potest obligatio ibidem adhibita de ingressu in aliam Religionem. Sed cum Societati etiam constet posse tales aut nolle, aut non valere, dimittendos concludit modo dicto, vt scilicet onere illa libereturdicto, & illi non abeant epinicium concinentes, quòd sua importunitate libertatem sint omnimodam, quæ potius diaboli, mundi, & carnis dicenda est seruitus, consecuti. In quo quidem magnum Societati bonum conciliari potest. Nam videntes aliqui importunitate libertatem comparari, & benè hoc negotium cessisse alijs, possunt in sua vocatione nutare, & ad similia propendere. Quod secus accidet, si videant quàm sint difficilem prouinciam assumpturi, si eos expelli quidem contingat, sed votorum onere prægrauatos. *2. Ex Decreto Cong.*

84. Ter-

3 Expraxi.

84. Tertiò. Quia sic est praxi comprobatum, iuxta intelligentiam dicti Decreti à viris doctis approbatam, quæ & illo non stante esse similiter potuisset. Vnde P. Suarez, qui ante editum Decretum scripsit, dimissionis genus tale probauit, vt vidimus, & ratio à priori à nobis adducta, est etiam à Decreto independens. Quòd si aliquando dimissio dicto modo facta non est à R. P. Generali approbata, non ideò fuit, quòd impossibilem absolutè loquendo iudicaret, sed quia certa doctrina non est conuenienter applicata: vel ex eo quòd dimissus, etiam importunitate sepositа, non erat aptus Societati, in quo euentu non procedit Decretum, vt videri potest in §. 1. vel quia non prorsus obseruatum id, quod in tali Decreto disponitur, vel ob alias, quæ occurrere potuerunt, verosimiles rationes.

Assertio 2. Dimissus non posse imponi obligationem intrandi in aliam Religionem.

85. Dico Secundò. Quod in Decreto dicitur de obligatione aliam intrandi Religionem, eamque Patentibus litteris inserendam, ita intelligendum est vt dimisso absolutè nequeat obligatio talis imponi, quia id excedit potestatem Prælatorum, quorum iurisdictio intra terminos Societatis continetur, manentibus scilicet sub obedientia, non extra illam exclusis, sicut & in alijs Religionibus. Id quod luculenter ostendit Cardinalis Lugo in *Responsis citatis Lib.* 3. *Dub.* 4. Cùm enim tota iurisdictio Prælatorum Regularium sit in ordine ad subditos vt tales, vt eos videlicet ad perfectionem promoueant: nequit stare vt obedientia ad id tendat, quod destruit subiectionem. Non enim iuxta Apostolum potestas Ecclesiastica, & Religiosa præsertim, est ad *destructionem, sed in ædificationem.* Vnde licet in Societate dimittere Superiores possint, non possunt tamen iubere alicui vt à Societate abeat, quamuis facto compellere possint, eo quod sub ea sint admissi conditione, vt non sit obligatio eos retinendi, si Societas dimittendos esse iudicârit. Quemadmodùm (& est exemplum etiam pro casu præsenti accommodum) famulus admissus dimitti potest, non potest autem ei iuberi vt abeat, quia cùm eo ipso desinat esse famulus, desinat etiam titulus iussionis: sed intimari ei dimissio potest, quatenus est signum voluntatis Domini tollentis conditionem, sub qua admissus est. Admissus enim est ad seruiendum; dum autem abit, non seruit, sed seruire desinit. Et est argumentum manifestum non repertæ in eo formalis iussionis, quòd eodem modo potest compelli vt exeat quicumque domi fuerit contra patris familias voluntatem.

Assertio 3. Non sub conditione fuit id impetrari.

86. Dico Tertiò. Obligatio ingrediendi aliam Religionem non potest etiam sub conditione imponi taliter vt in eo exerceatur iurisdictio ex voto obedientiæ, aut ex vi status Religiosi resultans, sitque actus ad illam spectans. Id probo fundamento Assertionis præcedentis: Nam cùm talis aliam Religionem intrat, desinit esse subditus, & ita ex ea parte non est propriæ obedientiæ locus. Est ergo quoddam genus contractus, *facio vt facias*, licet non rigorosus; vel, *do vt facias*: do inquam licentiam abeundi, quam petis, sed vt facias in Religione alia Professionem: in quo obedientia non exercetur. Pertinet ergo ad potestatem Ecclesiasticam peculiarem Religioni, secundùm quam non iubetur, sed disponitur, sicut in patre familias non omnes actiones circà famulos sunt imperia. Sed pacta etiam interueniunt erga ipsorum obligationes, vt cùm vltra debitum labor extenditur, & pro eo assignatur stipendium; vel laboris cessatio permittitur; sed cum onere aliquo compensandi, & sic in alijs.

Assertio 4. Nec sub præsupposito rei vnusquisque voti.

87. Dico Quartò. Non potest quisquam à Societate dimitti liber à votorum obligatione assignato ipsi competenti temporis spatio vt Religionem aliam ingrediatur, taliter tamen vt si ingressus non fuerit, obligatio votorum reuiuiscat, ad modum reincidentiæ in excommunicationem, de qua dictum *in Thesauro in Tomi* 2. *Additionibus.* Hoc, licet sub alijs terminis, docet, & optimè probat Cardinalis Lugo *citato Capite* 23. de quibus. *n.* 81. & ratio videtur clara, quia semel extincta obligatione, nequit redire sine voluntate eius, qui ab ea exiuit liber: talis enim est obligatio votorum, vt imponi ab alio nequeat, quàm ab ipso vouente, quia est promissio; & omninò implicatorium est, vt deficiente libera actione, quæ in eo interuenit, & habet illam pro forma, aliunde possit promissionis effectus, qui libertatem essentialiter præsupponit, prouenire. Quemadmodùm quia contractus matrimonij essentialiter importat actionem liberam, & effectus illius, obligatio scilicet, illam vt talem præsupponit, nequit extrinsecùs imponi.

Euasio quædam præcluditur.

88. Si dicas obligationem quidem non imponi à Prælato dimittente, sedesse effectum promissionis in votis inclusæ, quæ non est absolutè sublata, sed suspensa: quia cùm dimissio à voluntate dimittentis pendeat, si ipse absoluere absolutè à vinculo votorum nequit, sed cum limitatione dicta, eo & non alio modo stabit illa. Contra est, quia suspensio talis stare nequit; cùm enim talis liber à votis sit, stante huiusmodi libertate, non tenebitur illis, & ita ea non seruans, contra ipsa non peccabit. Hoc autem potestatem Prælati dimittentis excedit, vt scilicet pro aliquo tempore possit libertatem talem concedere: quemadmodùm contra rationem status Religiosi est, vt Religioso concedatur libertas redeundi ad sæculum à votis libero vt subueniat parentibus aut filijs, vel ob alium titulum: & post impletum tale pietatis officium ad Religionem reuertatur. Et licet dimissio à voluntate dimittentis pendeat, nequit eidem modus aliquis admiscerì, modificando illam, qui statui Religioso repugnet, vt præfatum vidimus repugnare. Neque est simile de excommunicatione: nam cùm illa sit pœna ab extrinseco prouenies, potest secundùm voluntatem infligentis illam, modum & moderationem accipere, iuxta ea scilicet, quæ à iure sunt Canonico circa materiam dictam constituta.

Assertio 3. Dimissus sub lethali tenetur ad ingressum rationis contractus.

89. Dico Quintò. Dimissus iuxta Assertionem 3. ex pacto inducente obligationem, tenetur sub lethali contractui stare, quia est obligatio in re grauissima, & genus quoddam commutationis, à qua nequit nisi à solo Pontifice absolui, perseuerante voluntate in Superioribus Societatis vt contractus impleatur. Nam cùm sit talis, vt in eo vertatur ius tertij, Religionis inquam, ad cuius vtilitatem maximè conducit huiusmodi pacta seruari, nullus contra tale ius agere potest, cui neque ipse Pontifex vult, nisi id exprimat, derogare.

derogare. Vnde coràm competente iudice agere potest pro eiusmodi adimpletione. Erit autem competens Ordinarius, quia illo iam extra Societatem, & ordinarius ad effectum quicumque erit, in cuius diœcesi fuerit talis transgressor inuentus, quia ratione delicti contrahitur forum. Si verò matrimonium contraxerit, validum quidem erit, sed seuerius puniendus. Ad prouidentiam autem Superiorum spectabit quid in casus contingentia fieri debeat præuia consultatione disponere. Si enim obligatio hæc litteris Patentibus fuerit inserta, vt in Decreto dicitur, & pro nihilo habeatur, ac contra eam ire non dubitent sic dimissi, seriò erit agendum, vt non leuis pœna violatoribus inflicta rei grauitatem ostendat, & in exemplum tracta alios reddat cautiores. Vel de remedio prouideatur alio, aliquid magis compertum statuendo, & paucioribus locum relinquens quæstionibus.

Assertio 6. Dimissus vrgendus ad illam vel ad regressum, & cuius opt.

90. Dico Sextò. Dimissus non liber à votorum obligatione, cum onere tamen ingrediendi aliam Religionem, vt obligationem adimpleat vrgendus est, si commodè possit. Ad quod quidem Ordinarij etiam manus imploranda in cuius post egressum iurisdictionem venit. Quod & præstandum cùm talis quispiam ad Religionem reuocandus est, quia sic Religio iudicat expedire. Quod ita vidimus practicari, & res ipsa videtur explorata. Et quidem de legitimè Professis ad iurisdictionem Ordinariorum ab electione statim pertinere declarat Pontifex in citato Decreto. Stante autem iurisdictione, consequens est potestas discretiua censurarum. Cùm ergo in non professis, Religiosis tamen per vota simplicia, idem quoad iurisdictionem pertineat, idem pariter de coërciua potestate pronuntiandum.

Difficultas ex Decreti dispositione.

91. Sed circa hoc specialis suboritur difficultas ex citati Decreti circa dimissionem huiusmodi dispositione, dum in eo dicitur exeuntem ex vna Religione vt ad aliam transeat, recta via debere ad illam se conferre, & ita non videtur relinqui locus agendi contra stantem contractui, de quo dudum dicebamus. Verùm id non videtur vrgere, quia ibi solùm agitur de transeunte ad strictiorem Religionem, sic enim dicitur: *Deinde, vt apostatandi opportunitas præripiatur, statuit vt de cetero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi priùs Superiori legitimè constiterit eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, tumque Regularis rectà se conferat ad arctiorem. Quod vt reipsa adimpleatur idem Superior omni studio ac diligentia inuigilet.* Sic ibi. Vbi non immeritò existimare aliquis possit idem intelligendum de quocumque transitu, in quo eadem est ratio. Quod autem de transitu ad arctiorem Religionem tantùm sit mentio inducta, ex eo accidit, quia solus ille de iure licet: quidquid autem secus se habet, per priuilegia contingit, & ita valde verosimile est hanc fuisse Pontificis mentem, si de Professis loquamur, non verò de non Professis in Societate, qui singulares in Ecclesia cùm sint, alio prouidentiæ modo à Sede Apostolica gubernantur. Et ita sicut non comprehenduntur Decreto de incorrigibilibus, iuxta dicta, quod est inter omnia prolata præcipuum, ita neque in illa dispositionis parte, quæ sicut ad legitimè Professos tantùm dirigitur, ita & præcedentia ipsam.

Decretum Vrbani 8.

De non Professis non procedere.

Et ita absque dubio hoc intellexit Societas, in qua cum stet suus antiquus dimittendi modus in contrarium, nihil ob Decretum dictum debere innouari hucusque animaduersum inuenitur, quod tamen in Professis semper est obseruatione dignissimum arbitrata.

Assertio 7. Circa dimissum iustè sine obligatione aliam ingredendi Religionem.

92. Dico Septimò. Si quis videatur necessariò dimittendus ob coactionem illam, de qua in Decreto, nec tamen velit obligationem ingressus in aliam Religionem subire, licitè id permitti potest, & dimissus suæ conscientiæ relinqui, abiecta illius cura, nisi fortè praua aliqua persuasione delusus de matrimonio incundo tractaucrit, aut reipsa illud inierit: tunc enim penitus obsistendum, ne pessimum illud exemplum in consequentiam trahatur, & aperiatur via ad dispositionem talem pro dimissione è Societate prouisam suo effectu frustrandam. Quòd autem abijci talium curâ possit, ita vt de illis ad Religionem vocandis non debeat vlteriùs agi, ex eo ostenditur, quia causa dimissionis eorum semper erit eadem, dum ipsi de reditu minimè curare deprehenduntur, vnde frustranea est reuocatio, si iterùm dimittendi sunt, sicque erit processus sola morte finiendus, sperari autem potest rerum mundanarum experientia, meliore vsuros consilio, cùm præsertim vinculum votorum adstringat, & securos se in conscientia non esse dispiciant. Quòd si aliquis sua culpa exitum habeat infelicem, id certè Societati neutiquam imputandum, quæ vt corporis consulat totius saluti, vnum non refugit putre membrum resecari, & pro firmanda positione ista confert id quod in Decreto *S.* Congregationis habetur, de quo & *suprà nu.* 73. de expulsis annuatim requirendis, vbi tamen sic additur: *Dummodò tamen in expulsis huiusmodi subsit spes euidens emendationis ex litteris saltem testimonialibus Ordinarij, cuius conscientiam in his litteris concedendis S. Congregatio seriò onerauit.* Sic ibi. Cùm ergo in electis modo dicto spes euidens non subsit, immò nec probabilis, quandoquidem illi in veteri odio erga Religionem persistunt, non est Societati imponendum onus eosdem reuocandi, nisi fortè commodum ipsi appareat eo medio vti, vt iam reuocatos penitus à votis liberos euomat. pro quo circumstantiæ occurrere possint ad id efficaciter inducentes. Et hæc quidem circa præfatum dubium, quæ pro Societate scripta ipsius Societatis iudicio examinanda subijcio, praxim à R.P. Generali traditam libenter amplexurus.

Decretum Vrbani 8.

SECTIO VII.

Occasione peculiaris casus in Indijs disquiritur, An sententia affirmans posse iudicem inter opiniones æquè fauentes partibus, quam maluerit eligere, sit aliqua ratione damnabilis.

Sententia affirmans.

93. NOn posse iudicem in eo euentu rem vni applicare, sed diuidendam inter litigantes affirmant ij, quorum meminimus *Parte* 1. *num.* 44. quod & tenet P. Ioannes Erardus

P. Fullonius.

Erardus Fullonius in *Commentarijs ad Lib.* 1. *Machabæorum Cap.* 16. *Excursu* 1. *Sect.* 6. *nu.* 2. & 3. ita ibi scribens: *Est caussa inter partes ambigua, vtraque sententia est probabilis æquè, vel parùm inter est: potestne iudex pronuntiare absolutè pro altera, vel tantùm æquè probabili, vel minùs probabili? Occlament & obmurmurent nescio qui de triuio: ingerantur mihi libri in contrarium, &, si voles, bibliothecæ integræ: pronuntio tamen tamquam certum, & extra omnem disputationis ambiguitatem, non licere citra culpam acceptionis personarum.* Sic ille Ecclesiastæ zelo, quo in munere eximius, & posse id bonis ostendi rationibus non nego, quibus graues Scriptores ad sic sunt sentiendum permoti. Sed ita confidenter certitudinem adstrui, erant qui non probent, & meritò, cùm pro opposita sententia sint etiam minimè contemnendi patroni, & culpam talem esse grauissimam iam ille præmiserat, qui & ita scripserat: *Ponamus casum, vt vocant, pro amico, quam pessimè non Iuris consulti modò, sed & Theologi aliqui laxi, & planè, vt audietis, damnandi, posuere.* Hæc ille, & laxam, & pessimam, & damnabilem opinionem dictam appellans. Quod quidem non solùm in opinionum æqualitate videtur censere, sed etiam stante imparitate: sic enim subdit: *Similiter si alterius ius magis probabile est, plus illi adiudicet: & alterum, qui ius etiam habeat, sed minùs probabile, compensatione aliqua aspergat pro mensura iuris sui: si aliter pronuntiat, non sequitur meritum caussæ, adeoque non potest euadere notam acceptionis personarum.* Sic ille, qui de genere noxæ sic dixerat: *In re tanta* numquàm nisi grauissimè erratur.

Contrarium statuitur contra citatum Scriptorem.

94. Sed & ipsum hac in parte errasse non leuiter, aliquos qui affirment futuros non dubito, ob rationem dictam, præsertim si de opinionum inæqualitate loquamur; ni velimus receptissimam doctrinam de opinionum probabilitate conuellere, iuxta quam sic arguo: Probabile est iudicem in casu dicto posse vt placuerit iudicare: sed probabiliter operans non errat per se loquendo: ergo neque iudex in casu dicto. Si ergo non errat, ergo neque pessimè per se loquendo, neque damnabiliter operatur. Maior constat ex omnibus principijs, quæ pro opinionum dignoscenda probabilitate à Theologis afferantur: A ratione scilicet, auctoritate Doctorum, & Christianorum Tribunalium praxi, & si qua sunt alia Ratio enim non leuis est, ex eo deducta quòd sic operans, operatur prudenter, & non temerè, quod est generale fundamentum ad securitatem conscientiæ in hoc operandi modo. Quòd autem sit pro parte altera id, quod etiam est probabile, non tollit prioris probabilitatem, & ita neque obstat prudenti operandi modo, quando præsertim de probabilitate agitur, quæ versatur circa ius, & vbi non fauet possessio. Et quidem si probabilis est pars vtraque, tollitur suppositio quæstionis: si autem probabilis est, habetur intentum, posse inquam iudicem eam prudenter amplecti. Iam quod ad auctoritatem spectat, sunt sanè, & multi, nec de triuio, sed ex Academiarum, ac Religionum sacrarijs doctissimi & grauissimi Scriptores illam amplectentes, vt videri potest apud Dianam *Parte* 1. *Tract.* 13. *Resolut.* 3. Bassæum *verb. Conscientia nu.* 16. PP. Bardi, Franciscum de Lugo, Bonacinam, Angelum Bossium, Cardinalem Sfortiam, Ioannem Sancium, P. Thomam Sancium, vt omittamus eos, qui apud Amadæum *Propositi.* 11. *ex Tractatu de Iustitia* & iure affirmant non solùm posse iudicem id facere, sed & pro sententia ferenda pecuniam accipere, quia inuerosimiliter locuti, de quo inferiùs *nu.* 98.

Illius loquendi modus pensitatus improbatur. Vbi de fundamentis probabilitatis.

95. Sit quidem ita vt citatus Scriptor neque bibliothecas integras admittat vt eum à sententia sua dimoueant, quæ valde probabilis est, ac solidis nititur fundamentis. Sed bibliothecas adeò parui facere, vt ad probabilitatem oppositæ fundandam non sint satis, non poterit certè sine offensione ab æquis veritatis æstimatoribus auscultari. Et erunt qui similia regerant, vt scilicet si ingerantur libri in contrarium, & si volet, bibliothecæ integræ, non possint positionem illam à probabilitatis suæ possessione legitima dimouere quam ipsi, vt de ratione fundamentali taceant, agmen Scriptorum nobilium conciliauit. Vnum ex illis, iuxta receptam iam in Scholis doctrinam, de qua *Parte* 1. *n.* 40. 55. *& seqq.* alijsque, ad probabilitatem conciliandam satis meritò asserendum, quia & sunt ex illis aliqui tales, vt vnus possit pro decem millibus computari. Nullum in speciali compello, ne dum Patres Valentiam, Thomam Sancium, Martinum del Rio, Emmanuelem Rodericum, Bonacinam, aut alios profero, alijs videar aliqualem iniuriam irrogare. Si ergo vnus satis ad effectum præfatum, quid Bibliothecæ præstabunt habenti aures vt audiat, & cor docile, quale sibi vt genuinum domicilium veritas concupiscit.

A praxi proborum iudicum confirmatio.

96. Iam quod ad praxim attinet manifestum est à iudicibus Christianis, & Deum timentibus sententiam dictam semotis scrupulis assumi, idque frequentissimè, quia lites tales ordinariè sunt, vt contendentes pro se habeant doctos Aduocatos, quibus non sunt iudices doctiores, & vtrique quam defendunt partem valde verosimilem reputant. Sicut etiam iudices multùm Aduocatis doctis, & Dei timore præditis deferentes. Et licet aliquoties circa verosimiliorem sibi sententiam iudicent, non ideò est quòd probabiliorem reputent, quia æquè probabilis potest menti magis adaptari, vel quia benignior, vel quia à Doctoribus defenditur, erga quos est quis magis affectus. Sicut Thomistæ opinionem illam amplectuntur, iuxta quam tenetur iudex, qui ex priuata scientia innocentem aliquem nouit, eum tamen secundùm allegata & probata, *S*ontem inuenit, condemnare, quia D. Thomæ est, etiamsi contraria, quæ est *S*coti, etiam æquè probabilis sit, vt ex *S*oto affirmat Dom. Arauxo *in Decisionibus moralibus Disput.* 9. *Casu.* 5. *n.* 9. qui & subdit opinionem *S*coti in praxi esse probabiliorem, quò est mitior, ac securior, si sine scandalo plebis, & sine læsione auctoritatis iudicis executioni mandetur.

Dom. Arauxo.

Stante sententiarum inæqualitate res certior.

97. Ex his ergo satis apertè conuincitur citatum *S*criptorem immeritò in exaggerationes præfatas prorupisse: quod quidem cùm sententiarum inæqualis probabilitas intercedit, magis compertum est, vt non sit opus compensatione illa, de qua idem, quod, vt credo, nec scrupulosus iudex obseruandum esse sibi persuadebit. Et quidem non infeliciter cum Republica actum credi debet, vbi iudices intra probabilitatis terminos

minos se continentes litibus finem imponunt, in id intenti, ne manifestam, aut dubiam practicè iniustitiam perpetrent, ex quo illis compendium nullum. Minus in hoc periculum, quàm in officiorum venditione, pro qua cùm D. Augustini, & D. Thomæ auctoritates induxissem *Sectione 2. n.9.* sic subdit: *Quis damnare audeat, quod Augustinus, & D. Thomas sine censura præteriere? Quod passim apud Christianos fieri videmus? Sic* ille. Et nos ad illud: *Quis damnare audeat, quod grauissimi Theologi sine censura præteriere? Quod passim apud Christianos iudices fieri videmus?*

Ex venditione officiorum admissa redarguuntur.

98. Quod & vlteriùs ostenditur ex damnatione sententiæ, de qua *n.94.* inter alias iudicio *S.* Congregationis Generalis Inquisitionis auctoritate *SS.* D. Alexandri VII. roborata *die.24. Sept. an.1665.* proscriptas, tenoris sequentis: *Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest iudex pecuniam accipere pro ferenda sententia in fauorem vnius præ alio.* Hæc vt minimùm scandalosa pronuntiatur cum alijs. & seuerissimè prohibetur verbis sequentibus: *Quibus peractis cùm similium Propositionum examini cura & studium impenditur, intereà idem Sanctissimus re maturè considerata statuit & decreuit prædictas Propositiones, & vnamquamque ipsarum, vt minimùm, tamquàm scandalosas esse damnandas & prohibendas, sicut eas damnat ac prohibet: ita vt quicumque illas, aut coniunctim, aut priuatim tractauerit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit (præterquàm in articulo mortis) ab alio, quocumque, etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolui.*

Roboratur, quia non damnata à Sacra Congregatione.

Decretum Alexandri VII.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione diuini iudicij, prohibet omnibus Christi fidelibus cuiuscumque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum, ad praxim deducant. Sic SS. Alexander. Cùm ergo iuxta censuram & prohibitionem talem opinio prædicta proscripta sit, quando scilicet pecunia accipitur pro ferenda sententia, stante æquali opinionum probabilitate, quando illa non accipitur, sed gratis proceditur, nihil est in tali agendi modo damnabile, vnde opinio huiusmodi in suæ probabilitatis possessione relinquitur.

Difficultates circa illud.

Sed sunt circa hoc discutienda nonnulla, quæ tum circa opinionem dictam, tum circa Propositiones alias, aliquam possunt ingerere difficultatem.

1. An liceat aliquid accipere præter pecuniam ex eo quòd sit lex pœnalis. Negatur.

99. Primò, An si non pecunia, sed aliquid aliud accipiatur, contrauentio Pontificij Decreti sit? cùm enim pœnalis sit dispositio, videtur strictè accipienda, nec facienda extensio ad non expressa iuxta vulgarem doctrinam, & iuxta quam etiam nos *suprà. n.59. & 73.* Sed videtur proculdubio contrarium asserendum, quia aliàs prohibitio redderetur inutilis, & intentio Pontificis facilè posset eludi, dona alia pecunia æstimabilia iudicibus offerendo. Pecunia ergo ideò apposita, quia id est frequentius, iuxta receptissimam doctrinam de legibus, quæ aptantur ad ea, quæ regulariter contingunt: pro quo Marius Antoninus *Lib. 2. Resolut.33. n.10.* Et est aptissimum exemplum in Canone. *Si quis suadente*, in quo excommunicantur inijcientes manus in personas Sacras. Ex quo ineptè inferret, qui diceret non excommunicari, qui calcibus, aut alio corporis membro violentiam similem talibus importaret. Manus enim iniectio ideò tantùm expressa, quia frequentior: & si verborum præcisè standum esset significationi, lex adeo grauis, & momenti maximi, inutilis esset, & Ecclesiastici iniurijs frequentibus expositi remanerent. Item, absurda esset illatio, si quis intenderet Religiosos Mendicantes, Militares (illos inquam, de quibus non est dubium esse Religiosos) & sic alios qui percuteret, pœnam Canonis non incurrere, quia in illo Clerici tantùm & Monachi continentur. Præterea, non minùs esset absona consequentia, si quis diceret iniuriam, in qua non interuenit violentia, non esse obnoxiam dictæ pœnæ: quia & dari tales iniuriæ possunt, plus molestiæ habentes, quàm doloris. Sicut etiam si quis diceret vnam tantùm manum inijcientem, anathemate non percelli, quia Canon *Manus iniecerit*, inquit in plurali, non manum. Ad hunc ergo modum philosophandum in casu nostro, in quo pecunia posita, quia frequentior in vsu. Pro quo & facit *Cap. In tantùm*, de Simonia, vbi ad euitandam Simoniacam labem ob pecuniam oblatam, nihil obstare variationem nominis declarat Innocentius Tertius. Et *Cap. Consulere*, eodem titulo, in quo pecuniæ nomine omne pecunia æstimabile ab eodem iudicatur, sicut & in eiusdem Tituli Capitibus alijs.

Marius Antoninus. Cap. Si quis suadente.

Vnde lex extensa dignoscenda, cùm pœnalis est.

100. Non ergo verborum sono etiam in pœnalibus dispositionibus standum, sed legislatoris attendenda mens, quæ quidem ex eo dignoscenda, quòd si ad alia non se extenderet, in quibus ratio est eadem, nec iusta, nec prudens lex haberetur. Immò extensio dicenda non est, sed ampliatio comprehensiua verbis eisdem designata, vt doctè & subtiliter exponit P. Suarez *Lib.6. de legibus. Cap. 3. n. 16. & seqq.* vbi cùm dicat quòd licet verum sit legem comprehendere quidquid ratio eius exigit, non tamen sine aliquo significato verborum, posset aliquis hærere, eo quòd pecunia nullo modo videatur alia significare, quæ iudici dari in casu, de quo est sermo, possunt. Sed hoc certè non vrget, quia non maior difficultas est in eo quòd manus non significent pedes, aut alia in Canone. *Si quis suadente*, quàm in eo quòd pecunia designet alia iudici donabilia. Sicut ergo dici potest quod manus eo quòd iuxta Aristotelem est instrumentum instrumentorum, ad alia membra, iuxta circumstantias, materiam, & loquentis intentionem potest significandum vsurpari: ita pecunia, quia inter vtiliora ad vsum primatum tenet, omnia alia potest designare. Sicut in illo *loco, Eccles.*10.v.19. *Pecuniæ obediunt omnia* versio. 70. & aliæ apud PP. Pinedam, Lorinum, & Cornelium sic habent: *Argento obediunt omnia*, aut aliter, argenti nomine retento. Quod & de auro dici meliùs potuit, & vtrumque pecuniæ nomen amplexum.

P. Suarez.

Eccles.10. v.19.

An liceat pretium accipere pro sententia iuxta mihi probabilem opinionem Negatur etiam.

101. Secundo, An sit idem, cum stante inæqualitate opinionum, minùs probabilem iudex amplectitur, quod & fieri posse probabilis sententia statuit, tunc enim plus est quod ille in gratiam litigantis facit, quod & videtur pretio æstimabile, nec videtur prohibitione comprehensum, in

in qua de æqualibus tantùm opinionibus decernitur. Sed certè non videtur circa hoc posse dubitari solido cum fundamento. Nam cùm sententia damnata à Pontifice ideò sit, quia scandalosa, magis proculdubio scandalosa est in terminis, de quibus agimus, vt est manifestum. Et satis quidem exposa, dum id, quod minus est in eôdem genere prohibitum reperitur: eo enim ipso, quod est plus, debet prohibitum reputari: vt est dogma certum apud Theologos, & Iurisperitos, de quo Barbosa in *Tractatu de Axiomatibus iuris. Axiom. 180. n.2.* Ad id autem quod dicitur de maiori æstimabilitate, respondeti potest *Primò*, negando suppositum, quòd scilicet sit pretio æstimabile, cùm generaliter sit illicitum. *Secundò*, admissa maiori æstimatione, dicendum illam esse in foro mundi, iuxta quem qui plus agit, plus meretur accipere: non verò in foro Dei, quia ex ea maiori difficultate superata magis crescit scandalum, propter quod talis acceptio prohibetur.

An licet maiorem censuram adjicere supra Pontificiam. Negatur item.

102. Tertiò, An prædicta sententia possit alia censura percelli præter assignatam à Pontifice, quòd scilicet scandalosa vt minimùm sit. Respondeo non licere, quia cùm illæ Propositiones sub examine sint, & Sedes Apostolica iudicium circa illas sibi supremum reseruârit, præsumptuosum videtur illud anteuertere. Qua ratione idem Sanctissimus vt præsumptuosam damnauit censuram Facultatis Theologicæ Parisiensis Libri Amadæi Guimenij in speciali Bulla die *26. Iulij. an.1665.* vbi & hæc habentur: *Ceterùm vlterius de præfatis censuris iudicium, déque opinionibus in prædictis libris Iacobi Vernant, & Amadæi Guimenij contentis, nec non de alijs in eisdem censuris expressis, siue in eis præmemoratæ opiniones notentur, siue non, Nobis, ac Sanctæ Sedi Apostolicæ reseruamus.* Sic Sanctissimus, ex cuius aperta resolutione præsentis dubij manet firmata decisio.

Bulla Alexandri. 7.

Vt sit prohibitum de illa, alijsque tractare.

103. Quartò, Quod genus tractationis præfato Decreto prohibeatur, cùm dicitur, *Vt quicumque illas, aut coniunctim* (id est, omnes) *aut priuatim* (id est earum aliquam) *tractauerit, nisi forsan impugnando &c.* Videtur enim ad tractationem in scriptis referri, quia & impugnatio etiã scripto fieri solet, vnde in eisdem est frequentissimus titulus *Tractatus de &c.* Et ita qui in priuatis colloquijs sic tractarent vt indicarent illas sibi non displicere, non videntur pœnæ excommunicationis obnoxij, licet alias grauiter videantur peccare, quia damnationem Pontificiam parui pendunt. Sed certè cùm verbales etiam tractatus esse possint, ad eos est etiam Pontificium Decretum referendum. Sermones aut Conciones apud Latinos Græci vocant Homilias, quod nomen D. Augustinus ait significare *Populares Tractatus.* Vnde qui publicè in Scholis ita prædictas opiniones non impugnando tractaret, etiam sine scriptione, dictam censuram incurreret. Potest etiam tractatio ad priuatam confabulationem referri, vnde agere de aliquo inter loquendum idem est quòd tractare, & è conuerso. Prouerb. 25. v. 9. *Caussam tuam tracta cum amico.* Marci. 9. v. 33. *Quid in via tractabatis?* & hunc etiam tractationis modum videtur Decretum comprehendere, quia cùm proprius sit, non abusiuus, non est cur debeat exclusus censeri quando generaliter tractatio prohibetur. Et in eo etiam esse impugnatio

Homilia quid.

Prov.25. v.9.

Marci 9. v.33.

potest, si quis aut aliter sentientem impugnat, aut ostendat quàm meritò à Sede Apostolica sint damnatæ. Qui ergo ita diceret: *Hæc opinio est grauium Scriptorum*, nihil addens, quo displicere sibi innueret, pœnam videtur incurrere. Vbi objici nequit videri leuem materiam pro pœna tanta, excommunicatione inquam Pontifici reseruata. Non enim leuis materia est, sed valde grauis, significare scilicet non displicere sibi sententiam ab Apostolica Sede damnatam. Sicut vnum tantùm hæreticum verbum proferre leuis materia non est, quia est auctoritatis Ecclesiæ contemptus veritates credendas proponentis. Vnde iniusta erit querela si quis dicat propter vnum verbum ad æternas damnari pœnas, quod plus certè est quàm Ecclesiæ censuris subiacere. Qui autem solus, audiente nemine, quidquam proferret aduersum, non videtur censura constringi, quia ibi propriè tractatio non est, de qua in Decreto, licet sit graue peccatum ob rationem dictam. Benè verum est tractationem etiam ad mentem spectare, iuxta illud Isaiæ. 14. v. 24. *Quomodò mente tractaui*: quod & de corde alibi. Sed quidquid de eo sit, an propriè, an metaphoricè sit accipiendum, in casu nostro aliter res habet, vbi de verbali tractatione agitur, quæ dum quis solus secum agit, propriè talis non est. Neque argui ex mentali potest, quia mens ob vim discursiuam multis æquiualet, non ita lingua. Et cùm de significatione verbi sit sermo, non est ex vno ad aliud valida argumentatio, vnde neque de mente ad linguam. Quamuis dici meliùs possit vtriusque eamdem esse rationem, & ita in vna & altera impropriam esse tractationem, ac propterea ad illam non extendi censuram: cuius & alia ratio esse potest, quòd scilicet tunc non est scandalosa in actu secundo, licet in actu primo, aut secundùm se talis sit. Quo pacto prohibita est assertio conceptæ Virginis in peccato coràm alijs Pontificia auctoritate, in quam occultus non esset prolapsurus assertor.

Tractatio an mentalis. Isaiæ. 14. v. 24.

Circa diuersitatem pœnæ tractantis & practicantis Pro quo ratio reddita.

104. Quintò, valde notanda occurrit dispositionis Pontificiæ diuersitas in præfato Decreto: Cùm enim tractantem modo dicto grauissima censura, eâque reseruata Sedi Apostolicæ feriat, nihil tale circa deducentem ad praxim molitur, solo præcepto adhibito, & interminatione diuini iudicij, quæ licet pondus præcepto addat, nihil tamen importat speciale, cùm certum sit violantibus præceptum Pontificium in virtute Sanctæ obedientiæ districtè propositum, diuinum iudicium imminere: Plus ergo est tractare, quàm contra damnationis interpositum pondus operari. Sicut plus est asserere furtum esse licitum, quàm furari. Quia verò vsus dictarum opinionum, & specialiter eius, de qua agimus, cum tractatione de illis frequenter accidit, tunc equidem incursio in pœnam etiam dabitur, non ratione praui vsus, sed tractationis adiunctæ.

An sit obligatio restitutionis in iudice.

105. Sextò, An sit obligatio restitutionis sic perperàm accipienti? Neque enim ex eo quòd damnatur opinio, iuxta quam id accipi possit, videtur consequens vt acceptum debeat restitui, iuxta gravium Scriptorum sententiam, quibuscum Diana. *Parte 6. Tract.6. Resolut.59.* quando scilicet acceptio lege tantùm positiua prohibetur. Verùm ex eo ipso in nostro casu contrarium eliciendum,

Diana.

Affirmatiua resolvitur.

ciendum, quia prohibitio non est tantùm ex lege positiua, sed naturali, quia actus iustitiæ est inuendibilis, & vt iudex non potest manere suspensus, sed tenetur ex iustitia pro aliquo sententiam ferre, & sic se determinare ad vnam partem, & eatenus gratis, nam in ea determinatione constitit sui muneris exercitium, vt arguit Diana *loco eodem*. Pontifex autem in suo Decreto id supponit, & declarat, neque sententiam contrariam ex eo asserit scandalosam, quòd illi aduersetur, sed quia ante Decretum verè talis erat, ideò enim prohibetur, idque non ob violatas peculiares leges, de quibus Pontifici constare non potuit, & ita solùm eo fundamento naturalis legis fœditatem contractus ostendentis.

In sententia iniusta ex pacto alia est ratio.

106. Neque argui potest ex sententia P. Molinæ *Disput.* 94. §. *Contraria sententia.* iuxta quam pro iniusta sententia pretium accipi potest, quando ex pacto est iniustè lata, ratione periculi & discriminis, cui se exponit, qui eam fert, tum in bonis, tum in honore: quam & alij sequuntur. Ex hac enim ipsa ratione fundamentum diuersitatis habetur; detrimenta scilicet, quibus se ita iudicans exponit, & restituendi obligatio, si non restituat ille, pro quo est lata sententia: quæ quidem in casu, de quo agimus, non interueniunt. Si arguas ex dictis *n.* 101. quando iuxta opinionem minùs probabilem sententia est lata, idem esse dicendum, quia plus est quod & sic videtur accidere, quoniam plus est pretium pro iniusta sententia accipere, & magis proculdubio scandalosum. Respondendum est axioma illud iuridicum intelligi de eo, quod est plus in eodem genere, sicut & in casu nostro, in genere iustitiæ, seu iustæ sententiæ; quod tamen non euenit quando sententia iniusta est, quia fit transitus de genere ad genus, in quo etiam est diuersa ratio, quam adduximus. Quemadmodùm plus est fœditatis & scandali in bestialitate, quàm in Sodomia; & tamen pœnæ in Sodomiticos latæ bestiales non constringunt, vt probabiliter cum Barbosa & alijs tradit Diana *Parte* 2. *Tract.* 16. *Resolut.* 66. Est etiam aptum exemplum pro casu dicto in actu coniugali, pro quo nequit vxor pretium exigere, quod tamen potest non vxor, quia in illa iustitiæ est, secus in ista: & si in ista sit malitia & scandalum, non in alia. Quæ in ordine ad reseruationem excommunicationis dici possent, communem doctrinam tangunt, vnde circa illa nihil adijciendum. Iam enim admonui circa talia non esse nobis attexendam tractationem, nisi vbi speciale aliquid communis vtilitatis desiderium non omittendum persuaserit.

Exempla ad rem per commoda.

Diana.

SECTIO VIII.

Occasione cuiusdam Monasterij Monialium sub Regula D. Augustini fundati sine Constitutionibus à Sede Apostolica confirmatis, aliqua vtiliter discutiuntur.

Casus propositio.

107. FVndatum illud Limæ, quæ alio nomine Ciuitas Regum dicitur, Peruvianarum nobilissima, in qua sub titulo Incarnationis satis nobile & amplum extat Canonicarum (vt vocant) Regularium. In quo cùm aliquot fuissent iam pridem professæ, maioris perfectionis auidæ, de transitu ad Religionem aliam sub Regula Magni Patris cogitarunt. Nec erat illa in ciuitate dicta, vnde nouæ fundationis assumpta cura, & reipsa peracta auctoritate Capituli sede vacante, quinque à præfato Incarnationis claustro egressis, vt vna Abbatissa, aliæ præcipuis muneribus, recipiendis alijs anteirent: quibus, & alijs venerabile Capitulum peculiares Constitutiones attribuit, & ex illis, quæ futura Abbatissa prior Professionem ratificauit in manibus habentis ad effectum illum auctoritatem à Capitulo; deinde aliæ quatuor, & processu temporis aliæ post Nouitiatus annum Professionem emiserunt. Quem agendi modum cùm probassent aliqui, multi non contemnendæ auctoritatis improbarunt, id timentes quod experientia ostendit quàm debuerit ritè timeri, in vanum scilicet euasuram tanti operis molitionem: pro quo elucidando sit.

§. I.

Nequit fundari Monasterium Constitutionibus à Sede Apostolica non confirmatus, etiam sub Regula ex approbatis ab Ecclesia.

Regulæ approbatæ.

108. REgulæ ab Ecclesia approbatæ recensentur communiter à Scriptoribus, & ex Sylueestro, Miranda, & Patribus Plato, & Layman, sic de illis Eligius Bassæus verb. Religio. 1. n. 12. *Quatuor sunt Regulæ approbatæ, sub quibus omnes Ordines Religiosi militant, præter Carthusianos, qui habent sua statuta, & Societatem IESV, quæ suas Constitutiones, videlicet Basilij, Augustini, Benedicti, Francisci; tamen singuli suæ Regulæ proprias Constitutiones adiunxerunt, quibus inter se discrepant, etiamsi eamdem Regulam sequantur.* Sic ille. Vult autem Lezana *Tomo* 1. *Cap.* 7. *n.* 3. præter quatuor dictas extare quintam à D. Alberto Ierosolymitano Patriarcha Carmelitis traditam, & à multis Pontificibus, quos recenset, approbatam & confirmatam. Quod per me etiam licet, Religioni nulli prærogatiuas suas aut certas aut probabiles inuidentem. Licet Sylüester *verb. Religio.* 1. n. 7. de Regula D. Augustini loquens ita scribat: *Sub qua etiam in Occidente aliquando fuerunt Carmelitæ, quibus Anno Domini.* 1247. *Innocentius Quartus per Hugonem Cardinalem addidit quædam declarantia & mitigantia illam.* Sic ille. Quid autem Constitutiones supra Regulam addant, exponit idem Lezana. *Cap.* 8. *n.* 1. & 2. dicens esse adinstar perfectionum accidentalium substantiali formæ aduenientium: Regula enim est ab aliquo antiquo Patriarcha constituta vt in plurimùm, à summis Pontificibus approbata, & in Religione perpetua: Constitutiones verò non ita, sed à Prælatis aut Capitulis Religionum ordinatæ sunt, & multæ sine Pontificia auctoritate aut approbatione, & multæ pro temporum varietate mutari possunt, & de facto sæpiùs mutantur, pro quo citat P. Suarium *Tomo* 4. *de Religione. Tractatu* 8. *Lib.* 1. *Cap.* 1. *n.* 5. qui tamen non penitus doctrinæ propositæ

Eligius Bassæus.

Quid de Carmelitis.

Sylueester.

Lezana.

Discrimen inter Regulam & Constitutiones.

propositæ fauet, vt videbimus *inferiùs*, circa accidentalem inquam Constitutionum rationem Regulæ comparatione.

Non videri necessariam approbationem.

P. Suarez.

P. Azor.

109. Iuxta quæ videtur dicendum Confirmationem Sedis Apostolicæ non esse substantiam Religionis necessariam respectu Constitutionum alicui ex approbatis Regulis accedentium, vt in casu, de quo agimus. Quod & videtur sentire P. Suarez, quatenus *citato loco* affirmat Constitutiones non semper à Sede Apostolica approbari. Id quod ex eodem desumpsit Ascanius Tamburinus *de Iure Abbatissarum Disputat.* 13. *Quæst.* 1. *nu.* 1. Pro quo & P. Azor *Tomo* 3. *Lib.* 13. *Cap.* 11. *Quæs.* 2. ita scribit: *Secundò quæritur quid interfit inter Regulam Religionis & Constitutiones? Respondeo cum Ioanne Andrea, & Antonino, Regulam non posse nisi Romani Pontificis auctoritate mutari, Constitutiones verò posse Superiorum Regularium, præsertim in vnum conuocatorum, auctoritate, aut ex toto variari. Ratio vtriusque est, quia Regula est a Romano Pontifice, siue a iure communi confirmata, at Constitutiones solùm totius Ordinis auctoritate conduntur, & approbantur.* Sic ille. Iuxta quem, cùm Constitutiones Confirmationem Apostolicam non requirant, ab Episcopis fieri possunt, vel à Capitulo Sede vacante, in noui Monasterij fundatione, eisdem subiecti: quia tunc non est Superiorum Regularium conuentio, à quibus fieri possint: & præsertim in Monialibus, quæ Capitula non habent, neque aptæ sunt ad seipsas, Constitutionibus conditis, gubernandum.

Franciscus Cypæus

110. Sic etiam circa distinctionem Regulæ & Constitutionum loquuntur alij, sed præcipuè Franciscus Cypæus Protonotarius Apostolicus, Archidiaconus, & Vicarius Generalis Antuerpiensis in *Responsis de Iure Canonico Respon.* 1. *de Religiosis domibus n.* 25. & *seqq.* neruosè contendens non esse necessariam approbationem Sedis Apostolicæ vt feminæ Regulam ex approbatis professentes veræ Religiosæ dicantur, quando Constitutiones ab Episcopo acceperunt; immò & sine illis, si ex voluntate Fundatorum aliquæ Ordinationes accedant. Id probat, quia quædam Religiones approbatæ Regulam dumtaxat ab origine habent, non alias Constitutiones à Sede Apostolica approbatas: Aliæ Regulam non habent, sed Constitutiones, aut institutiones tantùm, vt Religio Carthusianorum, & Societas IESV: vnde etiam Concilium Tridentinum *Sessione* 25. *de Regularibus Cap.* 16. Societatis Institutum vocat, non Regulam: & tamen quis ideò neget Societatem Religionem aut Ordinem esse? Quare P. Negronius in Commentarijs in Regulas communes Regulas Societatis relatus ab Auberto Myræo in forma institutionis Canonicorum, in notis, eam Regulæ, Institutionum, & Constitutionum acceptionem rectè & latè deducit. Vnde sufficit susceptio Regulæ, aut Instituti approbati, iuxta *Cap. Pernicioſum* 18. *q.* 2. Confirmat ex vsu apud Belgas, vbi Episcopi in sibi subiectis Monasterijs, aut statuta, dum fundantur, tribuunt, aut dum visitantur, mutant; & quædam in formulis Professionis interserunt, satisque notabilia, vt scilicet voueant obedientiam, non solùm Prælatis Regularibus, sed etiam sibi. Addit *Cap. Co-*

Carthusia, & Societas IESV nullam ex antiquis Regulam sequuntur, sed propias habent Constitutiones, & Institutum.

gnouimus citato 18. *q.* 2. vbi Regulare moderamen Episcopis iniungitur *Cap. de Monachis*, *Cap. Cellulas*, *Cap. Nullus*, ibidem, vbi fundationes *Cap. Abbates*, *Cap. Monasteria*, ibidem etiam, vbi & Monachorum disciplina.

Assertio 1. *Cum ratione Constitutionum diuersa est Religio, necessaria est illarum approbatio.*

111. Dico Primò. Quoties ratione Constitutionum distincta ab alijs Religio surgit, illæ debent ab Apostolica Sede approbari, etiamsi Regula aliqua ex approbatis assumatur. Hoc videtur innegabile, supposita determinatione Ecclesiæ in Concilio Lateranensi sub Innocentio Tertio, & habetur. *Cap. Ne nimia*, quod est finale de Religiosis domibus: sic enim ibi: *Ne nimia Religionis diuersitas grauem in Ecclesiam Dei confusionem inducat: firmiter prohibemus ne quis de cetero nouam Religionem inueniat: sed quicumque ad Religionem conuerti voluerit, vnam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit Religiosam domum de nouo fundare. Regulam & institutionem accipiat de approbatis.* Sic ibi. Cùm ergo manifestum sit sub aliqua Regula ex approbatis idem inconueniens sequi, si sub ea diuersæ Religiones instituantur, manifestum est de illis summum fuisse locutum Pontificem, & de diuersitate maxima dubitari non potest, si attendamus quanta sit inter Religiones Eremitarum D. Augustini, Diui Dominici, & B. MARIÆ de Mercede (vt alias omittam) differentia, quas constat sub Diui Augustini Regula militare. Idem etiam in Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. constitutum, & habetur in *Cap. Religionum*, quod est vnicum eodem Titulo, in 6. & sic procedit: *Religionum diuersitatem nimiam (ne confusionem induceret) Generale Concilium consulta prohibitione vetauit, sed quia non solùm importuna petentium inhibitio illarum postmodum multiplicationem extorsit, verùm etiam aliquorum præsumptuosa temeritas diuersorum Ordinum, præcipuè Mendicantium (quorum nondum approbationis meruere principium) effrænatam quasi multitudinem adinuenit: repetita Constitutione districtiùs inhibentes, ne aliquis de cetero nouum Ordinem, aut Religionem adinueniat, vel habitum nouæ Religionis assumat, cunctas affatim Religiones & Ordines Mendicantes post dictum Concilium adinuentos, qui nullam confirmationem Sedis Apostolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni subijcimus, & quatenus processerant, reuocamus &c.* Vbi nimia etiam confusio ex Religionum diuersitate cauetur. Cùm autem, vt ibidem asseritur, post Concilij Lateranensis prohibitionem multæ fuerint Religiones sine Sedis Apostolicæ auctoritate fundatæ, ex illis aliquot non est dubitabile sub aliqua ex approbatis Regulis institutas; & tamen omnes à Gregorio X. in præfato Concilio penitus reuocantur, siue annullantur, aut nullæ declarantur: non ita quæ approbatæ fuerant, licet circa eas id disponat, quod *sequenti*, §. continetur.

Cap. Religionum.

Contra Zypæum ex concessis arguitur.

112. Hinc est vt qui neruosiùs contenderat Constitutiones non indigere approbatione Apostolica, in casu Assertionis id non potuerit inficiari. Et ita citatus Zypæus *nu.* 33, concedens Ordines Militares, etiamsi sub Regulis approbatis militent, indigere Apostolica approbatione; ideò esse ait, quia earum auctores nouam Religionem inuenire voluerunt, & præter Regu-

lam Ordinis peculiaria vota, & præcepta Instituti primaria, & instar Regulæ, seu quæ simul complexa nouum Institutum facerent. Cùm ergo in casu nostro Ordinum Auctores nouam Religionem constituere velint, vt facto ipso probant, quandoquidem reipsa noua est, liquidò constat sine Apostolica auctoritate id non posse constare. Hinc est etiam vt sub Regulis approbatis tot diuersæ Religiones sint, quia earum Auctores diuersas profectò instituere voluerunt, addentes peculiaria vota & præcepta ab alijs diuersa: quod præsertim videre licet in Religionibus Augustinianis: quæ Erémitarum sunt, à Canonicorum Regularium Religionibus valde discrepant, néque alia ratione, nisi quia Constitutiones primariæ in vim Regulæ transeunt, vnde sunt veluti differentiæ constitutiuæ, vt loquitur P. Suarez *Tomo* 4. *de Religione Tractat.*8. *Lib.*1.*Cap.* 1.*n.*5.

Ad diuersitatem dictam sufficiunt valle peculiares Constitutiones, et ideo esse videatur intentio.

113. Immò etiamsi nouæ fundationis auctores non velint expressè nouam fundare Religionem, si Constitutiones adeò peculiares sint, vt notabilem differentiam inducant, & iuxta eas promittatur, verè nouam Religionem constituunt: hac enim ratione fundatæ sunt Recollectiones, seu Reformationes, quæ in suis exordijs sub obedientia eorumdem Prælatorum fuerunt, & vti non diuersæ quoad substantialia habitæ: sed tandem à prioribus seperatæ, & vt diuersæ à Pontificibus approbatæ, quia reuera diuersitas talis notabilem differentiam inducebat: vt in Minoribus, & Carmelitanis constat accidisse. Pro quo & deseruit id quod R. P. Marcus à Salmerone Generalis Religionis B.MARIÆ à Mercede exhibet in Recordationibus historicis & Politicis Religionis eiusdem eximiè Reipublicæ Christianæ proficuæ *Sæculo* 4. *Recordat.* 45. §. 3. vbi ita scribit Anno 1603. *Visum expediens Magistro Generali Monroyo, qui fulcra obseruantiæ ponebat, quam in Ordine exoptabat Recollectione fundata: & eidem exordium præbere constituit viris aliquibus Calciatis, bonæ opinionis, & laudabilium morum, Constitutiones disposuit ab eisdem obseruandas: paruum quidem volumen: sed nouo vitæ generi percommodum. Decem Capitula continebat, quæ proposita sunt Romæ sanctitati Clementis VIII. magno sanè Pontifici, & qui Religionum gubernationem adeò calluit, vt in eius Constitutionibus ad reformationem spectantibus videri possit. Sua Sanctitas negotium hoc peculiari Cardinalium Congregationi commisit, & prudenter casu discusso eam prohibuit præuidens inconuenientia, quæ habet, & quorum experientia inerant, in eadem Religione nouas Constitutiones introduci, quæ necessariò differentiam erant inducturæ Religionis, & confusionem in Dei Ecclesia.* Decretum fuit vt sequitur.

Aptum in Mercenariis Patribus exemplum. R. P. Fr Marcus à Salmerone.

In Audientia Sanctissimi Dom. N. Clementis Papæ VIII. habita per Reuerendiss. Patres dominos Prælatos visitationis & reformationis Apostolicæ die Dominica 25. *Ianuarij* 1604. *facta relatione status Recollectionis, seu Reformationis à Generali Ordinis B. MARIÆ de Mercede Redemptionis Captiuorum in Prouincijs Hispaniarum nuper institutæ, cum fundatione trium, quatuorve nouorum Conuentuum, ac nouarum item Constitutionum promulgatione. Sanctitas sua prospiciens ex huiusmodi Conuentuum fundatione nouis vellata constitutionibus, Religionis induci diuersitatem, quæ in Ecclesia Dei confusionem parere solet, prædictam Recollectionem consulta prohibitione vetuit.* Sic ibi.

Pontificia dissolutio expensa.

114. Quo quidem nihil afferri opportunius potuit, cùm ex eo constet nouas Constitutiones in Regulam transeuntes nouam Religionem efficere, etsi non admodùm numerosæ illæ sint, & consequenter illas esse prohibitas, ob eam, quam pariunt, confusionem; ea reddita ratione à Pontifice, quam Innocentius & Gregorius, annuentibus Concilijs Lateranensi & Lugdunensi, reddiderunt. Quamuis posteà Vrbanus VIII. Constitutiones aut præfatas aut alias confirmarit pro Discalciatis, vt videri potest apud Fr. Ludouicum à S. Raymundo *Parte* 2. *variarum Resolut. moral. Tract.* 3. *num.* 139. & *Tractat.* 5. *num.* 29. Item ex recursu ad Pontificem pro approbatione colligitur communis sensus Ecclesiæ circa negotium tale. Si enim sine illa constare dicta Reformatio poterat, pro qua decem tantùm Capitula adijciebantur, vt quid recursus talis? & quidem quod de confusione dicitur, magis timeri in noua Religione potest sub eadem Regula militare volenti, quàm si noua penitus sit, vt benè citatus Scriptor aduertit, sic etiam addens: *Quis dixerit prudens non fuisse dictamen Magni adeò Capitis, & Capitis quidem Ecclesiæ, prohibere ne prætextu reformationis occasio præberetur duas ex vna efficiendi Religiones? &c.*

Prudens Clem. VIII dictamen.

115. Et ita quidem sentiunt communiter Doctores, ex quibus P. Suarez *citato Cap.* 1. *num.* 3. ita scribit: *Quando Religiosi promittunt obedientiam secundum Regulam, necesse est vt sub Regula Constitutiones comprehendant; aliàs non tenerentur secundùm illas obedire, nec ad maiorem & sanctiorem obedientiam obligarentur Fratres Prædicatores. v. g. quàm Canonici Regulares, qui omnes obligantur ab obediendum secundùm eamdem Regulam, si per Regulam sola Augustini Regula intelligenda est.* Sic ille. Iuxta quem Constitutiones sub eadem Regula, in Regulam etiam transeunt, & per illas Religiones differunt, vnde mutari in totum nequeunt, quia id esset Religionem aliam constitui, vt docet *ibidem nu.* 5. & ita quando id accidit, necessariam esse Sedis Apostolicæ approbationem satis apertè indicat, dum ait aliquando Constitutiones à Sede Apostolica approbari, aliquando non ita: prius, quando ratione illarum stat in Religionibus diuersitas absoluta, quia ad substantiam earum spectant: posterius, quando talis diuersitas ratione illarum non intercedit, nec diuersi sunt Prælati, neque in transitu noua est opus Professione, & ita neque Nouitiatu. Videndus etiam *Tractat.* 9. *Lib.* 1. *Cap.*10. *num.* 8. vbi circa Moniales eamdem diuersitatem esse ostendit, quæ in viris inuenitur, quoad Religionum distinctionem, & ita cum proportione de illis philosophandum, & quantùm ad approbationem necessariam esse similiter statuit *num.* 10. qui & videndus *Tomo* 3. *Lib.* 6. *Cap.*12.

P. Suarez.

Doctorum attestatione roboratur.

Cap. 12. *num.* 4. Iuxta cuius doctrinam loquitur Ascanius Tamburinus de *Iure Abbatissarum Disput.*13. *Quæst.*4. Pro quo & P. Lessius *de Iustitia & Iure Lib.*2. *Cap.*41.*n.*13.& 18. & magis specialiter in *Resolutionibus posthumis verb. Professio Religiosa Casu* 8. de Professione in Ordine S. Benedicti locutus cum statutis ex parte tantùm à Sede Apostolica approbatis: *Illud enim corpus disciplinæ, quod manibus tenet, & secundum quod vouet, non est approbatum ab Ecclesia.* vt ille loquitur omninò videndus, sicut & *casu* 21. Emmanuel Rodericus *Tomo* 3.*qq.regni q.*48.*arti.*3.& 4. in quo Sylvestrum adducit verb. Religio 1.n.2. vbi quidem sic habet: *Religiones autem approbatæ, vt refert & tenet Summa Angelica, sunt quatuor, vt notat Lan. in Clement. Regulares, de suppl. neglig. Prælator. Prima Basilij, secunda Benedicti. Tertia Augustini: Quarta B.Francisci. Sed hoc non benè dicitur, licet sint quatuor Regulæ Religionum approbatæ: quia non esset approbata Religio Carthusiensium, nec qui hodie eligeret nouum habitum sub aliqua prædictarum Regularum, sed essent excommunicati, vt supra dictum est: & ideò dico quòd quæ Religio sit approbata, & quæ non, per Litteras Apostolicas speciales est iudicandum, licet de aliquibus habeatur in Iure.* Sic ille: qui cùm ait, *Vt suprà dictum*, ad id alludit, quod habet verb. *Excommunicatio* 9. *nu.*45. vbi sic ait: *Vigesima est* (scilicet Excommunicatio) *in Cap. vnico de Relig. domib. Lib.*6. *vbi excommunicantur primò omnes nouum Ordinem aut Religionem inuenientes, vel habitum nouæ Religionis assumentes. Intelligi scilicet vt cum alijs simul viuant* &c. Iuxta hunc ergo auctorem, qui sub aliqua ex quatuor Regularum nouum habitum assumeret, nouum scilicet, ab alijs sub eisdem militantibus Institutum condens, Apostolicam excommunicationem incurreret, si Apostolica deesset auctoritas; id quod vti certum statuit, & meritò, doctissimus Scriptor P. Pellizarius *Tract.* 5. *Cap.*2.*nu.*2. doctrinæ P. Suarij innixus sic ait: *Cùm etiam Constitutiones Ordinum à Pontificibus confirmatæ (quomodò solent esse confirmatæ, si sint Religionum approbatarum) sine speciali priuilegio mutari nequeunt, & si interueniat communis Ordinis consensus.* Sic ille, videndus etiam *num seqq.* P. Palaus *Tomo* 3.*Tract.*16.*Disput.* 1.*Puncto* 1.*nu.*8. P. Thomas Sancius *in Opere morali Lib.*1.*Cap.*1.*n.* 15. & 19. iunctis ijs, quæ habet *Lib.*7.*Cap.*12.*n.*2. Vbi Constitutiones etiam Regulæ non inuenire docet, & sic alij.

Ascanius Tamburinus.

P. Lessius.

Sylvester.

P. Pellizar.

Notabilis obseruatio ex Cap. Vnicam de Relig. dom. in 6.

Ordo Prædicatorum non est abrogatione à Concilio facta Mendicantium Ordinum comprehensus, quia vtilitas eum approbatum perhibebat.

116. Pro quo & est aliud valde notabile in citato *Cap. vnico de Relig. domib. in* 6. §. *sanè*, vbi sic dicitur: *Sanè ad Prædicatorum & Minorum Ordines (quos euidens ex eis vtilitas Ecclesiæ vniuersali prouenies perhibet approbatos) præsentem non patimur Constitutionem extendi. Ceterùm Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum Ordines, quorum institutio dictum Concilium generale præcepit, in solido statu volumus permanere.* Hæc ibi. Iuxta quæ Ordo Prædicatorum ideò non est abrogatione à Concilio facta Mendicantium Ordinum comprehensus, quia vtilitas eum approbatum perhibebat. Si ergo non talis, fuisset proculdubio comprehensus. Atqui ordo talis sub Regula Diui Augustini militat: ergo non est id post Concilium sufficiens. Quæ est euidens Consequentia: idque non alia ratione, nisi quia noua Religio est, etiam si Regulam amplectatur antiquam; quia nouæ penitus, nisi Apostolica approbatio eis assistat, infirmantur.

Obiecta diluuntur.

117. Quæ autem circa certam istam doctrinam allata sunt, minimè vrgent: nam si ex Gratiani Decreto, illa sunt quidem Concilio Lateranensi priora, & ita per ipsum, sicut per Lugdunense etiam abrogata. Non esse autem Constitutiones semper accidentales perfectiones, sed transire in Regulam, iam est à nobis demonstratum. Ex vsu autem apud Belgas argui nequit, quia ibi aliqua permittit Pontifex generaliter non permissa, stante legis vniuersalis vigore. Quod & non latuit citatum Zypæum dicentem in Belgio circa hoc iuxta vsum antiquum procedi, apud Episcopos potestate instituendi Monasteria cum nouis Constitutionibus residente. Quamquàm de generali vsu non videtur res explorata, quandoquidem P. Lessius ibidem scribens, id quod vidimus, pronuntiarit.

Assertio 2. Pro Indijs eamdem necessitatem extare.

118. Dico Secundò. In Indijs id, quod est dictum de necessaria approbatione inuiolabiliter obseruandum, vt scilicet non sufficiat Ordinariorum approbatio. Id probo. Quia si aliqua esset ratio vt obseruari non deberet, maximè quæ ex distantia peti potest. Atqui ea non sufficit: ergo nulla datur. Maior videtur certa. & Minor ostenditur: Quia cùm ratione distantiæ iuxta probabilem sententiam aliqua conceduntur Episcopis, ex ijs, quæ iuxta Ius commune non competunt: ideò est, quia potest esse periculum in mora, vt videri potest apud P. Thomam Sancium *Lib.*2.*de Matrimonio Disput.*40. *nu.*3. vbi & Doctores adducit id solùm in casu vrgentis necessitatis admittentis: Atqui vt Monasterium sine Constitutionibus à Sede Apostolica approbatis fundetur nulla esse potest vrgens necessitas, aut periculum moræ: ergo ratio distantiæ non est sufficiens. Maior est comperta, & Minor videtur clara: Quia ratione scandali esse non potest, vt patet: neque ratione magnæ vtilitatis, quia maius est periculum talis vtilitatis amittendæ, si supra non securum fundamentum fabrica talis erigatur, & id accidat, quod in casu quæstionis videmus accidisse. Et quidem cùm domus ædificanda sit, & alia disponenda satis multa, quæ ad fundationes huiusmodi concurrunt; temporis non videntur angustiæ constringere, sed locum relinquunt Sedem Apostolicam adeundi. Si dicas posse sub conditione approbationis Monasterium fundari, & similiter emitti Professionem, id §. *sequenti* discutiendum.

§. II.

An sub conditine futuræ approbationis Pontificiæ Constitutionum fundari Religio possit, & emitti Professio, qualemque hæc vim sit habitura.

Professio sub conditione, aut ratihabitione valida iuxta plures.

119. NOn defuerunt qui ita fuerint arbitrati, communem doctrinam de ratihabitione casui, de quo erat sermo, accommodantes. Et de Professione quidem loquendo illam esse validam sub conditione emissam, si ab habente potestatem admittatur, seu per ratihabitionis spem,

tenent multi, quos adducit & sequitur Bartholomæus à S.Fausto *in Thesauro Relig. Lib.5. Quæst.* 239. & Eligius Bassæus *Tomo 2. verb. Professio n.* 2. Ex quo videtur consequenter elici validam etiam esse sub conditione approbationis Constitutionum, seu ratihabitionis, quia pro illa videtur ratio eadem militare, iuncta paritate in materijs alijs, in quibus ratihabitio locum habet,& retrotrahitur, sicut & contractus solent etiam sub conditione celebrari, de quo sunt obuij scriptores, & exempla pro talibus congerere, inutilis operę pretium est,cùm sint innumera,vti in principijs Iuris fundata, & inconcussis regulis, ex quibus consequentię innumerę deducuntur.Magis ad rem ex matrimonio desumi potest,pro quo videri potest P. Thomas Sancius Lib. 5. de illo Disput.8. qui consequenter de Professione loquitur in *opere morali* 5.*Cap.*4.*n.*80.

Assertio 1. Negant in casu,de quo agitur, quæ & validissimè comprobatur.

120. Dico Primò. Sub ratihabitione,aut conditione, in casu, de quo loquimur, noua nequit institui Religio, & Professiones sic factæ nullius valoris sunt. Id probo *Primò*,quia licet circa alios Scriptores validum esse censeant talem procedendi modum, circa casum tamen huiusmodi nihil tale videntur admisisse. *Secundò*, quia vt talis Professio valeat, debet præcedere annus Nouitiatus, vnde & habitus susceptio, ex Concilio Tridentino *Sessione 25. de Regular. Cap. 15.* ibi: *Nec qui minore tempore, quàm per annum post susceptum habitum in probatione steterit.* Atqui nouæ Religionis habitum suscipere sub excommunicatione prohibitum, vt nuper diximus *nu.* 115. & antea *nu.*111. vbi verba Pontificiæ Constitutionis induximus, *vel habitum nouæ Religionis assumat.* Ex quo non solùm habetur id non esse licitum, sed etiam vitio nullitatis laborare, vt ex tenore eiusdem Constitutionis euincitur, & vti certissimum Doctores affirmant. *Tertiò*,quia omnes qui de valore Professionis agunt, inter alias conditiones illam statuunt, vt debeat fieri in Religione approbata, vt videri potest apud Syluestrum *verb. Religio* 3.*n.*18. & in alijs nouioribus à nobis adductis. Cùm ergo Professio ante Constitutionum approbationem non fiat in Religione approbata, nullius valoris esse videtur. *Quartò*, in *Cap. Ne nimia*, citato seueriſſimè prohibetur: *Ne aliquis de cetero nouum Ordinem aut Religionem adinueniat.* Quod exponens P.Suarez *Tomo* 3.*de Religione Lib.*2. *Cap.*16. *nu.*1. sic ait: *Quæ verba necessariò intelligenda sunt de inuentione, quæ ad executionem & praxim transeat: nam cogitatione inuenire, vel scriptam inuentionem tradere, non est prohibitum, vt per se notum est &c.* Atqui fundans nouam Religionem cum Constitutionibus non approbatis reipsa inuentionem suam ad executionem & praxim deducit: ergo Conciliari prohibitioni prorsus aduersatur. *Quintò*,quia fundatio talis magnis incommodis est obnoxia.Cùm enim Monasteria erigantur, & admittantur Professiones, ac more aliarum Religionum cultus diuinus peragatur: si Constitutiones non approbentur, omnia hæc cessabunt, & graue in populis orietur scandalum.Nam professitentes aut sciunt, aut nesciunt statum huiusmodi fundationis. Si hoc vltimum, grauis eis infertur iniuria, vt constat, dum mutationi, de qua diximus, exponuntur, cùm potuissent statum alium non variabilem amplecti, & suis rebus opportunè prouidere. Si Primum, vix id stare sine aliqua deceptione potest, dum id promittitur vt certum, quod valde dubium est,cùm Pontifices circa nouarum Religionum fundationes se difficiles soleant exhibere.Præterquam quòd imprudenter se gerunt,dum quasi conueniens amplectuntur & profitentur reipsa, quod sub dubio est an tale sit, quia iudicium circa illud ad Sedem Apostolicam spectat. Tandem vrget ratio adducta *n.* 118. ex eo quòd in dilatione nullum sit periculum, & ita temerè deproperatur fundatio.

Concil. Trident.

Cap. Ne nimia.

P.Suarez.

Incommoda talis fundationis.

Sub ratihabitione & conditione esse inualidam Professionem quæ sentiant, ex quo & arguitur.

121. Et ita quidem sentiunt, licet non exprimant, qui affirmant Professiones sub ratihabitione aut conditione esse inualidas, etiam posita ratihabitione, & purificata conditione, qui in terminis minùs difficilibus loquuntur: vt videri potest apud P.Suarium *Tomo* 3. *citato Lib.*6.*Cap.*11. *n.*6: *& Cap.*12.*n.*18.& seqq. vbi & de matrimonio cum multis alijs, quos citat, idem statuit. Quod & tenet Basilius Poncius *Lib.* 3.*de Matrimonio Cap.*14.*num.*15. Quia verò sunt qui secus sentiant, vt vidimus, & eorum est sententia probabilis, vt affirmat P. Suarez *suprà*,non ideò existimandum est modum dicendi contrarium assertioni propositæ, eumdem gradum probabilitatis habere, quia rationes adductæ oppositum euincunt.

Stante approbatione nouum consensum requiritur.

122. Si dicas Pontificem posse ratam habere Professionem approbando Constitutiones, & ita illam non fore inualidam. Respondeo, etiamsi approbet, ex vi talis approbationis & ratihabitionis validam non esse, nisi nouus consensus sic professi succedat: quod quidem generaliter loquendo tenet P. Suarez *locis citatis*, contrarium alijs amplexis, ex quibus P.Thomas Sancius, & Eligius Bassæus *suprà* & Lezana *Tomo* 1. *Cap.* 2. *nu.* 26. qui alios quidem adducunt, cùm tamen illi id minimè exprimant, sed tantùm dicant Professionem sub ratihabitione fieri posse, qua superueniente valet, vt videri potest apud Angelum, Armillam, Syluestrum, Tabiennam,P.Azorium, & alios, quos allegant, & intelligi possunt de ratihabitione cognita &acceptata à professente siue expressè, siue tacitè consentiente, vt ordinariè accidit. Licet oppositæ sententiæ patroni censeant posita ratihabitione Professionem manere validam ante notitiam eius, qui illam emisit, quamuis notitia sit necessaria vt sciat se non posse statum mutare, & matrimonium futurum nullum, pro quo specialiter videndus P. Thomas Sancius. Hoc autem quod iuxta dictam sententiam P. Suarij generaliter necessarium est, in ea, de qua agimus, causa, maius fundamentum habet propter adductas rationes. Neque dicta sententia Eximij Doctoris singularis dicenda est, & contra Doctores alios, cùm ipse *citato Cap.*12. *n.*18. ita scribat: *Pro hac sententia non referam auctores, quia non inuenio in specie punctum hoc ab eis tractatum; colligo tamen illam ex his, quæ de matrimonio docet D. Thomas &c.* Ex quibus comprobatur id quod nuper diximus de Auctoribus non benè à quibusdam adductis, nam omnes nominatos viderat P.Suarez, & tamen punctum in specie tractatum se apud illos aut alios non inuenisse testatur. Citat etiam Bassæus pro eadem sententia Ascanium Tamburinum *de Iure Abbatum Tomo* 2.

P.Suarez. P. Sancius. Bassæus. Lezana.

P.Suarez. ita assertam non est singularis sententia.

Disput.6.

*Disput.6. Quæst.*21. *nu.*3. vbi nec verbum: quod neque alibi apud ipsum inuenire potui. Et P. Suarium apertè sequitur P. Palaus *Tomo* 3.*Tract.* 16. *Disput.*2.*Puncto* 1.*n.*5.

Assertio 2. Approbatio non requiritur quando Constitutiones sunt tantùm antiquæ Regulæ reformationes.

123. Dico Secundò.Si Constitutiones aliquæ sine Auctoritate Pontificis fiant, & videantur notabilem differentiam inducere attento statu Religionis, sustineri possunt, si per illas ad priorem rigorem, & primitiuum spiritum Religiosi reuocentur. Hoc constat ex pluribus Decisionibus Rotæ apud citatum Tamburinum ad calcem operis de Iure Abbatissarum circa reformationem Præmonstratensium, in quibus Bullæ Pauli V.& Gregorij XV. referuntur, quia licet sine concursu ad Sedem Apostolicam potuit videri id stare potuisse, reuera tamen nihil firmum sibi poterant reformationis seduli curatores promisisse, quia pro arbitrio Generalium in Capitulis poterant Constitutiones abrogari, & res ad priorem statum laxioris obseruantiæ reduci, vt ibidem dicitur: quod est quidem obseruatione dignissimum, & cum eo componendum, quod *nu.*113, diximus de reformatione PP.B.Mariæ de Mercede, in qua visum est Clementi VIII. ex nouorum Conuentuum *fundatione nouis vallata Constitutionibus, Religionis induci varietatem:* cùm tamen in PP. Præmonstratensibus aliter sit iudicatum: quia in prioribus non erat reductio ad priorem vigorem, sicut in alijs, apud quos etiam non dicuntur noui Conuentus extitisse,sed in antiquis reformationem stabilitam: quamquam quod ad nouorum Conuentuum fundationem attinet,non videtur ad substantiam spectare, sed ad populorum existimationem magis ex eo circa Religionis diuersitatem firmandam.

Assertio 3. Professio talis non habet vim votorum simplicium.

P.Suarez.

124. Dico Tertiò. Professio facta sub ratihabitione aut conditione dictis, non solùm in ratione Professionis inualida est, sed etiam in ratione votorum simplicium, nisi profitentes se voluerint in omnem euentum obligare: quod dum non constat, non est præsumendum. Sic colligitur ex P.Suario *Tomo* 3. *de Religione Lib.*7. *Cap.*2.*n.*19. & 20. vbi ita scribit de illo, qui profitetur in manibus Episcopi: *Si quis faceret talem actum putans se facere illo modo veram Professionem secundùm aliquam Regulam approbatam, putans Episcopum habere potestatem ad admittendum illam, tunc propriùs dici posset illa Professio nulla, vt nunc loquimur, & reuera ex vi illius intentionis non relinqueret aliquam obligationem, quia erat sine sufficienti voluntate ratione deceptionis, quæ interueniente ille non intendit se obligare ad talia vota nisi in statu verè Religioso, & ideò cùm hæc conditio obtenta non fuerit, obligatio oriri non potuit: nisi ponamus habuisse aliunde intentionem absolutam obligandi se,vt posset, iuxta dicta in superiori puncto.* Sic ille *n.* 19. qui in *sequenti* similem casum agitat de professente in manibus eius, qui non habet potestatem admittendi ad Religionem, & similiter contra Innocentium resoluit,ac de Religione approbata procedit. *Et ideò si ex certa scientia facta est* (verba illius sunt) *illa nec apparens traditio aut Professio est, sed sunt simplicia vota facta coràm aliquo, quasi coràm teste; si autem ex deceptione facta est, tunc erit priuata Professio, non tamen relinquet obligationem voti simplicis Religionis, quia illud emissum non est, sed ad summum relinquere poterit simplicem obligationem votorum, quæ emissa fuerunt, si ex parte vouentis interuenit sufficiens intentio.* Sic ille. Quod & tenet P. Palaus *Tomo* 3. *Tract.* 16. *Disp.* 2. *Puncto* 4. *nu.* 1. *& seqq.* id generaliter statuens de Professione vndecumque inualida, siue ex quolibet capite, vno illo excepto casu coniugis bona fide profitętis,qui ex præsumptione Iuris ad castitatem obligatur,vt petere debitum nequeat, & si superstes consorti sit, eam penitus obseruare teneatur. Sic enim habetur in *Cap. Quidam*, & *Cap. Placet*, de conuers. coniugat. Cuius ratio est, quia sic vouens, cùm sciat se coniugatum (qui est casus *Cap. Quidam*) satis voluntatem manifestat suam circa absolutam obseruantiam castitatis, quod votum Ecclesia vult admittere, vt Canone præfato manifestat, quia illa est compatibilis cum statu coniugij modo dicto, & eo soluto meliùs: quod tamen, regulariter loquendo, in votis paupertatis, & obedientiæ non stat, & ita circa illa similis nequit præsumi voluntas. Qui autem vouet credens mortuum coniugem (qui est casus *Cap. Placet*) non minorem voluntatem ostendit quàm prior circa castitatem in gradu sibi possibili, vnde similis supra illum cadit dispositio. Generaliter autem loquendo non esse præsumendam obligationem, quando de voluntate se obligandi non constat, ex eodem principio deducendum est: quia sicut Ius non præsumit, vbi fundamentum præsumptionis cessat, ita & quisque circa seipsum se gerere potest, vt non etiam præsumat, fundamento præsumptionis non extante: non extat autem quando Professio est nulla, præsertim in casibus, de quibus procedit disputatio.

Peculiaris obligatio circa castitatem en coniuge professæ.

*Cap.*Quidam. *Cap.*Placet.

Non præsumitur dicto modo professionem se voluisse in omnem euentum obligare.

125. Est quidem communis, grauiumque Scriptorum sententia, votum obligare quoties recordatur quis se illud emisisse; dubitat autem an habuerit voluntatem se obligandi,quia votum secum illam affert,& verè emissum constat,iuxta id, quod frequenter, & quasi connaturaliter accidit, debet interpretari, & ita pro eo stat præsumptio sicut & possessio. In casu autem nostro secus res habet,quia non est dubium circa voluntatem se obligandi, cùm constat verè illam extitisse, quando quis Professionem emisit,si ea esset valida: sed an verè votum ad aliud genus obligationis se extenderit deficiente valore Professionis, quod non est ita verosimile, & ita quæstio ad aliam reducitur apud Doctores obuiam, An scilicet qui dubitat an votum emiserit, ad illud teneatur? In qua communissima sententia firmat non teneri, quia præsumptio seu possessio stat pro libertate, vnde valde diuersa est ratio, & potiùs Assertio nostra ex communi sententia & doctrina in materia voti firmatur.

Non est eadem ratio in sciente se emisisse votum, & de voluntate se obligandi dubitante.

§. III.

Quædam obiecta, & soluta.

Prima obiectio ex Cap. Consuluit.

126. VIdetur obstare in primis Cap. *Consuluit*, Qui Clerici, vel vouentes. Vbi de quadam femina velamen suscipiente à carente potestate admittendi ad Religionem sic dicitur: *Habitus sine Professione susceptus, ne contrahatur impedit, sed contractum nequaquàm dissoluit.* Quod ideò est, quia inualidata Professione remanet

voti simplicis obligatio non dirimentis, sed impedientis matrimonium. Et ita in casu dicto id admittunt Doctores aliqui, præsertim ex antiquis, quos adducit P. Thomas Sanctius in Opere morali *Lib.* 5. *Cap.* 4. *n.* 104. Deinde ex citatis Capp. *Quidam*, & *Macet.* n. 124. habetur coniugem emittentem Professionem sine consensu consortis manere obligatum ad castitatem. Circa quod P. Suarez *Tomo* 3. *de Religione Lib.*7. *Cap.*2. *n.* 14. ait quod *Ius duo declarat. Vnum est se non irritare tale votum, & quoad hoc est certum & infallibile, quia est in potestate ipsius Iuris: aliud est, iuxta interpretationem suam, illum, qui sic profitetur, habere sufficientem voluntatem se obligandi. quia promisit, quod in eius potestate erat. Hæc autem interpretatio est ex sola præsumptione, cui standum est quoties profitens non fuerit certus habuisse se contrariam intentionem.* Hæc ille. Iuxta cuius doctrinam videtur corruere illud, quod de voluntatis se obligandi præsumptione diximus; non scilicet præsumendam, cum de illa non constet, quandoquidem iuxta doctrinam Doctoris Eximij standum est præsumptioni quoties quis non est certus se habuisse contrariam voluntatē. Id quod & tenet P. Palaus *citato Puncto* 4. *n.*2. §. *In expeditione.*

P. Suarez.

127. Sed hæc non vrgent, & in primis relictis expositionibus nonnullis, circa *Cap. Consuluit*, quia minimè verosimiles sunt, respondeo *Primò* ibi interuenisse emissionem votorum simplicium, circa quam cadit decisio, vt videri potest attentis omnibus, quæ in casus specie dicuntur, & illo inter alia: *Nec in manu alicuius Episcopi, Abbatis, vel Abbatissæ, aut super altare professa est, vel obedientiam promisit.* Cùm ergo sponte velamen acceperit ab eo, quem sciebat non posse vota Solemnizare, Presbytero inquam, si illa emisit, aut saltim Castitatis, vt videtur, quia dicitur non renuntiasse proprijs, & de voto obedientiæ nec verbum vllum, promissio illa voti simplicis fuit, & ita impediens, non dirimens matrimonium. Quòd autem de habitu tantùm sermo sit, ea est ratio, quia de habitu tantùm præcessit narratio: & quemadmodùm sub habitu comprehensum est votum, ita etiam in decisione. Præterea, mulier illa, de qua est sermo, solùm dicitur velamen accepisse à Presbytero mutato habitu, vestibus pretiosis abiectis, & de votis nihil. Nulla ergo inde obligatio relicta, & ita potuit valide matrimonium contrahere, & etiam licitè, cessante scandalo: quod tenet Glossa ibi. *verb. Non renuntiauit.* Neque obstat quod ait Pontifex habitum susceptum impedire: nam dispensatio est conditionalis, si videlicet cum habitu votum intercessit, præsertim transacto anno. Aut quia ratione scandali impedimentum interuenire potuit, dum ea quæ habitum Religiosum elapso anno gestauerat, ad nuptias conuolare visa est. Pro quo est doctrina P. Suarij *citato Cap.*2. *n.*14. *in fine*, in casu, de quo statim: ait enim cessante obligatione ex ratione voti, posse dari impedimentum ratione offensionis ac scandali. Et hæc sit secunda responsio.

Cap. Consuluit exposition.

De Coniuge profitente.

128. Iam quod ex doctrina alia eiusdem Patris afferebatur, peculiare dici potest in casu, de quo ibi, quia Ecclesia præsumit iuxta id, quod regulariter accidit, cui præsumptioni debet, qui vouit, se conformare, stante eâdem ratione. Quoties enim coniugatus profitetur, absolutam videtur habere voluntatem castè viuendi eo modo, quo possit, iuxta id, quod *n.* 124. dicebamus: & ita dubium ibi non prævalet in fauorem vouentis, sicut etiam contingit dum quis dubitat an Professio fuerit valida: eo enim stante, non potest fieri contra illam, quia Religio est in possessione, & in dubio nequit spoliari. Pro quo est communis resolutio Doctorum, ex quibus aliquos adducit & sequitur P. Suarez *Cap.*2. *citato n.*6. & hæc solutio est satis fundata, & verosimilis, quamuis probabilitate non videatur carere contrarium.

129. Potest insuper opponi contra resolutionem nostram id, quod Vrbanus VIII. statuit in Bulla quadam *die* 13. *Ianuarij. an.* 1652. quæ incipit, *Pastoralis Romani Pontificis*, contra feminas quasdam, Iesuitissas nomine, quæ sine approbatione Sedis Apostolicæ Institutum quoddam Societatis IESV æmulum sectabantur, in curam animarum intentæ, & votis tribus, Religionum proprijs, in manu Generalis Præpositi quasi solemnibus nuncupatis: quòd scilicet si in omnem euentum promiserunt, vim simplicium votorum earum vota retineant, præstita obedientia Ordinario, cum solo vsu bonorum, non dominio, & omnimoda obseruantia castitatis. Ex quo videtur Religiosa vota, quæ scilicet animo Religioso fiunt, licet in ratione talium vim non habeant, obligationem tamen inducere perpetuò duraturam. Quod in voto obedientiæ præsertim videre est, cùm enim non vouerint obedientiam Ordinario, eidem præstanda decernitur. Sed certe in hoc nihil contra resolutionem superiùs stabilitam habetur: nam cùm in omnem euentum vouerint, perinde est ac si secluso omni respectu peculiaris Religionis vouissent, & ita remanet obligatio votorum simplicium, vt Pontifex declarat. Circa obedientiam verò obseruandum est non dici illam necessariò exhibendam Ordinario, sed sic: *& ab omnibus suprà prohibitis abstinentes in sæculo, poterunt sub Ordinarij obedientia, & cum vsu, non dominio bonorum &c.* Sensus ergo est sub Ordinarij obedientia futuras, & sic posse bonorum vsum habere, & de illis in vita, & post mortem ad vsus pios disponere. Est autem in eadem Bulla id, quod resolutioni fauet superiori, dum sic dicitur: *Mulieres etiam ac Virgines, quæ eo animo vota, licet de facto, vt præfertur, emiserunt, vt in nullo statu à Sede Apostolica reprobato ea emissura non fuissent, vtpotè conditione, sub qua tacitè vouerunt, non impleta, à votorum huiusmodi obligatione omnino solutas & liberas esse declaramus.* Sic Pontifex. Cùm ergo de Religione alia non cogitatur, & Professio emittitur in non approbata, qualis est illa, cuius Constitutiones approbatæ non sunt, nulla relinquitur obligatio, quia deest tacita conditio approbationis. Quæ ratio pariter currit quoties Professio est nulla, quia deficit aliquid, quod tacitè supponebatur adesse, & ita rationem conditionis habebat. Et ita non est generaliter admittendum, quod Nauarrus tradit *Lib.* 3. *Consiliorum, de Regularibus Consil.*8. *n.*3. volens remanere obligationem votorum simplicium in quodam, qui sub Eremitarum nescio quo Magistro Professionem emiserat: non enim tacita

Bulla Vrbani 8. contra Iesuitissas.

Conclusio. Professionem dictam non votorum simplicium non habere contra Nauarrum.

Nauarrus.

tacita conditio substitit, vel in omnem euentum vota sunt emissa.

§. IV.

An Monialis possit exire vt sit Prælata in Monasterij fundatione diuersæ Religionis, & ex eo defectu claudicent Professiones.

Affirmant aliqui.

130. SVnt qui circa hoc nullam dubitationis caussam inueniant, quasdam ab experientia afferentes probationes, sic enim sunt alia Monialiam Monasteria in hac Limana ciuitate fundata. Et vt de potestate exeundi difficultas esse possit, circa valorem tamen admissionis ad Professionem non videtur locum habere, quia ille non est actus iurisdictionis spiritualis in Abbatissa, cuius feminæ sunt incapaces ex communi Doctorum innixa Iuri sententia. Ad Episcopum autem quidquid ex ea parte deesse potest, est referendum, cui Moniales sunt subiectæ, & ita potest actum quo ad eius spiritualitatem solemnizare, vtpote iurisdictione plenissima gaudens, vnde & præcipere in virtute obedientiæ potest, quod Abbatissis non licet, iuxta magis receptam sententiam, pro qua Auctores congerit Diana *Parte* 5. *Tract.*9. *Resolutio.*16. & vt ait Glossa in Cap. *Nullus de Elect. in.*6. *verb. Regularibus.* Episcopus Monachos ad Professionem recipit vt Abbas, pro quo allegat *Authent. de San. Episcopis.§. Iubemus. Col.*9. *&* *Cap. Ex multa* de voto, & voti redempt. in quo tamen nihil speciale habetur, nisi quod de subiectione Religiosorum dicitur, quando scilicet priuilegio carent exemptionis. Videtur ergo Abbatissæ admissio ad accidentalem tantum solemnitatem pertinere.

Et Professio videtur valida, etiamsi egressus non liceat, quia in Abbatissa non exercet iurisdictionem cuius est incapax.

Glossa.

Assertio 1. Negans quod in Titulo quæritur.

131. Dico Primò. Generaliter loquendo nequit esse Prælata alicuius Ordinis, quæ in eo expresse professa non sit. Sic Doctores communiter, qui licet de viris loquantur; eorum tamen rationes ex Iure depromptæ ad feminas extenduntur, iuxta communem doctrinam, pro qua Emmanuel Rodericus *Tomo* 3. *qq. regular. q.*52. *arti.* 6. & P. Pellizarius *Tract.* 10. *Cap.* 3. *n.*15. allegatis alijs, & celebri Glossa in *Clement. Attendentes*, de statu Monachor. *Verb. Cecidisse.* Pro quo & videri potest P. Suarex *Tomo* 4. *de Relig. Tract.*8. *Lib.*2. *Cap.*3. *n.*16. *&* *Cap.*6. *n.*7. Diana *Parte* 9. *Tract.*9. *Resolut.*62. Illos autem qui Assertionem generaliter amplectuntur, congerit Barbosa in *Collectaneis ad Concilium Trident. Sessione* 25. *de Regularibus. Cap.*21. *n.*1. & de Monialibus loquentes id tradunt, quos adducit & sequitur Bonacina *Tomo* 1. *Tractatu de Clausura. Quæst.*1. *Puncto* 9. *n.*10. Dum enim concedunt posse Monialem exire pro fundatione noui Monasterij, addunt debere esse eiusdem Ordinis, vt scilicet Abbatissa sit, aut ianuæ, vel rotæ assistat, ex quibus P. Thomas Sanctius *Lib.* 6. *Cap.*15. *n.* 45. positiuam negationem fundat. Fundamentum præstat Clementina. I. de Electione, in qua sic Pontifex: *Cùm rationi non congruat, vt homines disparis professionis vel habitus simul in eisdem Monasterijs socientur: Prohibemus ne Religiosus aliquis in Abbatem vel Prælatum alterius Religionis vel habitus de cetero eligatur. Quod si secus actum extiterit, sit eo ipso irritum & inane.* Hæc ibi. Circa quæ Glossa *verb. Eligatur.* sic habet: *Non prohibet postulari ex caussa. Sed puto quod à Papa. Et sic nota, de Elect. Cap. Indemnitatibus, post principium. Lib.* 6. *Sed numquid per viam prouisionis talis præfici poterit? Quod videtur, cùm ista sint diuersa, de Præbendis. Cùm in illis. Lib.* 6. *Et hæc Constitutio ita vetus corrigit: in casu ergo non expresso statur iuri antiquo. C. de app. Præcipimus. in fine, de testamentis. Sancimus. Et licet hoc posset defendi, contrarium tamen esse videtur de mente constituentis per rationem hîc expressam, quæ communis est. Et hoc saltem in eo, qui prouidet ex iure ad ipsum deuoluto propter delictum, vel negligentiam Electoris. Facit infra de supplen. neglig. Prælat. Cap.*1. *&* *quòd ibidem dicam.* Hæc Glossa rationi decisionis innixa, quæ satis perspicua est, dum rationi non congruere dicitur, vt homines disparis professionis vel habitus simul in eisdem Monasterijs copulentur. Quod quidem in Monialibus etiam locum habere satis est manifestum.

Clement. I. *de Electione.*

Glossa.

132. Dico Secundò. Ex defectu prædicto redditur nulla Professio, quia fit in manibus non potentis admittere. Constat ex communi Doctorum sensu affirmantium creationem Monialium spectare ad Abbatissam cum Conuentu, sine quo admissio est nulla vt videri potest apud P. Sancium *Lib.*5. *Cap.*4. *n.*65. *&* 76. Ascanium Tamburinum *de Iure Abbatissarum Disput.* 6. *Quæst.* 5. *n.* 3. P. Pellizarium *suprà. n.* 33. *&* *seqq.* apud quem Cardinalis Lugo ab ipso consultus, vt habet. *n.*35. circa casum vrgentiori probationi fundamentum exhibentem, Zerolam in *Praxi Episcopali. Parte* 2. *Verb. Moniales. Quæst.*10. qui adducit Nauarrum *Consilio* 9. *n.* 12. *de Constit.* Ex quo euidenter infertur Assertio. Nam actum admissionis exercet Abbatissa vt verè & propriè talis, ratione superioritatis, quam habet, vt benè exponit P. Sancius, *citato n.*76. Atqui verè & propriè talis non est, quæ non est eiusdem Religionis, vt iam non esse ostendimus: ergo admissio nullius est valoris. Ex quibus apparet nullius esse momenti quæ. *n.* 130. sunt allata vt probaretur admissionem quatenus ad Abbatissam pertinet esse aliquid accidentale. Quod verò ex praxi inducebatur, eatenus admittendum, quatenus cum licentia Pontificis factum credi possit, aut si ea deficiente in exordio, ad progressum stabiliendum accessisse.

Assertio 2. Ex eo defectu est inualida Professio.

Zerola.

133. Sed est apud Doctores, quod præmissis videtur aduersari, dum ex diuerso Ordine Prælatum assumi posse determinant, & eo supposito mouent peculiares quæstiones, vt videri potest apud Emmanuelem Rodericum *Tomo* 3. *qq. regular. q.*52. *arti.*26. Bonacinam *Tomo* 1. *Tractatu de Clausura. Quæst.* 2. *Puncto* 9. §. 4. Difficult. 1. in fine, vbi resoluit sic translatum manere Religiosum prioris Religionis, quia cum translatus sit vt sit immediatè Prælatus, non poterit habere Nouitiatum, & sic neque in ea, ad quam est translatus, profiteri. Sed certè Auctores dicti suis assertis non vrgent. Prior enim *Arti.*25. *præced.* Statuit sic translatum debere emittere Professionem, & aliàs Prælatum esse non posse. Posterior autem intelligi debet de translato auctoritate eius, qui potest circa obligationem prædictam

Obiectio ex eo quod ex distincto Ordine Prælatus assumi potest.

Bonacina.

Fit satis manifesta ratione dispositionis adducta.

dispensare. Et hanc licentiam pro Monialibus concedere solitam Sedem Apostolicam cum consensu superiorum testatur Barbosa *de potestate Episcopi Allegat.* 102. *n.* 25. Quo pacto etiam accipiendum quod habet Nauarrus *Consilio* 3. *de Regularibus. Lib.* 3. *Consiliorum. in.* 2. *Editione*, vbi

Nauarrus. ita scribit: *Quare concludendum est Religiosum vel Monachum transeuntem legitimè ad aliam Religionem teneri tacitè, vel expressè ad profitendam illam, saltem quoad obseruantiam illorum, quæ seruari debent in illa vltra substantialia vota: siue transferatur vt fiat in illa Prælatus, siue vt maneat ibi vt subditus, & filius Monasterij. Dico autem, vt filius, aut subditus Monasterij, quia si solùm transferatur vt sit temporarius, non tenebitur ad nouè profitendum, quod quotidie seruat praxis.* Hæc ille: qui contra Federicum de Senis asserentem Religiosum translatum vt sit Prælatus non indigere Professione noua, benè tamen translatum vt simplex Religiosus sit, concludit diuersitatem illam nullo iure niti, & ita nullum textum pro ea adduci. Quod quidem etiam dici potest circa diuersitatem temporarij, & non temporarij, quia pro ea nullum etiam adducit textum, & Clementina Generaliter loquitur, eiusque ratio ad omnes extenditur.

Distinctio translati vt Prælatus sit aut priuatus reiecta.

134. Quando ergo quis vt temporarius sit transfertur, nec nouè profitetur, intelligendum est id auctoritate legitima fieri, Pontificia inquam, quia circa hoc solus Pontifex dispensare potest. *Pro quo* deseruit id, quod Auctor idem subijcit sic dicens: *Dico etiam (tacitè vel expressè) propter eos, qui transferuntur vt sint Prælati: quia potest dici eos tacitè profiteri illas obseruantias, dum confirmantur, vel alias promouentur in Prælatos, qui obligantur præcepto & exemplo seruare illas; quo casu teneri potest Consilium Federici.* Sic ille: qui dum confirmationis meminit, ad auctoritatem Pontificiam, iuxta quam id agitur, videtur allusisse: sicut dum ait, *vel alias promouentur*: quia scilicet possunt postulari, quod, vt vidimus. *n.* 131. à Papa fieri debet, iuxta Glossam ibidem adductam. Id quod etiam probari potest ex doctrina eiusdem *Consilio* 49. *eodem tit.* in quo loquitur de Abbate quodam Præmonstratensi præsentato à Rege Catholico Papæ ad aliam Abbatiam Ordinis Cisterciensis, & resoluit debere in Religione Cistercienſi profiteri: cùm tamen dignitas illa temporaria esse possit, & ita etiam annuum Nouitiatum peragere, nisi Pontifex dispensârit. Ex quo apparet id, quod de tacita Professione dixit, ita esse intelligendum: cùm enim Professio sine annuo Nouitiatu esse nequeat, etiam tacita, vt videri potest apud P. Sancium *Lib.* 5. *at. Cap.* 3. *n.* 36. si is desit, & nihilominùs Professio locum habere dicatur, ideò erit quia dispensatio interuenit.

Idem.

In translato quomodolibet annuus Nouitiatus requisitus.

Et cum tacita est Professio.

Egressum etiam pro eodem Ordine à Sede Apostolica prohiberi.

135. Iam quod attinet ad egressum pro fundatione Monasterij eiusdem Ordinis, sunt qui id concedant inconsulta Sede Apostolica, vt videri potest apud Bonacinam *citato Puncto* 9. *n.* 10. Et apud Barbosam. *n.* 25. *citato*. qui ex Decreto Congregationis sic cautius statuentis, quidquid aliàs censuerat, contrarium sentit cum alijs ibidem adductis. Non meminit autem, sicut neque alij Decreti Pauli. V. publicati *die.* 21. *Decembris. an.* 1617. absolutè id prohibentis: quod & fuit Religionum Procuratoribus intimatum, vt videri potest apud Lucam Castellinum *Tractatu de Electione. Cap.* 17. *n.* 5. & Dianam *Parte* 3. *Tract.* 2. *Resolut.* 99. *in fine.* Circa quod cùm P. Pellizarius *Tract.* 10. *Cap.* 5. *n.* 49. quæstionem moueat sic: *Quæres.* 15. *An, & quomodo exire possit Monialis ad fundandum nouum Monasterium, aut etiam illud reformandum iam fundatum?* Respondet sic: *Respond. posse, modò id fiat de consensu Sedis Apostolicæ, idque ex Decreto S. Congregationis quæ teste Zerola Parte* 2. *Praxis. v. Monialis. dub.* 8. *&* 12. *decidit non licere hunc exitum caussa reformationis, aut nouæ fundationis, aut correctionis: sed in his omnibus casibus Sedem Apostolicam esse consulendam. Ita Nauarrus Lib.* 3. *Consil. de Regularib. Conf.* 48. *n.* 7. *Rodriquez suprà (scilicet Tomo* 1. *quæst.* 49. *arti.* 4.) *Sanchez n.* 47. *(ex Lib.* 6. *Cap.* 15.) Tamburinus. *n.* 7. *(Disput.* scilicet 20. *Quæst.* 2. *de Iure Abbatissarum) & alij apud ipsos: patetque quia isti casus sunt similes ijs, qui excipiuntur in Bulla Pij. V. vtpotè spectantes ad bonum commune illius Religionis. Constat ex dictis Quæst.* 8. *sub casibus expressis à Pio. V. comprehendi etiam alios similes, aut vrgentiores.* Sic ille, quem ideò exscripsi, vt inconsequentiam resolutionis ostendam, Auctorumque, quos adducit, mens fiat manifesta. Statuit exitum solummodò licere de consensu Sedis Apostolicæ, pro quo benè Zerolam allegat auctoritate Congregationis Sacræ loquentem. Deinde illos refert, qui contrarium docent, licere inquam sine recursu dicto, & probatio, quam subdit, pro eodem facit, atque ita concludit oppositum assertioni. Quid ergo dicemus ad hæc? Aliquid fortè deesse, vel ad multa attento humanum aliquid accidisse. *Scimus, & hanc veniam petimusque damusque vicissim.*

P. Pellizar. *in consequenter resolutum.*

Egressum affirmantis.

136. Vbi & obseruandum P. Thomam Sancium *Cap.* 16. *n.* 47. vbi adducit Zerolam negantem, quod vidimus, & Congregationis auctoritate se tuentem, quæ statuit non licere exitum caussa reformationis, aut nouæ fundationis, vel correctionis, sed in his omnibus casibus Sedem esse Apostolicam consulendam, eo non obstante ita concludere: *At hi omnes casus retinendi sunt, & praxi sunt ita recepti.* Sic ille. Et quidem non mirum ita censuisse, cùm ante Decretum Pauli. V. scripserit: quod & obseruare licet in multis alijs, qui pro sententia eadem afferuntur, vt Emmanuel Rodericus, Miranda, Nauarrus, Sorbus, & alij. Quòd si nonnulli post illud editum scribentes aliter sentiunt, ideò est, quia illud videntur ignorasse. Diana *autem*, qui probè illud nouit, eidem standum protestatur *Tract.* 2. *citato. Resolut.* 127. Et mirum quidem est Barbosam *citato n.* 25. illum pro sententia affirmatiua adducere, vtpotè qui eam tradiderit. *Resolutione nuper allegata.* 127. *&* 99. Cùm in hac vltima Decretum præfatum adducat, & in alia Decreto eôdem inducto, ab eo non esse recedendum asseueret. Non ergo sine examine illius est allegationibus deferendum, sicut & aliorum huius æui Scriptorum, de quibus à me dictum aliàs, qui in casus contingentia Decreto Pontificio standum consulam, sed facientes aliter non condemnabo.

Obseruatio auctoris licetum non egressum affirmantis.

P. Thomas Sancius.

§. V.

§. V.

Circa necessitatem annui Nouitiatus in ijs Monialibus, quæ Professionem nullam ob defectum Pontificiæ approbationis emiserunt.

SI videlicet accidat, aut Constitutiones approbari, aut ijs non approbatis aliæ approbatæ superueniant, quarum habuere notitiam, sed non copiam, aut notitia non habita easdem liceat amplecti. Circa quod

Assertio 1. *Annuus Nouitiatus in casu quæstionis tenendus.*

137. Dico Primò. Annuus Nouitiatus omnino est in prædictis casibus necessarius. Hoc est iuxta mentem Doctorum ferè omnium de Nouitiatu tractantium, dum illum dicunt esse probationem præuiam in Religione, vt illius institutum emissis substantialibus votis teneatur. Videatur P. Suarez *Tomo* 3. *de Religione Lib.* 5. *Cap.* 4. *n.* 2. *& seqq.* P. Thomas Sancius *in Opere morali Lib.* 5. *Cap.* 4. *n.* 2. *& seqq.* P. Palaus *Tomo* 3.

P. Pellizar. *Tract.* 16. *Disput.* 1. *Puncto* 9. *& seqq.* P. Pellizarius *Tract.* 2. *Cap.* 1. *n.* 1. vbi sic Nouitiatum definit. *Est tempus probationis, quo Religio probat Nouitium, & Nouitius probat Religionem, ad effectum agnoscendi vtrùm expediat quòd ipsi admittantur ad profitendum, vel ejiciantur.* P. Azor *Tomo* 1. *Lib.* 12. *Cap.* 2. *&* 3. & alij obuij, qui iuxta Iuris dispositionem loquuntur, præsertim Concilij Tridentini *Sessione* 25. *Cap.* 15. *de Regularibus*, cuius illud exordium: *In quacumque Religione tam virorum, quàm mulierum &c.* Ex quibus probatio manifesta desumitur. Nam cùm Nouitiatus Religionem supponat, vbi Religio non est, neque Nouitiatus esse potest: Atqui Religio non est, pro qua non sunt Constitutiones approbatæ, vt vidimus; ergo neque valoris alicuius Nouitiatus in ea peractus. Accedit communis aliorum Doctorum & inconcussa sententia, pro qua P. Palaus citato *Puncto* 9. *n.* 13. iuxta quam ex parte admittentis Nouitium requiritur auctoritas ad illum admittendum, qua cessante ingressus est nullus: non enim Religio probari à Nouitio potest, quin priùs ab ea admittatur, vt eum probet, vt ille arguit dicens ita compertum esse apud omnes.

Concil. Trident.

Assertio 2. *Etiam si super veniant approbata quorum est habita notitia.*

138. Dico Secundò. Si post Professionem dicto modo factam superueniant Constitutiones approbatæ, quarum non est habita notitia, & sic Professæ velint iuxta eas viuere, necessarius est nouus Probationis annus: præter alia, de quibus statim. Probatur fundamento nuper adducto, quia Nouitiatus præcedens fuit nullus, vtpotè in Religione non approbata, & ita nullum habere effectum potest, quia quod non est, nullum parit effectum, ex vulgari apud Philosophos & Iurisperitos axiomate.

Assertio 3. *Etiam si animo profitendi illas sit peractus.*

Dico Tertiò. Etiamsi habita sit notitia confusa Constitutionum, & animo illas profitendi sit facta Professio, Nouitiatus est necessariò repetendus. Probatur, quia, quidquid sit de notitia, in Professione illæ memoratæ non sunt, sed aliæ, in ordine ad quas Nouitiatus præcessit, qui est proportionata dispositio ad Professionem, & ita diuersus pro diuersis Religionibus. Licet enim non sit necessarium, vt Nouitius omnes Religionis asperitates experiatur, cùm per integrum annum morbo depressum fuisse contingere possit, vt cum Nauarro, Emmanuele Roderico, Bonacina, & PP. Suario & Sancio probat ex professo Dom. Araxo *in Decisionibus moralibus Tractat.* 2. *Quæst.* 6. *Dub.* 7. illius tamen, vt idem cum alijs obseruat, vt propriæ talis Ordinis sunt, sub obedientia degens experitur saltim in genere: quod quidem in casu nostro non accidit, quia asperitates propriæ Ordinis approbati sub experientiam non veniunt, sed aliæ proportionatæ Professioni. Deficit etiam substantiale illud requisitum, quod vt tale Doctores agnoscunt, & cum eisdem citatus Scriptor expressit dicens: *Sub obedientia degens*: sub obedientia inquam veri Prælati, qui in casu præsenti non extat: ex cuius defectu nullum esse Nouitiatum iam vidimus. Itaque perstat fundamentum adductum pro Assertione prima: non inquam peractum Nouitiatum in Religione approbata.

Cuiusdam discursus fundamento carens intentionem Nouitij sufficientem affirmantis.

139. Ex quo corruit cuiusdam Religiosi discursus, qui dicebat Nouitiatum peractum intentione ad Religionem approbatam directa esse validum, & ratione talis intentionis ea, quæ in Nouitiatu non approbatæ acta sunt, ad approbatam pertinere. Quemadmodum cùm quis adorat hostiam, quam consecratam putat, dum à reputato Sacerdote, sed non verè tali eleuatur, adoratio tantùm materialiter versatur circa illam, cùm tamen intensio ad verum Christi corpus dirigatur: vnde verus actus adorationis est. Corruit inquam, quia negotium hoc probationis non in speculationibus, & primis aut secundis intentionibus consistit, sed in reali ac physica experientia asperitatum Religionis eius, quam quis intendit profiteri, & friuolum profectò apparet, vt qui non ieiunat certis diebus, neque ad Matutinas horas euigilat, & lino, non lana vtitur dum sic agit, dicatur asperitates Religionis eius experiri, in qua ieiunium, vigiliæ, & lana sunt in vsu, eo quòd directa ad illa intentione se gerat. Et quidem aliter apparere solitæ res sunt, cùm ad earum experientiam deuenitur, ac præceptq tantummodò animi brachijs apparebant. Vnde videmus multos, qui cum Iacobo & Ioanne ad propositas sibi Religionis asperitates dixerant, *Possumus*, dum experientia earumdem accessit, *Non possumus*, iterasse. Quibus addendum irrefragabile illud, de quo nuper, Nouitiatum inquam in Religione non approbata peractum, & vbi admittentis defuit auctoritas: mea enim imaginatio nequit huiusmodi supplere defectus. Adoratio autem cùm respectum ad rem adoratione dignam includat, neque realia experimenta requirat, stare in casu præfato potest. Vbi & dici potest adorationem huiusmodi, cum error interuenit tantùm esse materialiter talem, in ea enim fidelis quisque dispositione habituali est, vt tantùm adorare intendat hostiam ritè consecratam; vnde quando talis non est, solùm est materialiter talis, quæ per ignorantiam excusatur. At Nouitiatus vt legitimus sit duo exigit: quòd scilicet vt verè talis transigatur, intuitu scilicet assumendæ Religionis approbatæ: & quòd experimenta non imaginariè, sed verè & propriè sub obedientia legitimi superioris, & iuxta ipsius directionem, peragantur.

Matth. 20. *v.* 22.

§. VI.

§. VI.

Circa speciem casus vt reipsa se habuit extrema disceptatio.

140. POst fundamentum, de quo *nu.* 107. vbi & de illius sub priori statu obseruantiæ Constitutionum Capitularium progressu, cùm post annos aliquot, præmisso Nouitiatus anno, habita fuisset copia Constitutionum, quæ pro Recollectis Augustinianis, quorum auctor Venerabilis Mariana à Iosepho, à Sede Apostolica confirmatæ sunt, omnes dicto modo professæ, easdem sunt amplexæ, annuente Prælato, & ex admissis sex in Professione earum obseruantiam promiserunt. Circa cuius Professionis valorem fuit qui censeret nec leuem posse dubitationem haberi. Cùm tamen dici potiùs oppositum debuisset, quandoquidem in Abbatissa necessaria defuit auctoritas, de quo §.4. vnde & Nouitiatus fuit nullus. Præterquam quòd corpus illud Religiosum ex professis Constitutiones Capituli, & Venerabilis Marianæ, non erat à Pontifice approbatum, & ita incorporatio in illud valore erat destituta: pro quo est accommodata doctrina P. Lessij adducta *n.*115. Aliæ verò quæ, vt diximus, Constitutiones approbatas sunt amplexæ, ex eo caussam suam neutiquam promouerunt, quia easdem amplexæ quidem, sed non professæ. Neque omnes in earum amplexu conquierunt, vnde ante exactum triennium eorum aliquæ ad priores prouocarunt. Et omnium circa hoc voluntate per secretam quæstionem explorata, cùm pauciores pro Capitularibus, quas professæ fuerant, instarent, vt præiudiciali huic occurreretur diffidio, præceptum omnibus est impositum vt illas obseruarent, quæ à Capitulo fuerant attributæ: Sic Illustrissimo Archiepiscopo per suum Generalem Vicarium intimante. Ex quo apparet quam debili fundamento fuerit machina ista subnixa, dum iam istæ, iam aliæ Constitutiones obseruandæ inducuntur, & Professiones quædam istas, aliæ diuersas emittunt.

141. Res ergo tandem ad Apostolicam Sedem transmissa, à qua duo Breuia prodierunt, sed sine necessarijs ad faciendam fidem in externo foro huc inde delata. Ex illis vnum à Religioso est quodam impetratum, sed qui in narratione defecit, dum Monasterium dixit cum approbatis à Sede Apostolica Constitutionibus fundatum, solamque Confirmationem ad maiorem suam stabilitatem exoptari: quibus sua sanctitas benignè annuit. Ex illo ergo nihil, quod momenti quidquam præsenti caussæ afferre possit, eliciendum. Aliud planè Illustrissimi Dom. Archiepiscopi relationi ac postulationi respondit, in quo eidem facultas confertur, vt mitigatione Regulæ dictæ vener. Marianæ, in quibusdam, vt opportunum visum fuerit, adhibita, curet Moniales omnes eamdem obseruare, quam & debeant quæcumque deinceps ingressæ fuerint; profiteri. Et vt quæ iuxta Constitutiones Capituli professæ sunt, vltra id, quod vouerunt, non cogantur inuitæ. Ad prælaturas autem non admittendas, dum in eo inferioris perfectionis gradu perstiterint, nisi fortè in defectu aliarum, dum scilicet aptæ desideran-

tur. Quia verò diuersitas hæc minùs conueniens apparet, admonet sua sanctitas, mitigatione potiùs vtendum Regulæ, vt sic omnes eamdem amplectantur, quàm illius rigori insistendum ob desiderium in multis maioris perfectionis.

142. Ex quibus videntur ea, quæ à nobis stabilita sunt, penitus infirmari. Professiones enim non declarantur inualidæ, sed earum potiùs valorem supponit Pontifex, dum Professas modis dictis ait non esse inuitas vltra id, quod vouere, cogendas, *Ad reformationem non cogentur inuitæ.* Ex quo infertur posse etiam inuitas cogi ad id, quod vouerunt, prorsus obseruandum. Pro quo est etiam argumentum aliud ex eo desumptum, quod de electione ad Prælaturas dicitur: Professas inquam iuxta Constitutiones Capituli posse in defectum aliarum eligi: Atqui nulla esse Prælata potest, nisi expresse professa, vt determinat Concilium Tridentinum *Sessione* 25. *Cap.* 7. *de Regularibus.* Quidquid ergo de Constitutionibus, Abbatissa, Nouitiatu &c. dictum est, non videtur vrgere.

143. Sed certè vrget, & negotium hoc ita expediendum, vt volentibus Monialibus prædictis in Monasterio permanere, sua sanctitas earum Professiones admittat vt validas, dum eas ratas volunt, omnem præcedentem supplendo defectum. Quòd autem sic Professæ possint, quocumque modo Professio consistat, efficere de plenitudine potestatis potuit, quia & aliquando id ita habuit, vt scilicet tacita Professio sufficeret, ante Decretum videlicet in Cap. *Nullus*, de Elect. in. 6. & *Cap. Indemnitatibus.* eod. tit. vbi de Abbatissis specialiter idem statuitur, pro quo P. Suarez *Tomo* 4. *de Relig. Tract.* 8. *Lib.* 2. *Cap.* 3. Præsertim quia in casu nostro Professiones expressæ fuerunt, & licet inualidæ, dum à Pontifice admittuntur, meritò possunt expressæ reputari.

144. Quia verò Breue dictum non est in ea forma exhibitum, qua fidem facere posset, qualis ad negotium adeò graue opus erat, & plures ex prædictis Monialibus pertinacissimè instabant vt transitus sibi ad Religiones alias indulgeretur, se non esse verè Religiosas conclamantes, velleque securum ac firmum Religionis statum obtinere; deliberatione habita id vndecim est concessum quod optabant, & ad diuersa Monasteria transierunt. Volentibus autem quibusdam post annum profiteri, id negatum, quia visum est expediens Pontificiæ Sedis iudicium circa negotium istud expectari, omissis quæstionibus de potestate transitus ob has, vel illas caussas, sed si expectandum, cur non in Monasterio, in quo præfessæ? Quia esse in illo pax non poterat ipsis in eo remanentibus, futuris alijs scandalo, cum periculo peruersionis. Quo euentu posse Moniales verè professas transferri doctè probat Cardinalis Lugo *in Responsis Moralibus Lib.* 3. *Dub.* 18. Fuerunt tamen viri docti, qui censuerunt potuisse & debuisse licentiam ad profitendum concedi, quia eo animo egressæ sunt, firmum, vt diximus, Religionis statum exoptantes: & durissimum sanè est, vt post prolixam adeò expectationem cogantur iterùm, nullis præfixis expectationi terminis, quod distantia immensa non patitur, expectare. Et quidem aut Religiosæ sunt, aut non? si hoc vltimum, quid eas prohibet profiteri? si illud: quæ

fuit

Ex Breui Pontificio videntur valida Professiones antea fuisse.

Quia authenticum non extitit, iuxta illud non est processum: sed transitus ad Monasteria alia pluribus concessus, in quibus & professa.

Posse Moniales exire quando est periculum peruersionis censet Card. Lugo.

fuit caussa legitima electionis, potest esse & transitus ad aliam Religionem, etiam minùs strictam, pro qua licentiam concedere Prælatus potest, si ratio etiam pro eo specialis occurrat, vt est communis sententia Doctorum, pro qua videri possunt P. Thomas Sancius plures adducens *Lib.* 6. *Cap.* 7. *n.* 68. P. Palaus *Tomo* 3. *Tract.* 16. *Disput.* 4. *Puncto* 26. *n.* 3. P. Lessius *de Iustitia. Lib.* 2. *Cap.* 41. *n.* 108. P. Azor *Tomo* 1. *Lib.* 12. *Cap.* 15. *Quæst.* 1. P. Sa *v. Religio. n.* 39. P. Pellizarius *Tract.* 3. *Cap.* 5. *n.* 65. Diana *Parte* 3. *Tract.* 2. *Resolut.* 43. Lezana *Tomo* 2. *Verb. Transeuntes Regulares n.* 18. *& seqq.* dicens innumeros ita sentire, ex quibus agrum copiosum inducit. Et licet P. Suarez *Tomo* 3. *de Relig. Lib.* 4. *Cap.* 8. *n.* 7. id neget, quia Concilium Tridentinum *Sessione* 25. *Cap.* 19. *de Regularibus*, id videtur prohibere, in casus præsentis circumstantijs id, vt æstimo, non negaret. Et quamuis Pontificia prohibitio extet pro Monialium exitu, & Concilij suffragatur auctoritas, stante iam illo, nullum est pro reuocatione Decretum, neque quidquam quod inualidam possit reddere Professionem. Quemadmodùm licet idem Concilium *citata Sessione. Cap.* 7. *de Regularibus*, statuat eligendam in Abbatissam debere esse quadragenariam, & quæ octo annos Religiosæ vitæ post expressam Professionem exegerit: tenet tamen P. Suarez Tomo 4. de Relig. *Tract.* 8. *Lib.* 2. *Cap.* 6. *n.* 8. non ita id esse necessarium, vt si aliter fiat electio, sit irrita, sed ad summum irritanda. Vnde & audio nonnullas ex egressis Professionem emisisse. Et de hoc satis.

Prælatus potuit concedere licentiam pro Religione minùs austera.

Ex pro Indijs ratio specialis.

Esse id non locum Professioni validæ, sicut defectus Abbatissæ, in qua aliqua desunt à Concilio Tridentino requisita.

SECTIO IX.

Notanda doctrina circa stipendium pro Missæ celebratione, ad dicta in Thesauro Indico. In Appendice Tituli. 16. *n.* 7. *Et in Additionibus ad illa.*

145. DIctum ibi cum doctis Scriptoribus sententiam eorum non esse probabilem, qui affirmant posse duplicatum stipendium accipi, si supra ordinariam obligationem de applicando fructum medium, alia superueniat de fructu specialissimo respondente Sacrificanti. Vbi & explosio eiusdem adducta à SS. Dom. Alexandro. VII. *die* 29. *Ianuary. an.* 1659. & publicata *die.* 27. *Octobris.* an. eiusdem. Et quidem sine censura, quæ tamen addita in Decreto eiusdem *die.* 24. *Septemb. an.* 1665. dum eam ad minimùm quasi scandalosam proscribit, idque interim, dum illa & similes cura & studio pro examine impensis discutiuntur, de quo diximus *supra n.* 102. *& seqq.* Est autem ordine. 8. & sic habet: *Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licitè accipere applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idque post Decretum Vrbani VIII.* vbi dubitari potest, an secluso Decreto Vrbani Propositio talis censuram mereatur? Si enim non meretur. & Decretum tale non est alicubi receptum, videtur iuxta illam agi posse, & sic duplicatum stipendium accipi.

Propositio damnata circa stipendium Missæ.

An vbi Decretum Vrbani receptum non est licitè habeat damnatio.

146. Et id quidem videtur suaderi posse ex eo quòd, si secluso Decreto tali censuram mereretur, non erat cur Decreti mentio induci deberet, quæ quidem exceptionem quamdam continet, & ita firmat regulam in contrarium. Deinde ex Propositione sequenti, quæ sic habet: *Post Decretum Vrbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendij sibi retenta.* Secluso namque Decreto Præfato non videtur censura digna, quam graues Theologi sunt amplexi, neque ita malè audijt, vt illa digna crederetur. Prætereà, in Propositione sequenti nulla fit Vrbani Decreti mentio, quæ sic habet: *Non est contra iustitiam pro pluribus Sacrificijs mercedem accipere, & Sacrificium vnum offerre. Neque etiam est contra fidelitatem etiamsi promittam, promissione etiam iuramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.* Quod quidem videtur propterea factum, quia in eo apparet manifestum absurdum, prohibitione quacumque circumscripta; vnde in Decreto Vrbani. §. *Deinde* obligatio restitutionis indicitur, quæ quidem ex dicta iniustitia resultat. Sed his non obstantibus.

Quid videatur pro parte negatiua facere.

Alia pro eodem.

Alia item.

147. Dicendum censuram dictam supra Propositionem præfatam cadere, etiam vbi Decretum Vrbani non est receptum quoad aliqua in eo contenta. Id probo *Primò* ex tenore eiusdem Propositionis, seu modi, quo proponitur: Cùm enim absolutè proponatur, additur in fine: *In quo post Decretum &c.* In quo quidem non est facta restrictio ad prohibitionem talem, sed noua addita qualitas, propter quam debuit etiam condemnari. In Decreto enim illo non est specialis mentio casus huius, sed comprehensum debuisse censeri ex eo cum Congregatione significat Pontifex, quia in eo ita dicitur §. citato: *Sacra Congregatio sub attestatione diuini iudicij mandat & præcipit vt absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint: aut alioquin ij, ad quos pertinet, suæ obligationi non satisfaciant, quin immò grauiter peccent, & ad restitutionem teneantur.* Sic ibi. Ex quo habetur ob duplicatum stipendium Missas etiam duplicandas, & ita titulum illum applicationis fructus specialissimi nullam posse inducere exceptionem. Quod quidem ita esse secluso Decreto, satis compertum habetur, quia Decretum obligationem supponit, cui non fit satis Sacrificij vnius celebratione. Id quod etiam constat ex eo quod habetur. §. 1. vbi sic dicitur: *Sacra Congregatio Concilij Tridentini Interpretum animaduertens facturam sibi rem Deo gratissimam, charitatique ac iustitiæ maximè consentaneam, si pro viribus satagat hunc deterrimum abusum à Christiana Republica conuellere atque eradicare, SS. Dom. N. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. auctoritate sibi specialiter attributa, infrascripta Decreta edidit.* Hæc ibi. Iuxta quæ liquet ante Decretum in acceptione duplicati stipendij intolerandum abusum extitisse: vnde & tenor Propositionis hoc indicat, dum dicitur: *In quo post Decretum &c.*

Decretum Vrbani 8.

Idem cum S. Tridentini Congregationi.

148. Deinde Auctores, qui contra sententiam prædictam scripserunt, etiam secluso Vrbani Decreto, malè de eâdem senserunt, aut in particulari de eâdem agentes, aut contra eos disputantes, qui vna Missa affirmant posse satisfieri obligationi

Sententia dicta ante Vrbani Decretum malè audiebat.

Diana. obligationi ex duplicato ſtipendio reſultanti. Diana *Parte 11. Tract.7. Reſolut.27.§.Dico igitur*, poſt alia ſic habet : *Non ergo poteſt certum ſtipendium accipi pro applicatione fructus ita dubij. Vnde ſolvuntur argumenta contraria ſententiæ , quæ hic Romæ ab omnibus Miniſtris huius Curiæ deteſtatur.*

P. Dicaſtil. P. Dicaſtillus *Tomo 1. de Sacramentis Tract.5.Diſput.4.n.349.* ita ſcribit: *Propter prædictas rationes aliqui viri docti noſtræ Societatis, etiam ante Decretum citatum cum alys putabant de hac re conſulti oppoſitum noſtræ Aſſertionis non eſſe practicè probabile : & ſanè mihi parum , aut nihil probabilitatis habere videtur.* Citauerat autem Decretum, §.3. iuxta Dianæ citationem *Parte 2. Tract.14. Reſolut.8.* propter verba à nobis adducta, *n.præced.* vbi & vidimus in eo caſum præſentem comprehenſum , vt in ſuis Decretis. SS. Alexander declarauit. Eligius Baſſæus *Tomo 2.verb. Miſſa 3.n.9.* appoſita ſententia relata ſic ſubdit : *Contrarium tamen in praxi omnino ſuſtinendum videtur cum communi ſententia , quia non ſtat promiſſis , qui plures pro eâdem Miſſa recipit ſtipes , inſcijs offerentibus, facit enim contra voluntatem ipſorum offerentium : & qui contrariam ſequitur opinionem, non modicam animis hominum ingerit ſordidæ cupiditatis & auaritiæ ſuſpicionem, contrariamque opinionem ſcandalum inter populares excitaſſe teſtantur multi Doctores. Et modo prior ſententia corruit propter Decretum Sacræ Congregationis in contrarium , vt videbitur infra. Miſſa. VII.* ſcilicet. *n.8.* De ſententia autem , contra quam ſpecialiter agimus differens *n.9.* aliam illam à S. Congregatione correctam. Erat ergo correctione digna ante Congregationem ipſam, licet quorumdam Scriptorum auctoritas eam tolerabilem faciebat. Fr. Antonius à Spiritu ſancto in *Directorio Regularium Tract. 2. Diſput.2.n.207.* poſt addictum caſum ſatis notabilem ex Bordono de Sacerdote , qui iuxta opinionem, contra quam agimus, fuerat operatus, ſic ſublato etiam Vrbani Decreto concludit : *Vnde ego deteſtor tales opiniones, & à Doctoribus delendas eſſe ſemper exiſtimaui.* Sic ille. Habemus ergo hinc cenſuram SS. Alexandri eam ſecundùm ſe conſideratam percellere , & nullibi poſſe ſuſtineri.

Fr. Antonius à Spiritu Sancto.

Eligius Baſſæus.

149. Præterea , Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum,& cum ea idem Sanctiſſimus in Decreto citato.*n.145.* idem non obſcurè ſignificant : ſic enim ibi : *Cùm Auctores nonnulli ſcriptis ſuis , etiam typis editis , aſſeruerint Sacerdoti pro alio Miſſam recepta eleemoſyna celebranti, licitum eſſe aliam eleemoſynam quoque accipere ab altero, cui partem illam fructus ſeu valoris eiuſdem Sacrificij ipſimet celebranti debitam (ſpecialem nuncupatam) applicet , ac proinde hunc caſum ſub Decreto Sacræ Congregationis Concilij prohibente duplex pro vnica Miſſa ſtipendium.ſeu eleemoſinam recipi non eſſe comprehenſum.*

Ex Decreto SS. Alexan. VII. cum eadem Congregatione id demonſtratur.

Propterea Sacra Congregatio Eminentiſsimorum ac Reuerendiſſ. DD. S. R. E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum , quæ auctoritate ſibi per Apoſtolicam Sedem ſpecialiter attributa ſedulò curat ne à Sacerdotibus circa celebrationem Sacro Sancti Miſſæ Sacrificij , vnde in nos vberrima diuinæ liberalitatis munera deriuantur , auaritiæ labes, aut ſuſpicio contrahatur , antedictam aſſertionem maturè examinauit , eâdemque prorſus reprobata ſub die 25. Ianuarij 1659. cenſuit.

Nulli Sacerdoti licitum eſſe præfata ratione , ſiue prætextu , aliam eleemoſynam accipere præter illam, quam accepit ab eo , pro quo Miſſam offerre tenetur : ac proinde caſum hunc eſſe comprehenſum in Decretis alias per eamdem Sacram Congregationem Concily editis , quibus prohibetur ne duplex ſtipendium pro vnica Miſſa recipiatur.

Quam Sacra Congregationis ſententiam ad Sanctiſsimum Patrem. N. Alexandrum VII. relatam Sanctitas ſua ſub die.29. eiuſdem menſis approbauit, & Decretum publicari, atque ad Epiſcopos , & Generales Regularium Ordinum transmitti iuſsit , vt ipſi doctrinam huiuſmodi per ſuos Pœnitentiarios & Confeſſarios , ac Lectoribus reſpectiuè inſinuari , doceri , atque in Tractatibus moralibus per eoſdem imprimendis evulgari Paſtorali vigilantia curent.

F. Card. Pavlvtivs Præf.

Loco ✠ Sigilli.

C. de Vechijs Epiſcopus Cluſinus. S. C. C. Secretarius.

Sequitur fides publicationis *die. 27. Octobris.* 1659. Et mirum profectò à mandato ſuæ ſanctitatis die.29. Ianuarij vſque ad illam tot effluxiſſe dies. Forſitam enim qui ſe opponerent extitêre nonnulli : ſed benè & ſanctè conſultum non potuit non ad effectum , reiecta contradictione, perduci.

Expendum, & infirmatur probatio illa.

150. Iam quod de non obſcura ſignificatione dicebam , oſtendo. Nam in prædicta aſſertione ſecundùm ſe ſumpta labem aliquam , ob quam reprehendi deberet, Congregatio deprehendit,& propterea caſum hunc in Decretis comprehenſum atteſtatur. Ergo ante illud iam erat prohibitione digniſſima , & ita non ea tantùm ratione reprobata eſt , quia Decreto contraria , ſed quia ex ſe labe erat infecta, quæ & cenſuram, & conſequenter prohibitionem merebatur. Quod & indicat illud , *Prorſus reprobata.* Quia ſcilicet & ex ſe ſcandalis abnoxia, & Pontificio Decreto contraria. Neque prætereundum illud : *Nulli Sacerdoti licitum eſſe præfata ratione, ſiue prætextu.* Noluit enim Congregatio abſolutè rationem dicere, quæ ſolidi aliquid videtur indicare,ſed prætextum addidit , quo titulum non verum, ſed coloratum expreſſit. Eſt autem prætextus , vt ex Latinis conſtat Auctoribus,idem quòd *falſa cauſſa , ſimulatio , ſpecies , color , obtentum , quod facto alicui prætexitur.* Et ita eſt in vſu Sacrorum Canonum , & Pontificiarum deciſionum , vt videri ſpecialiter poteſt in *Bulla Cœnæ. Excommunicat. 14. & 15.* & in Bullis prohibentibus ingreſſum in Monaſteria diuerſi ſexus , de quibus Bonacina *Tomo 2.Tractatu de Clauſura. Quæſt.4.Puncto.5.& Quæſt. 5. Puncto 2.* P. Thomas Sancius *Tomo 2. Operis Moralis Lib. 6. Cap. 16. & 17.* & alij plures.

Quid Prætextus.

In contrarium adducta reſpondetur.

151. Neque adducta in contrarium vrgent. Quod enim de mentione inducta Decreti Vrbani dicebatur, iam vidimus in aliter ſentientes,ſi qui fortè ſint, poſſe retorqueri. Id verò quod ex Propoſitione ſubſequenti videtur vrgere ex eo diluitur in primis , quòd diuerſus modus proponendi

nendi in eo ſit, cùm in illa à prohibitione Vrbani ſumatur initium. *Poſt Decretum Vrbani* : quod ſecus accidit in priori : vt indicaretur nouus titulus ad omnimodam reprobationem. Deinde dici poteſt in Propoſitione ſecunda eamdem eſſe rationem : vnde in Decreto Vrbani §. *Ac ſimiliter*, vbi de eo agitur , *damnabile lucrum ab Eccleſia remouendum* dicitur ; non obſtante probabilitate , quam ipſi docti Scriptores ante prohibitionem contulerunt. Sic enim in alijs accidit , & magis obuium exemplum occurrit in Confeſſione abſentis à Clemente VIII. & Paulo V. cum cenſurarum additamento reprobata. Pro quo iuuat Petrum Cenedum adduxiſſe , qui Libro de qq. Canonicis q.27. nu.10. ita loquitur : *Quamuis hæc tertia opinio tot ſit , & tantorum virorum munita præſidio ; tamen in ea meus non conquieſcit animus , nec abſolutè illi , ſed cum grano ſalis conſentio : nam quamuis huiuſmodi conſuetudo & lex non ſit Simoniaca , eſt tamen illicita negotiatio propter auaritiam & propinquitatem turpis quæſtus , ſcandaloſa , & indigna Eccleſiaſtica perſona.* Sic ille , de opinione locutus , quam proſcribit Pontifex, etiam in vrgentioribus terminis,quantùm ad roborandam eam , de qua agimus, quando ſcilicet pro retinenda parte ſtipendij eſt lex aut conſuetudo in Collectoribus ratione officij. Quod ad Propoſitionem aliam attinet, ideò Decreti Vrbani mentio non facta , quia in ea non negatur abſolutè poſt Decretum tale obligationem dari , quam Pontifex imponere potuit , ſed ſecundùm ſe loquendo ; id quod in Decreto dicto non ita videbatur expreſſum : quia obligatio reſtitutionis præſcribi potuit ab illo in pœnam , licet non ratione iniuſtæ acceptionis, aut rei acceptæ , ſi bona fides extitit. Dici etiam poteſt Propoſitionem illam ſic propoſitam , vt apud Auctores aliquos inuenitur , qui ante Decretum ſcripſerunt , & meritò debet cenſura peculiari configi , quod in Decreto non fuerat præſtitum , quamuis reuera in eo violationem iuſtitiæ intercedere ſatis fuerit verbis Decreti inſinuatum , tum ratione reſtitutionis, quæ non in pœnam , ſed ex eo quòd ſuæ obligationi non ſatisfaciant , vt in eo dicitur , & vidimus *nu.* 147. vbi & illa : *Charitatique ac iuſtitiæ maximè conſentaneam.*

Decretum Vrbani.

Petrus Cenedus.

Turpiu quæſtus condemnatur, etiam in Collectoribus.

Cur Decreti præfati non facta mentio in alio.

Non eſſe receptum nequis allegari.

152. Iuxta prædicta ergo Propoſitionem dictam Pontificia ſemper cenſura & vbique comitatur , vt allegari nequeat Vrbani Decretum non eſſe receptum , circa quod multos adducit Auctores P. Gabriel de Henao *Diſput. 31. de Sacrificio Miſſæ nu.113. & ſeqq.* non receptum aſſerentes , aut de receptione dubitantes , quibus & ipſe non videtur reluctari. Pro quo & Fr. Antonius à Spiritu ſancto *in Directorio Regularium Tract.2. Diſput.1. n.142. & 143.* Pro quo & eſt illud inquiſitione digniſſimum , an ſcilicet talis non receptio ſit tolerabilis , vel eâ non obſtante prædictum Decretum obligationem inducat ? In quo omnino videtur aſſerendum , non obſtare quidquid de illo non recepto poteſt allegari , cùm abſolutè obliget : id quod in Decretis Vrbani vt indubitatum ſupponitur. Nulla enim ratio adduci poteſt , quæ momenti alicuius ſit, vt licitum apparere poſſit contra illud operari. Suo enim Decreto Vrbanus teterrimum abuſum è Chriſtiana Republica conuellere & eradicare conſtituit, contra charitatem & iuſtitiam , vt vidimus *nu.* 147. pro quo non poteſt patrocinium ferre conſuetudo , quæ vt vim habeat, debet eſſe rationabilis , & non corruptela : propter quam rationem etiam immemorialis reijcitur apud Eccleſiæ Canonicos, in quibus non potuerunt non eſſe multi & probi & eruditi , quam Gloſſa Pictauienſem fuiſſe ſignificat, vt videri poteſt *Cap. 1. de Conſuetudine in 6.*

Non eſt tolerabilis obſtantia receptioni.

Sicut nec conſuetudo.

Gloſſa.

Ex eo quòd contineat doctrinalem declarationem reddetur irrefragabile.

Accedit Decretum dictum continere doctrinalem declarationem in ijs, de quibus agimus (quidquid de diſpoſitionibus quibuſdam ſit ad gubernationem commodiorem ſpectantibus) cui omnes ſtare debent , iuxta receptiſſimam Theologorum doctrinam gradum certitudinis eximium habentem,quòd Pontifex in talibus errare nequit : vnde contra illam nequit vſus oppoſitus prævalere. Quemadmodùm quia Pontifices Clemens & Paulus declararunt non poſſe abſentem abſolui , cenſuris adiectis , contrariæ aſſertionis conſuetudo nequit vim in contrarium habere, quia eſſet doctrinali declarationi è cathedra contraire. Similiter accidit in caſu Propoſitionis ſecundæ ex damnatis in Decreto citato ſic ſe habentis : *Vir equeſtris ad duellum prouocatus poteſt illud acceptare , ne timiditatis notam apud alios incurrat.* Quam dum damnat Pontifex , pariter prohibet ne id fiat ; neque allegari poteſt id non eſſe apud equeſtres viros in vſu , opinione Doctorum ſe tuentes, quirita cenſuerunt. Nam præceptum tale includit declarationem præcepti diuini , iuxta quod id eſt illicitum , & ita non patitur excuſationem. Idem eſt in Propoſitione illa , ordine 22. *Non eſt contra iuſtitiam Beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratis , quia Collator conferens illa Beneficia pecunia interueniente , non exigit illam pro Collatione Beneficij , ſed veluti pro emolumento temporali , quod tibi conferre non tenebatur.* Cùm enim declaratoria ſit falſitatis illius doctrinalis ſententia Pontificis , nequit contra illam pro excuſanda reſtitutione vſus contrarius inquam in patrocinium aduocari. Sic eſt de alijs nonnullis in eodem Decreto contentis ; immò & de eorum pluribus , de quibus alibi : quod & oſtendi in multis poteſt , in Sacris Canonibus , & Pontificijs Conſtitutionibus repertis.

Propoſitio damnata circa duellum.

Alia accipientem pecuniam daturum Beneficium, vt emolumentū temporale.

Alia, & notanda circa populum non acceptantem legem ſine cauſſa ad illud.

154. Et præfatis addendum à SS. Alexandro in Decreto dicto Propoſitionem illam etiam damnatam, quæ eſt omnium poſtrema : *Populus non peccat , etiamſi abſque vlla cauſſa non recipiat legem à Principe promulgatam.* Id quod in lege Pontificia eſt multò certius , & in caſu noſtro irrefragabile, quia nulla eſt cauſſa vt Decretum Vrbani non debeat acceptari, cùm charitati ſit & iuſtitiæ conforme, & teterrimi abuſus conuulſiuum. Stare quidem poterit vt tale aliquid lege prohibitum permittatur , ſicut multa ſolent manifeſtè mala permitti , quorum malitiam non tollit conſuetudo : ſed aliud eſt permiſſio , ſtante legis obligatione , aliud ceſſatio obligationis ob non receptionem , vt conſtat. Et quidem ratio nulla afferri poteſt , qua vel apparenter valeat oppoſitum comprobari. Si enim ſit ab Au-

ctoribus petita, qui damnatam sententiam tenuerunt: illam nullius esse momenti, dum sententiam damnat, Pontifex declarauit: aliàs dici posset illum contra rationem statuisse: Necessitas autem Sacerdotum, quæ vt generaliter de illa Ius vtrumque pronuntiat, caret lege, ineptè protruditur, quia & illa est à Pontifice peruisa, vtpotè vulgarissima caussa abusus præfati, de qua & mentio verbis illis, *& redditus Ecclesiæ aut Monasterij adeò exigui, vt Sacerdotes pro necessaria sua sustentatione nouis se oneribus obstringere compellantur.* Sic §. 1. pro quo & §. vlt. sic habetur: *Postremò Illustrissimi Patres non sine graui animi dolore intelligentes, mala fere omnia, quæ regularem disciplinam euertunt, ac præcipuè nimiam hanc facilitatem fouent in oneribus Missarum supra vires suscipiendis, veluti ex infecta radice pullulare,* &c. Satis ergo præ oculis Illustrissimi Patres, & prouidissimi Pontifices Sacerdotum necessitates habuerunt, nec tamen propterea in eam cogitationem adducti, vt ratione illius omnium maximo suffragio fideles stipendium tribuentes, & defunctorum animas fraudandas sustinerent. Et quidem quando illa in Sacerdotibus Religiosis occurrit, quomodo eidem succurrendum sit, ibidem prouidetur. Si autem sæculares, non est cur illam debeant attendere, quandoquidem ea supponi non debet, stantibus vrgentissimis Ecclesiæ legibus, ne quisquam sine titulo ad sustentationem sufficienti ab Episcopis ordinetur. Quod si secus accidat, onus sustentandi sustineant qui scientes aliter egerunt: si verò decepti, onus suum portent deceptores, & vijs alijs sibi consulant à suspensione absoluti, quod equidem nec merentur; nec sacrilegia sacrilegijs addant vti eorum remedia, & sic perditionis viam reddant latiorem. Certè vt necessitati subueniatur non licet pluscuàm semel in die celebrare, neque sine vestibus sacris, aut naturali ieiunio fracto, ac sine alijs, quæ ad sacrosancti sacrificij decentiam requiruntur, quorum plura ab Ecclesia sunt instituta, & circa quæ locum potest habere dispensatio: ergò neque id licebit, de quo agimus, in quo violatio iustitiæ manifesta interuenit, & alia, quæ nomine teterrimi abusus Sacra Congregatio declarauit:

Necessitatis tutulus eliminatus.

Decretum Vrbani 8.

Ex alijs efficax argumentum, in quibus non suffragatur necessitas.

155. Et per hæc cessat prolixa disputatio P. Ludouici à S. Raymundo Ordinis PP. Discalciatorum B. MARIÆ de Mercede *Tomo 2. variarum Resolutionum moralium Tractat. 13. Resolut. 1.* in qua sententiam à Pontifice damnatam anxiè nititur persuadere. Et quidem cùm *num. 15.* sic dicat: *Saltem dum contrarium non declaratur à Pontifice summo, & Sacra Congregatione*, habet iam, quod desiderari poterat, vt non liceat contra tantæ auctoritatis pondus mutire ijs, qui de filiali erga Ecclesiam obedientia gloriantur. Et non sine peculiari Dei prouidentia factum, vt eodem anno, quo opus illud prodijt, Decretum SS. Alexandri prodierit, velut antidotum periculosæ doctrinæ, scilicet 1659. Quæ enim ab vno aut aliquo post Decretum Vrbani fuerat tradita, ab Auctore isto adeò ex professo probata, secluso Pontificio Oraculo, amplius poterat propagari. Et dolendum quidem P. Hieronymum Lachiana è Societate nostrâ illud approbasse, quod quidem ipse per doctus siculus minimè docuisset, communem circa hoc Societatis doctrinam amplexus, pro qua siculus alius P. Franciscus Bardi egregiè militauit in *Selectis Lib. 10. Quæst. 12. num. 6. & seqq.* Vt appareat autem quàm meritò sit sententia præfata ab Apostolica Sede reiecta, iuuat circa ea, quæ pro ipsa stabilienda citatus Auctor adducit, non sine vtilis operæ pretio, aliquantulùm distineri.

Moderni auctoris reprobata defensio.

Ludouicus à S. Raymundo.

Notanda diuina prouidentia Dei positis.

P. Franciscus Bardi.

§. I.

De fructu speciali, qui in Missæ Sacrificio Sacerdoti respondet, quid iuxta Recentiores extet, & quid iuxta veritatem sentiendum.

156. PRæter fructum ex opere operantis, qui correspondet Missæ quo ad orationes, preces, cæremonias &c. & commensuratur merito, bonitati, & dispositioni Sacerdotis nomine Ecclesiæ offerentis, alium ex opere operato communiter illi agnoscunt, & est ille, vt explicat Lezana *Tomo 2. v. Missa num. 7.* Auctores adducens, ex quibus & citatus Pater à S. Raymundo *num. 1.* qui correspondet Missæ, quatenus scilicet includit oblationem, quia est ex institutione Christi supra omne meritum, & dispositionem Sacerdotis offerentis: ita vt ipso Sacerdote etiam in peccato existente adhuc Missa habeat hunc effectum, & fructum: qui est triplex, generalis, specialis, & medius: generalis est qui ex intentione Christi & Ecclesiæ applicatur omnibus fidelibus: specialis est ille, qui correspondet Sacerdoti offerenti sacrificium Missæ: fructus autem medius est qui applicatur illi, pro quo specialiter Sacerdos Sacrificium offert. Sic citatus Scriptor explicat: in qua explicatione occurrit in primis manifesta falsitas in eo quòd absolutè asseratur fructum sacrificij ex opere operato haberi etiam Sacerdote in mortali peccato existente cum fructus specialis qui ex opere operato ponitur statè nequeat existente Sacerdote in huiusmodi statu, vt omnes fatentur, qui illum agnoscunt. Et licet Auctor dictus cum Bordono affirmet talem fructum posse applicari alteri, etiamsi Sacerdos sit in statu peccati mortalis, est illud valde singulare, & non debuit vt quid compertum apponi, quod est contra communem Doctorum sensum, & vt falsum communiter reputatum, & reiectum: & quidem ad fundandam opinionem adeò inuerosimilem, quæ propter suam absurditatem est ab Ecclesia damnata, & nullius in Ecclesia commodi, quin potius in magnum fidelium tum viuorum, tum vita iam functorum detrimentum, non poterat non proportionatum eidem fundamentum assumi, in quo præterea alia satis incerta iunguntur pro exploratis & inconcussis vendita. Illa videamus.

Fructus Missæ diuisus in eum, qui ex opere operantis, & operato.

Posterior est triplex.

Male à moderno illo Scriptore explicatus medius dicente respondere eum qui existit in peccato mortali sicut & alij.

158. Primus ille fructus est constitutione Christi generalis dictus, ex opere operato affirmatur, quod tamen negant grauissimi Scriptores, ex quibus P. Suarez *Tomo 3. in 3. p. Disput. 79. Sectione 9. §. Secundò In quid.* Cardinalis Lugo *Disputat. 19. de Sacramentis num. 220. & seqq.* P. Ægidius Coninck *de Sacramentis Disput. 83. nu. 156.* P. Filliucius *Tomo 1. Tractat. 5. num. 77.* P. Franciscus de Lugo *Tract. de Sacramentis Lib. 5. Cap. 4. n. 47. & 54.* per errorem 53. & alij complures, qui neque ex opere operantis fructum aliquem agnoscunt ad fideles omnes in particulari pertinentè eius generis, qui ab aduersarijs adstruitur, satisfactionis quidem: quia etsi valde ille esset exiguus, cùm innumera sint sacrificia, vix aliquid extaret in Purgatorijs flammis expiandum, in quibus ad summum breuissima esset detentio, quia & pro ipsis sacrificium offertur vt ex Hostiæ oblatione constat, ibi: *Sed & pro omnibus fidelibus Christianis viuis atque defunctis.* Et in Canone: *Ipsis Domine, & omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerij, lucis & pacis* &c.

Fructus ex opere operato ex vi institutionis non habetur.

Pro eo stabiliendo verosimilis coniectura.

Fructum ad omnes fideles pertinentem negat plures. Pro quo & congrua ratio.

Specialis non agnoscitur, & sunt qui negant.

Prima ratio.

P. Suarez.

Est pro illo necessaria promissio.

Sacrificij & Sacramenti discrimen.

158. Deinde fructus ille, qui specialis dicitur, incertus est, & eum negat P. Vasquex *Disp. 231. n. 12. & seqq.* P. Coninck *suprà n. 161.* Cardinalis Lugo citatus *nu. 233.* vt eum benè intellexit P. Franciscus de Lugo *suprà n. 49.* quod & ratio eius ostendit, & Scriptorum auctoritas, quos adducit, & alij apud ipsos existimantes oblationem Sacerdotis solùm afferre fructum ex opere operato illi, cui à Sacerdote applicatur: vt ergo ipsi Sacerdoti afferat pro se ille debet offerre, & sibi fructum peculiarem applicare. Quod quidem ex eo fundari potest, quia nulla de illo extat promissio. Vbi enim illa? Ex ratione autem sacrificij id non habetur, quod ex se indifferens est vt pro his possit, aut pro illis applicari: in quo discrimen apparet inter ipsum vt tale, & vt rationem Sacramenti habet, quod soli est recipienti proficuum ex opere operato. Immò & institui hoc sacrificium potuit sine virtute in actu proximo ad fructum ex opere operato conferendum, quod & ita de facto esse censuerunt aliqui, quorum meminit P. Suarez *suprà Sect. 1.* in principio: licet *Dicto primo* aliquos ab ea assertione vindicet, nec Catholicum contra dicentem se inuenisse pronuntiet, & *sect. 6. §. Sed contra* loquens de remissione pœnæ, quam ex opere operato conferre ait, affirmat id non esse de fide, & Concilium Tridentinum ab ea abstinuisse quæstione, esse tamen contra communem Theologorum sententiam, à qua discedere magna esset temeritas. Quo tamen non obstante idem Eximius Doctor *citata Sect. 1. §. Fundamentum prioris*, id statuit quod diximus: cùm enim afferat doctrinam aliquorum dicentium fructum ex opere operato non haberi ex speciali Christi promissione, sed ex ipsa Sacrificij institutione, quæ secum necessariò adducit efficaciam sacrificij ad huiusmodi effectum, quia est sacrificium nouæ legis & perfectum. Cùm inquam doctrinam istam adducat, eam reijcit, quia licet iudicet congruentem rationem, ob quam institutio talis sacrificij postulat vt ei promissio talis adiungatur: non tamen satis est vt huiusmodi effectus, vel efficacia possit sine promissione speciali intelligi: nam tota ratio sacrificij etiamin noua lege perfectè intelligi potest absque huiusmodi effectu, vel caussalitate ex opere operato: in quo est nulla differentia inter Sacramentum & sacrificium: nam Sacramentum per se primò institutum est ad sanctificationem conferendam & significandam, & ideò tale Sacramentum intrinsecè includit in sua institutione vt sit signum perfectæ sanctificationis, quæ fit per gratiam ab ipsomet collatam: in quo continetur quædam promissio gratiæ, tamen ipsa intrinsecè includitur in institutione ipsa Sacramenti vt tale signum est: sacrificium verò per se primo instituitur ad cultum Dei quoad significationem: & hoc sacrificium institutum est in repræsentationem passionis Christi, quoad significationem mysticam; & hæc sunt quæ per se pertinent ad institutionem talis sacrificij vt sic. Quod autem vltra hoc habeat virtutem conferendi aliquem effectum ex opere operato, est quidem decenter annexum tali sacrificio; non est tamen ita per se & intrinsecè inclusum in ratione sacrificij. Sic doctissimus ille Magister discurrit, ex quo id, quod est à nobis assertum, egregiè comprobatur.

Consensus Ecclesiæ non est pro fructu speciali, sicut pro alio.

159. Vbi quidem nequit obijci non obstante præfata doctrina, à Doctoribus Theologis virtutem ex opere operato in sacrificio agnosci ad pœnæ remissionem in ijs, pro quibus offertur, vt vidimus, & eodem modo posse in casu nostro discurri. Nam diuersa valde est ratio: pro illo enim stat communis Ecclesiæ consensus: omnes enim sibi habent persuasum sacrificium ex vi suæ institutionis quomodocũq; explicetur habere singularem vim & efficaciam ad applicandum aliquem fructum redemptionis Christi, iuxta id quod Concilium Tridentinum *Sessione 22. Cap. 1.* dixit Christum instituisse hoc sacrificium *vt illius (*scilicet sacrificij Crucis*) salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur*, vt philosophatur, id pleniùs prosecutus ipse P. Suarius *Sect. 1. citato §. Sic igitur.* Atqui in nostro casu talis consensus non extat, immò sunt qui contradicant multi & grauissimi Scriptores, qui neque ex vi institutionis promissionem agnoscunt, neque illi aliquomodo annexam: vnde incerta valde res ista, & ita non solidum ædificium tali potest fundamento superstrui, vbi præsertim negotium iustitiæ agitur, de quo *inferius.*

160. Vna mihi occurrit non contemnenda coniectura pro illo stabiliendo, ex eo scilicet quòd spiritus Ecclesiæ valde vrget fideles, tum Sacerdotes, tum alios, vt sacrificium Missæ pro animabus in Purgatorio detentis offerant, aut offerri curent. Id quod ad Sacerdotale officium eximiè pertinere in ipsa forma ordinationis habetur, dum potestas conceditur Missas celebrandi *tam pro viuis, quàm pro defunctis.* Non videtur autem credibile velle Ecclesiam Sacerdotes fructu sacrificij quoad remissionem pœnæ fraudari, dum pro defunctis celebrant: quod tamen contingeret, si fructus aliquis specialis non responderet eisdem: medius enim ei, pro quo offertur, applicatur: generalis, aut nullus ex opere operato, aut valde exiguus. Si ergo nullus alius restat, magnum profectò Sacerdos patitur detrimentum, qui fructum medium sibi applicare potuit, id quod & charitas benè ordinata videtur exigere, quæ iuxta notum axioma *incipit à seipso.* Neque enim doctrina illa vulgò recepta de maiore merito in applicatione cunctorum bonorum operum pro animabus dictis, illos in eo sibi præferendo,

rendo, ad Theologicum examen adducta adeò inconcussa deprehenditur, vt non sint qui validè ipsam impugnent, ex quibus P. Arriaga *Tomo 5. Disput. 40. Sect. 2.* vbi & ingeniosè & robustè id præstat.

Cur fructum medium applicare pro alijs non sit ita dissonum sicut neque specialem.

161. Dici potest hoc argumento nimium probari: constat enim Sacerdotem posse sibi fructum medium applicare, etiamsi specialis extet sibi correspondens: hunc autem cùm animabus defunctorum applicat, se illo defraudat, in quo inordinatio nulla charitatis est; aliàs Ecclesiæ spiritus minimè ad illud permoueret: idem ergo dici potest, etiamsi fructus specialis non sit, stante positione dicta, quòd scilicet applicatio dicta pro animabus fructus talis, quo se Sacerdos priuat, nihil inordinatum continet, & ita ab Spiritu Ecclesiæ potest conuenienter intendi. Sed hoc non videtur vrgere: quia fructus ille medius principaliter destinatus est vt possit alijs applicari; ideò enim peculiaris portio est Sacerdoti assignata; vnde cùm se illo priuat, iuxta spiritum Ecclesiæ agit, reddens quodammodo quod debet, & quasi per supererogationem obtinuit. Vnde est sententia grauium Scriptorum asserentium, si applicatio desit, ita vt Sacerdos neque formali, neque virtuali intentione pro se applicet, medio illo fructu fraudari, qui in thesauro Ecclesiæ, aut reponitur, aut retinetur. Sic P. Suarez *Disput. 79. citata Sect. 9. §. Tertiò inquiri.* P. Vasquez *Disput. 131. citat. nu. 10. & 11.* P. Dicastillus *Disput. 3. nu. 164.* P. Martinon *Tomo 4. Disput. 39. nu. 35.* P. Arriaga *Tomo 7. Disput. 53. n. 8.* & idem reipsa tenet Cardinalis Lugo *citata Disput. 19. nu. 228.* stante defectu applicationis dicto, licet asserat de facto credibile esse contrarium ob generalem intensionem in oblatione Hostiæ declaratam: *Pro innumerabilibus peccatis, & offensionibus, & negligentijs meis.* Quod etiam ordinariè loquendo fatetur P. Suarez; addens tamen casum non esse impossibilem, in quo scilicet penitus applicatio desit, & quidem illam, quæ in oblatione Hostiæ habetur non videri sufficientem ex eo ostendi potest, quòd illa eodem modo fit, quando sacrificium pro alijs ex iustitia, aut titulis alijs applicatur. Cùm ergo defectu applicationis id accidat, quod vidimus, iuxta præfatos Auctores, argumento est fructum illum medium non habere peculiarem respectum ad sacrificantem, nec propter illum esse, nisi per accidens, aut quasi per accidens, & ita contra ordinatam charitatem non esse, si illo priuetur. Sacerdos enim minister publicus est à Deo constitutus, non tantùm vt in communi causam fidelium agat, sed etiam in particulari, à quibus debet sustentari, vel quibus ob titulos alios gratificari suo ministerio debet, & ita oportuit fuisse fructum aliquem sacrificij, quem applicaret ipsis, sua sibi peculiari portione seruata.

Si Sacerdos medium fructum non applicet, an eo fraudetur.

Applicatio in oblatione Hostiæ non videtur sufficiens.

Circa quantitatem valoris diuersitas opinionum.

162. Quanta autem illa sit, an scilicet æqualis ei, quæ ad fructum medium spectat, an maior, an minor, nequit nisi diuinando constitui, vt bene Lezana *supra nu. 17.* & Diana *Parte 11. Tract. 6. Resolut. 27.* Dici enim æqualis potest, vt Marchinus putat apud Dianam *Resolut. citata* ne, cùm medius communiter applicetur alijs, ex eo sacrificans videatur notabile pati detrimentum, qui medium sibi potuit applicare. Item & ex eo quòd iustitia videtur seruari, æqualitate inter Sacerdotem & alium, pro quo offert, constituta, vt nullius in eo sit melior conditio. Quia verò Sacerdos iterare sacrificium cum ordinaria per totam vitam frequentia potest, ex quo & satisfactio pro peccatorum pœnis debitis egregiè crescere: cùm tamen celebratio pro alijs non ita accidat, quia, nisi Capellanus sit, iam pro vno, iam pro alio, sacrificium offert; videri potest simile vero fructum medium esse maiorem, & quia ille respondet Christo, cuius nomine sacrificat; cum tamen alius vt priuatæ personæ conueniat. Et ita Nauarrus *Consilio 8. de Celebrat. Missar.* censuit tres speciales fructus vnum medium æquare: quod videtur placuisse P. Filliucio *citato Tract. 5. n. 181.* Præterea, quia Sacerdos magis est sacrificio proximus, verosimilius apparet aliquibus, vt magis de altari participet, & ita in fructu speciali alios participantes excedat. Quantum autem quis sciat?

Nauarrus.

Quæ pro ea coniectura.

163. Etsi coniecturis dandus locus, erunt qui duplo maiorem dicant, quia sicut Apostolus Presbyterum benè administrantem, duplici honore dignum affirmat *1. Tim. 5. v. 17.* verbis illis: Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: sic & Deus in præcipuo sui muneris ministerio eos duplicato fructu præ alijs verosimile apparet honorare. Et quia proximitas Sacerdotis respectu sacrificij adeò est excellens, erunt forsitan, qui non duplo tantùm, vt Leandro placuit apud Dianam *ibidem*, & *citato* Patri à S. Raymundo *nu. 42.* cum Marchio: sed etiam triplo, aut quadruplo maiorem esse contendant. Ad eum modum, quo Beatissima Virgine propter proximitatem eximiam ad Christum, eximius etiam dignitatis & sanctitatis gradus à SS. Patribus & Theologis celebratur: licet in casu nostro competens sit adhibenda mensura, & quis hanc litem nisi reuelationis alicuius beneficio dirimat? & quotusquisque erit fidem eidem præbiturus, quando apud multos Pontificia Decreta hoc in negotio vacillant? Vnum ergo illud pro certo habendum, nihil in causa, de qua agimus, certum haberi; & dum coniecturis agitur, rem ex se dubiam amplius implicari.

1. Tim. 5. v. 17.

An applicari alijs possit.

164. Ad id autem quod initio huius §. dicebamus considerationem reuocando; de applicatione scilicet fructus specialis ex opere operato, etiam Sacerdote, qui applicat, existente in mortali, singularis hic dicendi modus supponit id, quod sub controuersia est, talem scilicet fructum applicari posse, quod indicat Cardinalis Lugo *n. 227. & 228.* & tenent P. Coninck *citata Quæst. 83. n. 154.* Naldus, Henriquez, Bordonus, Nauarrus, Molfesius, Brrtholomæus ab Angelis, & Bartholomæus à *S.* Fausto quos adducit & sequitur Lezana *citato nu. 17.* qui eam rationem adhibet, scilicet fructum talem esse eiusdem rationis cum alio, qui dicitur medius: vnde non apparet cur applicari alteri similiter non possit: & addit sic *Præsertim si talis fructus non sit gradus aliquis sanctitatis, nec remissio culpæ.* Quibus indicat fructum, qui in gradu aliquo sanctitatis consistat, aut in remissione culpæ, posse etiam applicari, licet non ita verosimile videatur. Cùm tamen reuera absurda talis cogitatio sit, vtpote contra ordinem charitatis, iuxta quem in ijs, quæ ad sanctitatem seu gratiam habitualem spectant, & remissio-

Affirmant plures, & eorum ratio diuulgata.

Lezana.

remissionem culpæ, quam ordinariè gratiæ infusio comitatur, nullus possit alium sibi præferre. Pro quo Theologi in materia de Charitate, præsertim Nostri, ex quibus P. Suarez *Disp. 9. Sect. 1.* Iam quod fructus iste sit eiusdem rationis cum medio, & propterea applicabilis, id quod & citatus P. à S. Raymundo ex Lezana proponit, nihil cuincit; id enim quod assumitur, negatur ab Auctoribus sententiæ contrariæ, quòd scilicet sit eiusdem rationis quantùm ad modum habendi illum, licet in effectu conueniant, quia vterque ad remissionem pœnæ reducitur: hoc autem minimè sufficit ad applicationem consimilem; sic enim remissio pœnæ, quæ habetur ratione Sacramenti Extremæ vnctionis, in alium transfundi nequit, cuius oppositum nullus hactenus somniauit. Remissio etiam, quæ ratione Indulgentiæ habetur, alteri applicabilis non est, nisi specialis concessio eam elargiente accedat. In Iubileo item, quo remissio talis impenditur, non est locus transfusioni.

Neque ex subintellecto firmari illa.

165. Dici potest in prædicta ratione aliquid subintelligi, scilicet eiusdem esse rationis, & non apparere quidquam ex quo possit diuersitas quoad prædictum effectum coniectari. Sed hoc est iam ad aliud diuersum conuolare, quod tamen subintellectum non est. Ponamus enim illos duos fructus esse diuersæ rationis; ex eo non posset argui applicabiles non esse alijs, quia licet in alijs differant, in applicabilitate possunt conuenire, & ita argui similiter potest: quo euentu non esset dictum illud perfugium de subintellecto præfato. Solum ergo arguendum videtur ex eò quòd non apparet fundamentum aliquod speciale, ex quo fiat non esse applicabilem, sicut est medius, & rationem congruentissimam reddent Auctores id inficiantes, scilicet P. Suarez *Disput. 79. Sect. 9. in fine* Fraxinellus *de obligationibus Sacerdotum in Addit. 2. prænotat. 2. nu. 5.* Bonacina *Tomo 1. Disput. 4. de Sacramentis Quæst. vlt. Puncto 8. nu. 16.* P. Dicastillus *Tomo 1. de Sacramentis Tract. 5. Disput. 3. nu. 157.* P. Pellizarius *Tomo 1. Tract. 5. Cap. 4. n. 58.* Diana *Resolut. 27. citata, §. Probatur secundò*, attenta ratione ab ipso reddita P. Layman *Lib. 5. Tract. 5. Cap. 2. n. 18.* Miranda & Emmanuel Rodericus apud citatum Patrum à S. Raymundo & alij plures.

Qui negant hanc applicationem.

Congrua pro hac sententia, Diana.

166. Videtur autem illa satis vrgens ratio, quæ à Diana, vt diximus, redditur, quæ in hunc modum formari potest. Nam fructus ex opere operato alicui specialiter respondens in nullo alio inuenietur esse applicabilis, vt patet discurrendo per omnia, in quibus inueniri potest huiusmodi communicatio, quæ in Sacramentis præsertim elucet. Vt ergo in Sacrificio Missæ potestas ad applicationem constituatur, quod valde singulare est, aliquod esse debet non leue fundamentum, ex quo Christi voluntas colligatur. Atqui hoc deficit, vt ex dictis constat, neque enim quidquam momenti maioris apud Auctores occurrit. Et quidem hoc ad maiorem confert Sacrificij dignitatem, vt modum operandi habeat instar Sacramenti, cùm reuera in illo Sacramentum contineatur & præterea ad maiorem Sacerdotum conducit dignitatem, vt inamissibilem fructum accipiant, & sic eorum puritas crescat, dum & reatu pœnæ liberantur, qui aliquomodo est contrarius puritati, vnde & animæ in Purgatorio purificari dicuntur, cùm tamen de solo reatu pœnæ ibidem agatur & de reatu culpæ venialis. Video Hieronymum Garciam *in Summa morali de Sacerdotio Tractat. 3. Difficult. 10. Dubio 4. num. 16.* asserere fructum ex opere operato in Sacramentis esse alijs applicabilem, idque esse valde probabile, quod ex Marchino videtur desumpsisse *Tractat. 3. de Sacramento Ordinis Parte 2. Cap. 16.* Sed illud citato Patri à S. Raymundo valde displicuit, quia contra omnes Theologos, & sine firmo fundamento assertum. sine quo quia in alijs locutus præfatus scriptor, censoriam Ecclesiæ mulctam constat incurrisse.

Fructum Sacramenti esse applicabilem paucissimis placuit.

Ex dictis principalis assertio demonstrata.

167. Hoc ergo stabilito, Positio illa non parùm absurda conuulsa manet, scilicet posse sacerdotem fructum præfatum applicare alijs, etiamsi in statu peccati mortalis existat: quod, vt diximus, communi Doctorum sententiæ talem fructum agnoscentium aduersatur, ex quibus aliqui id vt certum adstruunt, & sunt illi nobilissimi in Theologia Principes, contra quos vnius aut alterius Moralis scriptoris extra chorum assultus mouere benè affectas non debet conscientias, præsertim cùm id asseritur, quod non ad fouendam pietatem confert, sed periculosam in rebus maximè sacris inducit laxitatem. Ratio autem, qua Doctores prædicti ad assertionem, pro qua stamus, sunt permoti, illa est ad vrgentiorem formam reuocata. Nam fructus ille specialis omnino est proprius celebrantis, & eidem vt talis assignatus, si capax illius: Atqui eo ipso quòd est incapax, nequit illum alteri applicare, vt constat, quia omni iure ad illum caret; est enim proprius sub conditione capacitatis: ergo ea deficiente, ius etiam deficit: deficiente autem iure deficit potestas ad disponendum de illo, quia nullus disponere de eo potest, circa quod non habet ius. Exemplo id redditur manifestius. Relinquit testator Antonio legatum pretio æstimabile sub conditione aut suppositione amicitiæ, professionis ad studia, pro Clericali assumendo statu, aut cognationis: si hæc reuera non adsint, nequit ille de tali legato disponere testatore mortuo, agens vt transeat ad alium, quia omni iure ad illum caret, dum præsuppositæ desiderantur qualitates. Item, defert pater hereditatem reputato filio, qui tamen, cùm talis non sit, omni ad illam caret iure, & ideò nequit de illa disponere, eidem cedendo vt ad aliũ transferat. Sic alia possunt satis obuia conglobari. Vbi perspicuum est discrimen inter fructum medium & specialem: ille enim cùm sit specialiter destinatus pro alijs ex intentione magis principali, & à Sacerdote habeatur nomine Christi offerentis, nequit ex malitia eius impediri.

In peccato existens eum nequeat dictum fructum applicare.

Exemplo id redditur manifestius.

168. Dici potest potestatem applicandi non competere Sacerdoti ex iure aliquo circa rem propriam, sed ratione officij, ex quo venit, sic disponente Christo, vt fructus ex opere operato dispositioni ipsius subsit, ex quo portio ipsi determinata respondeat, si illius sit capax, & ea gaudere velit, nulli alteri applicando: sin minùs eam applicare possit quocumque in statu sit, sicut circa fructum medium agere potest ex institutione Christi, & non ratione peculiaris iuris circa rem suam; sed contra hoc est vrgens instantia. Nam licet dubitari nequeat sic à Christo rem

Ratione officij stare non posse applicationem.

istam statui potuisse; vt tamen disposita asseratur non est mométi alicuius fundamentum, quod solùm pro fructu medio extat, vt vidimus. Stante autem specialitate fructus, de quo agimus, currit inoffenso pede communis Theologorum doctrina de necessitate iuris erga remissionem pœnæ, vt possit satisfactio alijs applicari, qua permoti Doctores talem fructum agnoscentes, similiter in eo philosophantur, quia nullam rationem inueniunt, ob quam in eo fieri debeat exceptio. Et quidem licet ratio ab ijs adducta non videatur ita concludens, non est propterea ab eorum sententia recedendum, cùm in eam conspirent, abutendo eorum asserto, qui contra communem sententiam, & ab omnibus receptam, opinandi indulgent facultatem: id enim tunc admonent permittendum quando vrgens aliqua ratio, aut Textus non visus aut ponderatus occurrit; vt videri potest apud P. Thomam Sancium *Lib.* 1. *Operis moralis. Cap.* 9. *n.* 9. *& seqq.* P. Palaum *Tomo* 1. *Tract.* 1. *Disput.* 2. *Puncto* 1. *n.* 3. Ioannem Sancium *in Selectis. Disput.* 44. *n.* 61. *& seqq.* citatum Patrem à S. Raymundo *Tract.* 3. *n.* 53. Et complures alios obuios passim. In nostro autem casu nihil occurrit tale, vt vidimus: & propter eum, & similes SS. Dom. Alexander VII. inter damnatas Propositiones hanc recensét, & est ordine. 27. *Si liber sit alicuius Iunioris & Moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet reiectam esse à Sede Apostolica tamquam improbabilem.* Vnde & dictus Pater à S. Raymundo *Tractatu eodem n.* 57. Opinionem Bordoni, iuxta quam potest Sacerdos duplicatum stipendium accipere, applicando vni fructum Missæ medium, alteri verò Indulgentiam ratione Altaris priuilegiati, numismatis, aut calculi &c. ait solùm esse metaphysicè probabilem, sed in praxi non exequibilem absque labe magni scrupuli, quamuis Reuendiss. Bordonum à sapientia & dignitate egregiè commendatum velit: quæ quidem minimè obstare potuerunt, quo minùs sententia eiusdem, circa quam versamur, ab Apostolica Sede proscriberetur.

Contra communem & receptam sententiam quando opinari licet.

Nihil in præsenti quod faueat.

Propositio damnata.

169. Vbi non prætereundum, rationem fundamentalem, quam citatus Scriptor contra Reuerendiss. Bordonum adducit pro sententia, quam ipse amplectitur, & de qua præcipuus nobis sermo, pariter militare, sic enim arguit: Sacerdos accipiens stipendium pro dicenda Missa in Altari priuilegiato tenetur ex iustitia satisfacere intentioni formali illud tribuentis: Atqui sacerdos applicans pro tali obligatione solum Indulgentiam Altaris priuilegiati non satisfacit tali intentioni: ergo debet etiam fructum medium applicare, & sic non licet ipsi duplex stipendium reportare. Maior est certa, & Minor ostenditur: Quia dans stipendium explicitè petit Missam celebrari in tali Alteri priuilegiato, in quo duo includuntur explicitè intenta: & quòd Missa quoad eius fructum applicetur pro defuncto, & quòd illi applicetur Indulgentia Altaris: ergo non poterit licitè sacerdos applicationem partiri, nisi grauiter delinquens, & cum obligatione restitutionis ex violata iustitia ratione stipendij, & detrimenti grauis spiritualis animæ fructu Missæ defraudatæ. Nec valet (ait ille) si dicatur ex doctrina Bordoni doctrinam suam tunc tantùm habere locum quando Altare non determinatur, sed duo petunt Missam pro defuncto, tunc enim fit satis intentioni vtriusque; quia licet vterque petat fructum medium, qui vni tantùm applicatur, alteri applicatur medium ex se efficax ad liberationem à pœnis, quod est satisfacere intentioni formali, & finali, licet non materiali. Non inquam valet, quia responsio plus habet de subtilitate metaphysica, quàm de veritate: nam si dans stipendium sciret sacerdotem non esse applicaturum fructum Missæ proprium pro anima parentis aut amici, alium procul dubiò quæreret sacerdotem, qui fructum Missæ proprium, & non Indulgentiam applicaret. Sic ille arguit.

P. à S. Raymundo *contra* P. Bordonum *discursus singulariter aliàs opinantem ipsum vrget.*

170. Tunc sic. Qui stipendium offert vt Missa dicatur, expressam & formalem intentionem habet vt fructus certus ei, ad quem sua intentio dirigitur, applicetur: Atqui applicans fructum specialem, non respondet dictæ intentioni, cùm id offerat quod incertum est quoad substantiam, & gradum valoris: ergo grauiter peccat, & cum obligatione restituendi, animamque in Purgatorio rigidè cruciatam, si ad eam dirigatur intentio, ingenti subsidio priuat, cum obligatione restitutionis. Et quid ad hæc citatus scriptor? Responsio ex Leandro desumpta extat *num.* 43. distinctione Minoris: *Applicat fructum incertum & dubium, dubietate physica, transeat: dubietate morali, nego. Nam licet verum sit, quòd nostra opinio possit metaphysicè loquendo aliquo modo dubia & incerta (dici) non tamen loquendo moraliter, quia in sensu morali certa est, cùm reuera sit probabilis. Nam, vt benè docet Pasqualigus Decis.* 5. *n.* 6. *id quod probabile est, non debet dici dubium, sed moraliter certum.* Sic ille.

Vrgetur ex intentione stipendium tribuentis.

Auctor idem ex Leandro.

171. Quis autem non videat huic solutioni id obijci posse, quod dudum vidimus solutioni P. Bordoni ab eodem obiectum, illam scilicet plus habere de subtilitate metaphysica, quam de veritate. Id quod ex eo probatur: Nam si dans eleemosynam sciret quod sacerdos ille non esset applicaturus fructum Missæ iuxta intentionem suam, qua vult animæ parentis aut amici succurrere, non tribueret illam tali sacerdoti, sed alium procuraret. Non ergo dantibus eleemosynas pro Missis dicendis fit satis subtilitatibus ad quæstum corradendum inuentis, sed physicis veritatibus, & quarum sunt illi capaces. Atqui in nostro casu idem accidit, in quo subtilitas illa incerti physicè & non moraliter adhibetur, ex eo refellenda, quòd per illam minimè eleemosynam danti potest fieri satis, qui profectò vbi de incertitudine physica, quæ verè ac propriè talis est, rescierit, minimè assentietur, sed pecuniam suam alteri fructum certum applicaturo reseruabit. Addo certius esse eum, qui in Altari priuilegiato celebrat, animæ sua Missa prodesse, quàm eum qui fructum specialem eidem applicat, vt enim loquitur Bordonus apud eumdem. *n.* 49. *Indulgentia est optimum remedium ad liberandas animas à Purgatorio, de quo nullus dubitat.* Quod tamen de applicatione fructus prædicti dici nequit, qui ex multis capitibus dubius est. *Primò*, quoad substantiam, quia multi eum negant. *Secundò* quoad vim satisfaciendi, quia sunt qui censeant tantùm esse impetratorium, vt videri potest apud Dianam *Resolut. illa.* 27. & Cardinalem Lugo Disput. 21. n. 33. *Tertiò*, quia incertum est posse alteri applicari: vel quia omnino

Sua responsione premendum, de subtilitatibus metaphysicis.

Indulgentia suffragans certius applicatum dicta. Bordonus.

nino illi proprius, qui celebrat, vel quia incertum est an illi respondeat in quantùm nomine Ecclesiæ repræsentat personam Christi, vel vt est persona particularis. *Quartò*, quia gradus valoris est incertus, vt vidimus nu. 165. & 166. Ex quo & discutiendo venit doctrina de valore probabili pro certæ obligationis satisfactione, circa quod sit.

§. II.

An stante probabilitate valoris fructus specialis, per applicationem eius posset fieri satis obligationi ratione stipendij exortæ. Vbi circa contractus alios doctrina vtilis.

Ex incertitudine reddita pro pretio certo accepto.

172. VIdimus *nu.* 170. distinctionem illam de fructu incerto physicè, & moraliter, quam adhibent Auctores illi, cùm contra eos ij, qui pro veritate militant, sic argumentantur, vt videri potest apud citatum P. à S. Raymundo *nu.* 11. ex Cardinalis Lugo generali doctrina *Disput.* 26. *de Iustitia nu.* 151. & aliorum, quos ibidem adducit, causæ præsenti applicata. Nam peccat contractus inæqualitate quando certum pretium recipitur, & incertum pro certo datur: Atqui sacerdos accipiens stipendium pro applicatione fructus Missæ, si specialem applicet, dat incertum pro certo: ergo contractus talis peccat inæqualitate. Hinc est vt rem vitiosam vendens teneatur vitium aperire: vt qui aurum chimicum pro naturali vendit, quamuis probabiliter credat esse eiusdem bonitatis: nam propter difficultatem experientiæ, præsertim in medicina, incerta est eius bonitas, vt docet Ægidius Romanus *Quodlib.* 3. *Quæst.* 8. Deinde peccat emptor præbens monetam dubij valoris, aut bonitatis. Quam rationem Verricellus iudicat euidentem: cui tamen distinctione illa de incertitudine physica, & non morali, putatur fieri satis, quia etiam in materia iustitiæ operari licet & opinione probabili, & sic operans non incurrit obligationem restitutionis, quia prudenter iudicat se non lædere ius alterius, non solùm ob bonam fidem, sed ex non leuibus fundamentis à ratione & auctoritate petitis.

Cardinalis Lugo.

Stare id quod iuxta leges contractuum de æqualitate.

Exemplum auri chimici. Ægidius Romanus *Et dubia monetæ.*

Non licere recursum ad opinionem probabilem.

173. Sed certè applicatio doctrinæ huiusmodi, ad casum præsentem, & similes, à veritate deuiat, & communi est Doctorum sensui contraria. In materia enim valoris, cùm contractus celebrantur, nullo modo licet incertum pro certo tradere, etiamsi probabilitas videatur suffragari, quia nullus est, qui eo modo contrahere possit, vnde læsio est iustitiæ manifesta. Et adducta quidem exempla de auro chimico, & moneta dubia, id euincunt, pro quo & alia quamplura possunt adduci, & Auctores quidem illius sententiæ rogo an sic contrahentes, traditione rei dubiæ sint futuri contenti? Vel in Missis pro stipendio dictis, probabilis sint valoris monetam accepturi? Cùm tamen sic soluentes dicere possint se certum moraliter pretium laboris offerre: licet physicè sit incertum. Pro quo & facit receptissima scriptorum doctrina de vendente rem litigiosam, qui contra iustitiam peccat conditionem talem occultans, vt videri potest apud citatum Cardinalem *n.* 131. & tamen potest quis probabiliter sibi persuadere futurum se in lite victorem, cùm sit de suo iure certus, vt communiter litigantes arbitrantur.

Exemplum rei litigiosæ.

Dubium & probabile quoad negotium præsens pro eodem reputari.

174. Et quidem distinctio rei absolutè dubiæ, aut cum probabilitate, ad effectum dictum, de quo agimus, nullius momenti est. Qui enim contrahere intendit, si sciat rem, de qua agitur, non esse certò talem, minimè ad contrahendum procedet, etiamsi dicatur esse probabiliter talem, quia respectu volentis contrahere æquè dubia remanet, ac si probabiliter talis non esset: neque enim assensus eius, cum quo contrahere intendit, in eum transfunditur, qui nihil de probabilitate curat, nec fundamenta illius expendit, sciens reuera non esse certum rei valorem, de qua agitur. Immò etiamsi transfunderetur, cùm assensus probabilis formidinem partis aduersæ non tollat, id est satis vt ad contractum minimè progrediatur. Vt si quis filiam suam in matrimonium locare velit, & sibi persuasum habeat Petrum aut Paulum puri esse sanguinis; si tamen secus esse formidet, & non leuia fundamenta sint ad credendum Hebraismi aut Saracenismi labe deturpari, neutiquam in contractu procedet, quia cùm reuera id esse possit, probabilitas nihil confert, & res in statu dubio relinquitur. Quod & in contractibus frequentibus, qui innominati dicuntur, facilè etiam potest comprobari. Si enim dans aut faciens certum quid, incertum recipiat in scius diminuentis qualitatis, contra iustitiam læditur læsione inducente restitutionis obligationem, minimè suffragante alterius partis probabilitate. Verè enim læsionem patiens est inuitus, idque rationabiliter, quia non seruatur æquitas, quam iure potest contrahens vt obseruetur exigere. Et contractus quidem ex conuentione legem accipere dignoscuntur: qui ergo contrahens vult vt sibi certum pro certo reddatur, seclusis probabilitatis effugijs, talem legem contractui adhibet, quæ debet penitus obseruari. Atqui omnes contrahentes hoc modo contrahunt; nullus enim est qui certum tribuens, reddi sibi sit passurus incertum, sub prætextu probabilitatis: ergo contra legem prædictam agentes iustitiæ sunt manifestissimi violatores. Pone operarium conductum, qui sub ea lege inter alias, operas locet suas, vt detur sibi panis triticeus. An satisfaciat qui ex typha, vulgo *Centeno*, confectum tribuat? Minimè quidem. Et tamen typha iuxta Auctores plures triticum est: quod tamen etiam multi negant. Et quia vtrumque probabile, rem esse dubiam dixit P. Suarez *Tomo* 3. *in* 3. *p. Disput.* 44. *Sect.* 1. §. *Tertium exemplum.*

Exemplum typhæ pro tritico.

175. Probabilitas ergo non tollit incertitudinem, nec dubium in valore rerum, vnde nec ad modum operandi potest transferri, quandoquidem obligatio est dubietatem & incertitudinem euitandi. Quod quidem ex ijs declarari & roborari potest, quod Doctores tradunt de probabili conscientia tractantes, de quo & nos *Parte* 1. *n.* 8. dicunt enim securè posse quemlibet cum probabili opinione operari; addunt tamen secus esse in materia Sacramentorum, eo quòd id, quod sub opinione versatur, incertum & dubium sit, vnde sic operans, nisi in casu necessitatis, periculo se

Ex probabilitate circa Sacramenta vrgetur.

fruſtrandi Sacramentum exponit. Non ergo poteſt probabilitas in ea materia ad operationem transferri, quia non tollit incertitudinem & dubium, & de re agitur, in qua exigitur certitudo. Ad hunc ergo modum in caſu noſtro dicendum, quia certitudo in contractu requiritur, vt æqualitas ſeruetur, quæ tamen deficit, non obſtante probabilitate, quam contrahentes reijciunt, eo quòd incertitudinem & dubium excludant, vt excludere poſſunt ad contractus æquitatem.

Obiectio ex Ordinatione non tangentis Hoſtiam exſoluta.

176. Neque vrget quod ex Leandro à SS. Sacramento obijcit dictus Pater à S. Raymundo *n.* 44. nam aduerſarij, & præcipuè P. Dicaſtillus *Tract.6. Diſput.1.Dub.14.n.202. & 205.* & Diana *Parte 10.Reſolut.50. Tract.13. & Tractat.16. Reſolut.88.* concedunt quòd Sacerdos qui in Ordinatione tangeret Patenam & non Hoſtiam ſupra illam poſitam, ſecurè poſſit celebrare Miſſam, & ſtipendium pro illa accipere: Atqui ſolùm eſt moraliter certum talem Sacerdotem eſſe verè ordinatum, cùm res ſit poſita in opinione: ergo ſimiliter dicendum eſt de Sacerdote applicante fructum ſacrificij ſibi proprium, & accipiente ſtipendium pro dicta applicatione, cùm in vtroque caſu ſit par ratio. Non inquam vrget, quia Auctores præfati ſentientes cenſent eſſe moraliter certam ſententiam illam intra genus probabilitatis, quod quidem ſecus accidit in caſu noſtro, vbi maior probabilitas pro contraria ſententia ſtat, aut certè æqualis, ſcilicet fructum ſpecialem, ſi detur, non eſſe alteri applicabilem. Quòd autem non quæuis probabilitas dicto in genere ſatis ſit, vt moraliter certa dici ſententia poſſit, conſtat ex eo quòd citatus P. Dicaſtillus affirmat ibidem, ſcilicet eum qui ſolum tangeret calicem grauiter peccaturum in prædictis, licet multorum ſententia ſit, quorum ille meminit *nu.*202. & ſanè probabilis, tactum prædictum ad Ordinationem ſufficere. Diana etiam in eâdem aſſertione præiuit, videndus omnino locis adductis, vbi Doctores adducit. Non ergo eſt par ratio, vt dicitur, cùm Auctores citati adeò diuerſam agnouerint & fuerint proteſtati.

Et ex Ordinatione non tangentis calicem redarguitur.

Obiectio alia ex celebrante cum calculo benedicto ad altare priuilegiatum obligatio.

177. Deinde arguitur à citato Scriptore. Nam ex ſententia Dianæ *Parte 4. Tract.4. Reſolut.40. & Parte 6.Tract.6. Reſolut.12.* & Antonij Putei, ac Marchini apud ipſum, aliorumque, Sacerdos obligatus ad celebrandum in Altari priuilegiato ob maius ſtipendium acceptum verè ſatisfacit celebrando alibi, cum calculo. v.g. S. Caroli &c. ita vt nullo modo teneatur ad reſtitutionem eleemoſynæ acceptæ: & tamen ſolùm eſt certum moraliter, cùm alij Doctores probabiliter contrarium cenſeant, quòd ſcilicet æqualiter Sacerdos ſatisfaciat prædicto modo celebrando: ergo ſimiliter in caſu noſtro, cùm ſequatur opinionem probabilem; ſed neque hoc vrget: nam Auctores dictam tenentes ſententiam, quam Diana probabilem reputat, ideò ſic ſentiunt, quia Sacerdos non dicens Miſſam in Altari dicto, ſatisfacit per æquipollens, per Indulgentiam ſcilicet eiuſdem certitudinis, vt illi putant. In caſu autem noſtro nihil tale dici poteſt, nam fructus, qui ſpecialis dicitur, habet omnes illos gradus incertitudinis, quos vidimus *num.* 171. ſunt etiam qui non eſſe eamdem certitudinem numiſmatis & Altaris affirment, vt Bononienſes, de quibus Diana *citata Reſolut.12. in fine* & Cardinalis Lugo *Diſput.21. nu.* 39. regulariter loquendo, ex quo & negant quod aduerſantes aſſeuerant. Neque mirum eſt ſi in caſu tali locus opinioni ſit de receptione ſtipendij, quod & ritè ac rectè ſentientes negant, vnde diuerſam eſſe rationem in caſu, de quo agimus, euidenter apparet. In quo etiam aliud conſiderandum venit, in illo ſcilicet agi de duplicato ſtipendio leuando, pro quo illud adeò infirmum iacitur fundamentum: quod ſecus accidit cùm de comparatione inter Indulgentias agitur: nisi quis contenderet eum, qui in Altari priuilegiato celebrat, & ſimul cum calculo benedicto, poſſe duplicatum ſtipendium accipere, quo fundamento poſſet etiam triplicatum, & quadruplicatum, multiplicando Indulgentias, cùm poſſint benedicti calculi apud Sacerdotem inueniri. Addo, cùm Indulgentiarum pro defunctis infallibilis applicatio non ſit prorſus certa, volentibus multis non ſemper à Deo ad effectum prætenſum acceptari, quomodocumque Sacerdos operetur, probabiliter tantùm operatur, vnde non eſt ibi redditio incerti pro certo, ſed probabilis pro probabili, cum incertitudine alia maioris inter Indulgentias prædictas probabilitatis; & quidem licet euidenter ex ſe Indulgentia Altaris certior, quæ tamen calculis aut imaginibus benedictis annexa eſt, cauſſas adeò graues & proportionatas habere potuit, vt de certitudine poſſit cum priore illa certare.

Abſurdum notandum.

Fit ſatis ex eo quòd Sacerdos ſatisfaciat per æquipollens.

Quod & multi negant.

178. Argui præterea poteſt ex ſolutione argumenti, quod Lezana inſtruit contra ſententiam præfatam ſupponens fructum ſpecialem poſſe applicari, & Miſſam pluribus applicatam æquè prodeſſe ſingulis ex opere operato. Sed non fieri ſatis per illud obligationi ex nouo ſtipendio contractæ: ſic enim arguit: etſi enim fructus ex opere operato correſpondens ipſi ſacrificio vt tali non minuatur ex eo quod Miſſa pro pluribus applicetur, fructus tamen ex opere operantis correſpondens orationibus, Precibus, Cæremonijs, & alijs pijs actionibus, quæ in Miſſis adhibentur, cùm ſit finitus & limitatus, proculdubio minuitur pro pluribus applicatus, quia in ipſos diuiditur: Dantes autem ſtipendium pro Miſſa omnem fructum ipſius, tam qui eſt ex opere operato, quàm qui eſt ex opere operantis petunt ſibi applicari. Appellatione enim rei ſimpliciter venit res tota, & non pars tantùm: vt habent Doctores communiter in *Cap. finali de verbor. ſignificat.* & nemo præſumitur iuri ſuo renuntiare, niſi hoc exprimat *l. vxore §. legauerat. ff. Ei ſeruitus vendicetur l. Prædijs §. Balnea deleg.* Hoc autem argumentum non conuincere probat citatus Pater à S. Raymundo *nu.41. ex ſententia* P. Pellizarij *Tractatu 5. Cap.9. n.60. vbi ait* Sacerdotem non teneri applicare accepto ſtipendio, niſi fructum medium ex opere operato: quia ex vna parte per huiuſmodi oblationem nihil detrahitur fructui, qui reſpondet oblationi ſacrificij prout fit in perſona Chriſti, & conſiſtit in opere operato: ex alio capite petens Miſſam ex ſtipendio non videtur intendere niſi hunc ipſum fructum: alioquin Sacerdos celebrans ex prauo fine non ſatisfaceret ſuæ obligationi, vtpotè defraudans dantem ſtipendium fructu reſpondente ex opere operantis, quod tamen non admittitur communiter à Doctoribus,

V. Miſſa n.10.

Lezanæ ratio anſa ad defraudationem fructus ex opere operantis.

Appellatione rei venit tota, & non pars.

Contra Lezanam ſentiunt alij: ſcilicet non eſſe obligationem applicandi fructum talem.

Diana.

Doctoribus, vt teſtatur Diana *Parte 5. Tractat.14. Reſol.* 80. Iuxta quæ argui poteſt: Nam in caſu dicto ſtipendium tribuens dat certum laboris pretium, & non reſpondet illi certus fructus, cùm defraudetur fructu ex opere operantis: & nihilominus ſatisfacit Sacerdos, quia ſecundùm probabilem ſententiam procedit: ergo ſimiliter in caſu noſtro dicendum.

Nihil ex eo haberi contra aſſertionem, quia fructus talis eſt quid accidentale.

179. Sed neque hoc multùm momenti habet ad ſententiam fundandam, contra quam decertamus. Admittimus enim ſententiam illam vt probabilem, quam amplectitur P. Dicaſtillus *Diſput.3. n.136.* & P. Coninck, ac P. Gaſper Hurtadus tenent apud Dianam, qui ita concludit: *Ideò tu cogita*, non penitus annuens ipſi. In ea autem certum eſt quod Sacerdos applicat, fructus inquam medius, in quo principaliter ſubſtantia ſacrificij conſiſtit ab offerentibus ſtipendium expetita. Quòd autem accidentale aliquid deſit, quod poſſe detrahi probabiliter iudicatur, non eſt contra æqualitatem contractus, quia ſæpiùs ſuſtinentur, etiamſi quidpiam tale deſit. Sic Cardinalis Lugo *Diſput.26.de Iuſtitia n.124. §.Si verò*, adhibito exemplo: Vt ſi artifex galerum offerat, qui propter vitium aliquod occultum minùs durabit, & venditor in pretio deſcendat, non videtur obligandus ad reſtitutionem, quando computato pretio & vſu non magnum detrimentum emptor patietur. In quo quidem eorum ſe regulæ accommodat, de qua *n.*128. dicentium ea ſolùm vitia manifeſtanda, quæ notabiliter reddunt rem minùs vtilem emptori. In caſu autem noſtro non videtur intercedere notabile detrimentum, iuxta probabilem dicendi modum, qui ſalua ſubſtantia fructus intenti per ſacrificium, vt à Chriſto venit, cuius nomine Sacerdos offert, poteſt habere locum, vt in alijs, quæ probabiliter à Doctoribus aſſeruntur, ſalua obligatione, ex ſtipendio orta, cui non poteſt non fieri ſatis certa applicatione. Sic Nauarrus & Marchinus apud P. Franciſcum de Lugo *citato Lib.5. Cap.12. nu.*381. dicunt eum, qui accepit ſtipendium pro vna Miſſa ab aliquo, poſſe plures alios admittere liberaliter ad eius participationem ob probabilitatem valoris infiniti, quod nulla ratione eſt à Sacra Congregatione prohibitum, ſtatuente ſolum non poſſe duplicatum ſtipendium accipi. Vbi citatus Pater aduertit id poſſe tantùm admitti de fructu impetrationis, non verò de fructu ſatisfactionis, dicens id non eſſe practicè probabile. Vt ergo admitti poſſit de ſatisfactione, ita procedendum, vt ſalua ſit ſemper ſua portio ſtipendium tribuenti, & promiſſio iuxta probabilem ſententiam impleatur, quia non aliter ſe potuit promittens obligare. Addunt alij obligationem voti, & obedientiæ, de quibus non eſt operæ præſentis pretium diſceptare.

Cardinalis Lugo.

Aperitum tempium.

Quæ vitia ſint neceſſariò manifeſtanda in re vendibili.

Obligatus ratione ſtipendij poteſt alios gratis admittere.

§. III.

An ex ratione legis pœnalis excuſari queat ſententia de fructu ſpeciali, vt non debeat in Decretis Sacræ Congregationis comprehenſa cenſeri.

Pater à S. Raymundo

180. Sic ſanè affirmat citatus Pater à S. Raymundo. *n.* 18. dicens *Primò* in præfatis Decretis non eſſe aliquod verbum expreſsè prohibens ſacerdoti fructum Miſſæ ſibi proprium alteri applicare, & pro huiuſmodi applicatione ſtipendium accipere. Nec valet reſpondere (ſic ille deinde pergit) quòd licet in prædictis Decretis hoc non prohiberetur formaliter & explicitè, prohibetur tamen virtualiter & implicitè, vt conſtat ex illis verbis, in quibus Sacra Congregatio præcipit ſub atteſtatione diuini iudicij, vt abſolutè tot Miſſæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemoſynæ præſcriptæ fuerunt, ita vt alioquin ij, ad quos pertinet, ſuæ obligationi non ſatisfaciant, quin immò grauiter peccent, & ad reſtitutionem teneantur. Hoc inquam non valet, nam cùm prædicta lex ſit pœnalis, potius reſtringenda, quàm amplianda videtur, ſecundùm communem illam regulam Iuris in. 6. Fauores ſunt ampliandi, & pœnæ reſtringendæ. Hæc dictus Auctor.

Affirmat, & reſtringendum cenſet Decretum.

181. In quibus id quod ait de non extante verbo aliquo in Decretis ad fructum ſpecialem ſpectante, ex quo prohibitum cenſeri debeat id, quod prædicta ſententia contendit, doctrinam videtur non parùm abſurdam continere: ex eo enim fieret vt nulla lex generaliter ſtatuens vim haberet, & eius deciſio poſſet facilè eludi, dum ad caſus ſpeciales deſcenditur, quia de illis nullum extat ſpeciale verbum. Sic dicere aliquis poſſet in diebus ieiunij Eccleſiaſti poſſe comedi perdices, quia licet prohibeatur carnium vſus, nulla tamen in eo præcepto perdicum extat mentio; & cùm prohibetur duplicata comeſtio, Dici poterit id non intelligi in celebritate Quintæ Feriæ Maioris hebdomadæ, aut Sabbati ſancti, quia de illis præceptum in ſpeciali non ſtatuit, quæ fuit circa diem priorum aliquorum abſurditas, de qua *Cap. Non licet. & Cap. Non opertet, de Conſecrat. Dub.*3. Cùm ergo ſacra Congregatio Decretis ſuis præiudicialem abuſum abolere contendens, de duplicati ſtipendij receptione ob vnius Miſſæ laborem, & generaliter ſtatuerit, non eſt locus exceptioni ex eo præciſè quòd ſpecialis tituli ob applicationem ſpecialis fructus non fecerit mentionem. Et eſt in hac ipſa materia, in qua ſumus, peculiaris inſtantia: nam citatus ſcriptor, vt vidimus. *n.*169. contra Bordonum pugnat aſſerentem poſſe recipi duplicatum ſtipendium ab eo, qui fructum medium vni, & alteri Indulgentiam applicat, animæ inquam in Purgatorio cum pœnis conflictanti: & tamen Decreta Sacræ Congregationis nullam de titulo Indulgentiæ faciunt mentionem: non ergo licet ex eo capite comminiſci exceptionem.

Non extare verbum circa fructum ſpecialem abſurdè opponit, cùm ſit lex generalis omnia comprehendens

182. Iam quod ad rationem legis pœnalis attinet, omninò eſt in caſu præſenti diſſentaneum: lex enim pœnalis dicitur, quæ pœnam ſtatuit: in prædictis autem Decretis nulla pœna apponitur, ſed tantùm declaratur obligatio ex accepto ſtipendio reſultans, reſtitutionis inquam, quæ quidem pœna non eſt ſed adimpletio iuſtitiæ valde fauorabilis fidelibus viuis & defunctis, quorum ſubſidio valde ex duplicati ſtipendij receptione detrahitur, vt *ſuprà* dicebamus, & ex tenore ipſo Decretorum conſtat iam adducto, dum per illa teterrimus abuſus aboleri ſatagitur, & res Deo gratiſſima, charitatique ac iuſtitiæ eximiè conſentanea fieri perhibetur. Vbi dici poteſt pœnalem

De lege pœnali perperàm applicata doctrina: quia nullam pœnam imponit.

lem dispositionem dici, non quòd verè pœnam inducat, sed quia onus inducit & grauamen, ex quo odiosa dici potest, & ex ea parte restringi, quia odia sunt restringenda, iuxta Regulam dictam. Sed hoc non obstat, quia ratio adducta fauorabilem esse conuincit. Pro quo est id, quod habet P. Suarez *Lib. 5. de legibus. Cap. 2. in fine.* vbi diuisiones omnes legis odiosæ iuxta receptissimam Scriptorum doctrinam enumerat, & sunt lex pœnalis, lex tributorum, aut onus imponens, lex irritans factum, quod prohibet directè vel indirectè, vel consequenter: lex exorbitans à iure antiquo, vel à communi, aut illi derogans, vel limitans, aut corrigens illud, & à fortiori lex posterior priorem abrogans. Atqui lex, de qua agimus, ad nullum dictorum membrorum reduci potest: ergo non est odiosa dicenda.

Neque dici odio a potest.

P. Suarez:

Quæ sint tales recensentur.

183. Deinde, etiamsi dicatur per legem dictam aliquod inferri grauamen, id non tollit quominùs fauorabilis haberi debeat, stante communi doctrina apud P. Suarium *loco dudum citato n. 5.* scilicet quòd quando legislator infert grauamen, vt per illud obuiet maiori nocumento, dispositio eius non censetur odiosa, sed fauorabilis, iuxta *Cap. 2. §. 1. de decimis.* Cùm ergo in casu nostro Apostolica Sedes obuiare conetur maximo nocumento, teterrimo videlicet abusui contra charitatem & iustitiam inualescenti, vt ex Decreti tenore iam vidimus, etiamsi grauamen aliquod interueniat, id non tollit quominùs eius dispositio sit reputanda fauorabilis. Consonat etiam quod idem habet. *n. 6.* omnem legem prohibentem aliquid per se malum, vel præcipientem aliquid honestum non nimis graue aut onerosum, sed moderatum, & communi hominum viuendi modo consentaneum, esse fauorabilem, quia reuera est magnum beneficium hominum, dum eos suauiter & efficaciter dirigit ad operandum bonum, & vitandum malum. Quis autem non videat ita in casu nostro contingere: prohibetur enim teterrimus abusus contra charitatem & iustitiam, & id, quod est non honestum modò, sed honestissimum, præcipitur; nec nimis graue est, aut onerosum, cùm sacerdotibus stipendium competens relinquatur: estque id communi modo viuendi hominum consentaneum, vt sic fideles de suorum stipendiorum sint fructu securi, & viuis ac defunctis succurrendi sit via penitus expedita.

Non quod liber grauamen legem reddat odio sam.

P. Suarez.

184. Præterea, loquendo etiam de lege odiosa & pœnali, certum est, vt ait Bonacina *Tomo 2. Disput. 1. Quæst. 1. Puncto 8. n. 23.* generaliter intelligi debere de omnibus casibus, ad quos verba extendi possunt, iuxta sensum & proprietatem verborum: & licet vnius personæ tantùm facta sit mentio, non propterea reliquæ videntur excluse. Et ratio est, quia id tacitè videtur inesse, in quo eadem ratio reperitur. *Si his solis. C. de renou. donat.* pro quo & Doctores apud eumdem. Atqui lex, de qua agimus, generalis est, & iuxta proprietatem verborum & sensum potest intelligi de casu, in quo versamur, ergo ad illum debet extendi, seu potiùs sub illo debet comprehensus censeri. Discursus est euidens attenta generalitate dispositionis, etiamsi dicatur aliquomodo odiosa: vt enim comprehensus censeatur, nullo modo verba improprianda sunt, neque aliquid agendum, ex quo violentia vlla ipsis, aut eorum sensui videatur inferri; cùm sit aliàs legislatoris menti maximè consonum. Vbi exemplum à citato auctore productum *n. 24.* in rem præsentem facit, de lege imposita contra surripientem centum aureos; extenditur enim ad surripientes res æqualis valoris: nam lex censetur generalis, & aurei solùm positi exempli gratia, ac crimen censetur æquiualens, & eiusdem rationis.

Bonacina. *Etiamsi pœnale Decretum sit, ea sium dictum comprehendere, ex probatissima doctrina.*

185. Pro eodem vrget quod ex P. Suario, Menochio, & alijs tradit scriptor idem *n. 27.* scilicet interpretationem extensiuam, quæ non est voluntatis & congruitatis sed necessitatis, habere etiam locum in lege odiosa & pœnali, quia potiùs est adæquata legis interpretatio, in qua non est facienda restrictio, sed extensio, iuxta dicta, & in ea non solùm extendenda est ratio scripta; verùm etiam ratio subintellecta, & non expressa: modò constet legislatorem non alia ductum esse ratione ad ferendam legem, vt opposita sententia benè in hac parte docet. Quis autem non videat doctrinam istam ab Auctoribus aliàs inter se contendentibus admissam instituto præsenti congruere, etiamsi aliquid pœnale & odiosum admittamus? Est enim extensio non voluntatis & congruitatis, sed necessitatis, & ita adæquata potiùs legis interpretatio: quandoquidem Sacra Congregatio vnicam illam rationem statuendi habuit, de qua dictum, conuellendi videlicet teterrimi abusus in re maximè Sacra, quæ quidem satis expressa est, vt casum, de quo est sermo, debeamus comprehensum reputare. Quòd si non ita expressum velit quispiam, de subintellecta dubitari nequit, cùm in eo ratio expressa militet, nec sit vnde excluſa possit haberi. Quod quidem satis declarat Pontificia Censura posteà fulminata, adiecta illa Vrbani VIII. qualitate vt intelligatur in eo penitus contentam fuisse prohibitionem. Noluisse autem benè intelligere, vt benè ageretur, non admodum sincerum intelligendi modum apud aliquos fuisse arguit, non nodum in scirpo, sed compendij plus aliquid conquirentium.

Extensiuam admittens, quia ista necessitatis, & non voluntatis, iuxta doctrinam, etiam valde receptam.

186. Quod vlteriùs, & valde quidem fundamentaliter, roboratur. Nam secluſis Vrbani Decretis sententia negans pro specialis fructus applicatione posse stipendium accipi, & accipientes ad restitutionem teneri, non erat sententia pœnalis, neque odiosa, sed valde pia, plausibilis, Theologis acceptissima, & fidelibus viuis ac defunctis vtilissima, circa quod esse dubitatio nequit. Atqui Decretum Sacræ Congregationis nihil aliud circa illam præstitit, nisi eius certitudinem declarare, ex quo necessariò sequitur prohibitio: ergo dispositio talis non est pœnalis & odiosa reputanda: nam qui declarat nihil noui dicitur inducere *l. heredes palàm §. Si quid post ff. de testamentis.* Pro quo & Doctores apud Bonacinam *supra n. 7.* Qui discursus videtur planè & plenè concludere. Erit autem cordato viro indigna existimatio, si Decretum dicatur esse pœnale ex eo quòd ad restitutionem obligatio in eo & declaretur & statuatur: ex nullo enim capite pœnale dici potest, quod in pœnam non statuitur, sed ad conscientiæ leuamen. Et quidem si respectu facientis restitutionem quidquam onerosum occurrit, ex eo quòd homines grauiter ferant

Roboratur ex eo quòd sententia damnata non erat pœnalis ante Decreta.

l. Heredes.

Et per illa tantum id accessit declarato.

Ratione obligationis ad restitutionem odiosum nihil.

ferant se ad restitutionem adigi, omnia diuinæ legis præcepta deberent odiosa pronuntiari, quia omnia in sui adimpletione difficultatem important, vnde constans est Theologorum sententia legem naturalem non posse integrè per longum tempus sine gratia seruari: quæ impossibilitas, cùm moralis sit, in difficultate summa fundatur, à nullo vnquam superanda. Si autem de eo, cui fit restitutio, loquamur, manifestissimè est fauorabilis lex illam statuens, & ad id præcipuè dirigitur, vnde absolutè fauorabilis reputanda est. Pro quo est elegans discursus P. Suarij *supra n. 12.* vbi ait fauorem magis per se intendi posse, odium verò seu grauamen minimè, sed propter instantem necessitatem; & ideò per se loquendo, ac ceteris paribus, fauor est præferendus: nihilominùs tamen tanta esse potest necessitas imponendi grauamen, vt imponendum sit, vel augendum propter maius bonum. Quod quidem non tollit quo minùs lex fauorabilis sit, quia fauor rigorem talem exigit, vt stabilis esse possit. Sic in lege imponente tributum, quæ communiter odiosa censetur, potest esse causa tam pia & necessaria, vt non habeatur ratio odij seu grauaminis, quo minùs lex fauorabilis & extendenda sit. Sic ille habet ad institutum præsens facile adaptandum, pro quo hæc satis.

P. Suarez.

Grauamen fauori non obstare.

APPENDIX

Circa fructum impetrationis. An ratione illius applicationis possit distinctum stipendium accipi.

188. IMpetratio contingere potest ratione eorum, quæ in Missa interueniunt, & ad preces ac Sacras actiones reducuntur, de quibus diximus. *n. 178.* & est hoc in genere aliud, quod subtiliter P. Suarius obseruauit *Disput. 79. Sect. 2. Dicto 1.* nam impetratio propriè fit per orationem, per alia autem opera quatenus adiunguntur orationi, fiuntque in Dei obsequium eo animo & intentione, vt illum inclinemus ad id nobis concedendum, quod petimus, vel optamus. Est autem Missæ sacrificium magnum Dei obsequium, & illi valde gratum, & potest adiungi alicui petitioni seu desiderio obtinendi à Deo aliquod beneficium, & ita sequitur esse plurimum valens ad illud impetrandum. Vnde etiamsi proximus minister sit indignus, & ex hac parte contingat oblationem non habere valorem, adhuc intelligitur sacrificium ex vi suæ institutionis, à qua habet vt in persona Christi offeratur, retinere valorem suum, & vim ad impetrandum, quia semper offertur in persona Christi, & est id semper distinctum quid ab actuali oblatione interiori, quam Christus fortasse in cœlo exercet. Quod roboratur ex eo quòd aliæ Ecclesiæ orationes quatenus nomine Ecclesiæ per ministros eius offeruntur, habent suum valorem ad impetrandum independenter à merito vel valore proximi operantis: ergo multò magis id habebit sacrificium per se vt offertur in persona Christi. Quare autem fructus dictus non sit dicendus ex opere operato, in sequentibus declarat.

P. Suarez.

Impetratio operationis in Missa, non obstante indignitate ministri.

Etiam ex Orationibus nomine Ecclesiæ.

189. De fructu autem loquendo, qui ad satisfactionem pertinet, agit *Sect. 6.* & illum explicat *Dicto 2.* ex eo quòd in ordine ad illum potest offerri sacrificium, sicut in ordine ad alia, quia licet per illud remittatur pœna ex opere operato, non tamen semper tota, sed pro vniuscuiusque deuotione, vt docet D. Thomas *3. p. q. 79. arti. 5.* vnde fit vt si aliquis reatus pœnæ remaneat post effectum ex opere operato, ad ipsius etiam veniam obtinendam possit hoc sacrificium offerri per modum impetrationis: quia cùm hoc sacrificium sit ex se sufficiens ad quodlibet bonum impetrandum, etiamsi ex speciali Christi institutione & promissione vnum conferat ex opere operato, non amittit vim ad aliud distinctum impetrandum. Quod contingere potest non solum impetrando donum pœnitentiæ, & gratiam ad alios actus satisfactorios, sed immediatè per concessionem veniæ vi talis oblationis. Et priorem quidem modum indubitatum existimat, iuxta doctrinam SS. Patrum, quam est Concilium Tridentinum amplexum *Sessione 22. Cap. 1.* dicens huius sacrificij oblatione placatum Dominum *gratiam & donum pœnitentiæ* concedere, *& crimina ac peccata etiam ingentia* dimittere. Si ergo hoc sacrificium impetrat auxilium gratiæ ad efficiendos actus, quibus culpæ remittantur, multò magis impetrabit ad satisfaciendum pro pœnis. Posteriorem autem censet esse valde dubium: concludit autem in fine Sectionis opinionem id asserentem esse piam & probabilem pro qua non leuia fundamenta præmiserat: & illud inter alia tale videtur; Ecclesiam scilicet orare & petere à Deo remissionem talium pœnarum, non solùm pro viuis, sed etiam pro defunctis: in defunctis autem sola immediata remissio locum habere potest, quia non sunt in statu habendi actus, quibus satisfaciant: & ita videtur idem dicendum in viuis, quia non sunt peioris conditionis; immò melioris debere esse videntur, quia magis propriè ad Ecclesiam spectant, & ita maiorem cum illa vnionem habent, vnde & iuuari Ecclesiæ ipsius suffragijs magis speciali iure possunt, & ita tenet Cardinalis Lugo *Disput. 19. n. 158.* probationem promittens in Tractatu de Pœnitentia, in cuius *Disputat. 20. num. 20. & seqq.* id præstitum comperietur: quod & tenet P. Arriaga *Disput. 51. n. 14.*

Idem.

Impetratio ad satisfactionem extenditur, peccatorum venia obtenta.

Et immediatè quidem.

Concilium Trident.

Cardinalis Lugo.

190. Inter fructus autem huius sacrificij bona temporalia computantur, pro quorum petitione orationes extant in Missali. Vult autem P. Vasquez *Disput. 228 in fine*, ea solùm quatenus conducunt ad bona spiritualia, posse hoc sacrificio obtineri, quia Christus pro bonis temporalibus sine respectu ad spiritualia non est mortuus: vnde neque in ordine ad illa obtinenda sine tali respectu sacrificium instituit, in quo recolitur memoria Passionis eius, & illius fructus applicatur. Nihilominùs Cardinalis Lugo *supra n. 157.* & eum secutus P. Arriaga *n. 15. citatæ Disputationis*, contrarium censent, quia hoc ad dignitatem tanti sacrificij conducit ratione contenti in ipso: & quia ex eo haberi potest vt homines erga Christum alliciantur, ex quo & putant etiam generaliter loquendo bona temporalia posse per Christum obtineri. Quod si ita generaliter verum est, id maximè ratione sacrificij accidere poterit, ob dignitatem dictam, & vt fideles eo pacto erga ipsum

Bona temporalia, vt queant vi sacrificij obtineri.

P. Vasquez.

Cardinalis Lugo P. Arriaga.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

ipsum afficiantur, ex quo emolumenta maxima in ipsos prouenient, cùm sit illud *Fons* bonorum omnium, vt ait D. Ioannes Chrysostomus *hom.* 45. *in Ioannem.* Et hoc quidem oportuit præmitti, quia homines sæpiùs nihil de spiritualibus cogitantes videntur pro impetratione temporalium Missas, stipendijs traditis, postulare. His præfatis circa præsentem quæstionem.

D. Chrysost.

Duplicatum stipendium qui censeant rationæ impetrationis posse recipi.

191. Sententia est Philiberti Marchini *de Sacramento Ordinis Tract.* 3. *Parte* 2. *Cap.* 16. *n.* 17. Bordoni *Variarum Resolut. Tom.* 1. *Resolut.* 26. *Quæst.* 9. qui suppresso nomine viros alios doctos allegant, quibuscum censent posse Sacerdotem duplicatum stipendium accipere pro vna & eadem Missa à diuersis personis, applicando vni fructum Missæ impetratorium, v.g. dicendo Missam de Spiritu sancto, vel de B. Virgine, & applicando vni illi ad aliquod beneficium à Deo accipiendum; alteri verò applicando eamdem Missam in satisfactionem peccatorum alicuius defuncti, vel viuentis. Id quod ex ipsa casus propositione videtur probari posse, quia cùm duo sic petentes nihil de fructu alio exprimant, eo videntur esse contenti. Quòd si reuera plus velint, dum non exprimunt, interpretationem contra se factam pati debent, ex *l. Quidquid adstringendæ ff. de verb. obligat.* vbi & ratio additur: *Quia stipulatori liberum fuit verba latè concipere.* Cùm aliàs fructus prædicti sint diuisibiles. Vnde si stipendium erogantes suo quisque fructu essent contenti, eisdem proculdubio fieret satis huiusmodi partitione. Nihil ergo ampliùs videntur exigere, dum id non exprimunt, vnde contractus ad expressa tantùm videtur obligare.

l. Quidquid adstringendæ.

Assertio 1. Omnem fructum applicandum stipendium tribuenti.

192. Dico Primò. Dum stipendium tribuentes non declarant se fructu vnico esse contentos, absolutè est illicitum id, quod sententia præfata contendit. Sic Diana *Parte* 6. *Tract.* 9. *Resolut.* 9. & apud ipsum Nauarra, Bonacina, Posseuinus, P. Pellizarius, Lezana, P. Tamburinus, Ioannes Angelus Bossius, P. Pallaus, Leander à SS. Sacram. quos adducit & sequitur Ludouicus à S. Raymundo *Tractatu* 3. *Resolut.* 3. *n.* 60. *&* 67. P. Franciscus de Lugo de Sacramentis Lib. 5. Cap. 12. n. 36. & apud ipsum Vega, Naldus, & Auersa. Qui ex eo probant quod stipendium præbens, licet explicitè vnum exigat, aliud implicitè includit, vnde si rogetur an sit futurus vnius fructus applicatione contentus, nequaquàm annuet, & quidem neque prudenter id faciet, adeo vtili ad redemptionem animæ suæ suffragio fraudandus. Quæ quidem ratio vim specialem habet quando pro beneficio impetrando Missa postulatur: cùm enim præterea fructum satisfactorium, nec sanè exiguum habere possit sic postulans, non ita animæ suæ immisericors debet æstimari, vt illo frui negligat, nihil ampliùs præter stipendium exhibitum pro illius fruitione daturus. Quando autem fructus satisfactorius petitur, quod semper contingit cum pro animabus in Purgatorio detentis agitur, non ita videtur vrgere obligatio, quia iuxta dicta *n.* 178. *&* 189. Sacerdos accipiens stipendium non tenetur applicare fructum ex opere operantis, iuxta probabilem sententiam: & talis est non solùm qui respondet celebranti vt priuata persona est, sed etiã quatenus orat nomine Christi & Ecclesiæ, vt tenent grauissimi Scriptores ex quibus P. Suarius citatus. n. 188. Cardinalis Lugo Disput. 19. n. 154. quem P. Franciscus germanus frater sequitur *suprà. Cap.* 4. *n.* 8.

Communicatio non vrget, cùm Missa est pro defunctis.

193. Vt ergo robustiùs arguamus, id dando quod dictum est tamquàm probabile, sic vrgetur. Nam licet Sacerdos non teneatur applicare fructum ex opere operantis, nequit tamen ratione applicationis illius novum stipendium reportare. Id ostenditur ex priori stipendij oblatione pro obtinendo beneficio, in quo eventu vidimus minimè excluſam voluntatem satisfactorij fructus, ne quis animæ suæ adeò incuriosus, dum nihil debet offerre distinctum, reputetur. Ex eo enim manifestè habetur stipendium vnicum esse sufficiens & proportionatum labori talis adæquatæ applicationis. Ergo cùm è conuerso satisfactio petitur, nihil prætereà potest recipi ratione impetrationis ab alio. Patet, quia nullo modo crescit labor: applicatio enim respectu alterius facienda, si Sacerdos rationabiliter operetur, vnde labor talis, qualiscumque ille sit, idem futurus, siue huic, siue alteri applicetur. Quòd si dicatur laborem quidem non respondere stipendio, sed fructum applicationis; id est iam manifestam Simoniam admittere, in quo euidenti periculo versantur Sacerdotes, qui huiusmodi subtilitatibus ad corradenda turpia compendia passim abutuntur.

General. & robustior pro duplicato stipendio.

194. Dico Secundò. Attentis Vrbani VIII. Decretis nullo modo potest contraria sententia sustineri. Id constat, quia in illis duplicati stipendij receptio vti iniqua damnatur, & titulus, qui obtenditur, nullum præsefert fundamentum, vt ratione illius exceptio sit vllatenus admittenda. Sin minùs dicant aduersantes qua clausula aut verbo tale quid indicatum habeatur. Et quidem si exceptio videatur admittenda ex eo quòd casus sic duplicati tituli non videatur expressus, contra id faciunt ea, quæ à nobis dicta. *n.* 181. circa stipendium ob applicationem fructus specialis. Quòd si ea de causa exceptioni dandus locus sit, fiet inde non solùm duplicatum stipendium, sed multiplex posse recipi. Si videlicet quis Missam petat ob propriam salutem, alius ob salutem vxoris, alius ob felicem partum, alius ob aduentum classis, alius ob fortunatas nuptias, & sic de alijs; ad omnia enim prævalet sacrificij maiestas & amplitudo, & fructus impetratorius amplior & vniuersalior est quàm satisfactorius, vt obseruant Doctores, & præsertim P. Suarez *Disputat.* 79. *citata Sect.* 2. *in fine §. Quarta differentia.*

Assertio 2. Contraria sententia nequit poss. Vrbani Decreta sustineri.

195. Dico Tertiò. Sententia opposita ad minimum est improbabilis. Id probo. *Primò.* Quia in Decretis Vrbani videtur comprehensa, & fundamentum exceptionis est leue, vt vidimus. Cùm ergo solidâ sit destituta ratione, qua probari possit, improbabilis est. Quia verò in Decretis nulla ei censura imponitur, ab ea abstinendum videtur, Sedis Apostolicæ extremum iudicium præstolando. Cùm præsertim videamus, damnata sententia de speciali fructu, circa istam determinatum nihil: quamuis ex eo confirmari possit id quod de improbabilitate diximus: nam eisdem ferè fundamentis innixi Auctores vtriusque, in diuersitate inquàm fructus, qui diuidi inter plures proba-

Assertio 3. Ad minimum opinio probabilis.

probabiliter potest, nec teneri, Sacerdotem vtrumque vnius stipendij largitori applicare. Quod autem videtur intercedere discrimen ex eo quòd fructus, qui dicitur specialis, est incertus quoad substantiam & applicabilitatem, non penitus releuat aduersantes, quia id quod offerunt, licet in se certum sit, in actu exercito est incertum: quia cùm totum deberi ratione stipendij sit maximè verosimile, applicatio circa incertum versatur, dum de toto aliquid magni momenti detrahitur, quod cùm ad alium spectet, valde dubiæ redditur satisfactio respectu alterius. Dum enim vult satisfacere obligationi suæ, eo ipso debet Sacerdos quidquid debet offerre: ergo si coràm Deo totum debeat, id quod & verosimillima sententia tenet, nihil restat, quod alterius voluntati obsequendo, qui & stipendium contulit, possit applicare: ergo circa incertum versatur applicatio. Sicut autem in fructu speciali nequit ad sententiæ probabilitatem prouocari, ita neque in ista, contra quam agimus, quia etiam hîc militat id, quod de valore rei diximus §. 2.

SECTIO X.

Notanda doctrina de necessaria Sacerdotum approbatione ad audiendas Confessiones. Vbi de damnata Propositione à SS. Alexandro VII. circa Beneficium Curatum habentes.

Parochum posse non approbatum eligere censent aliqui.

196. DIctum de hoc aliquid *Parte* 1. *n.* 364. *& seqq.* sed iuuat rem modò penitiùs explorare, & Pontificiam mentem beneficio noui luminis, descendentis, vt spero, à Patre luminum, aperire. Parochum ergo posse simplici Sacerdoti suam iurisdictionem delegare ad audiendas Confessiones, etiamsi non sit iuxta formam à Concilio Tridentino traditam approbatus, tenuit post alios Magister Petrus de Murga Benedictinus in *Quæstionibus Pastoralibus Parte* 3. *Quæst.* 17. *Conclus.* 1. contra quem specialiter agit P. Ludouicus à S. Raymundo *Tomo* 1. *Tract.* 1. *Resol.* 27. qui tamen *nu.* 445. ait prædictam sententiam valde esse probabilem, quidquid dicant P. Suarez, P. Fagundez, & Diana locis ab eo allegatis, & probabilitatem quidem etiam conatur euincere Thomas Hurtadus *Tomo* 2. *variar. Cap.* 1. §. 2. *Dub.* 1. *num.* 2023. *& seqq.* paratus, vt ait, à Sede Apostolica placido duros accipere ore lupos, concludens *nu.* 2030. se hanc sententiam propterea longiùs propugnasse, quòd veterum Thomistarum opiniones semper fuerit veneratus contra Recentiores quosdam, quibus illæ nõ benè olent: cùm tamen in illis eluxerit vera sapientia, conscientiæ timor, & nimia religio ac sanctitas. Quod cùm legitur, credet inexpertus quisquam sententiam prædictam agmine Thomistarum cinctam, & eorum sapientia vera, conscientiæ timore, & eximia religione ac sanctitate cohonestatam. Cùm tamen pro ea vnum tantùm Ledesmam adducat, qui ex antiquis Thomistis non est, vnde Diana *Parte* 5. *Tomo* 2. *Resol.* 10. ait nouissimè illam hunc Auctorem amplecti: neque in negotio præsenti esse plures possunt, quandoquidem ij, qui antiqui censentur, vt Syluester, Tabienna, Caietanus, & alij ante Concilium Tridentinum scripserunt, cuius Decretum circa causam præsentem Theologorum communem sensum ad se pertraxit, quia nimis apertè rem videtur declarasse. Sed his & alijs huius Scriptoris bullis ad P. Gabrielem de Hennao remissis, quid ille, & Mag. Murga pro se adducant, aliquod erit pretium præsentis operæ discussisse. Arguunt ergo.

Murga. à S. Raymundo.

Thomas Hurtadus.

1. Probatur. Ex Iure Canonico. Cap. Omnis vtriusque sexus.

197. Primò ex *Cap. Omnis vtriusque sexus* de Pœnit. & remiss. in quo declarata obligatione confitendi quotannis proprio Sacerdoti, sic subditur: *Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit iusta de caussa confiteri peccata, licentiam priùs postulet & obtineat à proprio Sacerdote.* Similia habentur in *Cap. Placuit* de Pœnit. vbi de approbatione ab Episcopo mentio, & ita communiter censent Scriptores ante Concilium id Parochos potuisse. Quod quidem cùm de iure communi ipsis competat, non videtur per Concilium abrogatũ, quod solùm priuilegia & consuetudines abrogauit. Cumque *Cap. Omnis.* Concilij Generalis sit, ad abrogationem specialis mentio fieri de illo debuit, iuxta multorum doctrinam. Et propterea cum id Parochis conueniat ratione officij, vt suos possint Parœcianos absoluere, iure ordinario conuenit, vnde & consequens est vt potestatem suam alijs possint delegare. Pro quo est *Cap. his quibus, finale, de officio Ordinary*, vbi sic Gregorius IX. *His quibus ex officio in certis casibus competit illos absoluere, qui pro violenta manuum iniectione incidunt in Canonem sententiæ promulgatæ, licet alijs huiusmodi absolutionem committere, cùm videtur expedire.* Quibus & concinit Bonifacius VIII. in *Cap. Cùm Episcopus, de officio Ord.* in 6. vbi ex ordinaria potestate Episcopi, iudicandi per alium firmat facultatem.

Cap. His, quibus.

Cap. Cùm Episcopus.

Explicatã Textus vt cum Tridentino *stare possint.*

198. Sed hoc non vrgere ex eo constat, quod præfatæ decisiones stare inconcussæ possunt saluo Tridentini Concilij Decreto *Sessione* 25. *Cap.* 15. vbi generaliter prohibetur audire cõfessiones, qui approbatus non est: approbato enim potest Parochus suas vices conferre, vnde corruunt prædicta omnia, & stat facultas delegandi potestatem in habente illam ordinariam. Licet autem ante Concilium non approbato conferri posset, non ideò commune ius alteratur, sed stante verborũ forma, ex parte eligendi id exigitur, quod necessarium est vt idoneus possit iudicari. Idoneum enim semper eligere Parochus debuit: quòd autem iudiciũ de idoneitate Episcopo reseruetur, nihil dispositionem immutat. Sic enim Concilium Lateranense illam disposuit, vt salua verborum forma locum haberet iudicium de idoneitate eligendi, iuxta id, quod ipsa pro temporum opportunitate, aut necessitate conuenientius iudicaret. Quemadmodum matrimonium solemniter celebrari decreuit id quod semper in vsu Ecclesiæ fuit: propter grauia autem inconuenientia in nuptijs clandestinis, statuit in Concilio Tridentino vt nullus contrahere posset nisi præsente Parocho & testibus, addita videlicet ea conditione, per quam nequit dici iuri communi aut naturali detractum; quiæ stante illo potest conditio adijci, iuxta quam debeat idoneitas contrahendi iudicari.

Parochus semper debuit eligere ab Episcopo approbatum.

199. Addo id, quod videatur caussæ præsenti eximiè congruere, semper quidem debuisse Parochum eligere ab Episcopo approbatum, quòd tenent

nent multi apud P. Suarium *Disp.28.de Pœnitent. Sect.3. n.3.* quodlicet neget ille *n.5. & seqq.* non tamen in sensu, quem prosequimur. In Concilio siquidem non ita petitur examen, vt non possit aliàs idoneus quàm præuiè examine peculiariter ad affectum instituto, idoneus reputari, vt constat ex illis verbis: *Per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur.* Semper autem in vsu fuit, vt ordinandi Sacerdotes idonei ad id muneris sufficientibus argumentis probarentur. Quod quidem expressum habemus in eôdem Concilio *Sessione* 23. *Cap. citata Cap.7.* vbi sic habetur: *Sancta Synodus antiquorum Canonum vestigijs inhærendo decernit, vt quando Episcopus Ordinationem facere disposuerit, omnes qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, Feria 5. ante ipsam Ordinationem, vel quando Episcopo videbitur, ad Ciuitatem euocentur. Episcopus autem Sacerdotibus, & alijs prudentibus viris peritis diuinæ legis, ac in Ecclesiastico Sanctionibus exercitatis, sibi ascitis, Ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter inuestiget, & examinet.* Hæc ibi, desumpta ex *Cap. Quando* 24. *dist.* in qua Concilium Nannatense citatur. *Cap.* 11. & quod Tridentinum *Doctrinam* dixit, in illo sic extat: *Si sint benè litterati.* Id autem quod generaliter circa ordinandos statutum est, circa Presbyteros cura maiori peractum, de quibus Concilium *Cap.* 14. inter alia illud: *Ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ad administranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur.* Quod quidem antiquorum etiam Canonum vestigijs inhærendo dispositum: cùm electio Presbyteri aliorũ præcedere debeat electiones *Cap. Omnium Sacerdotum* 32. *dist.* Cùm ergo eligendus Presbyter debuerit semper ea scire quæ ad Sacramenta administranda necessaria sunt, eo ipso quòd in eo gradu est Ordinatione sacra constitutus, iudicari potuit ac debuit idoneus ad Sacramentum pœnitentiæ administrandum, & ita semper approbatio Episcopi præcessit. Quòd autem Concilium Tridentinum peculiarem insuper approbationẽ exegerit, contra antiquam dispositionem non venit, neque substantiam eius mutat, quia etiam nunc si per examen ad Sacerdotium idoneus quis fuerit inuentus ad Confessiones audiendas, eo potest Episcopus esse contentus. Sicut olim si quis in examine ad Secerdotium inueniretur minùs idoneus ad Sacramenti pœnitentiæ administrationem, potuit Episcopus administrationem huiusmodi prohibere, donec sibi sufficientiam examine aut aliàs comprobaret. In quo quidem minimè contra ius commune iret, Parochorum iuri derogando: nusquam enim inueniẽtur ius examinandi idoneitatem ad Parochos pertinere, quod Episcopis proprium esse manifestè concluditur. Quia sicut ad eos pertinet Confessarios ordinare, ita etiam ministerij huius cura, vt modis debitis obeatur. Vnde quod modo Episcopis competit vt Confessarios ad examen vocare queant, quando id viderint expedire, semper eisdem licuit: aliàs ingenti Ecclesiæ præiudicio, quod hoc in genere interuenire potest, repudij esset ianua occlusa: ad nullum enim alium præter illos tanti mali remedium spectare potest, si sit efficaciter adhibendum. Neque enim Parochis id licere potuit, quia nullo modo erant ipsorum Superiores, & quandoque adeo ignari, vt & ipsi examine etiam indigerent. Si enim post Concilium Tridentinum, in quo pro Curatorum prouisione, sicut & in Pontificum Bullis tot sunt adhibitæ cautiones, multi minùs habentes reperiuntur, quid illis credendum est accidisse temporibus, in quibus illæ non extabant?

Concilium Trident.

Concilium Nannatense.

200. Et prædicta quidem præclaro possunt exemplo & Textu illustrari pariter & comprobari. Ex Cap. inquam *Generaliter 16. q.1.* in fine, vbi sic habetur: Ecce communis est benedictio. Vnde igitur diuortiũ? inter Monachos inquam, & Clericos Sacerdotes, *sicut ergo in benedictione vtrique communem nanciscuntur potestatem, ita in institutione communiter assequuntur potestatis executionem. Cæterùm absque Episcoporum licentia non solùm Monachis, sed omnibus generaliter Clericis potestatis executio interdicitur.* Sic ibi. Quem Textum, sicut & alium ex eadem Quæstione in Cap. *Adijcimus §. Ecce in hoc Capite*, adducit Glossa in Caput. *Omnis vtriusque sexus* citatum, vt non obstante licentia Parochi, licentia executionis prædictæ necessaria sit, quæ ab Episcopo requirenda. Et hæc quidem luculenter ostendunt curam hanc habilitandi Confessarios ad Episcopos pertinuisse: vel quia in Ordinatione ipsa cum habituali iurisdictione conferebatur Ordinatio idoneis deprehensis: vel quia, si non ita idonei, postea executio illis probè iam instructis credebatur. Quid ergo mirum si Tridentinum Concilium id tradidit, quod & præteritis consonum, & absolutè necessarium pro conditione temporum à sapientissimis est Patribus iudicatum? Vt appareat argumentum dictum nullius esse roboris iudicandum, quod est sanè aduersantium præcipuum, & ideò aliqui eo solùm vtuntur, vt videri potest apud citatum Patrem à S. Raymundo. Sed pergunt alij, & arguunt.

Cap. Generaliter 16. q.1.

Glossa.

201. Secundò. Quia Cardinales possunt ex sibi subditis & Commensalibus etiam post Tridentinum eligere Confessarium, vt tenent Ludouicus à Cruce *Disput.1. Cap. 2. Dub.23. n. 20.* etiam sine approbatione Diœcesani, P. Torres *Disputat 3. de Pœnitentia Dub. 30.* P. Filliucius *Tomo Tract.7. n. 193.* Naldus *verb. Cardinalis nu. 8.* vbi egregiam hanc rationem reddit; Quia certum est Cardinales esse proprios Sacerdotes suæ familiæ, & per se, vel per alios posse hoc munus Parochi in illos exercere, & per consequens eamdem familiam non subijci Parochiali locorum. Quod asserit contra P. Azorium, qui *Tomo 2. Lib.4. Cap. 13. Quæs. 16.* post Concilium Tridentinum tenet contrarium fundatus in quadam Declaratione Cardinalium, cui respondet Diana *Parte 5. Tract. 2. Resolut. 10.* non esse authenticam: quod deberet ipse respondere ad Declarationem aliam, quam adducit pro contraria sententia, & hodie post Decretum Vrbani editum *die 2. Augusti. an. 1631.* in quo statuit vt nulli Declarationi fides adhibeatur, nisi in forma authentica fuerit edita, videlicet sigillo solito, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, ac sacrarij eiusdem Congregationis: ergo ex vi Parochiæ sine licentia & approbatione Ordinarij poterit Parochus delegare suam iurisdictionem Sacerdoti.

Probatio 2. ex Cardinalibus, qui sunt sua familia Parochi.

202. Re-

Responsio facilis, ex eo quòd sint Ordinarij.

202. Respondeo non solùm paucos illos ab arguente citatos eam Cardinalibus tribuere facultatem, sed complures alios, quos adducit Diana *Resolut. citata*: qui tamen consequentiam negant, & facilem reddunt differentiæ rationem, quia videlicet Cardinales sunt respectu suæ familiæ Ordinarij, & maiore quàm Episcopi gaudent potestate, vt benè ostendit P. Suarez *Disput. 27. Sect.2. nu.10.* Et quidem Auctor longi huius argumenti adducit P. Ludouicum à S. Ioanne pro suæ sententiæ probabilitate, qui ait, *Quòd hæc sententia se puede muy bien seguir*: qui ex eodem potuisset equidem illius solutionem accepisse, sic enim scribit *Quæst.6. Arti.2. de Sacramento Pœnitentiæ Difficultat.5. Concluf. 9.* vulgari sermone: *Todos los Cardinales tienen licencia tacita del Papa para elegir Confesor para si, y para sus Familiares: y Yo lo se por experiencia, pues fui Confesor del Senor Cardenal Doria, y de otros Cardinales, sin mas autoridad, que solo su nombramiento.* Sic ille. Si ergo hoc ex licentia tacita fit, quid inde pro sententia illa? Certè si aliquid, oppositum potiùs esse debet. Si enim ex licentia tacita fit: ergo sine illa non licet: vnde quod contendimus redditur manifestum. Sit hoc est conforme grauium Scriptorum sententiæ, qui Cardinalibus non Episcopis eam licentiam negant, quam probabilem reputat P. Suarez *n. 6.* vbi eâ adductâ sic concludit, allegatis Angelo & Sylueſtro aliter sentientibus: *Quod mihi videtur posse satis securè & probabiliter defendi.*

Ludouicus à S. Ioanne.

Ex licentia tacita.

P. Suarez.

203. Tertiò, si verbis Concilij vt iacet est inhærendum, sequitur quòd approbati ab Abbatibus & Prioribus absolutis, non possint sæcularium Confessiones audire. Consequens est contra omnes, & sequela probatur, quia Concilium dicit quòd examen & approbatio debeat esse ab Episcopis. Non dicit; Ab Ordinarijs. Atqui præfati quamuis sint Ordinarij, non tamen sunt Episcopi. Quare sicut de illis non intelligitur Concilium, quia habent potestatem, & iurisdictionem Ordinariam; ita neque de Parochis, licet subditi sint Episcopis, sicut illi Summo Pontifici.

Ex Abbatibus, & Prioribus exempte, obijcitur.

Nullius roboris ostenditur.

Respondetur obiectionem esse leuissimam, quia nomine Episcopi veniunt omnes Episcopalem habentes iurisdictionem, quod ita vsus semper obtinuit, cui à nomine est contradictum vt affirmat P. Suarez *Disput.28. Sect.5. n.3.* Est autem falsum propterea debere intelligi qui Ordinariam habent iurisdictionem, sed quia Ordinariam nulli subiectam, nisi Pontifici, instar Episporum. Ex quo habetur Confessarium posse sibi eligere, qui eo ipso approbatur, aliàs in eo genere esset subiectus, vel necessarium illi esset ad Pontificem recurrere vt Confessarios approbaret, quod quàm sit absurdum statim apparet.

Ex eo quod possit repetere approbationem ab alio diœcesano.

204. Quartò, Approbatio & examen debet fieri ab Episcopo diœcesano, vt est communis sententia à Sacra Congregatione declarata, & tamen Parochus potest suam iurisdictionem delegare Parocho cuiuscumque Diœcesis, vel Sacerdoti approbato à quolibet totius Ecclesiæ Episcopo, vt tenent multi: ergo etiam potest delegare simplici Sacerdoti, etiamsi Episcopus id prohibeat, vt ait Trullench contra P. Suarium: non enim potest Episcopus irritum reddere, quod Parochus facit iure communi munitus.

Ratio discriminis manifesta redditur.

Responsio est facilis, quia consequentia ineptè ex antecedenti deducitur. Id fieri potest, quia in Parocho, quicumque ille sit est beneficium Curatum, in simplici Sacerdote diœcesis alterius est Episcopalis approbatio; ex quibus nihil in eo, qui neque Beneficium, neque approbationem obtinuit, cùm tamen vnum aut aliud à Concilio requiratur. Quòd autem Sacra Congregatio declarauerit à Diœcesano futuram esse approbationem, si ad Curatum & approbatum diœcesis alterius excludendum pertinet, quomodo ad contrariæ assertionis probationem affertur? Si autem Congregatio id non prohibet, quomodo dicitur prohibere? quoad Curatum quidem non prohibere communis sententia firmat, quoad alios tamen non ita est communis assertio, licet grauissimi eam Theologi tueantur. Trullench autem immeritò adducitur, quia ille constantissimè tenet delegationem Parochi fieri non posse simplici Sacerdoti non approbato. Quòd si approbatus sit, alterius tamen diœcesis, censet P. Suarez *Disput. 28. citata Sect.7. n.18.* posse id ab Episcopo prohiberi, & contra prohibitionem actum esse irritum. Circa quod Trullench satis temperatè locutus in *Expositione Bullæ Cruciatæ Lib.1. §.7. Cap.1. Dub.3. num.16.* quòd etiamsi existimet certum posse Episcopos ob conuenientem suorum Episcopatuum gubernationem id prohibere, vt communiter facere solent; non tamen sibi tam certum & verum videri posse dictas licentias irritare: nam hanc facultatem Parochi non habent à suis Episcopis, sed à iure communi, pro quo videndum admonet P. Thomam Sancium *Lib. 3. de Matrimonio Disput. 32. per totam.* Addens nihilominùs debere Parochos in hoc seruare suorum Episcoporum Ordinationes, siue scripto, siue consuetudine, siue alio modo de illis constet, maximè tamen quando Parochus aliquem Sacerdotem sibi socium & coadiutorem assumit, debet sic assumptus approbari more aliorum (vt fit communiter) ab Ordinario ipsius Parochi. Sic ille asserit secutus P. Suarium; qui dum non ita sibi certum videri quod ad irritationem spectat, id penitus non negat, sed rationem minoris certitudinis reddit, vnde nec P. Suario prorsus aduersatur, qui id non vt certum proponit, vt videri apud ipsum potest. Quidquid autem de hoc sit ad præsentem causam est impertinens, quando omnes qui adducuntur, approbationem esse necessariam constanter affirmant, vnde ineruis est penitus consequentia.

Circa approbatum in alia diœcesi quid. Trullench.

Si prohibitio extat, an valida Confessio.

Parochi vnde habeant iurisdictionem.

Coadiutor approbationem indiget.

205. Quintò. Quia Concilium Tridentinum habet planam intelligentiam, & sic non contrariatur iuri communi in *citatis Capp.* Concilium enim non abstulit potestatem Ordinariam, quam habent Parochi ad effectum dictum; nullum enim verbum est quod hoc leuiter insinuet, quod & tenent auctores aduersi: quare solùm voluit declarare quid intelligeretur per Confessorem idoneum in Bullis & Priuilegijs, quibus conceditur aliquibus facultas ad eligendum Confessorem idoneum; & declarat esse illum, quem per examen, vel aliàs Episcopus approbat. Non enim agit Concilium de illo, qui ex iurisdictione etiam delegata potest audire Confessionem. Quod con-

5. Ex plana intelligentia Tridentini.

stat *Primò*, quia Concilium dicit quòd Parochus est idoneus: & tamen de iure communi non habet iurisdictionem, nisi ad audiendas Confessiones suarum ouium. *Secundò*, quia si Episcopus declarat aliquem idoneum, non tamen conferat iurisdictionem, potest ex vi huius Decreti Tridentini audire Confessiones sæcularium habentium priuilegium ad eligendum Confessorem idoneum, vt est indubitatum: ergo euidens est Concilium non agere hîc de Confessore habente iurisdictionem, sed de idoneitate Confessoris, & quid intelligatur per Confessorem idoneum in Bullis & Priuilegijs. Quare Confessor, cui Parochus delegauit suam iurisdictionem, non est Sacerdos idoneus secundùm ius Tridentini, immò neque approbatus per Abbates & Priores exemptos. Quidquid de peccato sit Parochi non eligentis idoneum, quod erit sanè mortale, sicut & Episcopi.

Discursus leuitas redditur manifesta.

206. Respondetur in hoc longo discursu nihil esse quod vrgeat, concesso eo, quod assumitur de non reuocato iure Parochorum, iuxta dicta, negatur declarationem datam esse Concilio conuenientem, cùm valdè sit eius & verbis, & menti dissentanea, vt tenorem eius consideranti constabit. Agit ergo Concilium de omni eo, qui Confessiones est auditurus, cùm ait: *Decernit tamen sancta Synodus nullum etiam Regularem posse Confessionem sæcularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad idoneum reputari, nisi* &c. Qua verborum luce & vniuersalitate incredibilis illa intelligentia nuper proposita dissipatur. Iuxta quam de idoneitate tantùm agitur in ijs requisita, qui beneficio priuilegij Confessiones sunt auditurus. Itaque sensus sic accommodatè ad verba conformandus: *Decernit sancta Synodus nullum etiam Regularem posse Confessiones sæcularium habentium priuilegium audire, etiam Sacerdotum, nisi* &c. Quæ additio potuit à Concilio, si ita eius erat intentio, facilè apponi, quod & necessarium omnino erat ad rei tantæ expeditionem; & cùm non fecerit, ex proprio id cerebro facere, non sine egregia temeritate constabit. Addo, si ita philosophari in re momenti tanti liceat, dici pariter posse eorum etiam, qui priuilegium circa Confessiones obtinent, posse Confessorem non approbatum audire Confessiones: nam ante Concilium Tridentinum id licebat, eratque illud iuxta ius commune, quod non est ab illo abrogatum, cùm de ipso non fuerit facta mentio; & quod de approbatione Episcopi dicitur, comodum sensum habere posse, scilicet de idoneitate per iudicium publicum, & authenticum, vel per aliud, quod quiuis poterit suo pro libitu comminisci. Præterquàm quòd iuxta dictam explicationem nullius ferè vtilitatis Decretum dictum generaliter esset: quia omnes fideles sæculares sub Parochis sunt, & omnibus possunt illi licentiam conferre à se delegatis confitendi, Ecce quoad hoc nihil Decretum prædictum confert, cùm tamen sit vsus ordinarius à fidelibus obseruandus. Bullæ Cruciatæ limitata est concessio, vnde in maiore Christiani orbis parte requisitum approbationis Episcopalis cessat. Iubileum, si ex ordinarijs sit, nihil in illo circa electionem Confessoris indulgetur: si ex magnis, sunt rara, vnde sicut locis, ita & temporibus inconuenientia, quæ Concilium vitanda

Concilium Trident.

curauit, latè excurrere manifestum habetur, & vtilitatem esse permodicam ad loca & tempora coarctatam. Vnde si Bulla Cruciatæ cessat, vt cessare potest, & Iubilea ad stata tempora differantur, Decreti vis erit nulla; quod sine ingenti nequit absurditate concedi.

Rationes prædicta intelligentiæ conuellunter. Et de Prima.

207. Iam quod ad rationes illas attinet pro firmanda intelligentia præfata productas, noua non egere responsione satis elucescit: nihilominùs dico, ad *Primam* totum admitti: sed quid inde? Non equidem apparet quæ ex eo ad intentum deduci possit illatio. Ex eo quidem quòd Concilium sufficienter idoneum censeat Parochum, inferunt graues Scriptores posse etiam respectu alienarum ouium idoneum reputari: ergo & simplex Sacerdos iuxta mentem Concilij: ineptissima consequentia. Deinde. Plus potest modò quàm anteà poterat: Ergo simplex Sacerdos &c. Neque aptior ista. Præterea nihil modò ampliùs Parocho competit, quàm iuri communi competebat: modò enim potest ille Parochum alium eligere vt Paræcianorum suorum audiat Confessiones, & pariter ab illo pro suis eligi: hoc autem de iure communi habuisse negare nequit sic arguens, qui simplicem Sacerdotem asserit, & id quidem cum multis, eligere potuisse. Quòd si ex consuetudine alicubi plus licet, id non obstat, quia etiam ante Concilium consuetudine haberi potuit, vt alicubi possent Parochi alienarum ouium Confessiones audire. Neque in hac parte Concilium Tridentinum facultatem Confessorum ampliauit, sed restringere potiùs conatum est, eo quòd experientia haberetur compertum exillius laxitate ingentia incommoda suboriri. Videatur P. Suarez *Disput.* 28. *citata Sect.* 3. *&* *Sect.* 4. *n.* 2. vbi respectu vtriusque status necessariam delegationem exponit: de consuetudine testatur Ludouicus Beia *Parte* 4. *Responsi. Casuum conscientiæ. Casu.* 5. *vers. Tum quòd*, dicens in Confinibus Diœcesum solitos subditos vnius Parochi confiteri alteri Parocho, ex consuetudine, quæ ab Episcopis scita & tolerata dat illis iurisdictionem. Quem adducit Barbosa *in remissionibus ad Concilium circa citatum Caput.* 15. *in fine.*

P. Suarez. *Ludouicus Beia.* *De Secunda.*

208. Ad secundam rationem conceditur Assumptum, & negatur Consequentia: ex eo enim quòd approbatus, sine iurisdictione tamen, eligi per Bullam possit aut Iubileum, benè quidem sequitur casum hunc in Decreto Concilij comprehensum, quia cùm approbationem requirat vt eligi aliquis possit, & talis illam habeat, nihil præterea est necessarium. Quòd vero ex inclusione talis casus, sequatur ita Concilium de illo agere, vt nullum alium determinatio eius includat, omninò ineptè concluditur, cùm sit vniuersalis, & approbationem in omni Confessionis sæcularium auditione requirat, quam & sufficientem fore decernit. Quis autem non videat euidentem dici consequentiam, quæ neque ratione formæ, neque ratione materiæ, vim vllam continet, & à regulis Dialecticæ penitus exorbitat, dum à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter proceditur, vel à distributo ad non distributum. Album est disgregans visum: hoc verificatur in nive: ergo non in pariete dealbato. Quis talem consequentiam non irrideat? Ergo lector ingenue, talia legens, *Vade, & tu fac similiter.*

209. Tan-

Ex necessitate, quæ occurrere aliquando potest, arguitur vt semper liceat.

209. Tandem, In casu vrgentis necessitatis, vt quia sunt multi, qui confiteantur, & Parochus fatigatus est, si non est facilis recursus ad Episcopum, potest delegare iurisdictionem Sacerdoti non approbato ab illo: ergo semper potest. Consequentia est manifesta, quia ratihabitio de futuro non confert iurisdictionem, aut declarat idoneitatem requisitam, vt est communis & certa sententia: ergo iudicium Episcopi de idoneitate non est forma substantialis ad delegandam iurisdictionem. Antecedens huius discursus docuerunt Mancius & Gallus, quos refert & sequitur Henriquez *Lib.* 3. *Cap.* 6. *num.* 2. *in Glossa lit. F. &* G. & Ludouicus à Cruce *Disput.* 1. *Cap.* 2. *Dub.* 10. & addit Henriquez ex *S.* Antonino ita declarasse aliquos Summos Pontifices, & ex Ioanne Andrea ita disputatum & conclusum fuisse Bononiæ.

P. Henriq.

Ex satis ex ratihabitione de futuro iuxta probabilem sententiam.

Hoc argumentum eodem, quo præcedens, vitio laborat; ex vno enim casu ad omnes deducit illationem, cùm sit Iuris notissimum axioma quod necessitas non habet legem. Transeat ergo Antecedens, & negatur Consequentia: ad cuius probationem admittitur communis sententia, sed non certa. Vnde præfatum casum admittentes possunt probabiliter ita censere, quia ratihabitionem etiam defuturo sufficere ad valorem Confessionis est probabile, quia ita tenent graues Scriptores apud P. Suarium *Disput.* 26. Sect. 1. n. 13. & P. Henriquez, cum ijs, quos adducit, etiam admittit. Et de probabilitate attestatur P. Filliucius *Tract.* 3. *n.* 242. vnde Confessor iuxta illam absoluens iurisdictionem habet probabiliter, quæ ratihabitione obtineri potest, iuxta præfatos Auctores; & ita negatione eius, quod pro certo assumitur, truncatur argumentum. Dici etiam potest in casu necessitatis non procedi ex ratihabitione de futuro, sed beneficio ipsius legis, quæ casum istum non comprehendit, & epikeiam locum habere in hoc genere, sicut in alijs.

Et ex concessione ipsam Iuris.

Predicta sententia à SS Alexandro damnata ostenditur.

210. Quibus prælibatis iam videamus oportet quid sit de prædicta sententia sentiendum, de qua quidem *Parte* 1. *n.* 364. *& seqq.* ita egi, vt damnatam ab Ecclesia non fuerim visus arbitrari. Sed certè re attentiore consideratione perpensa, in eadem videtur esse damnatione cum alia, de qua dictum, scandalosa ad minimùm à Pontifice iudicata, iuxta quam Parochum posse Sacerdotem non approbatum ab Ordinario in Confessarium eligere pronuntiatur. Ideò enim Propositio illa damnatur, quia à generali prohibitione explicata vniuersali termino *Nullus* sine fundamento aliquo in Decreto ipso vnus excipitur. Atqui admissa illa de potestate Parochi sententia ad delegandam suam iurisdictionem respectu ouium, non vnus aut alter, sed Paræciani omnes excipiuntur, & ita generaliter fideles omnes sæculares, quia omnes sunt per Paræcias distributi: ergo pariter damnata credi debet; immò maiori multò titulo, cùm non vna aut altera, sed innumeræ fiant exceptiones. Decernit quidem Concilium nullum etiam Sacerdotem posse non approbato confiteri. Exeat iam quispiam, & dicat posse confiteri Diaconum, quia nomine sæcularium non venit: aliàs non esset necessarium Sacerdotem exprimi: neque Sacerdotis, quia talis non est. Quid ad hæc? Explodetur assertio talis, vti

graui digna censura: quia Sacerdos ideò expressus, quòd in eo aliqua ratio, vt non conferetur inclusus subesse videbatur: purioris videlicet conscientiæ præsumptio, celebrandi frequentia: quæ tamen non sunt à Concilio ad exceptionem sufficientia iudicata. Atqui in Diacono & Clericis alijs talia non occurrunt: ergo potiori ratione debent inclusi iudicari. Iuxta quæ in casu nostro philosophandum est, vbi vrgentior multò est consequentia.

P Suarij. Duo asserta considerationè dignissima.

211. Vbi quidem duo P. Suarij pronuntiata ad sententiam vtramque dispicienda. Primum extat *Disput.* 28. *citata Sect.* 4. *n.* 8. vbi sic ait: *Quare dicendum est Prælatos inferiores Episcopis, qui iurisdictionem non habent Episcopalem, non posse eligere nisi aliquem approbatum ab Episcopis: quia hi Prælati manifestè, & sine vlla ratione dubitandi, comprehenduntur sub Decreto Concilij.* Sic ibi. Iuxta quæ manifestè, & sine vlla ratione dubitandi Parochi approbatum tantùm ab Episcopo eligere debent, quia aut nomine Prælati veniunt, cùm sint Pastores, aut sunt Prælatis inferiores, quod tenere omnes affirmat P. Arriaga *Tomo* 2. *de Sacramentis. Disput.* 39. *n.* 33. Secundum habetur. *n.* 12. vbi eo ostenso, quod ex potestate delegandi suam iurisdictionem sequitur in Parochis, de quo & nos nuper; & etiam. *n.* 199. & 206. quòd scilicet ferè nihil Concilium suo Decreto effecisset, quandoquidem cum sola Parochorum facultate possent omnes quibus vellent confiteri (quæ sequela est euidens, in sententia dicta) sic subdit: *Consequens autem euidenter est absurdissimum, quia prorsus eneruat Decretum Concilij: & quia ridiculum est posse Parochum concedere, quod summus Pontifex numquàm ordinariè concedit per Diplomata sua, & Episcopus non potest concedere.* Sic ille; qui circa priorem illam sententiam ea fuit moderatione contentus, vt indubitabilem, tantùm affirmarit quæ eidem aduersatur, immò extra quæstionem eam videatur censuisse. Circa aliam verò, in qua sumus, quibus vtatur terminis iam vidimus, absurdissimæ & ridiculæ, quod in eius modestissimo genio rarò aliàs inuenietur. Et de certitudine iam ita præmiserat. n. 11. *Propter quam rationem nonnulli ausi sunt hanc sententiam defendere.* (quia scilicet à Concilio ius commune non videtur abrogatum) *Mihi autem neque tuta, neque practicè probabilis videtur.* Ex quibus id habemus, sententiam scilicet vtramque censuræ alicui obnoxiam esse, sed multò magis posteriorem; cùm ex ea absurdissimum consequens, pariterque ridiculum paradoxum euidenter deducatur. Illa ergo priore à Pontifice damnata, de huius damnatione non videtur posse dubitari.

P. Arriaga.

Si Parochus approbare pro alijs potest, etiam & pro seipso.

212. Id quod ampliùs roboratur. Nam posita probabilitate sententiæ de potestate Parochi ad delegandam iurisdictionem non approbatis, legitimè sequitur posse etiam non approbatum eligere in Confessarium, quia non debet esse ipse peioris conditionis, & magis strictos habere terminos, quàm subditi habeant, vbi non constat à Iure fuisse constitutos. Non quidem ex eo quòd videatur erga se ipsum iurisdictionem exercere, impedimentum esse potest, quia tale non est in Episcopo eligente sibi Confessarium, & ita iurisdictionem erga se ipsum tribuentem: quod & in Pontifice admittunt Doctores Indulgentias lu-

cranti, quas alijs concedit, ea ratione reddita, quòd non debeat esse peioris conditionis, quàm vulgus fidelium: & quia in eo possunt distingui duo respectus, iuxta quos id conuenienter explicatur. Vt Pontifex enim sibi concedit vt homini inter Ecclesiæ membra numerato. Et idem est de Prælatis alijs, qui Indulgentias possunt elargiri. Pro quo P. Suarez *Tomo 4. in 3. p. Disput. 52. Sect. 2. n. 19. & seqq.* Sic ergo & Parochus, qui concedere alijs licentiam potest ad electionem Confessarij, sibi etiam eligere potest, conferendo scilicet illi iurisdictionem erga se vt Parochus est, & vt vnus è gremio Parœciæ beneficium illud accipiens, vt membrum inquam illius communitatis pariter indigum, neque quidquam habens, propter quod excludi debeat: immò remedio Confessionis frequentiore egens, vtpotè Sacramentorum administrationi ex officio vacaturus. Cùm ergo hæc Confessoris eligendi facultas, cum alia erga Parœcianos ita connexa sit, vt huius sit illa legalis sequela, dum hæc à Sede Apostolica damnata deprehenditur, de illa non videtur dubium esse posse: vnde neque necessarium fuit exprimi; quia posita vnius damnatione, alterius damnatio ex terminis constare videbatur. Cùm aliàs apud Doctores malè audiret, vt ex P. Suario vidimus. Eódem modo loquitur Bassæus *verb. Confessarius. 3. n. 5.* P. Fagundez circa *Secundum Ecclesiæ præceptum Lib. 7. Cap. 2. n. 42.* Ioannes Sancius *in Selectis Disput. 48. n. 51.* addens prædictis esse plusquàm falsam, & friuolum esse illius fundamentum. Diana *Parte 3. Tract. 4. Resolut. 146.* non audet illam probabilem affirmare: quod tamen intrepidè præstat *Parte 10. Tract. 16. Resolut. 75.* Et cum præfatis censet Franciscus Syluius in *Additionibus ad 3. p. q. 6. arti. 1. quæsito 4.* Cardinalis Lugo omninò veram dicit communem sententiam: ex quo infertur contrariam omnino falsam iudicandam. Alij aut omittunt, vt dogma indubitatum, aut statuunt cum eadem firmitate, nullam circa illud mouentes quæstionem. Iam ergo erat sententia talis ad Censuræ Pontificiæ dignissimum additamentum fermentata, vt non debeat haberi mirum, quod de eius inclusione in Decreto S. Congregationis est à nobis pronuntiatum.

Ex Indulgentijs virgetur.

Prædicta sententia malè apud Scriptores audit.

SECTIO XI.

De Parochis Indorum notata quædam. Vbi, an nomine Parochorum absolutè veniant, & omnia ijs propria eisdem adaptanda.

Circa Parochos omnes Ordinariorum limitationes pro Confessione cessare.

213. PArochus audire Confessiones potest omnium suorum Parœcianorum, cuiuscumque conditionis & status sint, quia pro omnibus Pastor constituitur. Vnde licet in multis Diœcesibus prohibitiones Synodales aut Episcopales sint, iuxta quas in Confessarijs pro diuersis Parœcianorum conditionibus limitationes adhibentur, & ad feminarum Confessiones ætas proiectior assignatur: ac sæpè contingat iuvenem nuper ad Sacerdotium vix ad illud requisita ætate promotum, Parochum creari: omnes illæ prohibitiones cessant, & cùm Prælati adeò sint erga Religiosos soliciti, vt non nisi quadragenarij Confessiones feminarum excipiant; in iuvene sæculari ad sacerdotium promoto ferè imberbi, id non iudicant inconueniens, piè forsam rati, vtinam & verè, cum Canonica institutione talibus donum Castitatis peculiare conferri, vt cum D. Hieronymo *Epist. 3.* quæ est Epitaphium Nepotiani, nouos dicere possint sui temporis Timotheos, qui nullam in se obscœni ruboris fabulam darent.

De iuuenibus aliquot D. Hieron.

214. An autem facultas hæc adeò pro Parœcianis ampla plus pateat, quæstionis est satis controuersæ. Et de iurisdictione loquendo certum est illam non nisi circa oues proprias Parochum habere, vnde si quidquam erga alienas liceat, id erit, quia cùm approbatus à Concilio declaretur, ei potest iurisdictio erga illas delegari, vt diximus. *n. 207.* Sed quantùm se extendere approbatio possit, vt sit delegabilis iurisdictio, diuersitate sententiarum agitatur. Et sunt qui censeant minimè approbatum censeri nisi respectu ouium suarum. Ita Ioannes Gutierrez *Canonicarum qq. Cap. 27. n. 21.* ex eo arguens, quia à Concilio Tridentino in proposito æquiparantur habens beneficium Curatum, & approbationem ab Ordinario ad audiendas Confessiones: sed habens beneficium Curatum non potest audire alienas oues sine licentia expressa, vel saltem interpretatiua proprij pastoris, vt est notum, & probatur in *Cap. Omnis vtriusque sexus, de pœnit. & remiss.* Ergo nec habens approbationem ab Ordinario &c. Putat autem P. Suarez id, quod ratio prædicta videtur euincere, esse incredibile; aliàs quid oporteret Concilium eam exceptionem facere? Nec videri prædictum Auctorem id admittere, quia statim solum concludit non posse eligi extra Episcopatum vbi Beneficium habet. *Sic Disput. 28. Sect. 4. nu. 16.* sed certè ex conclusione tali non infertur efficaciter id tantùm voluisse, quia sic arguens, benè ita concludere potuit in casu, de quo agebatur, An scilicet approbatus in vno Episcopatu sit eligibilis in alio? si enim Parochus id nequit, cùm solummodò respectu ouium suarum sit approbatus, neque etiam poterit approbatus, qui Parochus non est, cùm pariter in Concilio vti idonei proponantur. Neque hoc videri ita incredibile potest, vt fundamentò penitus careat, ob rationem, quæ adducitur; cui responderi potest eam reddendo, quam Pater ipse Suarez proponit *nu. 13.* scilicet excipi huiusmodi Beneficiatum, quia respectu suorum subditorum non indiget noua approbatione; non verò quia respectu aliorum approbatus sit: hic enim sensus videtur præferendus: tum quia est formalior, id est, de habente Beneficium, quatenus illud habet, & respectu eorum, quorum Pastor est: tum etiam quia respectu aliorum non ampliùs habere videtur, quàm simplex Sacerdos. Sic ille philosophatur, cuius discursus minimè friuolus aut leuiusculus haberi debet, ab ipso sanè, si talis esset, omittendus.

Quantùm se extendat eorum facultas.

Ad proprias oues arctat. Ioan. Gutierrez.

Cap. Omnis vtriusque.

215. Neque penitus negotium istud conficit ratio alia ex eo desumpta, quòd si ita esset, vt beneficium Curatum habens pro sua esset tantùm Parochia approbatus, aut grege quocumque alio titulo compellato, deterioris esset conditionis Sacerdote

Sicut nec alia ex eo quòd Sacerdos simplex melioris esse conditionis.

cerdote simplici ab Episcopo approbato: talis enim approbatio non solet ad vnam Parochiam arctari. Id enim momenti alicuius esset, si approbatio simplicis Sacerdotis à Concilio cum ea amplitudine proponeretur, qua beneficium Curatum habens esset destitutus. Non tamen ita res habet, sed approbatio simplicis Sacerdotis arbitrio Episcoporum relinquitur, vt ipsi aut pro vna tantùm, aut pro pluribus suarum Diœcesium Parochijs possint idoneos approbare, sicut & Parochorum approbationem à lege habitam extendere. Quòd si non faciunt; dici potest ea esse de causa, quia cùm opiniones valde probabiles circa hoc versentur, & Curati ipsi de tali extensione non sint petenda soliciti, nolunt scrupulosas mouere quæstiones. Id tamen videtur negari non posse, sententiam scilicet dictam esse probabilem, vt adducta videntur demonstrare, quam & tenet Bossius *de triplici Iubilei priuilegio Sect. 3. Casu. 2. num. 50.*

Ad ciuitatem, aut oppidum, in quo est Parochia, adsunt alij.

216. Sed alij plus Curatis concedunt dicentes approbatos esse ad audiendas Confessiones in ea ciuitate vel oppido, in quibus est Parochia, non autem passim per totam diœcesim. Sic Barbosa *de potestate Episcopi Allegat. 25. nu. 18. & de potestate Parochi Parte 2. Cap. 19. num. 3.* vbi adducit Piascecium, Homobonum, Fernandez de Moure, Squillante, & P. Fagundez, quem cum alijs ex citatis ait à Sacra Congregatione ita decisum afferre. Sed P. Fagundez neq; Congregationis meminit, neque huiusmodi sententiam sequitur, cùm potiùs asserat extra dubium esse eam, quam his verbis proponit *Lib. 7.* in secundum Ecclesiæ præceptum Cap. 2. n. 35. *Respondeo intra eamdem diœcesim extra dubium omninò esse huiusmodi Parochiale beneficium ibi obtinentes idoneos esse iuxta formam Concilij Tridentini dicta Sessione 23. Cap. 15. vt in tota illa eligatur per Bullam & priuilegium, etiam ab alienis ouibus sine licentia propriorum Parochorum, immò & sine licentia Episcopi.* Sic ille eo ipso in loco, in quo à citato Scriptore citatur, approbationem minimè ad ciuitatem aut oppidum, in quibus est Parochia restringens, sed ad diœcesim totam extendens, vt virtute Bullæ & priuilegij electurus approbatum Confessorem ab Ordinario, illum possit sibi sine alicuius legitima resistentia vendicare. Licet autem ibi non videatur loqui de approbatione in ordine ad eos, qui beneficio Bullæ aut Iubilei, vel priuilegio alio carent, in sui asserti probatione id expressit sic arguens: *& ratio est in promptu, quia intentio & mens Concilij est æquiparare ad minimùm in hoc beneficium Parochiale approbationi Episcopi: sed approbatus ob Episcopo in tota diœcesi reputatur idoneus & eligibilis: ergo & habens beneficium Parochiale. Vnde quantumuis proprij Rectores habentium priuilegium resistant &c.* Iuxta quæ apparet quàm immeritò dictus Pater à Barbosa afferatur: quod quidem & in alijs non rarò accidere alibi me admonuisse recordor, vt non semper debeat eius citationibus plena fides adhiberi. Quamuis autem in priori loco *de potestate Episcopi* non videatur suum circa sententiam dictam proferre iudicium, in posteriori tamen clariùs expositi: illa etenim resolutoriè proposita, eiusque fautoribus, ac Sacræ Congregationis Declaratione. Sic subdit: *Ego ipse de officio & potestate Episcopi &c.*

Nonnulli ad decisum.

P. Fagund.

A Barbosa, non benè citatus, sicut aliàs ei accidit.

Barbosa.

Quod & habet *in Collectaneis ad Concilium circa citatum Caput. n. 19.*

Probabilitas sententiæ dictæ à declaratione S. Congregationis.

217. Et de huius quidem sententiæ probabilitate dubitare quisquam posset, ijs suppositis, quæ de probabilitate præcedentis sunt à nobis stabilita, nisi graues Scriptores de Sacræ Congregationis Declaratione testimonium perhiberent. Licet enim authenticè de illa non constet, & ita de illa iudicari etiam authenticè nequeat, neque sit obligatio eam in praxi amplectendi: dubitari tamen nequit quin in Sacræ Congregationis iudicio, de quo sufficientem exhibent graues Scriptores fidem, auctoritatem adsciscat, vt debeat probabilis reputari. Ea autem secluſa, & adeò efficaciter demonstrato Curatum non habere ratione Beneficij secundùm se loquendo, aut vigore Concilij generalem approbationem, eam ad ciuitatem aut oppidum, vbi est Parochia, arctari, non videtur verosimili niti fundamento. Vnde enim id sic sentiens poterit comprobare? Ex iure communi minimè. Ex Tridentino pariter. Ex consuetudine similiter, quia illa non est vniformis, neque in proposito iuvat, vbi tantùm de potestate Parochi, secluſis accidentarijs, agimus. Vna autem illa ratio mutui inter Parochos auxilij, congruentiam quidem habet, sed non eam vim, quæ ad casum momenti tanti necessaria est, vbi de fundamento agitur ad fundandam iurisdictionem penitus requisito. Et quidem si sufficiens esset, ex eo fieret etiam ad Parochos diuersarum diœcesum consequenter applicandam, vt de Lusitania testatur P. Suarez *citata Disput. 28. Sect. 4. n. 19.* ita scribens: *Inter nos verò hanc scimus esse consuetudinem, vt Parochi sese mutuò iuvent ex solo suo consensu, non tantùm intra eamdem diœcesim, quod est certius & frequentius, sed etiam in confinio distinctarum diœcesum, vt Henricus suprà refert.* Sic ille: qui Henricum *suprà* citans à se adductum, non Gandauensem, quem *Sect. 3. n. 3.* allegauerat, sed Patrem Henriquez videtur intelligere ab ipso citatum *eâdem Sect. 4. n. 18.* Sed sine loci expressione, neque ibi, neque in tota illa Disputatione; quod neque ego in huiusmodi scriptore inuenire potui. Quod licet non multùm videatur interesse, ad doctrinæ plenitudinem oportuit non omitti. Pro alijs Prouincijs testem adducit Stephanum Del Vin Dom. Barbosa, citato. *n. 19.* Sit ergo sententia ista probabilis aliunde, à Sacræ inquam Congregationis iudicio, quo illius sectatores videntur innixi, dum fundamentum aliud adducunt nullum.

Quid in Lusitania.

P. Suarez.

Sunt qui ad omnes Prouincias extendant.

218. Et veniamus ad alios, qui approbationem Parochorum ad diœcesim totam extendunt, & non ampliùs, pro quo Diana *Parte 3. Tract. 4. Resolut. 146. in fine.* adducit Alfonsum à Leone, qui in hoc sensu negare videtur generalitatem, quam multi concedunt, pro vniuerso inquam mundo. Idem videtur tenere P. Escobar de Mendoza *Tomo 2. Theologiæ moralis. lib. 16. n. 100.* Quod & firmat tenor Declarationis Sacræ Congregationis Cardinalium apud P. Suarium *citata Sect. 4. n. 17.* sic habens: *An obtinens Parochiale beneficium, vbique censendus sit idoneus, absque alia Episcoporum approbatione, ita quòd audire possit Confessiones eorum, qui non habent huiusmodi priuilegium, sed Parochorum consensum? Congregatio respondit non posse.* Vbi quidem quasi certum vi-

Pro diœcesi qui sunt.

Declaratio Congreg. Cardin.

detur ſupponi poſſe Confeſſiones audire in tota diœceſi, ad quam ſpectat, quia ſolùm de neceſſitate approbationis dubitatum fuit ad audiendas illas vbique, & ſine approbatione aliorum Epiſcoporum. Quod cùm Congregatio neget, id ſanè, quod ſupponitur, videtur approbare. Et licet P. Suarez de auctoritate huius Oraculi ſubdubitet. *n.* 19. de illius probabilitate non videtur poſſe dubitari, cùm illud afferant citati à Barboſa, qui *citato n.* 19. adducit citatum etiam Deluin deciſionem huiuſmodi referentem. Et ratio quidem deciſionis quatenus prohibitiua eſt amplioris facultatis, ſatis conueniens reddi poteſt, vt ſcilicet Parochi erga Epiſcopos ſuos debitam ſubordinationem obſeruent; & ſicut iuriſdictionem extra diœceſim exercendam conferre nequeunt circa non ſubditos, ita neque extra illam approbatio progrediatur. Quæ progreſſio inconuenientia parere poſſet, dum Epiſcopi ægrè ferunt homines ſibi incognitos ad Sacramenti adminiſtrationem tot requiſita depoſcentis admitti. Et quandoque euenire poteſt vt Parochus in aliena diœceſi Beneficium obtinens ab Epiſcopo alterius minimè dignus promotione ad illud cenſeretur. Pro quo eleganter Ioannes Gutierrez *ſuprà n.* 18. & 19.

Ratio pro eo ſatis commoda.

Facultas pro tota diœceſi nullum habet ſolidum fundamentum.

219. Quod verò attinet ad extenſionem pro tota diœceſi vltra limitationes ab alijs aſſertas, de quibus dictum, non videtur ſolido poſſe fundamento comprobari. Si enim aliquo, maximè ex eo quòd ante Tridentinum id poterant Parochi, quod ius non eſt per illius Decretum abrogatum. At hoc nimium probat, ex eo enim ſequitur, & ita contendunt Doctores multi, poſſe Parochos in vniuerſo mundo eligi, quia ſic ante Tridentinum poterant: ergo aut illud vim habet nullam, aut ſi certè habet, ſententiæ ad diœceſim arctanti penitus aduerſatur. Et ita P. Suarex *Sect.* 3. *n.* 3. ita ſcribit: *Iuxta hanc ergo Declarationem poterat vnus Parochus iuxta antiquum ius delegare ſuam iuriſdictionem alteri Parocho, & qui habebat poteſtatem eligendi Confeſſorem, poterat quemcumque Parochum non ſuum eligere. Et hoc ſemper fuit indubitatum in Eccleſia.* Sic ille. Aliunde ergo videtur iſta fundanda ſententia, quod poſt Tridentinum difficile apparet. Et dicere quidem aliquis poſſet Decretum dictum ſic fuiſſe ab eius exordio receptum, & practicatum. Contra id tamen eſt non leuis inſtantia ex ijs, quæ circa duas præcedentes ſunt dicta ſententias, quarum Auctores non potuerunt praxim dictam ignorare, & præſertim vrget Declaratio Sacræ Congregationis pro ſecunda ſententia adducta ab Auctoribus illius patronis, quæ contra praxim rationabiliter introductam, & à Prælatis doctis, ac de Concilij mente ſatis inſtructis, minimè prodijſſet. Et quidem ſententia dicta maiori videtur congruentia roborari; quia valde expediens videtur vt Parochi in eadem ciuitate aut oppido Parochias habentes ſibi mutuas ſuppetias ferant quæ de aliarum vrbium Parochis non ita accidit, cùm Parochi in ea reſidere ciuitate aut oppido debeant, vbi & ſitæ ſunt Parochiæ. Ratio autem quæ ex approbatione ſimplicis ſacerdotis deſumi poteſt, id contra ſe habet, quod diximus. *n.* 215. Quòd ſi ex eo quòd approbatio talium generalis pro tota diœceſi ſit, Parochorum approbatio pariter

P. Suarez.

Ex approbatione ſimplicis Sacerdotis ratio inefficax.

extendenda venit', id non iam in vi Iuris, aut ſecundùm rei ipſius conditionem accidit, ſed ex voluntaria Epiſcoporum diſpoſitione. Quibus addendum ex approbatione ſimplicium Sacerdotum non poſſe argumentum ad pariformem praxim deduci, quia illis communiter non ſola approbatio, ſed etiam iuriſdictio ab Epiſcopis attribuitur, vt obſeruauit Ioannes Gutierrez *citato Cap.* 27. *n.* 27. ita vt vix, aut rarò, vt ille loquitur, diuidantur. Atqui Parochis non competit iuriſdictio niſi erga proprios Paræcianos, non ergo ab vno ad aliud legitima currit illatio. Cùm contingat aliàs multos ex ſimplicibus ſacerdotibus eſſe plurimis Parochis ad Confeſſionum auditionem aptiores, vnde eos poſſunt Epiſcopi in approbatione præferre, ſicut limitare etiam minùs aptis ſolent quod ad loca attinet & perſonas, de quo *inferiùs*. Vnde non eſt generaliter verum id, quod de amplitudine approbationis aſſeritur. Et ita P. Eſcobar de Mendoza *ſuprà nu.* 101. ſic abſolutè approbatos Parochis anteponit, iunctis ijs, quæ habet citato *n.* 100. & idem videre eſt in *Examine Confeſſariorum Tract.* 7. *nu.* 38. §. *Poteſtne*. Sua tamen ſit huic ſententiæ probabilitas, quam & ſcriptorum conciliat auctoritas, & alia quæ diximus, licet noſtri etiam inſtituti ſit ſententiarum fundamenta diſcutere, nec cœco more indiſcuſſa & inexplorata complexari.

P. Eſcobar.

220. Communiſſima, & grauiſſimorum ſcriptorum ſententia Parochis vniuerſalem approbationem adſcribit, vt vbique gentium poſſint eligi in Confeſſarios de licentia quorumcumque Paſtorum. Pro ea multos congerit Ludouicus à S. Raymundo *Tomo* 1. *Tract.* 1. *num.* 448. & poſſet plures, quia reuera plures illam amplectuntur, ex quibus Cardinalis Lugo *Diſput.* 21. *de Pœnitentia n.* 8. P. Arriaga *Tomo* 2. *de Sacramentis Diſput.* 42. *n.* 4. P. Martinon *Tomo* 5. *Diſput.* 53. *n.* 33. P. Becanus in *Summa Theologiæ Scholaſticæ Tract.* 2. *Cap.* 38. *Quæſt.* 11. *n.* 3. P. Reginaldus *Lib.* 1. *nu.* 189. Franciſcus Syluius *in Supplemento* 3. *p. q.* 8. *arti.* 5. *quæſito* 6. *Concluſione* 1. Eligius Baſſæus *verb. Confeſſarius* 3. *n.* 10. P. Baunij *Tomo* 1. *Tract.* 4. *Quæſt.* 4. & *Tract.* 10. *Quæſt.* 17. vt alios omittam. Quorum fundamentum vidimus *nu.* 219. à Concilio ſcilicet Tridentino nihil circa illos innouatum, cùm aliàs ante illud huiuſmodi poteſtate gauderent. Quod cùm à tot ac tantis Doctoribus ſit efficax iudicatum, non poteſt non multùm eorum auctoritati pro ſtabilienda probabilitate deferri. Si quæ verò extant Sacræ Congregationis Declarationes facultatem huiuſmodi limitantes, obuiam habent reſponſionem ex eo quòd authenticæ non ſint, & Decretum Vrbani VIII. extet talibus Declarationibus fidem adhiberi in iudicio & extra prohibentis, quod videri poteſt apud citatum Patrem à S. Raymundo *nu.* 453.

Multorum ententia ad totum orbem extenſa.

Eius fundamentum à Concilio Tridentino nil iuris antiqua detrahente.

221. Quibus addi poteſt id, quod videtur obſeruatione digniſſimum, multa ſcilicet extare Decreta Pontificum, quibus cauetur ne approbati in vna diœceſi, in alia audire Confeſſiones poſſint niſi approbati ab Ordinario eiuſdem, præſertim Vrbani VIII. & Innocentij X. quomodocumque illa intelligenda veniant, pro quo & Declarationes Sacræ Congregationis circumferuntur. In nullo autem Parochorum mentio occurrit, ſed de approbatione tantùm procedunt, quæ non

Ratio alia verosimilis.

non obtinentibus Curatum beneficium ad executionem talis eſt muneris neceſſaria. Ex quo videtur non leui illatione deduci circa Parochos non eſſe eam Sedi Apoſtolicæ Curam, quæ circa alios: cuius rationem reddunt aliqui, quia in Curatis maior ſolet diligentia ad explorandam ſufficientiam adhiberi. Quæ quidem non placebit inſigni Iuriſconſulto Ioanni Gutierrez citato *Cap.* 27. *nu.* 17. vbi ait quòd is, quem approbauit Epiſcopus Salmanticenſis, fortè non placebit Ciuitatenſi, qui maturiùs in his examinibus fortè procedet, vel è contra: quare non vult confidere in alieno iudicio circa ſuas oues, ſed in proprio, cùm de ijs teneatur Deo reddere rationem. Nam quemadmodùm paterfamilias ſuis infirmis medicum ſuo arbitrio meliorem eligit: non verò eos curat ille, quos mittit extraneus abſque licentia & voluntate domini: ita & eodem modo eſt dicendum in curandis peccatoribus, ſanandiſque eorum languoribus (quorum curatio & ſalus ſpiritualis, ad proprium Epiſcopum, cui ſubſunt, pertinet, non verò ad alienum) vt ipſis Confeſſarium idoneum præbere atque approbare debeat proprius Epiſcopus, non verò alienus. Sic doctus ille Magiſter: & quidem cordatiſſimè. Quis autem non videat diſcurſum eius ad Parochos etiam extendi? Vnde aliter videtur Poſitio præfata firmanda; ex eo ſcilicet quòd Parochi in ſua debent Parochia reſidere, & ita non eſt periculum vt cõmuniter ad diœceſes alias diuertentes alienarum ouium Confeſſiones excipiant: pro vno autem aut alio caſu non eſt cur multùm timeatur; & ita non fuit opus ſpeciali illud Decreto præcaueri. Quibus non obſtantibus exiſtimat Cardinalis Lugo *Diſput.* 21. *citata num.* 14. Parochos virtute Iubilei non poſſe eligi in alia diœceſi, quia in illa non conceditur facultas, niſi pro approbato ab Ordinario loci, & Parochus verè dici poteſt approbatus.

Ioannes Gutierrez.

Firmatur non leuiter dicta Poſitio.

Cardinalis Lugo *vt obſtat in Bulla & Iubileo.*

222. Minùs eſt iuxta dicta, & ita conſequenter admittendum, quod Parochis Doctores nonnulli concedunt, ſcilicet ſe inuicem poſſe in foro Confeſſionis audire. Pro quo P. Baunij *Tomo* 1. *Tract.* 10. *Quæſt.* 17. *de Parochis*, cum Ludouico Beia. Quod quidem ratione antiquę conſuetudinis eſſe ait, circa quam nihil Concilium Tridentinum immutauit. Eſt autem circa hoc maior, quàm circa prædictam ſententiam certitudo; tum quia maior eſt in eo Doctorum conſenſus, tum etiam quia conſuetudo plus fauet; tum denique ex ratione, quæ pro eo militat, quia ſcilicet Concilium Tridentinum nihil circa hoc iuri Parochorum detraxit. In quo obſeruandum in *Cap. Omnis vtriuſque ſexus*, prohiberi ne fideles ſine licentia proprij Sacerdotis alieno confiteantur: in quo quidem controuerſia extat, vt vidimus, an ſcilicet tunc approbatio eſſet Epiſcopi neceſſaria, ſupra quam talis licentia caderet, quia Concilium Lateranenſe id non videtur expreſſiſſe: vnde illud dubiæ quæſtionis eſt. Circa Parochos autem nullam licentiam requiſiuit, vt ſcilicet ſe inuicem poſſent audire, & abſoluere: vnde videtur id a Concilio minimè reprobatum. Id quod clariùs ex verbis illis conſtat: *Semel in anno confiteatur proprio Sacerdoti*. Atqui Parochi proprium Sacerdotem non habent, de quo ibi ſermo; neque enim ad Epiſcopos recurrere debebant vt

Parochos ſe inuicem audire poſſe ex conſuetudine antiqua.

Cap. Omnis v. 8.

ipſis confiterentur, neque ad licentiam petendam, quod nullibi eiſdem iniunctum reperitur: erat ergo ipſis proculdubio licitum ſe ad inuicem in foro Confeſſionis audire.

223. Sed numquid omnibus? Quod quidem dubium, & ad alia prædicta poteſt agitari: ſicut enim Parochi certorum oppidorum, pro quibus exigua ſolet ſufficientia requiri, quia ruſticorum & paucorum, in quibus videtur philoſophandum vt in approbatis: qui enim concedunt approbatos eſſe vbique eligibiles, aut de licentia Parochorum, vel ſuperiorum Prælatorum, aut beneficio Bullæ, vel Iubilei approbationem requirentium, id paſſim limitant in approbatis cum limitatione, vt videri poteſt in Cardinali Lugo *Diſput.* 21. *nu.* 16. & 23. qui ex eo arguit quòd talis Sacerdos non eſt approbatus ab Ordinario ad hanc Confeſſionem, ſed ad alias illas; ad quam limitationem potuit Epiſcopus optimam rationem habere: eo quòd in tali oppido propter incolarum conditionem Confeſſiones faciliores eſſent; vel quia alibi, & in Confeſſione aliarum perſonarum haberet fortaſſe periculum, quod non ſubeſt in tali loco, vel tali familia perſonarum honeſtarum &c. Requiritur ergo approbatio vel vniuerſalis, vel certè reſpectiua ad talem Confeſſionem: vt ad illam poſſit eligi per Bullam, vel Iubileum. Ita P. Suarez, Emmanuel Rodriguez, Ioannes de la Cruz, Villalobos, Homobonus, Nugnus, P. Filliucius, & Alfonſus à Leone, apud ipſum; aduerſantibus nonnullis; qui tamen id admittunt quando limitatio approbationis ob defectum ſcientiæ contingit. Ex quo etiam arguit dictus Cardinalis, quia non eſt maior ratio in eo, quàm in alijs, quandoquidem Epiſcopi dum approbationem limitant, non minùs alios defectus attendunt, quàm illum, & abſolutè intendunt ſic approbatos pro quibuſdam, pro alijs reprobare. Eodem modo argumentatur P. Arriaga *Diſput.* 42. *n.* 6. Cùm autem in defectu ſcientiæ ferè omnes Doctores conueniant, ex eo videtur efficax in caſu, de quo loquimur, argumentum deduci, quia in Parochis Ruſticanis exigua ſolet eſſe doctrina, vnde non videntur generaliter approbari. Neque videtur credibile velle Pontificem tales ab omnibus, pro quibus gratiam indulget, elegi poſſe; cùm nequeant approbati aliàs cum limitatione ob defectum ſimilem: quia Parochiale munus non habet ſpecialem prærogatiuam, qua ſuppleri defectus talis poſſit. Quibus addendum id, quod cum alijs proponit P. Arriaga *ſupra nu.* 7. ſcilicet approbationem & iuriſdictionem Parochi ab Epiſcopo prouenire, vnde & limitare illam poteſt. Teſtatur propterea Cardinalis Lugo *n.* 11. multos Parochos approbari ab Ordinario ſolùm pro toto Epiſcopatu, & iuriſdictionem ab Epiſcopis accipere.

Aprobati cum limitatione an eligibiles virtute Bullæ, aut Iubilei.

Cardinalis Lugo.

P. Suarez. Emmanuel &c.

P. Arriaga.

Quod de illis negatur videtur & Parochis indoctis denegandum.

Limitari talis ab Epiſcopo poteſt. P. Arriaga.

Iuriſdictionem ab eiſdem accipiunt.

224. Arguit etiam ille. *n.* 19. ex eo quòd Parochus nequit approbato cum limitatione oues generaliter committere, quod vt certum ſupponit: id tamen poſſet, ſi limitatio ad electionem non obſtaret, cùm per Bullam & Iubileum approbatio in Confeſſario vt neceſſaria penitus intimatur, quia Concilium nihil aliud exigit vt Parochus alteri committere vices ſuas poſſit, niſi vt hic ſit ab Ordinario approbatus: hoc autem ipſum eiſdem verbis petit Pontifex in Bullo & Iubileo.

Cardinalis Lugo.

P. Arriaga. Iubileo. Quam rationem P. Arriaga ex eo infirmam reputat, quod nuper diximus, approbationem scilicet & iurisdictionem Parochi esse ab Episcopo, & ita illum non posse contra voluntatem eius operari, eligendo pro suis ouibus eum, qui non est ab illo generaliter approbatus: quod secus accidit in casu Bullæ & Iubilei, in quo iurisdictio à Pontifice confertur. Et pro discrimine præfato adducit Dianam *Parte 2. Tractatu de Regularibus. Resolut.93.* cum P. Fagundez loquentem *Lib. 7. circa.2. Eccl. præceptum. Cap.2. n.45.* Sed illi minimè adduci possunt, vt ex eorum auctoritate probetur Parochos ab Episcopis accipere iurisdictionem, quia solùm loquuntur de iurisdictione, quæ alicui Regulari committi potest circa certas tantùm personas, aut oppidum, quam constat esse delegatam. Ordinariam autem Parochorum iurisdictionem non esse ab Episcopis, sed à Pontifice censent multi; vnde id quasi Problema proponit P. Molina. *Tract.5. Disput.5. n.6.* & plus aliquid affirmant Maior & Sotus apud P. Suarium *Tomo 4. in 3.p.Disput.25.n.16.* dicentes esse immediatè à Christo, quod ille iudicat probabile, sed minùs quàm de Episcopis: vnde non videtur penitus assentiendum Patri Fagundez, qui *supra.Cap.1.n.28.* asserit iurisdictionem Parochorum esse ab Episcopis, & de hac re non esse dubitandum. Et ita non benè cum adducit Barbosa *Parte 2. de potestate Parochi. Cap. 19. n.1.* inter eos, qui censent iurisdictionem Parochorum esse à Pontifice, & solùm dependentem ab Episcopis quoad casus reseruatos, pro quo allegat alios. Iuxta quorum sententiam benè arguere potuit citatus Cardinalis, cùm probabilis sit. Immò etiam secundùm oppositam; quia licet iurisdictio Parochi ab Episcopo sit; lex tamen Concilij superior est, & eo posito, quod illa sufficiens iudicat, non potest ipse actum impedire, quia hic etiam operatur mandatum Pontificium. Itaque per Bullam & Iubileum eligi potest approbatus cum limitatione, quia id, quod requirit, apponitur, & contra eius mandatum inferior ire potestas nequit. Atqui in Concilio Pontifex est, qui requisitum apponit vt Confessor eligi possit, & illud datur: ergo nequit contra illius iri mandatum. Pro quo hæc satis.

Cardinalis Lugo *Ratione necessitatis excusantur Prælati non idoneos Parochos præficientes.*

225. Iam quod ex approbatione cum limitatione argui ad Parochos imperites queat, vlteriùs probari potest ex eo quod habet Cardinalis Lugo *Disput.21.citata n.74.* vbi ait ratione necessitatis excusari fæpè Prælatos, qui in aliquibus oppidis exiguis & remotis præficiunt Parochos indoctos: hoc enim plerumque faciunt, quia propter exiguum stipendium & penuriam rerum, non inuenitur homo doctus, qui velit curam illam suscipere. Vnde cùm aliter non possit ouibus illis subueniri, vt supponitur, melius est vt habeant Confessarium indoctum, quàm quòd omni remedio penitus destituantur. De his ergo rogari potest an eligi, vt alij, possint? Quod fateri, videtur durissimum. Si enim tales minimè approbarentur ad Confessiones audiendas, quomodo præsumi potest esse generaliter eligibiles, ratione tituli beneficialis, minimè, vt dicebam, ad meliorem reddendam conditionem actus influentis? Video eumdem Cardinalem *n.13.* asserere nullum reperiri posse Parochum, qui non sit approbandus ab Ordinario, ex quo infert eligibilem esse per Bullam & Iubileum, vnde ad Parochos indoctos videtur eius assertio proroganda. Verumtamen cùm indoctos huiusmodi asserat compellente ad id necessitate constitui, locus videtur exceptioni manere, quia ex eo quod necessitate agitur, non licet argumentum ad id, quod est regulariter dispositum, deriuare. Id quod in eadem potest materia facilè demonstrari. Si enim necessitate cogente, non Parochus, sed Capellanus oppido alicui daretur cum eâdem, qua Parochus, generalitate, qui tamen esset indoctus eo gradu, quo Parochus, non posset eligi, vt possunt ij, qui non necessitate cogente, sed idoneitate promerente, fuerint approbati. Et quidem Doctores volentes esse eligibiles eos, qui cum limitatione fuerint approbati, in defectu scientiæ, id, vt vidimus, non admittunt; qui autem cum tali defectu ex necessitate approbantur, non possunt dici melioris conditionis, neque simpliciter approbati. Et Concilium cùm obtinentes Curatum beneficium idoneos esse declarat, de casu necessitatis non loquitur, nisi in ordine ad proprios Paræcianos, quatenus talis, attento rerum statu, iudicatur: vnde approbatio extendenda non est vltra casus necessitatis: nulla autem vrget necessitas vt per Bullam, Iubileum, aut ratione gratiæ alterius eligatur, quia eo ipso quòd gratiæ sunt, necessitatem excludunt. Quod alio declaratur exemplo. Nam quilibet Sacerdos in mortis articulo potest morituram à quibuscumque quantumuis grauibus & enormibus flagitijs absoluere; vnde ad id est diuinis & humanis iuribus approbatus. Quia tamen id ratione necessitatis habetur, nequit ad casus non ita necessarios extendi, neque per Bullam, Iubileum, aut gratiam aliam similem eligi.

Nec Tridentinum de talibus loquitur.

Contrarium tenet Card. Lugo, *sed validè contrarium arguitur.*

Qui non videntur eligibiles.

226. Ex his ergo satis verosimiliter videtur inferri rusticanos Parochos, de quorum doctrina testimonium competens non habetur, non posse ampla illa facultate potiri, quæ Parochis cum plena approbatione per examen & concursum est concessa, & quæ secundùm probabiles Doctorum sententias potest conuenire. Et quoad Indorum Parochos potest illatio deduci, vt scilicet non debeant tali facultate gaudere, qui paucissimis & valde rusticis præficiuntur: vnde plus solet in eis Indicæ linguæ peritia, quam doctrinæ sufficientia requiri; præsertim in multis Prouincijs in quibus studia non vigent, & vix aliquid de Grammatica ad prædictæ linguæ titulum ordinati delibant. Quòd si per concursum Parochia deferatur, id non erit semper sufficientiæ validum argumentum, quia deficiente illa in concurrentibus, cùm non inueniantur alij, dici tunc non poterit, quod de aureo pomo fabulæ: *Detur meliori.* Sed minùs malo. In quodam concursu sic Latinè interroganti examinatori: *Quid est peccatum?* quidam ex talibus respondit: *Ne mecum hac lingua agas; non enim illa gustui meo arridet.* Et tamen obtinuit: addidit enim: *Tres Indices calleo, in his poteris percontari* & quid de sic doctis Parochis possit sibi Pontificia cautio polliceri? Ideò

Et tales quandoque Indorum Parochi.

227. Dico Primò. Parochi Indorum in concursu examinati, & plenam approbationem adepti, in omnibus se gerere possunt more aliorum, de

de quibus ratio dubitandi non est. Et sunt quidem multitales: vnde licet de cura tantùm Indorum agatur, suam prærogatiuam non demerentur, quia eorum sufficientia ad omnes potest extendi: vnde & approbatio Episcoporum sic est accipienda, si fortè illa necessaria est supra eam, quam secum affert Beneficij collatio in ordine ad eos, pro quibus institutio peragitur. Quod quidem videtur vsu ipso firmari: nam Episcopi circa hoc limitationem nullam solent apponere; licet aliàs circa ætatem Confessariorum non paruam solicitudinem gerant. Nolunt enim quidam suæ diœcesis Sacerdotes ad Confessiones feminarum approbare nisi quadragenarios; qui tamen hesternos à se Ordinatos ad Curata beneficia promouent, cùm vix ætatem ad Sacerdotium à Concilio requisitam expleuerint. De quibus dubitari poterat an feminas sibi non subiectas audire in Confessione possent, etiam si aliàs plenam examinatorum approbationem habuissent. Licet enim Concilium id videatur concedere, dici posset intelligendum quando ab Episcopis circa illud non est aliter dispositum, vt disponi posse videtur in præsenti. Cùm enim iuuenis Indorum Parochus constituitur, prohibitus aliàs Hispanarum Confessiones excipere, potest Episcopus prohibitionem eamdem continuare; cùm probabile insuper sit, vt vidimus. 214. & 215. Parochorum approbationem ad proprias oues extendi tantùm: nullibi enim statutum videtur vt Episcopi nequeant aliquos intra eos limites continere, cùm expedire iudicauerint, vt in casu præsenti accidit, ne absurdum illud occurrat, de quo. *n.213.* Sicut enim approbatio per Curatum beneficium obtenta, sufficiens decernitur à Concilio, vt idoneus quis ad audiendas Confessiones habeatur, ita & approbatio sine Beneficio ab Episcopo habita, & tamen approbatio ista habere suas limitationes potest, vt vidimus: ergo & illa; salua semper manente Parochiali circa proprias oues potestate, & ita Beneficij talis proprietate, & natiua conditione.

Seminarium Hispanarum audire vt possit qui, etiam veteri.

Inpraxi quid Episcopi faciendum extensione iurisdictionis.

228. Cùm ergo hoc ita disponi possit, oportet vt cùm Parochi Indorum ab Episcopis instituuntur, eisdem ampliorem approbationem conferant, si de eorum sufficientia examinatorum iudicio constiterit; licet aliàs prohibitionem aliquam circa Confessionum auditionem habuissent. Et ita, vt dixi, vsu venit, quia in eo sua etiam commoda deprehenduntur, licet non sine incommodorum admixtione, quæ præponderare non iudicantur. Pro quo & facit id, quod in *Thesauro dixi Tomo 2.Tit.17.n.13.* Regum nostrorum ordinatione dispositum, vtpotè ad id, Pontificia, sicut & circa alia multa, auctoritate pollentium, vt Parochis Indicis Episcopi circa Hispanos iurisdictionem peculiarem adhibeant, qui in oppidis Parochiæ commorantur, vt passim accidit, aut circumcirca, vbi greges, lanificia, aut agrorum cultura. Et simile aliquid in Societate nostra videre est, in qua cùm pro excipiendis Hispanarum feminarum Confessionibus ea ætas requiri soleat, quæ & ad quatuor votorum solemnem Professionem scilicet. 33. annorum: quando tamen Missiones faciendæ sunt, & adeò prouecti non occurrunt, iunioribus solet talis facultas indulgeri, quia maior in eo vtilitas cernitur, quàm in prohibitionis indispensabili tenore. Sic etiam & in Doctrinis Paræcialibus minores ætate prædicta præficiuntur, non facilè suppetentibus alijs, id quod, Deo benè iuvante, in eius cedit gloriam, incommodis ablegatis.

Parochiæ Indicis vt conueniat iurisdictio circa Hispanos.

Assertio 1. Inepti ad Parochia terminos adstricti.

229. Dico Secundò. Vbi inepti pro Paræcijs Indorum instituuntur, eorum approbatio Parochię terminos non transcendit, iuxta dicta. *n.226.* & quæ generaliùs sunt præmissa: quæ quidem licet ab Auctoribus non inueniantur in specie, vt opus erat, disputata, iuxta communem doctrinam, & verosimiles sunt illationes constituta. Ex quo elicitur Parochos alios non posse licentiam suis Paræcianis concedere vt talibus confiteantur: quod quidem Doctores admonent, & ante Concilium Tridentinum fuisse necessarium affirmant, vt videri potest apud P. Suarium *Disput.28. Sectio 3.n.5.& 6.* Quod & ex natura rei videtur manifestum supposita Sacramenti huius institutione, vt significat P. Suarez *num. 5. citato.*

P. Suarez.

Assertio 3. Nequeunt eligi virtute Bullæ & Iubilei etiam à Paracianis.

230. Dico Tertiò. Inepti, de quibus nuper, nequeunt eligi ratione Bullæ & Iubilei à proprijs etiam Paræcianis. Probatur ex dictis. *n.* 225. & 226. Valde quidem probabilis est sententia, quam cum alijs, quos citat, sequitur Cardinalis Lugo, vt vidimus. *n.223.* vbi & P. Arriagam adduximus, iuxta quam approbatus cum limitatione potest eligi virtute Bullæ & Iubilei ab ijs, pro quibus approbatus est, licet ab alijs non possit. Quod quidem admitti meritò potest, quia respectu illorum absolutè approbatus est: quod tamen non accidit quando necessitatis impulsu ineptus administrationi Sacramentorum præficitur, vt vidimus *locis nuper citatis*, quia absolutè non sunt approbati respectu illorum, quibus sunt dati administratores sacrorum, vnde ad id solùm eorum iurisdictio extenditur, quod gratiam non concernit, & sine quo ordinaria Paræcianorum directio in ordine ad æternam salutem stare potest, ex quibus sunt Bulla & Iubileum. Tales ergo admonendi sunt vt Confessarium alium quærant; quibus tamen Bulla multùm prodesse potest, & quidem pro Indis nulla est necessitas quoad casus reseruatos, quia nullus talis pro ipsis est. de quo in Thesauro *Tomo 2. Tit. 12. n. 308. & seqq.* Ad Indulgentiam autem plenariam iuxta satis probabilem opinionem, visitatio quinque altarium suffragatur. Præterquàm quòd Indulgentiam in articulo mortis potest Sacerdos quilibet applicare, in quo, vt ait Trullenck *Lib.1.in Bullam Cruciatæ §.7.Cap.2.Dub.19.n.6.* omnes Doctores conueniunt.

Assertio 4. Possunt licentiam illis concedere.

231. Dico Quartò. Imperiti Parochi possunt licentiam concedere Paræcianis vt approbatis confiteantur. Probatur ex *Cap. Omnis vtriusque Sexus.* vbi id conceditur proprio Sacerdoti: inepti autem licet cum limitationibus dictis approbati, sunt proprij Sacerdotes, id est, peculiarem curam ouium habentes ad quos illæ specialiter pertinent. Debent autem ij, qui eligendi sunt, esse idonei: quod eqùidem imperiti etiam discernere possunt, iuxta ea, quæ aliàs docet P. Suarez *Sect. 3. citata in fine.* Scilicet per experientiam, aut publicam famam, seu notitiam, aut per aliorum fide dignorum testimonium.

Assertio 5. Affirmans de electiu in concursu.

232. Sed quid si duæ sint vicinæ Parochiæ, in quibus

Possunt se in vicinis Parochijs adiuuare.

quibus Parochi imperiti : poteruntne mutuò licentiam concedere Paræcianis ? Videtur posse; quia durissimum esset misellis Indis proprio esse Parocho semper adscriptos. Et ius quidem quod Parochis competere vidimus , eatenus inualuit, quia dum licentiam concedunt , non reddunt conditionem Paræcianorum deteriorem , cùm eam concedant sibi similibus ; & insuper grauamen illud tollunt , quod in Confessione facienda proprijs Pastoribus semper & vbique , non leue solet reputari. Id autem in casu, de quo agimus, passim accidit , ad quod impellit necessitas , quæ non solùm pro vna Parochia,sed pro vicina etiam, cogit tales Parochos prouideri. Vnde illa extenditur ad consequentia ; ad facultatem videlicet concedendi licentiam, qua non deterior, sed melior Indorum caussa redditur, vt ostendimus. Est ergo hoc verosimile , licet non penitus inconcussum. Nec de his plura.

SECTIO XII.

Vtrùm Prælatus Regularis amouere Indorum Parochum sibi subditum queat ab huiusmodi cura , ob notitiam habitam per Confessionem.

233. COmmunem difficultatem concernit præsens quæstio, sed quia in Doctrinarijs dictis potest frequenter occurrere, eo quòd multis & magnis periculis sint expositi , vnde & frequentior, pro reseruatis recursus (quod absit) esse potest , ideò illam oportet hoc loco pertractare , quod non sine vtilis operæ pretio futurum existimo , vt res ipsa monstrabit.

Ludouicus à S. Raymundo.

Et illam nouissimè discutit P. Ludouicus à S. Raymundo *Tomo 1. Tract. 1. Resolut. 30. qui. n. 469.* multos adducit asserentes Prælatum ex notitia in Confessione habita posse subditum amouere ab officio , quod est ad nutum amobile , dummodò hoc fiat absque fractione directa aut indirecta sigilli. *& n. 472.* Sententiam id limitantem proponit , vt scilicet id liceat in Confessarijs Sæcularibus , non autem in Regularibus , propter Decretum Clementis VIII. in quo de Regularibus tantùm est sermo , vnde est solùm prohibitio coarctanda. Sic D. Petrus de Ochagauia *de Sacramentis. Tract. 3. de Sigillo. Quæst. 7. n. 7.* quod & probabile reputat Thomas Hurtadus *Parte 2. Resolut. moral. Tract. 5. Cap. 11. Resol. 32.* cùm id. §. 7. absolutè statuisset. §. 15. qui & §. 3. affirmat stante huiusmodi probabilitate , non solùm posse , sed etiam debere Prælatos amouere sic notos , sub reatu peccati mortalis , contra P. Thomam Sanctum *Lib. 3. de Matrimonio. Disput. 16. n. 7.* quia ex iustitia tenentur graui damno occurrere , tum communi, tum priuatorum, quando eius cuitatio non est incompossibilis cum obligatione alterius præcepti , vt in præsenti contingit : quæ obligatio ex charitate tantùm erit in Confessarijs , qui Prælati non sunt , pro quibus similis ratio militat, vt scilicet in quantùm possint debeant damnis imminentibus opportunum remedium adhibere.

Qui censeant licere quod in Titulo quaritur, immò & obligare.

Thomas Hurtadus.

234. Contra hæc statuit præfatus Auctor. *Primò n. 476. & seqq.* etiamsi sententia prædicta sit probabilis , non teneri illa vti Confessarios : quod hoc discursu iudicat efficaciter probari. Nam damnum, (quodcumque illud sit) si ignoretur caussa , nullus tenetur , neque ex iustitia, neque ex charitate vllatenus euitare. Sic autem contingit in præsenti : nam quod per Confessionem scitur , non scitur à Confessario vt homine, sed vt Deo, vnde perinde est ac si ignoretur, quæ est doctrina D. Thomæ *in. 4. Dist. 21. q. 3. arti. 1. quæstiun. 1. ad 3.* Ex quo deducit S. Doctor eum, qui adducitur vt testis, posse dicere se nescire. Et ijs , quæ deferuntur Prælato in foro pœnitentiæ, in eo foro quantum potest debere remedium adhibere. *Secundò* esse contra sigillum vti scientia dicta ad regimen externum Fratrum, Reipublicę, aut Communitatis. Id probat, quia est reuelatio indirecta, vt dicitur, siquidem in *Cap. Omnis vtriusque Sexus.* Confessor non debet manifestare peccata pœnitentis , neque verbo , neque signo, neque alio quouis modo , *Ne peccatorem prodat* ; proderet autem si scientia in ordine ad regimen vteretur ipsius. Sic enim odiosam faceret Confessionem, quæ non solùm debet esse sigillata respectu aliorum , sed etiam respectu ipsius pœnitentis , vnde nequit quidquam facere aut dicere, ex quo erubescere coràm ipso possit. *Tertiò* post Decretum Clementis VIII. improbabilem esse sententiam contrariam, siue de Regularibus, siue de sæcularibus Confessarijs licitum vsum esse contendat : quia licet Pontifex de Regularibus tantùm videatur loqui , ratio in omnibus est eadem, vt ex P. Dicastillo probat *Tomo 2. de Sacramentis Disput. 12. n. 141* & poterat potiùs ex Cardinali Lugo , à quo ille in eo discursu instructus *Disput. 23. n. 95.* Pontifex enim excludit omnem casum , quod iustum non esset , nisi supponeret non esse vsum illum licitum ex natura rei : quia dabilis est casus , in quo Superior teneretur ex natura rei tali scientia vti, vt in electione indigni, aut si sciret aliquem non esse Sacerdotem , quem deberet Subditorum Confessarium minimè designare : cum ergo hoc dici nequeat, fatendum est talem vsum esse ex natura rei illicitum , & consequenter non esse ad Regulares Pontificis Decretum arctandum , cùm Sacramenti institutio ad omnes pariter extendatur. Hæc Auctor ille.

Etiamsi sit probabile, non tenetur quę probent.

D. Thom.

Cap. Omnis v. 1.

235. Circa quæ illud inprimis non videtur cohærere quod in primo & tertio asserto vidimus tradidisse. Siquidem in primo contra Thomam Hurtadum depugnat asserentem vsum notitiæ per Confessionem habitæ aliquando obligare , si probabile est esse licitum : cùm tamen in tertio rationem P. Dicastilli afferat pro illius probatione, quæ licitum ostendit, si ex natura rei non est talis, immò & obligatorium multoties, vbi eadem est arguendi forma. *Potest probabiliter : ergo & debet imminente graui damno. Potest ex natura rei, seu attenta institutione Sacramenti : ergo & aliquoties debet.* Nam posteriori modo arguens, idem quod priore intelligit , probabiliter inquam ita affirmari ab Auctoribus oppositam sententiam amplexis, & ita argumentum sic procedit : *Potest probabiliter* ex natura rei, vt aduersarij contendunt : *ergo & debet ex natura rei* ; quod idem est ac ex obligatione iustitiæ vel charitatis , vt sententia

Moderni Auctoris citati non cohærent pronuntiata.

tentia illa philosophatur : nam obligatio tristitiæ & charitatis ex natura rei est , & ratione alicuius humani præcepti.

236. Deinde respondens argumento proposito ab illo Auctore sic habet: *n. 488.* Respondetur concedendo Maiorem , & negando suppositum Minoris : supponit enim falsò esse possibilem aliquem casum , in quo Confessarius possit vti scientia habita in Confessione , etiam secretò ad regimen externum , quia saltem indirectè sigillum Confessionis frangit , licet non dicatur propriè reuelare Confessionem , & deinde facit odiosam Confessionem , peccatque mortaliter contra reuerentiam debitam Sacramento &c. quæ tamen responsio ineptè procedit : nam cùm assertio procedat supponendo esse licitum talem vsum , non potest negari suppositum , quia tollitur quæstio , vt in omnibus huiusmodi quæstionibus videre est. Quod si iste modus arguendi ligitimus non est, neque erit ille , quem ex P. Dicastillo proponit , quia similiter poterit negari suppositum , cùm procedat supponendo licitum vsum , quem contraria sententia admittit, vnde etiam debebit negari suppositum. Dum autem suppositum ad illationem admittitur , ita id fit , vt non debeant admitti quæ contraria ipsi sunt , & ipsum destruunt. Et ideò cùm dicitur , *Si probabiliter est licitus* , perinde est ac si dicatur. *Si probabiliter non est contra sigillum , etiam indirectè : Si non facit odiosam Confessionem. si non est peccatum &c.* Vnde non bene respondetur modo dicto rationibus huiusmodi subiunctis. Admittatur ergo illatio , vt cum P. Dicastillo admittitur , & magis consequenter , vt ait Cardinalis Lugo *nu. 93.* sed quia inconueniens iudicatur , ideò & suppositio absolutè non admittenda , quæ sub conditione est tantùm vsurpata.

237. Prætereà, id quod dicitur de notitia habita à Confessario non vt homine , sed vt Deo , & est Auctori prædicto vnicum & efficax contra Thomam Hurtadum fundamentum, non videtur adeò firmum , iuxta D. Thomam , ex quo est desumptum , vt constat ex verbis subsequentibus , sic enim ibi : *In eôdem foro debet quantùm potest adhibere remedium : vt Abbas in casu dicto admoneat eum vt Prioratum consignet; vel ; vel si noluerit , potest ex qualibet alia occasione absoluere à cura Prioratus : ita tamen quòd omnis suspicio vitetur de Confessionis reuelatione.* Sic Doctor sanctus. Vbi cùm dicat posse Abbatem ex aliqua alia caussa à cura Prioratus absoluere sine suspicione reuelatæ Confessionis , id respectu aliorum debet accipi , respectu quorum reuelatio contingit ; respectu enim Prioris ineuitabilis suspicio est , & ad absolutionem huiusmodi posse tali notitia aliquomodo vti, modus ipse loquendi S. Doctoris indicat , dum ait. Potest ex aliqua alia occasione. Quę quidem occasio non debeat esse talis , vt absolutè obligationem remotionis inducat ; aliàs non diceret, *Potest* , sed *Debet*. Neque hoc erat opus addi , cùm esset ex se manifestum. Occasio ergo secundùm S. Doctorem ea sufficit , quæ licet obligatoria non sit , talis tamen , vt qui amotum scierint , & eam norint , nequeant , nisi temerè de occulto crimine suspicari , cùm in Religione ad remotiones tales non omnes occasiones debeant esse æquales. Est prætereà locus alius eiusdem *in 4. dist. 9. q. 1. arti. 5. quæstiun. 1. in Corpore* , vbi sic ait : *si Sacerdos sciat peccatum alicuius, qui Eucharistiam petit , per Confessionem , vel alio quolibet modo , distinguendum est : quia aut peccatum est occultum , aut manifestum : si est occultum , aut exigit in occulto , aut in manifesto : si in occulto , debet ei denegare , & monere ne in publico petat : si autem in manifesto , debet ei dare , primò quia pro peccato occulto pœnam inferens publicam , reuelator est Confessionis , aut proditor criminis*, &c. Quam auctoritatem à Thoma Hurtado adductam cùm sibi obijciat citatus Scriptor *nu. 490.* minimè eidem satisfacit , dum ait D. Thomam non agere de notitia habita per Confessionem, cùm luce meridiana sint eius verba clariora , semel & iterùm Confessionem exprimentis.

Idem. S. Doctoris.

238. Item, graues Scriptores affirmant etiam post Decretum Clementis posse Confessarios in multis casibus vti notitia per Confessionem habita , quos Diana colligit *Parte 5. Tract. 11.* licet ipse non omnes probet. Ex quo habetur positionem illam de notitia habita vt Deo, & vt homine , non ita esse accipiendam , vt ad omnia applicari debeat , sed iuxta id , quod D. Thomas *citato loco* nos docuit , vt scilicet Confessarius possit iurare se nescire , & in ordine ad gubernationem ita se gerere , vt nullam auditi in Confessione peccati suspicionem excitet , sed cum ea , quam nuper diximus , se gerat cautione. Quod & P. Vasquez admonens sententiam dictam amplectitur *Tomo 4. in 3. p. q. 93. arti. 4. Dub. 8. n. 2. & 6.* Qui licet ante Decretum Clementis fortè scripserit posthumum illud opus , eius tamen editio post illud fuit , & etiam post Ordinationem P. Claudij , quæ illud per annos quatuor antecessit , & toti Societati obseruandam voluit. Et est *5. inter Instructiones Cap. 2. n. 14. in Libro Ordinationum Præpositorum Generalium* , de qua *inferiùs*. Tenet etiam P. Tannerus *Tomo 4. Disput. 6. n. 140.* P. Reginaldus *Tomo 1. Lib. 3. Cap. 2. n. 16.*

Graues Scriptores etiam post Decretum Clem. VIII licitum vsum contestantur.

P. Vasquez.

P. Tanner. P. Reginal.

239. Quod autem à præfato Auctore dicitur de reuelatione indirecta , non benè probatur ex *Cap. Omnis v. 1.* quia in eo reuelatio prohibetur verbo, signo , aut alio quouis modo , additis verbis illis : *Ne prodat peccatorem* : pro quibus ille , *Ne perdat* reposuit. Et posset error ille amanuensis aut typographi credi , nisi in consequentibus eodem verbo vteretur , dum ait : *Aliquod signum externum , quo possit facile peccatorem perdere* &c. Pontifex ergo ibi de proditione tantùm loquitur : seu manifestatione , quæ verbo , signo , aut alio modo fit : quod quidem nullus ex amplectentibus sententiam contrariam vllatenus negat : & ij , qui secus sentiunt; Decreto Clementis obsecuti aliter loquuntur, ex quibus Cardinalis Lugo *suprà nu. 100.* sapienter dixit *quòd licet in prædicto casu Confessarius non esset propriè reuelator Confessionis ; peccaret tamen contra sigillum, quod obligat ad continendam taliter notitiam illam , vt neque ad opera possit practicè deseruire contra ipsum pœnitentem.*

Reuelatio indirecta non probatur ex Cap. Omnis v. 1.

Cardinalis Lugo.

240. Iam quod de improbabilitate dicitur, non solùm de Regularibus loquendo , iuxta De-

Sententiam dictam non esse hucusque improbabilem.

cretum Clementis, sed etiam de omnibus alijs ob rationem dictam, erunt qui probent pauci, & quidem P. Thomas Sancius *citata Disputat. 16. num. 4.* post adductum Decretum dictum, & Ordinationem S. M. P. Claudij, sententiam dictam probabilissimam esse dixit, & maiore quàm contraria Auctorum numero communitam. P. Martinon *Tomo 5. Disputat. 54. num. 51.* veram probabilitatem agnoscit. P. Arriaga *Tomo 2. de Sacramentis Disputat. 46. num. 16.* dum longè probabiliorem suam sententiam esse asserit. P. Becanus *Quæst. 39. num. 5.* solùm ait id rectiùs negari. Diana *Parte 5. Tractat. 11. Resolut. 3. & 4.* simplici est negatione contentus: quidquid *Parte 3. Tractat. 4. Resolut. 76.* dixerat: Cardinalis Lugo *num. 94.* se nescire ait quomodo sustineri possit, & nihil ampliùs. P. Bussembaum in *Medulla Theologiæ Moralis Lib. 6. Tractat. 4. Cap. 3. Dub. 1. num. 4.* docet esse probabile, adductis Decreto, & Ordinatione præfatis. P. Palaus *Tomo 4. Tractat. 23. Puncto 19. §. 3. num. 20.* verius esse existimat,

Decreto Clem. VIII vt multi respondeant.

eadem citatione subiuncta; qui & *num. 19.* præmiserat Decretum dictum non obstare, quia asserere possumus ibi solùm præcipi & commendari id, quod aliàs iure diuino commendatum est de obseruatione sigilli: ne scilicet vllus Superior ad externorum gubernationem vtatur notitia ex Confessione accepta, quæ ex se suspicionem Confessi peccati ingerat, & addit notanda esse verba illa: *Ad exteriorem gubernationem*: quibus, vt expendit. P. Suarez *Tomo 4. de Religione Tractat. 10. Lib. 8. Cap. 5. num. 12.* indicari non prohiberi vsum talis notitiæ ad interiorem gubernationem, & pœnitentis spiritualem profectum. Sic ibi, quamuis posteà oppositum vt verius amplectatur, iudicium illud prius à veritate non esse prorsus alienum. P. Lessius in 3. p. D. Thomæ *Quæst. 11. de sigillo Confessionis Arti. 1. Dub. 2. num. 6. & 7.* adducto etiam Decreto probabilitatem fundat in fortioribus locutus terminis, in quibus etiam Guilielmus Mercerus apud Dianam *Parte 4. Tractat. 4. Resolut. 202. & Parte 11. Tractat. 4. Resolut. 15.* P. Amicus *Tomo 8. Disput. 14. num. 40.* probabilitati suffragatur. Eligius Bassæus *verb. Confessarius 7. num. 12. in fine*, P. Martinus del Rio *Lib. 6. Disquisit. Magicar. Sect. 2. §. Quoad secundam*, Leander de SS. Sacrament. *Tomo 1. Tract. 5. Quæst. 63.* Alexander Pesantius *in Additionibus ad 3. p. D. Thomæ Quæst. 11. in fine*, P. Tamburinus in *Methodo Confessionis Lib. 4. Cap. 6. nu. 7. & seqq.* non solùm probabilitatem agnoscit, sed actiones, quas vocat tertij generis, licitas esse ait, & nullo ex adductis Decreto prohibitas, etiam in Societate.

Idem de Regularibus censent plurimi.

241. Si autem loquamur excipiendo Regulares, ad quos solùm, Clementis Decretum dirigatur, habet citatus Auctor plures insuper, qui eidem aduersantur. Sic enim censuit P. Dicastillus *Tomo 1. de Sacramentis, Tractat. 4. Disputat. 9. num. 229.* licet posteà *Tomo 2. Tractat. 8. Disput. 12. nu. 140.* aliter videatur censuisse. P. Coninck *Disput. 9. de Sacramento Pœnitentiæ nu. 61.* P. Arriaga *citato nu. 16.* P. Gaspar Hurtadus *Disputat. 12. de eôdem, Difficult. 9. in fine*, vbi ita scribit: *Nihilom inùs Confessarius vti*

Gaspar Hurtadus.

potest notitia Confessionis quando nullus, nec pœnitens, potest in dictam suspicionem deuenire, quia nullo modo frangitur sigillum, quia tunc nulli dicitur, nec infinuatur peccatum Confessum. Excipimus Superiores Religionum, qui scientia Confessionis nullatenus vti possunt ad exteriorem gubernationem, quia eis prohibitum est à Clemente VIII. in Motu proprio, quem pro casibus reseruatis edidit Anno 1594. Sic ille. P. Bussembaum *citato nu. 4.* P. Martinus Del Rio *supra, ibi: Quæ sanctio, etsi liget tantùm eos, ad quos scripta*, &c. P. Filliucius *Tract. 7. nu. 335. Tomo 1.* P. Suarez *Tomo 4. in 3. p. Disput. 33. Sect. 7. nu. 4.* Diana *Parte 5. Tract. 11. Resolut. 3. & Parte 10. Tractat. 12. Resolut. 34.* P. Tamburinus *supra n. 9.* Ioannes Poncius in *Cursu Theologico, Disput. 46. n. 164.* Thomas Hurtadus Tomo 2. Tractat. 6. nu. 179. & seqq. Andreas Victorellus *in Additionibus ad Cardinalem Toletum Lib. 3. Cap. 16.* Ochagauia adductus *n. 233.* & alij.

242. Iuxta hæc videri potest non immeritò Thomam Hurtadum *supra* nu. 163. ita locutum: *Quare cùm tantus & tam insignis Auctorum chorus, tam modernus, quàm antiquus hanc applaudant conclusionem, existimo non esse probabile asserere secundùm se non esse licitum vti scientia habita in Confessione in aliquo casu &c.* Quibus videtur addendum, etiam videri improbabile idem asserere post Decretum Clementis VIII. Religiosos excludendo, quia tot & tantæ auctoritatis Scriptores, quales vidimus, ita sentiunt, quos improbabiliter locutos non potest probabiliter affirmari. Quia verò etiam sunt, qui Religiosos non excludant etiam post Decretum dictum, erit qui censeat similiter pronuntiandum. Leander *supra*, nouem adducit, & alios *Quæst. 64. & 65.* qui iuxta eum sensum probabilitatem sententiæ ipsorum adscribit: id enim indicat, dum ait opinionem suam esse longè probabiliorem. His addendi Mercerus & P. Lessius adducti *num. præced.* Alexander Pesantius *supra*, P. Georgius Rhodes Tomo 2. Tract. 12. in fine, vbi ait generaliter agi erga subditum posse, si non sit periculum notitiæ peccati, addens consultiùs fore secus agere. Ioannes de la Cruz in *Directorio Conscientiæ Quæst. 6. de Sacramento Pœnitentiæ Dub. 1. n. 3.* licet de priuatione officij neget, addit tamen sic: *Potest tamen Prælatus ex scitis in Confessione subditi, vigilare super eum, vt scito delicto extra Confessionem, corrigatur.* P. Reginaldus id, quod vidimus *n. 239.* absolutè profert, & vnus est ex nouem à Leandro adductis. P. Tamburinus *nu. 240.* citatus satis pro eôdem manifestus quoad actiones illas tertij generis, quod ex PP. Layman, Coninck, Castro Palao, & Sancio pergit confirmare. P. Thomas Sancius n. 240. etiam adductus post inductum Clementis Decretum, probabilissimam sententiam, quam tamen non est secutus, pronuntiauit, & licet pro illo arguendo ante præfatum iudicium dixerit apertè videri à Pontifice decisam, non tamen id decisiuè protulit, aliàs de probabilitate ipsius iudicare vt vidimus minimè potuisset, quia & videre potuit, eam adhiberi posse expositionem, de qua dictum à nobis ibidem ex P. Palao. Quis ergo sententiæ tantùm ponderis ab auctoritate consecutæ improbabilitatis notam impingere non meritò vereatur?

Thomas Hurtadus.

Vnde & videtur improbabilis sententia negantium improbabilitatem.

Leander à Sacram.

P. Georgius Rhodes.

Ioannes à Cruce.

243. Vi-

243. Videant ergo Prælati omnes, videant Iudices, de quibus præfati sumus, quomodo in hoc negotio se gerant, duces enim habent. quos vt sequantur, si per me non licet, non possum tamen prohibere. Et quidem Doctores licitum vsum prædictæ sententiæ negantes, etiam quando neque pœnitens ipse in suspicionem venire potest, ex eo arguunt, quia etiam eo pacto odiosa redditur Confessio, cùm sciant pœnitentes posse Prælatos ea notitia vti, quomodocumque vsus temperetur. Quod quidem inconueniens videtur communiter deuorandum, cùm sciant communiter etiam grauibus in Religione onerati criminibus esse opiniones probabiles, iuxta quas licitus est talis vsus, & quibus se possunt Prælati conformare. Dum ergo probabilitas persistit, nihil profectò obtinemus, dum contra talem vsum declamamus. Nec tamen sine leuamine onus hoc Pontificia prouidentia reliquit, quandoquidem non est necessarium vt quis Prælato confiteatur, etiamsi casus habeat reseruatos, sed potest ab eo licentia peti per alium, vtique non neganda, nisi valde rarò, id quod est Pontificia etiam prouidentia præcautum. Quòd si in casu illo raro grauamen considerabile cum fundamento timeatur, communis succedit doctrina de cessatione obligationis circa integritatem materialem Confessionis, si nolit reseruata ordinario Confessori detegere, aut stante illa, de indirecta eorum absolutione, donec Iubileum aduenial, aut Cruciatæ indulgeatur vsus, vel Festa succurrant, in quibus frequentiùs in Religionibus solet plena ad huiusmodi conscientiæ onera depellenda facultas impertiri. Et certè non videtur talibus multùm condolendum circa leuamen, de quo agimus, & quo videntur reseruationis lege, aut prædicto timore priuati: cùm enim erga officia aut obtenta aut obtinenda valde sint affecti, ne rem, aut spem amittant, vias sunt solicitè non sibi arduas quæsituri.

Ad Prælatos admonitio.

Contra grauamen ex notitia dicta quod leuamen sit ab Apostolica Sede relatum.

Circa IESV Societatem quid speciale &c.

Satis nota ista.

244. DE illa loquendo obuium est apud Scriptores exteros, quid sit, de quo etiam diximus, circa quæstionem præsentem constitutum. Pro quo iuuat specialiter audire Andream Victorellum *supra* sic locutum: *Confessario* nunquàm licere vti notitia ex Confessione nonnulli aiunt. *Hoc suis præceptis Claudius Aquauiua doctissima & Religiosissima Societatis IESV Præpositus Generalis prudentia, pietatis, & aliarum Christianarum virtutum laude conspicuus, & Clemens VIII splendor Orbis clarissimus Edicto cauit* (anno 1593. reponendum 94.) *Ne Regularium Superiores ad externam gubernationem notitia Confessionis vtantur* &c. Licet autem Doctores plures & Decretum Clementis, & Ordinationem pro Societate iuxta eorum integrum tenorem adducant, iuuat hoc loco idem præstare pro maiori lectorum commodo, & quia circa illa veniunt aliqua disceptanda.

Andreas Victorellus

Decretum Clementis Octaui.

In Decreto igitur pro Casibus reseruatis edito dicto *Anno* 1594. *die 26. Maij*, anno certè ipso, quo & ego in lucem editus, cum hæc scribam *die 26. Ianuarij An.* 1669. Sic Decreti tenor:

Tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui posteà ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissime ne ea notitia, quàm de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur. Sic ibi.

Ordinatio autem, S.M. P. Claudij, quæ contracta proponitur *Cap. 2. n. 14. Ordinationum*, & integra inter Instructiones, numero quinta, sic habet: *Tametsi non desunt Doctores, qui sentiant, saluo Sacramentali Confessionis sigillo* (in Margine sic dicitur: *Citantur à Dominico Soto Libro de Ratione Secreti n. 3. q. 4. & à Nauarro Cap. Sacerdos de Pœnit. d. 3. nu. 144.* & seqq.) *iustis de causis licere nonnumquàm Confessario (cùm id fieri potest sine vlla reuelatæ Confessionis suspicione) vti extra Confessionem notitia per Confessionem habita: tamen quoniam hæc doctrina, & eam exigit in tanta re circumspectionem, quam seruare perdifficile sit, & interim posset aliquando retardare subditorum libertatem, quam huius fori sanctitas, & nostræ Societatis Institutum requirunt in seipsis, rebusque suis Confessario aperiendis: idcircò visum nobis est in Domino statuere, sicut & seuerè statuimus, pro reuerentia, qua semper Societas nostra coluit huius Sacramenti inuiolabile sigillum, & libertatem, vt omnes Superiores diligenter caueant ne vel ipsi, vel Nostrorum aliquis, supradictam doctrinam vnquam introducant, nec illam publicè aut priuatim doceant, nec ea vtantur vllo modo (nisi fortè de pœnitentis licentia) sed ita prorsus in omnibus se gerant Confessarij ac si in Confessione nihil penitus audiuissent: sibique persuadeant, vt humanarum rerum regimen ab hoc Sacramento longissimè distat, ita debere nullatenus ab eo pendere.* Sic eximius ille polites diuinæ Magister.

Ordinatio P. Claudij S.M.

245. Et circa Decretum Pontificium occurrit *Primò* non contemnenda obseruatio, pro eorum sententia, de qua *num.* 241. cuius Auctores affirmant illud ad solos Regulares pertinere: quod quidem ex eo ostendi, præter verborum tenorem potest, quia inter alia est positum, quæ ad Regulares pertinent; cùm præcipuum intentum Pontificis fuerit ea, quæ ad casus reseruatos inter Regulares conuenientia esse possunt, stabilire. Sicut ergo quæ ad casus dictos spectant, ad alios non debent extendi, ita & additamentum illud, quod ad cautionem pertinet, vti ad causam eamdem spectans, est accipiendum. Et quòd ad Episcopos non debeat trahi, aut ad alios Episcopali dignitate gaudentes, videtur ex ipso tenore compertum: nam Confessarij, qui ad Superioritatis gradum ascendere possunt, ij intelliguntur, qui in Religione id habere possunt, siquidem de promotis ad Episcopatum nihil erat timendum: neque munus Confessarij obeuntes ordinariè sic solent promoueri. Superioritas autem, de qua agitur, eadem est quæ in illis, qui Superiores dicuntur, vt videtur indubitabile, & ita sola illa, quæ ad Regulares spectat, vnde ad illos tantùm extendi Decretum videtur manifestum. Si præterea addamus ad Confessarios, qui Superiores non sunt, extendi non posse, quia ipsi, cùm gubernatione careant, nequeunt vti tali notitia ad exteriorem, de qua ibi.

Decretum Clementis ad Regulares tantùm pertinere ostenditur.

246. Secundò, cùm solus vsus in ordine ad exteriorem gubernationem prohibeatur, benè videtur intulisse P. Suarez, vt vidimus *nu.* 240.

Solus vsus in ordine ad gubernatio-

nem externam non ad interiorem & spiritualem prohibitio.

P.Suarez,

non impediri vsum in ordine ad interiorem gubernationem, & spiritualem profectum. Quæ autem huius generis actiones aliàs illicitæ sint, quæ verò iuxta probatas Doctorum sententias liceant, ex eorum lectione cum matura perpensione petendum. Et cùm gubernatio interior, & conscientiæ regimen, ad Confessarios, qui Superiores non sunt, etiam pertineat, in illis locum habere doctrinam præfatam debet exploratiùs reputari. Vbi pro eo, quod dudum dicebamus, de arctanda scilicet ad Regulares Pontificia Sanctione, id addendum, ad Confessarios Regulares, qui Superiores non sunt, non extendi, vt ex tenore ipsius constat, ibi: *Qui posteà ad superioritatis gradum fuerint promoti.* Ergo dum promoti non sunt, cum illis non loquitur dispositio. Ex quoad sæculares Confessarios discursus vrgentior deducendus, vt quidquid probabiliter Doctores tradunt, non debeat ipsis prohibitum iudicari.

Prohibitio non tangit Prælatum finito officio.

247. Tertiò. Præfati Decreti tenore attento, is, qui cùm esset Superior, subditi Confessionem excepit, finito officio ea notitia vti non prohibetur, tum in ordine ad interiorem gubernationem, si Confessarius sit, tum etiam in ordine ad alia, quæ iuxta probabiles sententias licent, vt de Confessarijs nuper dicebamus. Nec valet si dicatur notitiam illam à Superiore hausfam vt Superior erat, & ita transire ad non Superiorem cum suo onere: nam licet verum sit ita hausfam, nullum tamen inde onus adiectum, nisi in ordine ad exteriorem gubernationem, cuius fundamentum cessat finita Superioritate. Quòd si aliquid præter id, quod ad exteriorem gubernationem pertinet notitiæ dictæ adiectum quasi consequens facultatem talis vsus, non est necessarium vt finito officio penitus cesset: sicut in notitijs alijs accidit, quas Superior comparat ratione officij, quibus vti eo finito potest, in suum commodum, & aliorum, etiamsi talis vsus non sit futurus gratus aliquibus, quorum personas concernunt. Quod & in Inquisitoribus admittendum, quibus suo finito munere, & seruato S. Tribunalis genuino secreto, possunt comparatis notitijs ad suâ & suorum commoda spiritualia & temporalia iuuari.

Simile in Inquisitoribus.

Idem de Prælato ad Prælaturam aliam transeunte.

248. Quartò Iuxta eumdem tenorem videtur dicendum Superiorem, qui subditi Confessionem excepit, si ad munus aliud Superioritatis transeat, non obligari Decreto, quod quidem de superioribus loquitur pro tempore (Confessionis scilicet) existentibus, aut qui cùm tales non essent, ad Superioritatis gradum sunt promoti, qualis non est hic, de quo loquimur. Et quidem si transitus sit ad Superioritatem respectu aliorum, inter quos non sit subditus dictus, videtur esse consequens ad dicta nuper, quia superioritas talis materialiter se habet. Si autem fiat eius subditus, vt passim accidit, dum Religiosi ex vna in aliam domum transferuntur, non ita exploratum videtur. Sed nihilominùs idem apparet dicendum, quia finito officio cessauit obligatio, quæ accepto alio non reuiuiscit, cùm non sit vrgens fundamentum ad tale aliquid asserendum. Vnde si cùm Superior transitum dictum facit, simul eidem talis subditus assignetur, aliter videtur dicendum, quia de eo verificari verba Pontificis possunt. *Superiores pro tempore existentes.* Quod quidem similiter dicendum si Superior ad Prouincialatus

Exceptio.

gradum promoueatur, in quo & maior videtur esse ratio, quia vsus notitiæ in illo magis est formidabilis ob maiorem potestatem. Quod non accidet, si ante promotionem huiusmodi, & inferiorē Superioritatem vacatio fuerit, ob nuper redditam rationem de non reuiuiscentia obligationis. Et certè si Pontifex contrarium dictis voluisset, id facile fuisset ipsi in hunc modum verba conformando: *Superiores numquam vtantur notitia Confessionis quandocumque audita.* Quod cùm ab eo non sit ita præstitum, ipsius verbis insistendum, dum maiori auctoritate aliud non fuerit declaratum.

Decretum qualiter obliget.

249. Quinto Dubitari meritò potest an Decretū dictum sub mortali obliget? Quam difficultatem tangens Diana *Parte 4. Tract. 4. Resolut. 202.* in fine ita scribit: *Notandum est etiam hic obiter, in supradicto Decreto latum esse præceptum* cum verbis imperatiuis, quæ non obligare sub mortali docuit Caietanus *in 2.2.q.166.n.9.* Rodriguez in *Additionibus ad Bullam Cruciatæ §.9. nu. 77.* & alij. *Sed hæc opinio mihi non placet, & ideò puto cum Castro Palao. Tomo 1. Tract. 3. Disput. 1. Puncto 9. n. 3. supra dicta verba Decreti obligare sub præcepto peccati mortalis.* Sic ille, qui pro sententia dicta, quam Caietani & Rodericij tantùm auctoritate confirmat, citare plures alios potuit, quod à me præstitum in *Thesauro. Tit. 2. n. 97.* in quibus & ille est. *Parte 3. Tractat. 6. Resolut. 91.* vbi tenet tamquàm probabile, non obstante materiæ grauitate, vim obligandi à Principis voluntate pendere: ex quo fit parùm interesse quibus verbis lex proferatur, dum aliunde de tali non constat voluntate. Et ita opus erit in præsenti fundamentum Pontificiæ voluntatis pro obligatione sub mortali posuisse.

Sub mortali obligare dicuntur, & efficaciter prohibent.

Sub mortali qui censeant ob materiæ grauitatem.

Idem.

250. Sed id forsitan ab eo prætermissum, quia in alijs locis, vbi rem sub formalissimis terminis tractauerat, suam visus est mentem apertam reddisse. Scilicet *Parte 3. Tract. 6. Resolut. 74.* vbi tres opiniones proponit. *Prima* est eorum, qui verba prædicta non continere præceptum affirmant, pro qua adducit Castrum, Caietanum, & Carbonem. *Secunda* sentientium esse præceptum, sed sub veniali; pro qua sunt Nauarrus, Sayrus, & P.Sa. *Tertia* asserentium standum esse in hoc consuetudini, de qua, si non constat, attendendam esse rei grauitatem, & necessitatem: quæ si magna sit, & grauiter à legislatore ponderata, verba fore præceptiua, & ita semper accipienda in Decretis Pontificum, & Conciliorum. Pro quo duo exempla adducit: vnum ex Concilio Tridentino *Sessione 13. Cap. 5.* de Sacerdote celebrante non præmissa Confessione, quia deficit copia Confessarij. Et aliud, in quo secutus est Patres Sancium & Vasquium huic dicendi modo suffragantes. Quibus propositis, circa proprium iudicium obmutescit: nonnulla enim, quæ subdit, ad difficultatis punctum directè non spectant. Sed clarius locutus *Parte 4. Tract. 4. Resolut. 91.* vbi de verbis imperatiuis in Decretis Conciliorum & Pontificum quæstionem mouens, & duas inducens sententias, affirmantem primam esse sub mortali præceptum obligans, in quibus sunt Patres Vasquez, & Palaus: negantium aliam, pro qua sunt Emmanuel Rodericus, Petrus de Ledesma, Villalobos: priori se dicit adhærere regu-

Lex verba præceptiua vtens quomodo obligat, quæ sunt Decreti.

Concilium Trident.

Dicta præceptiua dimittuntur inclusum, cui humanum additum, sicut & in præcepto de sigillo.

Diuersitas sententiarum circa illud.

lariter loquendo, & in materia graui, nisi aliud ex coniecturis constet: addens pro eo PP. Suarium, Salas, Granadum, & etiam Sylvestrum, Armillam, ac Bonacinam. *Et Clement. Exiui*, de verbor. *significat. §. Ioan. quia vers. Nos itaque, & Cap. Clerici*, de vita & honest. Clericor. Vbi ergo Decreti meminit, de quo agimus, iudicium non exprompsit suum, & vbi de Conciliorum ac Pontificum Decretis egit, illud reliquit intactum: licet ex eo quòd in materia graui sit, & ex coniecturis aliud non appareat, resolutione præfata comprehensum videatur. Non tamen videtur probabilitatem oppositæ partis inficiari, dum tantùm ait, illam sibi non placere. Et in citatis alijs locis idem indicat, bonis pro illa patronis allegatis.

Clement. Exiui.

251. In quo quidem mihi dubium non est obligationem sub lethali culpa dictum Decretum importare. Et verò quod ad verba præcepti attinet, licet ex eo quòd imperatiua sint, dum sic dicitur: *Caueant diligentissimè*, aliquod dubitandi fundamentum præbeant, obseruare oportuit Pontificem illis contentum non fuisse, sed addidisse id, quod in fine Decreti habetur, & dubitationem videtur submouere, dum sic ibi: *Atque ita per quoscumque Regularium Superiores, quicumque illi sint, obseruari mandauit, non obstantibus Constitutionibus &c.* Mandatum ergo circa omnia, quæ fuerant præmissa, Pontificis extitit, & principio quidem, scilicet §. 1. sic habetur: *Ideò vt huic malo suæ sanctitas opportunè prospiceret, decreuit vt nemo ex Regularium superioribus &c.* & cùm similis verborum forma in fine tenenda videretur, dicendo, *Obseruari decreuit*; non ita factum, quia verbum *Decreuit* non eam vim, quæ necessaria visa est, præ se ferebat; sed verbum efficacioris significationis; vnde ex verbis imperatiuis solidum nequit fundamentum assumi ad vim significationis minuendam. Vt autem illa grauis sit, faciunt ea, quæ in *Thesauro* dixi *n.99. Tituli dicti*: materiam scilicet grauem esse, & sub leui tantùm obligatione propositam, futuram inutilem: cùm tamen summæ conuenientiæ fuerit eam esse maiorem, quia aliter bono, de quo agebatur, minimè consultum videretur, & de conuenientia quidem, ac necessitate, nec non negotij grauitate satis constat ex §. 1. Decreti. Quàm parum autem venialis offensio timeretur, res ipsa ostendit, quia damni grauis euitandi desiderium leuem obicem Religiosis Prælatis, nimio frequenter zelo æstuantibus facilè erat perrupturum, non secundùm scientiam semper: qui & arbitrari poterant obsequium se præstare Deo, & Religioni, ac sibi ipsis consulere, ne damna incurrentia eorum incuriæ & laxitati erga Religiosam disciplinam imputentur.

Decretum.

252. Hoc ergo stabilitò, obligationem scilicet sub mortali dictum Decretum importare, illud non ita exploratum, an scilicet obligatio talis ratione Pontificij mandati habeatur, an verò diuini etiam, quod proponatur, aut cui etiam humanum addatur? & videtur hoc vltimum satis verosimile, & declarandum exemplo *Cap. Omnis vtriusque sexus citato:* vbi Innocentius Tertius sigilli secretum proponit & intimat Confessarijs, & eadem qua Clemens loquendi forma vsus, sic ha-

bet: *Caueat autem omnino* (Sacerdos) *ne verbo, aut signo, aut alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorem: sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque vlla expressione personæ cautè requirat.* Sic ille. Ex quo colligunt graues Scriptores præceptum sigilli esse diuinum & humanum; immò inde deducunt aliqui in eius violatione ex eo capite malitiam diuersam inueniri. Quod tamen negat P.Suarez *Tomo 4. in 3. p. Disput. 33. Sect. 1. nu. 13.* quia diuersitas præceptorum non multiplicat malitiam quando eadem materia & motiuum virtutis eadem sunt. Cùm ergo vsus notitiæ vniuersim ad exteriorem gubernationem causa esse possit vt peccatum exceptum à Superiore in Confessione prodatur, quod est diuino præcepto vetitum, inde est vt Pontifex suum etiam præceptum adiecerit, id circa Religiosos declarans, quod in citato *Cap. Omnis* Innocentius addito etiam præcepto declarat: vnde non sunt propterea probabiles opiniones exploſæ, & communis Doctorum sensus, quibus pauciſſimi repugnarunt vt videri potest apud P. Thomam Sancium *citato illo nu. 4.* vbi paucitatem ex eo præferendam dicit, quòd faueat Sacramento, exemplo testium pro valore.

Cap. Omnis v 3.

P.Suarez.

Quæ plex malitia in illo.

Solum in eo esse admonitionem ad obseruantiam diuini præcepti, vt dici queat.

253. Videtur etiam non inverosimiliter dici posse in prædicta clausula Pontificij Decreti non extare præceptum diuino adiectum, sed exhortationem tantùm ad illius impletionem, cum diligentissima cautione. Cui solùm obstare potest id, quod in fine Decreti additum, vt vidimus. *n.251. Obseruari mandamus*, quod ad omnia præmissa referendum. Ad quod dici potest non ideò ad omnia mandatum extendi, ita vt tot sint mandata quot Paragraphi, sed iuxta subiectam materiam, cùm constet non omnia præmissa mandatum continere, vt patet ex §.7. in quo sic dicitur: *Licebit tamen Superioribus determinare pœnitentias graues quibusdam peccatis etiam non reseruatis, à Confessarijs imponendas, quæ subditos ab huiusmodi perpetrandis cohibere possint.* Et addi etiam potest id, quod habetur. §. 1. vbi dicitur Superiores posse sibi reseruare vndecim peccata §.2. designata, aut eorum aliquot, circa quod præceptum non versatur. Sic ergo etiam dici potest de cautione proposita circa exteriorem gubernationem. Nec propterea Religionum bono minus sufficienter credendum est fuisse consultum, quandoquidem diuinum præceptum est propositum, & pro illius cautione magni ponderis cautio adiuncta: eum enim, quem diuini præcepti auctoritas cum Pontificia declaratione & exhortatione in officio non continet, neque Pontificium etiam mandatum continebit. Per quod habetur responsio ad rationem, qua contendit probare P. Palaus *suprà. n. 20.* oppositum præsenti positioni, quia si solùm vellet Pontifex obseruari quod aliàs iure diuino certum est obseruari debere, non verbis præceptiuis, sed commendatitijs vteretur: cùm ergo præceptiuis vtatur, id prohibere existimandum est, quod anteà erat sub opinione. Negatur enim verba præceptiua dari, quæ supra vsum dictum cadant, sicut & non extare verba commendatitia, cùm verè dantur cautione prædicta, quæ diligentissima postulatur.

obiectioni satisfactum.

254. Et ad hoc ampliùs roborandum, est aliquid consideratione dignissimum, quod Auctores

Roboratur ex eo quod de actu occulto agatur.

Thomas Hurtadus.

de hoc puncto tractantes non videntur tetigisse, & solùm apud Thomam Hurtadum deprehendi. *n.* 174. quòd scilicet hîc de actu interno agitur, & prorsus occulto, de quo sicut Ecclesia iudicare nequit, ita neque pro illo præceptum ferre. Pro quo sit citatus Scriptor : *Quamuis enim vsus iste scientiæ actus interior sit, qui non cadit sub præcepto humano, si prout interior est consideretur : tamen potest per suam legem Pontifex prohibere actum externum, aut priuationem actus externi prout imperantur ab ista scientia, sicut de facto prohibuit : & quidem non incongruis rationibus.* Sic ille : cuius fundamentum est quidem receptum apud Theologos, sed eorum est temperamentum obseruandum : dicunt enim externum actum prohiberi

Duo quæ obijci possunt explicata.

posse vt imperatum ab interiore, quando exterior est interioris manifestativus : quæ est communissima & receptissima sententia, vt videri potest apud P. Thomam Sancium *Lib.* 2. *Operis moralis. Cap.* 8. vbi plures Auctores adducit. Vnde cùm in *Clement.* 1. *de hæreticis.* §. *Verùm* excommunicentur iudices in causis fidei, qui ex odio vel amore aliquid omittunt aut faciunt, eam pœnam non censentur incurrere, nisi quando in exercitio ipso iniustitiam admiscent, quæ interioris affectus sit manifestatiua, vt videri potest apud P. Suarium *Tomo* 4. *in* 3.p. *Disput.* 4. *Sect.* 2. *n.* 21. & apud obuios alios. Cùm ergo per se loquendo licitum sit Superiori ita circa subditum se gerere ; vt & mutatio, & priuatio, & sic alia ipsi liceant non audita Confessione : dum ea post Confessionem exequitur, nequit violator præcepti humani dici ex eo quòd ex notitia per Confessionem habita moueatur : quandoquidem actiones tales ex se interioris motiui manifestatiuæ non sunt. Nisi dicatur Pontificem secutum probabilem opinionem, & iuxta eam virtualiter oppositæ vsum vetuisse. Quod quidem nihil caussam præsentem promouet, quia cùm oppositæ sententiæ vsus interiori actu consummetur, quem prohiberi à Pontifice non posse receptissima Theologorum sententia firmat ; qui rem ita se habere sentiunt, parùm de prædicta prohibitione curabunt, quæ ad interiorem nequit actum extendi. Et difficultas profectò magna ex eo cessat, quod est à nobis nuper traditum, Pontificem scilicet non præceptum tulisse novum, sed diuinum expressisse, & illud admonitione grauissima roborasse. Quod quidem sub meliùs sentientium censura dictum velim.

P. Suarius.

Pontificem secutum probabilem opinionem inconuenienter dicitur.

Circa Ordinationem pro Societate IESV exactior disceptatio de qua. n. 244.

Obligationem videri sub mortali.

255. PRimò circa illam inquirendum occurrit, an sub peccato obliget, & quale illud? & verba quidem obligationem grauem videntur præseferre, cùm sic ibi : *Visum nobis est in Domino statuere, sicut & seuerè statuimus.* Quæ quidem si in Decreto aliquo Pontificio occurrerent, nullus de obligatione sub graui culpa dubitaret. Ex quo fit & in Ordinatione dicta similem vim habere, quia eamdem habent significationem, & significationis modum, & à Prælato sunt prolata ad id, & alia, Pontificia suffulto auctoritate. Quod præterea ex materiæ, de qua agitur, grauitate roboratur ab eodem grauiter & neruosè ponderata. Et licet in Societate tunc solùm ex mandatis superiorum grauis obligatio conscientiæ consurgat, eum in Nomine Domini N. IESV Christi, aut in virtutè obedientiæ iubetur, vt constat *ex Constitut. Parte* 6. *Cap.* 5. Verba tamen prædicta videntur non minùs ponderis habere, quàm si in virtute obedientiæ iuberetur. Neque ad obligandum sub mortali verba prædicta ita sunt necessaria, vt alijs nequeant vti superiores. Vnde communis modus imponendi talem obligationem, esse solet expressione præcepti. v. g. *Impono, vel Imponitur præceptum obedientiæ.* Qui etiam diceret : *Præcipio sub pœna peccati mortalis,* absque dubio obligaret, & quomodocumque obligationem dictam intimaret. Et ita non defuerunt qui obligationem talem in Ordinatione præfata contentam iudicârint.

Quæ tamen non videntur admittenda.

256. Sed certè stylo Societatis iuxta Constitutionis tenorem attento, talis obligatio non videtur admittenda ; quam quidem exprimere dictus Pater potuit, aut Congregationes, quæ Ordinationem eamdem approbarunt, vt ex Præfationibus ad Ordinationes, & Instructiones constat : quod quidem ille in alijs à se statutis præstitit, vt est apud Nostros perspectum, & in rebus quidem momenti non tanti : Neque verò æquipollentia existimanda sunt verba illa, *Seuerè statuimus, & In virtute obedientiæ.* Sicut alia, de quibus nuper, quia verè talia non sunt : nam seueritas non arguit obligationem, etiam cùm statuto additur, sed aliquid oppositum benigno agendi modo, nec tolerandum, sed rigidè propellendum. Vnde Regula Prouincialis. 4. sic habet : *Seueritatem suo tempore cum benignitate misceat &c.* Vbi non est sermo de præceptis passim imponendis, vt est clarum, & vsu ipso comprobatum. Et Regula quidem prædicta ex *Constitut. Parte* 4. *Cap.* 2. §. 4. desumpta est, vbi P. IGNATIVS de Generali loquens, sic fatur : *Nihilominùs eo modo didicerit rectitudinem ac seueritatem necessariam cum benignitate ac mansuetudine miscere, vt non se flecti sinat ab eo, quod Deo & Domino nostro gratum fore iudicauerit : & tamen filijs suis vt conuenit, compati norit &c.* Quem locum Auctor scientissimus Ordinationis præfatæ adducit *in Industrijs pro Superioribus Societatis Cap.* 2. *in fine.* Ex quibus habemus seuerè statui dici illud, non quod præceptum importat, sed quod ea ex parte Superiorum constantia profertur, vt in eius obseruatione non sint passuri se flecti & vigilaturi pro illa etiam pœnarum infli ctione.

Dictio seuerè illam non arguit.

Regula Prouincialis.

Constit. Societatis.

257. Quod Eximij Doctoris auctoritate firmandum, qui *Tomo* 4. *de Religione Tract.* 8. *Lib.* 1. *Cap.* 2. *n.* 10. sic ait : *Cùm supponatur generalis declaratio quòd Regula non obligat ad mortale, vt in particulari oppositum fiat, necesse est addi signum certissimum, & omni exceptione maius. & n.* 14. vbi adducto loco Constitutionum præfato ait iuxta illas, neque Constitutiones ipsas, neque Declarationes, aut Ordinationes, exceptis tantùm votis, inducere obligationem ad peccatum mortale, vel veniale, nisi adducantur expressa signa huius obligationis, qualia sunt duo adducta. Et quidem in ipso Constitutionum loco non dicitur expressa esse debere signa, ipse autem sapientissimus Magister id pro comperto habet attento Capitis illius tenore : quia cùm sola illa duo ponantur, minimè

P. Suarez. *In ea ad obligationem dictum requiritur signum certissimum, & omni exceptione maius.*

minimè id verum haberet, si alia esse signa possent. Vnde esset fortè qui diceret eamdem vim habere verba ista : *In nomine S. Parentis nostri IGNATII. In nomine Pontificis supremi Religionum Prælati. In virtute iurisdictionis & potestatis meæ, seu auctoritatis. In virtute Epistolæ de Obedientia Parentis nostri.* Et sic aliter.

Auctoris Societatis suffragatur. P. Lessius.

258. Accedit doctrina aliorum ex nostra Societate Doctorum. P. Lessius *de Iustitia Lib.* 2. *n.* 76. *vers.* 3. sic ait : *Si præcipiat in virtute Sanctæ obedientiæ, tenetur obedire sub mortali, tunc enim Superior ex more Religionibus vsitato intendit illum obligare quantùm potest, atque adeò sub peccato mortali. Si autem hac forma præcipiendi non vtatur, non videtur velle obligare sub peccato mortifero, nisi id aliundè constet.* Sic ille, addens statim non obstare materiæ grauitatem, & cum eo posse componi etiam neque sub veniali obligationem extare. Quem de Societate loquens adducit P. Thomas Sancius *Lib.* 6. *Operis moralis. Cap.* 4. *n.* 70. in eo non probans generaliter eius doctrinam, quòd dixerit tunc dari obligationem sub veniali quando

Etiam pro veniali.

superior præcipit, quia id tantùm est verum extra Societatem IESV, & vbi similis esset Constitutio, & dum vteretur verbis præcepti, vel æquipollentibus præcepto. Qui in præcedentibus adducta Constitutione sic scribit : *Atque ita nec obligaret ad culpam præceptum Superioris in illa, & si vteretur expressis præcepti verbis, vt Præcipio, Iubeo, vel strictè præcipio, vel, sub præcepto iniungo. Sed iuxta id decretum & vsum oportet Superiorem amplius explicare suam voluntatem.* Hæc ille. Pone ergo R. P. Claudium in statuto suo sic dixisse : *Strictè præcipimus,* loco verborum illorum, *Seuerè statuimus :* Plus certe roboris videtur forma illa loquendi prior habere, vt est compertum ; & tamen obligatio tunc etiam sub peccato non deberet agnosci : ex quo fit neque in ea, qua est vsus, talem obligationem extare. Et ita quidem dictus Pater, non obstante eo, quod dixerat. *n.* 43. & 44. scilicet verba illa, *strictè vel arctè mandamus,* innuere obligationem sub mortali, quod non est trahendum ad Societatem, licet traditum etiam generaliter à P. Azor *Tomo* 1. *Lib.* 5. *Cap.* 6. *Quæst.* 5. P. Palaus *Tomo* 3. *Tract.* 16. *Disput.* 4. *Puncto* 3. *n.* 4. post Constitutionem adductam probat neque obligationem ad pœnam esse sub peccato, sic arguens : *Subire pœnam ob transgressionem Regulæ, est quædam Regula & constitutio absolutè lata absque additione Nominis IESV Christi, vel virtutis obedientiæ ; ergo illius omissio per se peccatum non est.* Sic ille, adducens pro eo PP. Sancium, Suarium & Layman. P. Hermannus Busembaum in *Medulla Theologiæ moralis Lib.* 4. *Cap.* 1. *Dub.* 4. *n.* 6. §. *Respondeo* 2. ita scribit : *& quidem si præcipiat in virtute S. Obedientiæ, In Nomine D. N. IESV Christi, vel simili forma, tenetur obedire sub mortali, quia intendit obligare quantùm potest : sub veniali autem si alia forma vtatur, vel sub nullo : quod consuetudo in Societate IESV approbat.* Sic ille aliquos ex citatis adducens. Constat autem consuetudinem talem non futuram firmam, & quam securè possent amplecti Societatis alumni, si Superiores varijs vtendo formulis, cùm aliquid præcipiunt, maiorem essent soliti obligationem intimare. Sic loquuntur alij, vt sit opus maiori cumulo citationum.

P. Thomas Sancius.

P. Palaus.

P. Busembaum.

259. Deinde, ex doctrina multorum, iuxta quorum mentem locutus est Diana *Parte* 3. *Tract.* 6. *Resolut.* 74. *in fine,* obligatio sub mortali non est admittenda, quoties verba legis aliter intelligi possunt, scilicet sub veniali. Quod quidem tunc intelligendum, quando constat verba aliquam obligationem inducere : vnde si iuxta consuetudinem apud eos, pro quibus lex fertur, obligatio sub peccato non veniat intelligenda, multò magis videtur submouenda. Et ideò P. Thomas Sancius *citato n.* 43. contra Ledesmam ait, quòd si in lege dicatur *Sub præcepto,* non est obligatio sub mortali, quia cùm præceptum sit commune peccato veniali & mortali, non est cur additum importet obligationem sub mortali. Et certè, cùm adeò grauis sit, oportet verbis omnino expressis iniungi. Et ita de Societate loquens P. Palaus *supra Prenoto.* 2. *n.* 7. sic ait : *Vnde in Societate IESV cautum est, præceptum Superioris nullam obligationem inducere, quantumcumque verbis præceptiuis vtatur, nisi addat In virtute obedientiæ, vel In Nomine IESV Christi (atque idem credo si adderet, In virtute Spiritus sancti) Sic habetur &c.* Sic doctus Pater, cui in eo, quod de illa forma, *In virtute Spiritus sancti,* dicit se credere, patronum habet P. Thomam Sancium *citato n.* 43. qui & secutus alios.

Ex doctrina multorum satis opportuna arguitur, Diana.

Verbum Sub præcepto, *non innuere obligationem sub mortali.*

P. Palaus.

Quid pro Societate.

260. His addendum, verbum *statuimus* nullam ex se obligationem sub peccato inducere, sicut & verbum *Ordinamus,* vt tradit P. Thomas Sancius *citato n.* 44. de quo & *n.* 40. & licet ibidem doceat quòd quamuis ita sit, nihilominùs ratione additi possint id habere, additum tamen tale esse debere significat, vt alijs verbis præceptiuis adiunctum obligationis sit manifestæ signum : vt, *statuimus in virtute obedientiæ &c.* Neque potest dici talem esse particulam *Seuerè,* quia iam non esse talem euicimus. Quod & modò confirmo, quia addi potest verbis, quibus nullum propterea præceptum indicetur, vt si dicatur, *Seuerè moneo, iniungo :* quod & de verbo *Volumus* communiter dicunt Scriptores, vt videri potest apud eumdem *citato n.* 40. Pro quo & addo Regulam Sacerdotum. 16. in qua sic dicitur : *In audiendis Confessionibus, feminarum præsertim, Seueros potiùs se, quàm familiares exhibeant : in vniuersum tamen paterna quædam & spirjtualis grauitas in eis eluceat.* Sic ibi, vbi manifestum est seueritatem non ad imponenda grauamina pœnitentibus, sed ad modum cum eis agendi serium & grauem pertinere.

Verba, Statuimus, & Ordinamus, *nullam importare.* P. Sancius.

De particula seuerè. uerum.

Regula Sacerdotem Societatis.

261. Ex quibus satis videtur constare Ordinationem & Instructionem dictam sub mortali nullatenus obligare ; immò nec sub veniali, quia pro obligatione tali nullum est fundamentum ; licet negandum non sit potuisse illius Auctorem sic obligationem statuere, vt cum P. Lessio *citato n.* 76. multi Scriptores affirmant, de quo & Nos in *Thesauro. Tomo* 1. *Tit.* 1. *n.* 27. & *Tit.* 2. *n.* 3. 96. & *seqq.* & quidem ad huiusmodi obligationem statuendam, vel statutam in Decreto aliquo asserendum, inusitata penitus via incedendum est, quia & inusitatum id in Societate hucusque fuit. Grauia præcepta in vsu esse negare non possumus, quando conuenientia iudicantur. Et communium quidem Catalogus ex Congregationis 8. præscripto editus, quibus & addita nonnulla

Nec sub veniali Instructionem obligare.

Tales præcipiendi modos inusitatos in Societate.

alia, sine ijs, quæ in singulis Prouincijs peculiaria esse solent, & quæ priuatim possunt ab immediatis etiam superioribus imponi. Quòd autem præcepta sub veniali obligantia fuerint, tali genere obligationis expresso, inauditum est, & à Societatis stylo prorsus peregrinum. Et meritò quidem, quia si res est grauis, meliùs grauis pœnæ interminatione. bono, quod intenditur, consuletur. Si leuis, alienum ab spiritu Societatis id fuerit, qui alius esse non debet à Spiritu Diui Parentis sui. Et quod ad materiam grauem spectat, cùm sententia satis recepta sit non posse circa illam obligationem esse leuem, in perplexitatem noxiam deuoluerentur subditi, si ita esse sibi persuaderent, vel nihili talia præcepta facerent, cùm constet illis superiores nullo modo voluisse obligare sub mortali, cùm aliàs sub veniali iuxta prædictam sententiam noluerit obligare.

Circa quos actus sit possibilis obligatio.

262. Hoc ergo circa negotium præsens quoad remouendam obligationem, quæ reipsa adsit, constituto; difficultas circa possibilitatem talis obligationis insurgit. In qua certum videtur esse possibilem circa omnes illos actus, qui in eâdem habentur Instructione, & externi sunt, verbisque illis continentur: *Vt omnes superiores diligenter caueant, ne, vel ipsi, vel Nostrorum aliquis supradictam doctrinam vsquàm introducant, nec illam publicè aut priuatim doceant.* Introductio enim diuersum quid esse potest ab eo, quod additur de non docendo publicè vel priuatim: solùm scilicet dicendo Doctores Classicos sic docere, & vsum esse licitum iuxta illos, vnde & iuxta illum operari posse, quod docere non est, sed potiùs magisterio aliorum duci; & sic introduci potest, dum res inter aliquos mutua communicatione tractatur: vnde & constat prohiberi sub præcepto posse. Docere autem plus est, cùm magisterium importet, vnde publicè id fieri cauetur; & ijsdem etiam priuatim iniungitur ne id faciant, quia magistri solent priuatim consuli, & ita etiam docere priuatim. Et quod de introductione dicitur, ad superiores videtur specialiter directum, quia ad illos præcipuè spectat vsus, neque suo in munere magistros agunt, seu Professores rerum moralium, sed rectores, licet aliàs in illis versatos esse oporteat; id quod in Societate iuvat generatim obseruare, Deo scientiarum Domino suffragante: & quidem si Dominicanis Patribus licitum & sanctum est magistros suos iuramenti religione constringere ne doctrinas valde probabiles, Diuo tamen Thomæ contrarias, tueantur: cur non Iesv Societati licebit eas prohibere, quas instituto suo minus aptas iudicarit? Circa hoc ergo non est admittenda dubitatio.

Quod ad interiores spectat actus est difficile.

263. Illud difficilius quod sequitur: *Nec ea vtantur vllo modo; sed ita prorsus in omnibus se gerant Confessarij ac si in Confessione nihil penitus audiuissent.* Nam hîc iam de actu interiori agitur: tales autem non posse præcipi ab Ecclesia vidimus. *n.* 254. neque occurrit vnde in Societate possint eius alumni amplius obligari. Id quod ex doctrina P. Lessij comprobari potest, quæ & est communis, & extat apud ipsum *Lib.2.citato.Cap.* 6.*n.*44. vbi inquirit, an Prælatus possit imperare subdito actum formalem obedientiæ, quòd scilicet aliquid efficiat ex motiuo implendi præceptum? & respondet negatiuè bonis adductis rationibus, inter quas est illa. *Quia actus interni secundùm se præcipi humana potestate non possunt. Sed solùm vt sunt necessarij ad constituendum actum externum in aliqua specie virtutis, vt plerique Doctores tenent vel si possunt præcipi, non tamen omnes, sed ij tantùm, ad quos iure diuino, vel naturali, absque determinatione temporis, loci, vel modi adstringimur, in quibus potestas Ecclesiæ hæc potest determinare.* Sic ille, omittens tamquàm planum nullam ex duabus illis rationibus in casu, de quo agebat, locum habere: quem adducit & sequitur P. Thomas Sancius *Lib.* 6. *cit. Cap.* 1. n. 6. Neutro autem ex Capite confingi potest in nostro casu obligationé posse ad actum interiorem extendi. Non quidem ex primo, vt scilicet actus præceptus constituatur in aliqua specie virtutis, quia id tunc accidit quando actus externus per se est imperabilis, vt ieiunium, clausura, vigilia, peregrinatio, vbi directè & principaliter non agitur de actu interiori, de quo Ecclesia iudicare non potest; quod tamen in casu præsenti secus accidit, vbi prohibitio actum interiorem præcipuè respicit, vt patet ex eius tenore, dum dicitur: *Notitia per Confessionem habita nullus vtatur.* Præterquam quòd cùm dicitur posse imperari actum internum vti necessarium ad effectum dictum, supponitur potestas imperandi actum externum cum respectu illo, vt in exemplis adductis constat: quod suppositum in casu nostro negatur ob præfatam rationem. Ex secundo autem capite manifestum est imperio non esse locum, quia hîc de temporis, loci, aut modi determinatione non agitur in prohibitis aliàs, vbi nec diuinum, nec naturale præceptum supponitur, quandoquidem opiniones grauium Doctorum secus sentientium agnoscuntur, vt ex proæmio Instructionis liquet.

Actus formalis obedientiæ nequit præcipi.

264. Id quod roborari ampliùs potest ex eo quod docet P. Suarez *Lib.*4. *de legibus Cap.*13.*dicto* 2. vbi statuit non posse Ecclesiam prohibere vel punire actum externum per se bonum ex obiecto & circumstantijs, propter solum defectum, quem accipere potest ex affectu interno, vel intentione operantis. Vt esset v. g. punire per legem dantem eleemosynam propter vanam gloriam, etiamsi exteriùs non demonstraretur; vel quidpiam simile. Iuxta hæc ergo in negotio præsenti videtur philosophandum, in quo non eadem, sed maior ratio deprehenditur. Eleemosyna enim de se actus est merè voluntarius & spontaneus non importans obligationem, nisi in casibus peculiaribus, & ita non vndique bona ex circumstantijs, quia deest illi circumstantia obedientiæ, quam haberet, si præcepta esset; licet aliàs honesta & meritoria sit. Atqui bono subditi Superiorem consulere, & occasiones peccandi, ac scandala remouere, non solùm est ex circumstantijs externis, obiecto bonum & honestum, sed grauiter obligatorium: ergo in casibus, in quibus non est iure diuino prohibitum, nequit ex eo respectu prohiberi ab Ecclesia, quod fuit ex notitia per Confessionem habita. Vbi applicari potest quod idem Pater præmiserat *nu.*17. vbi probauerat non posse ab Ecclesia præcipi actum interiorem, ratione cuius actus exterior sit honestus, aut meliùs fiat, quia talis modus *necessarius non est, neque est conueniens, quia est de re occultissima,*

P. Leſſius.

P. Suarez. *Actus bonus prohiberi nequit ob defectum ex affectu interno.*

Sicut nec præcipi sub ratione bonitatis interioris.

in quibus nullum manifestum est peccatum: censet tamen non ita latè patere, vt suas limitationes non habeat, quod doctè prosequitur *à nu.*10. sed *nu.*14. & 15. id addit, quod præsentem causam videtur non parum promouere: sic enim in priore ait: *Atque hoc etiam satis est vt subditus Societatis dicatur habere pro regula voluntatem sui Superioris: quia finis & institutum Societatis adeò vniuersalia sunt, vt omnes actiones hominis, quæ moraliter loquendo in vsum venire possunt, comprehendant. In posteriore*, ita loquitur: *& ita etiam responsum est ad generalem obiectionem in contrarium factam: nam illa solùm probat posse hic adhiberi limitationem aliquam ex fine & instituto Societatis; tamen quia hi termini totam ordinariam vitam hominis circumscribunt, non possunt ob eam causam excipi, nisi quædam præcepta valde extraordinaria, & aliena ab instituto Societatis, quæ magis possunt cogitatione fingi, quam in vsum venire &c.* Quisautem non videat id, quod Instructio, de qua agimus, continet, nihil alienum ab instituto Societatis præseferre, immò ei esse valde conformem? quandoquidem valde conducit ad rectam administrationem Sacramenti Confessionis, quæ in Societate viget eximiè. Et licet omnibus Religionibus valde conueniens esset lex similis, quæ tamen in illis non videatur extare; non ideò in Societate potest conuenientia cautionis huiusmodi, licet sit specialissima ob communem alijs titulum, denegari. Sicut in alijs multis euenit, quæ Societas habet peculiaria in ordine ad votorum exactam obseruantiam. Sic pro præsentia socij in visitationibus feminarum seueræ Ordinationes extant, & in Prouincijs nonnullis præcepta, sicut & in Confessionibus ægrotantium Monialium. Item ne in prædijs feminæ habitationem Nostrorum ingrediantur: & quod generalius est, & satis notum, circa doctrinam de paruitate materiæ in re venerea, ob exiguam scilicet delectationem deliberatè quæsitam, quin etiam & admissam. Et sic alia circa vota paupertatis & obedientiæ, atque ambitionem propulsandam, ab omnibus benè sentientibus collaudata.

Pro parte opposita quæ faciunt. 1. Constitutio Societ. IESV circa amore in qui non apparet peccatum.

tissima, & periculis expositа, & ideò verosimilus est non esse materiam ipsam ad legem humanam.

265. Quibus non obstantibus, pro parte contraria argui potest. *Primò*: Nam votum obedientiæ in Societate amplissimam habet materiam, vt constat ex *Parte* 3. *Constitut. Cap.*1.§.23. vbi ita loquitur Diuus Parens: *Expedit in primis ad profectum, & valdè necessarium est, vt omnes perfectæ obedientiæ se dedant, Superiorem, (quicumque ille sit) loco Christi: D. N. agnoscentes, & interna reuerentia & amore eum prosequentes: nec solùm in executione externa eorum, quæ iniungit, integrè, promptè, fortiter, & cum humilitate debita, sine excusationibus & murmurationibus obediant, licet difficilia, & secundùm sensualitatem repugnantia iubeat: verùm etiam conentur interiùs resignationem, & veram abnegationem propriæ voluntatis ac iudicij habere; voluntatem ac iudicium suum cum eo, quod Superior vult & sentit in omnibus rebus (vbi peccatum non cerneretur) omnia conformantes: propositа sibi voluntate ac iudicio Superioris pro regula suæ voluntatis & iudicij, quo exactiùs conformentur primæ ac summæ regulæ omnis bonæ voluntatis ac iudicij, quæ est æterna bonitas & sapientia.* Sic ille: quod in Summarium Constitutionum transductum, & habetur §.31. Ex quo palàm videtur constare id quod de ampliſſima obedientiæ materia in Societate dicebamus, quandoquidem id solùm ab eius amplitudine exemptum *vbi peccatum cerneretur.* Vbi & etiam apparet multos interiores actus ad perfectionem obedientiæ spectantes iniungi, vt ibi: *Interna reuerentia, & amore.* Et in ijs quæ sequuntur.

P. Leſſius.

266. Circa quod ita scribit P. Lessius *Lib.* 2. *de Iustitia Cap.*41. *n.*75. §. *Vltimo. Alterum est Regulas & Constitutiones in diuersis Religionibus esse varias, ac proinde potestatem præcipiendi, & obligationem obediendi variam, & ad plura vel pauciora prout Regula disponit, extendi: Nam in Regulis Minorum Cap.*10. *præcipitur vt obediant in omnibus, quæ non sunt contra Regulam vel animam. In Constitutionibus Societatis IESV, vt obediant in omnibus, in quibus non cernitur manifestum peccatum. Itaque omnia supra dicta, quando iusta causa præcipiendi subest, censentur secundùm Regulam præcipi, & subditus teneretur ex vi voti obedire. In alijs Ordinibus obligatio obediendi non tam latè patet.* Sic ille. Pro quo & Illustrissimus Caramuel in Theologia morali *n.*1542. ita loquitur: *Si iuraueris, aut voueris vnam contradictionis partem defendere, aut iuxta vnam operari, & fit ipsa melior oppositа, aut proximo vtilior, stare promissioni teneberis. Vnde Patres Iesuitæ, quia promittunt obedientiam in omni materia, quæ non sit euidenter mala, posito Superioris præcepto tenebuntur, iuxta minùs probabilem sententiam operari, sicut etiam actiones probabiliter malas elicere.* Hæc ille. Ex quibus argui *secundò* potest.

Caramuel.

2. Quia & circa alliorum probabiliter malas se extendit obedientia.

267. *Sicut* & *Tertiò* ex ijs, quæ docet P. Suarez *Tomo* 4. *de Religione Tract.*10. *Lib.*4. *Cap.*12. vbi ex professo quæstionem agitans de materia obedientiæ in Societate, & quàm sit illa ampla, adducto Constitutionum loco, & alio ex *Parte* 6. *Cap.*1. §.1. vbi id quod erat dictum de peccato, ampliùs declaratur in Glossa eamdem, quam Constitutiones habente auctoritatem, vt ibidem dicitur: sic enim *Lit.B. Huiusmodi sunt illa omnes,*

Glossa Constitutionum Societatis.

3. Ex doctrina P. Suarez.

Quia nihil alienum ab instituto continet & magna in ea est conuenientia.

4. Quia ex suppositione actus interior præcipi potest.

Cap. Commissa in 6.

Commodum pro eo exemplum.

P. Suarez.

268. Ex eo autem quòd præceptum circa interiorem actum versaretur, non videtur hærendum, & sic argui *Quartò* potest: Nam licet omni suppositione sublata communis sit amplectenda doctrina, ea tamen stante, aliter sentiendum. Pro quo est satis accommodatum documentum P. Suarij *Lib.*4. *de legibus. Cap.* 13. *n.* 28. vbi respondens ad Textum obiectum ex *Cap. Commissa. §. Ceterum.* de Electione. *in.*6. vbi statuitur pœna priuationis contra eum, qui recipit Beneficia absque intentione suscipiendi debitum Ordinem intra annum, nisi mutata voluntate ordinetur, sic ait: *Vera ergo responsio mihi esse videtur, illam non esse propriam pœnam propter interiorem culpam etiam adiunctam externo actui de se non malo, nec etiam esse obligationem restituendi propter defectum in officio, vel seruitio beneficij: sed fuisse prudentem ordinationem Ecclesiæ, quæ statuit vt non daretur beneficium homini non ordinato, nisi sub illo onere & conditione. Vnde ex quo fuit conditus Canon ille, eo ipso quòd talis persona acceptat beneficium, acceptat illud cum tali onere, & ideò si non implet conditionem, non facit fructus suos, quia Ecclesia illi non contulit*

contulit ius ad illos. Nec est inconueniens quòd Ecclesia, licet non iudicet de occultis, det beneficium sub conditione occulta & interna, quia ad hoc non est necessarium vt ipsa iudicet de illa conditione. Sed satis est quòd recipiens beneficium de illa iudicet, & per iudicium suæ conscientiæ teneatur ad restituendos fructus, quos non facit suos sine alio iudicio Ecclesiæ. Sæpè enim in collatione aliquo exteriùs facta includitur conditio interna ex parte suscipientis; vt cùm Episcopus confert Ordines alteri, ibi est conditio inclusa, quòd ille habeat intentionem recipiendi illos, & ego possum dare eleemosynam pauperi sub conditione explicata illi, quòd habeat intentionem orandi pro me; & si illam non habeat, non fiat Dominus eleemosynæ. Quid enim vetat id fieri? Cùm liberè possim disponere de re mea pro vt libuerit. Ita ergo potuit Ecclesia disponere circa Collationem beneficiorum, &c.

Conditio exponitur, aut suppositio in Societate

269. Ad hunc ergo modum se res habere potest in casu, de quo loquimur. Nam ingrediens Societatem, sub ea conditione ingreditur, vt imperari illi possint omnia, in quibus peccatum non cernitur manifestum, licet cum limitationibus debitis, quòd scilicet illius sint Instituto conformia, licet actus internos concernant; & talem esse hunc, de quo est quæstio. Quòd autem talis conditio subsit, ex eo ostenditur, quia omnibus sic ingressis proponitur perfectæ obedientiæ forma, iuxta quæ ex Constitutionibus vidimus. *n.* 265. & 267. Sicut etiam constat ex Formula Instituti proposita Paulo Tertio, & Iulio Tertio, vt constat ex Bullis eorum primis; cuius est illud exordium: *Quicumque in Societate nostra, quam IESV nomine insigniri cupimus, vult sub Crucis vexillo Deo militare &c.* Circa obedientiam autem sic subiunctum: *Voueant singuli se in omnibus, quæ ad Regulæ huius nostræ obseruationem faciunt obedientes fore Societatis Præposito. Ille autem iubeat ea, quæ ad consecutionem propositi sibi à Deo & à Societate finis cognouerit esse opportuna* & inferius sic: *Subditi verò, tum propter ingentes Ordinis vtilitates, tum propter numquam satis laudatum humilitatis assiduum exercitium, Præposito in omnibus, ad Institutum Societatis pertinentibus parère semper teneantur, & in illo Christum veluti præsentem agnoscant, & quantùm decet reuereantur.* Sic ibi. In Examine item *Cap.* 1. sic præscribitur. §. 13. quod & inuiolabiliter obseruatur: *Videre vnusquisque, & considerare debet Diplomata Apostolica Societatis, & Constitutiones ac Regulas, quas in ea est obseruaturus, idque non semel. Primùm enim id fiet dum in Domo Primæ Probationis erunt &c.* Pro quo & *Cap.* 4. §. 33. sic dicitur: *Ad maiorem firmitatem omnium, quæ sic narrata sunt, & ad maiorem spiritualem profectum eius, qui examinatur, interrogetur, an omnino obedientem se exhibere in omnibus, quæ hic dicta, & declarata sunt, velit* &c. Ex quibus apparet sub conditione circa obedientiam eos in Societatem admitti, qui eius volunt Institutum amplecti, obedituri inquam sicut Christo in Superiore agnoscendo, quem constat ea etiam quæ ad interius forum spectant, posse præcipere, ea tamen moderatione circa praxim adhibita, quæ & in Formula Instituti habetur, vt vidimus, dum Præpositus ea iussurus dicitur, quæ ad specialem Societatis finem spectant, & esse possunt ad illius consecutionem opportuna.

Formula Instituti Societatis 1.

Examen pro admittendis.

270. Et licet valde verosimile sit multa esse in Constitutionibus & Regulis, quæ solam vim Consilij continent, & ad perfectionem tantùm conducunt, quod Societatis Scriptores obseruant, vt videri potest in P. Suario *Tomo* 4. *de Religione Tract.* 10. *Lib.* 4. *Cap.* 12. *n.* 10. *& seqq. & Cap.* 13. 14. & 15. ex quibus specialius *Cap.* 14. *nu.* 8. & 10. P. Thoma Sancio *Lib.* 6. *Cap.* 2. *n.* 16. P. Palao *Tomo* 3. *Tract.* 16. *Disput.* 4. *Puncto* 4. *n.* 3. & alijs; id circa casum, in quo sumus, dici nequit, vbi non de perfectione tantùm agitur, sed de re summæ conuenientiæ, vt in Instructione dicitur, & res ipsa sua se luce manifestat. Cùm autem, vt diximus, secundùm præsentem statum Instructio præfata sub peccato lethali non obliget, si aliquando talis articulus venerit, vt circa imponendam obligationem huiusmodi deliberandum sit, tunc quidem quæ à nobis proposita sunt aliquali esse adiumento poterunt, eritque illud laboris huius non exiguum præmium, si contingat Societatis commodo, cui debere me recolo spiritualem originem & profectum, vt alias à Diuo Hilario dictum, aliquatenus subseruire.

Decretum seu Instructio non est tantùm Consilij vt multa alia in Institutis, & aliunde.

271. Si illud modò addiderim, quod P. Suarius docet *Tomo* 4. *& Tract. citatis Lib.* 8. *Cap.* 5. *n.* 15. post adductam n. 14. Instructionem dictam sic locutus: *Intelligendum autem necessariò hoc est quando non interueniret obligatio præcisa ipsius Superioris, qui ex officio tenetur auferre à subdito moralem occasionem peccati, etiamsi illam in Confessione nouerit, quando sine vlla reuelationis suspicione auferre potest: tunc autem debet priùs monere suæ obligationis, & illum inducere vt consentiat, & acceptet sibi talem occasionem auferri, cùm in remedium animæ suæ id facere teneatur. Prohibitio ergo illa intelligenda est pro his euentibus, in quibus non necessariò, sed ob vtilitatem talis notitia ad illum vsum applicari posset: & quia hoc regulare est (illa enim necessitas præcepti rara est) ideò regula simpliciter negatiua circa hoc constituitur.* Sic ille: quod est animaduersione dignissimum, neque alienum à sensu Societatis, quandoquidem Tomus dictus post eius obitum prodijt, & quæ ad Societatem spectant, diligenter obseruata, vt dici nullo modo queat permissum illud ob Auctoris reuerentiam, cui certè iam mortuo, etsi omnino debita, suppresso illo intelligentiæ modo minimè detractū videbatur. Iuxta illam ergo quoties Superior ex notitia habita aliunde remouere subdito occasionem peccandi grauiter teneretur, tenetur etiam ea per Confessionem adepta, si stare id sine suspicione reuelatę Confessionis possit, etiamsi ille certò sibi persuadeat id propterea fieri, ob admonitionem adhibitam, & mutua vtriusque obligatione circa illud declaratâ. Vnde etiamsi subditus non probet Superioris determinationem, hic progredi in negotio poterit, quia hîc non agitur de petenda licentia, sed de succursu animæ, & ne circa se aliquid fieri indebitum conqueratur. Tenetur siquidem ille in id consentire, aliàs non erit capax absolutionis, cùm in manifesta suæ perditionis occasione perseuerare velit.

P. Suarez, notanda doctrina circa dict.

A sensu Societatis non aliena.

272. Quod verò addit pro maiori declaratione regulari vsu ad vtilitatem spectante, non ad necessitatem, pro qua præceptum vrgeat, ita accipiendum, vt etiamsi Instructio sub lethali peccato obligare dicatur, similiter tenendum sit, quia

Quæ amplius declarantur & firmul Clementis Decretum.

quia intelligentia talis non fundatur in speciali genere obligationis, sed in generali doctrina, quod leges circa ea versentur, quæ regulariter accidunt, non verò circa illa, quæ talia non sunt, & vbi præceptum maius vrget: id quod Doctor Eximius significauit verbis illis parenthesi comprehensis: *Illa enim necessitas præcepti non est:* præcepti inquam diuini, de quo *num.* 13. fuerat locutus exponens Decretum Clementis VIII. & quod ibi generaliter dixerat de non prohibito vsu notitiæ in Ordine ad spiritualem gubernationem, sed tantùm exteriorem, à quo tamen Societas abstinere *n.* 24. adducta Instructione præmiserat, modò ita temperat, vt & generaliter non liceat, & tamen in casibus præfatis locum habere fateatur.

Quomodo peccare in eo grauiter Superiores possint, etiam si Instructio sub peccato non obliget.

273. Instructione igitur eam vim absolutè habente, quam Diuus Fundator habere voluit ea, in quibus votorum substantia non vertitur, aut signa illa grauioris obligationis, de quibus dictum, non adhibentur; nihilominùs peccare in eo grauiter Superiores possunt, si per eorum incuriam, aut quod deterius est, conniuentiam aut conspirationem, contrarius vsus inualescat; ob generalem Doctorum sensum circa Superiorum obligationem in ordine ad obseruantiam Regularum & Constitutionum, quæ sub lethali quidem est, etiamsi nullam conscientiæ obligationem iniungant. Non enim id tantùm de fundamentalibus intelligendum, sed etiam de alijs auctoritate Religionis dispositis, vt sunt Capitulorum Acta, & in Societate Congregationum Generalium Decreta & Canones, atque aliæ Generalium Ordinationes, ab eisdem Congregationibus approbatæ, & pro legibus inter alias publicatæ, qualis est Instructio, de qua agimus à Congregatione 1. peculiarem auctoritatem consecuta. Pro quo videri potest Cardinalis Lugo *Tomo* 1. *de Iustitia Disput.* 9. *Sect.* 2. *n.* 21. cum alijs locutus, & asserens inobseruantiam circa Regulas, quæ tamen ex se non obligant subditos ad peccatum etiam veniale, posse in illis esse peccatum mortale, quia in hac ipsa negligentia Prælatus deficit grauiter obligationi, qua ex munere suo tenetur consulere potissimùm bono spirituali & profectui subditorum, & obseruantiæ regularis, quæ per huiusmodi defectus toleratos maximè labefactatur. Et *n.* 22. subdit quòd grauis esset materia, si ob Prælati negligentiam culpabilem Regula aliqua magni ponderis abiret in desuetudinem, qualis esset in Ordine obseruanti Regula prohibens ingressum in aliena cubicula &c. Quis autem non videat Instructionem, de qua est sermo, magni esse momenti, ex cuius neglectu incommoda possunt non exigua procedere, si iuxta omnia quæ continet, negligatur. Quæ autem illa sint vidimus *n.* 262. & 263. Quia verò circa illa potest esse paruitas materiæ, vt citatus Cardinalis tradit *n.* 22. quæ tunc contingeret, cùm, vt ipse ait, *si non ita frequenter, sed aliquando fierent:* quæ videlicet contra Regulā aut Constitutionem magni ponderis sunt, in nostro id casu pariter admittendum: si videlicet Superior semel aut iterùm tali vteretur notitia, aut aliquo id priuatim docente dissimularet: non ita si publicè: quia ad vsum talem introducendum, quod Instructio vetat, nullus esse modus accommodatior potest: sic enim ad omnes doctrina peruenit, sine difficultate excipienda, cùm à Prælatis tolerata videatur. Pro quibus hæc satis doctiorum iudicio trutinanda.

Cardin. Lugo.

Quando vsus sine mortali esse possit.

SECTIO XIII.

Vtrum Indi, qui aliqua ob inuincibilem ignorantiam non reputata peccata in Confessione tacuerunt, teneantur illa post sufficientem malitiæ notitiam confiteri. Vbi generalis circa hoc doctrina.

Qui affirmant.

274. NOn Indis solùm aptanda quæstio, licet de illis inquirat, quia in ipsis huiusmodi ignorantiæ esse frequentissimæ solent. Et affirmatiuè respondendum videtur, quia hanc esse communem omnium sententiam Doctorum, testatur Diana *Parte* 3. *Tract.* 4. *Resolutione* 108. *& Parte* 10. *Tract.* 14. *Resol.* 19. Leander à Sacramento *Tomo* 1. *Tract.* 5. *Quæst.* 69. vbi pro eo adducit Nauarrum, Syluestrum, P. Vasquez, Bonacinam, & alios, quibuscum ipse sentit, sicut & Diana, qui citat Ochagauiam, & P. Reginaldum. De constanti etiam Doctorum sensu testatur Ludouicus à S. Raymundo *Tomo* 1. *Tractat.* 1. *Resolut.* 35. vbi propterea sententiam Bordoni negatiuam, quam & ille amplectitur, pergit ostendere non ideò improbandam, quia singularis, eo quòd doctum patronum habeat. & solidis fundamentis innitatur, iuxta satis receptam inter Scriptores sententiam, de qua & Nos in *Appendice Sectionis* 1. §. 3. & alibi.

Diana.

Leander à S. Sacram.

Ludouicus à S. Raymundo.

Assertio: et Sententiam negantem non esse singularem. & qui pro affirmante citantur Doctores, eam non amplectu.

275. Dico Primò. Sententia negans in casu, de quo loquimur, non est singularis eo quòd Doctorum communis sensus refragetur. Id probo. Quia si ita esset, ij maximè Auctores pro assertione starent, qui pro eadem allegantur. Atqui hoc non ita se habet: ergo nec illud. Maior est aduersantium, & Minor ostenditur: nam qui citantur à Diana & Leandro hi sunt: Nauarrus in *Cap. Fratres*, de Pœnitentia *Dist.* 5. *n.* 82. *& Consilio* 3. *de Pœnitent. & remiss.* Syluester V. *Confessio* 1. *Quæst.* 8. P. Vasquez de *Pœnitentia, Quæst.* 92. *Arti.* 3. *Dub.* 1. Bonacina *Tomo* 1. *Disput.* 5. *de Pœnitentia, Quæst.* 5. *Sect.* 2. *Puncto* 2. *n.* 6. P. Reginaldus *Tomo* 1. *Lib.* 6. *Cap.* 5. *Sect.* 3. *num.* 153. Beia *Parte* 1. *Cap.* 9. Atqui Doctores isti id non tradunt, vt constabit legentibus, quorum fidem appello: immò ex eorum doctrina oppositum deducitur non obscurè, dum à repetendis Confessionibus sic ignorantes excusant: quod non solùm respectu aliorum peccatorum, quæ Confessi bona fide sunt, sed simpliciter affirmant sine expressione obligationis respectu ignoratorum. Quòd si aliqui eam exprimunt, ideò est quia inculpabilem ignorantiam dicunt deesse non posse circa grauitatem peccati, licet circa obligationem confitendi inuincibilis esse possit: quod benè explicat P. Vasquez elucidans doctrinam Nauarri, qui primum se distinctionis talis auctorem videtur agnoscere, citato *loco de Pœnitentia.* Neque alia est mens P. Reginaldi, dum sic loquitur:

P. Reginal.

Ita

Ita vt sufficiat pœnitentem ipsum in sequenti Confessione peccatum omissum declarare. Et inferiùs. *Non tenentur iterare Confessiones eorum, quæ confessi fuerunt legitimè, sed tantùm eorum, quæ omiserunt.* Siquidem præcesserat illud: *Etiamsi error vincibilis fuerit.* Quod & in Beia videre licet: vnde non vrget, dum concludit fat esse, si postquàm mortale esse nouerunt, confiteantur: pro quo citat Sylvestrum & Nauarrum nihil plùs dicentes, quod & faciunt alij, omnes enim Nauarrum suæ assertionis patronum laudant, sicut & ille Prioratem, vnde iuxta illius sensum accipiendi.

Ochagauia

276. Quod & de Petro de Ochagauia dicendum, qui *Tractat. 2. de Confessione Sacramentali, Quæst. 31. num. 7.* ita scribit, *Cùm quis in pueritia omisit confiteri peccatum aliquod, quod inuincibiliter ignorauit esse mortale, & postea cognouit mortale esse, satis est illud solùm confiteri, & non alia, quia ea fuerunt legitimè confessa. Ita Nauarrus in Enchiridio Cap. 9. n. 12. Sylvester v. Confessio 1. Quæst. 3. &c.* Sic ille: qui de suo addidit illud, *Satis est illud solum confiteri*, quod apud Nauarrum non extat, sed iterandas non esse Confessiones: potuit autem addere nihil contrarius eidem, quia iuxta eundem locutus, si locutus vt debuit: citans enim pro se Auctorem, in eo debet citare sensu, quem verba Auctoris præseferunt: non alium autem fuisse Nauarri eo loco constat, quia se remittit ad definita à se in *Cap. Fratres* iam adducto. Item,

Sylvester.

quia Sylvestrum exscribit sic loquentem *citata Quæst. 3. Similiter qui ex nescientia, putà, quia non credit esse peccatum, excusatur: quia licet aliquando non excuset hoc quin talis peccet, dum talis agit contra legem Dei aut naturæ, excusat tamen ne peccet non pœnitendo, vel non confitendo specialiter, sed solùm in genere confitendo ignorata, id est, non cognita, & oblita. Vnde pueri & puellæ nouiter cognoscentes esse mortale, quod aliàs scienter omiserunt confiteri ex nescientia grauitatis eius, non tenentur iterare Confessionem.* Sic ille: qui ex his, quæ subdit locutum se de nescientia, quæ peccatum non excusat, licet excuset Confessionem, quia in ea esse ignorantia inuincibilis potest, iuxta Nauarri intelligentiam à P. Vasquez, vt vidimus, illustratam, & receptam à P. Suario *Disput. 23. Sect. 4. nu. 6.* satis reddidit manifestum, dum ait: *Quod Summa Angelica verum credit, etiamsi tali peccato erat annexa excommunicatio. Sed hoc est magnus error eius, vt patebit infra, Confessor. 3. §. 8.* vbi probat absolutionem datam excommunicato esse nullam. De peccato ergo agebat, quod ignorantia non excusabat; vnde & dicere meritò potuisset in Confessione aperiendum, dum luce maiori accedente de illius constitit grauitate, culpabili inquam ignorantia depulsa.

Ex Theologis aliis eadem veritas comprobatur.

277. Iam ex aliorum Theologorum doctrina eadem veritas demonstranda: cum nos enim docent materiam Confessionis Sacramentalis solùm esse peccata post Baptismum commissa, vt videri potest apud P. Suarium *Disput. 22. in principio*, Cardinalem Lugo *Disput. 16. nu. 1.* P. Arriagam *Disput. 31. nu. 1.* P. Martinon *Tomo 5. Disput. 50. nu. 58. & 45.* & alios determinationi Concilij Tridentini generaliter obsecutos, in cuius *Sessione 14. Cap. 5.* sic habetur: *Ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ iam explicata, vniuersa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino*

Concilium Trident.

integram peccatorum Confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis iure diuino necessariam existere. Sic ibi. Quod quidem dum & statuunt, & explicant, nullam esse obligationem confitendi nisi peccata, quæ verè commiserint, aut quæ saltim sub dubio talia habeantur, in quo etiam sunt iam multi aliter sentientes: ex eo planè conficitur iuxta ipsorum mentem illa non subiacere Sacramentali iudicio, de quibus dici nequit esse commissa, dum non sunt mortalia peccata reputata.

Ex sententia iuxta quam non tenetur quis confiteri quod probabiliter iudicat non fuisse à se commissum, eiam roboratur.

279. Præterea, receptissima sententia est eum, qui probabiliter iudicat aliquid à se factum aut omissum non fuisse mortale, non teneri illud confiteri. Pro quo P. Thomas Sancius *Lib. 1. Operis moralis Cap. 10. n. 76.* plures adducit: quod & communiter tradunt qui post eum scripserunt, & quasi pro certo statuit P. Gaspar Hurtadus *Disp. 9. de Pœnitentia Difficult. 6.* Ex quo euidenter sequitur neque teneri ad confitendum ea, de quibus ipsi constat peccata mortalia non fuisse, cùm ea animi præparatione fuerit, vt si talia sibi esse persuasissent, minimè perpetrassent. Vt cùm D. Paulus in ore percussus Ananiæ Summi Pontificis iussu, eumdem lingua repercussit, dicens: *Percutiat te Deus, paries dealbate*, de cuius dignitate statim admonitus, addidit sic: *Nesciebam, fratres, quia princeps est Sacerdotum. Scriptum est enim: Principem populi tui non maledices, Exodi 22. v. 28.*

Act. 23. v. 3.

Assertio 2. Non esse obligationem confitendi, quæ non sunt iudicata mortalia.

280. Dico Secundo. Non est obligatio confitendi ea, quæ non esse mortalia inuincibiliter quis sibi persuasit. Sic citati, & constat ex dictis, quia sola peccata mortalia post Baptismum commissa (aut in ipso Baptismo vt multi docent) sunt materia Sacramenti Pœnitentiæ circa quam, seu remota. Quòd alio Concilij Tridentini Decreto notissimum *citato Cap. 5.* vbi sic dicitur: *Ex his colligitur oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in Confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint* &c. Atqui post diligentem sui discussionem deprehendit is, de quo agimus, se mortalis peccati conscientiam non habere in materia illa, circa quam ignorantia extitit: ergo non tenetur illud confiteri. Præterea. Transgrediens tantùm materialiter præceptum sub mortali obligans, cùm facti plenam notitiam assequitur, non tenetur transgressionem confiteri, vt est perspicuum: vt si quis occidat hominem existimans esse feram, aut ad alienam accedat, credens esse vxorem, aut falsum iurans putans esse verum, & sic alia. Idem ergo in casu nostro dicendum, quia in eo materialis est tantùm præcepti transgressio. Item, supra transgressionem dictam nequit cadere absolutio: ergo non est obligatio confitendi illam. Antecedens constat, quia nequit dici, *Absoluo te à peccatis tuis*, cùm constet non fuisse peccata.

Idem.

Concilium

Circa P. Bordoni auctoritatem cauè prolequendum.

281. Ex his constat non esse opus ad probabilitatem huius sententiæ fundandam, & vitandam singularitatem, ad æstimabiles qualitates P. Bordoni recurrere, vt dictus Pater à S. Raymundo laborat. In quo quidem, vt & *superiùs* admonui iam cautissimè procedendum ob 27. Propositionem inter alias à SS. D. Alexandro VII. damnatam tenoris sequentis: *Si liber sit alicuius Iunioris*

niorus & Moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constat reiectam esse à Sede Apostolica tamquam improbabilem. Et quidem multæ ex præfatis Propositionibus, magnorum Scriptorum sunt, non vnius aut alterius vulgaris Summistæ, qui animosiores esse solent, cùm videant placere, & huius farinæ libellos facilè venditari. Nec mirum magna quandoque dormitare ingenia, cùm videamus ingeniorum Phœnicem Augustinum suasmetipsius retractasse sententias, cùm tamen nullus eo in humanis litteris eruditior, in diuinis doctior, in Dei lege peritior, in vitæ probitate clarior. Quem suis etiam in Retractationibus imitatus Cardinalis Bellarminus, & ipse sæculi nostri gloria, sapientiæ & sanctimoniæ spectaculum singulare.

Peculiares quorumdam Doctorum censuræ non sunt curandæ.

282. In quo quidem Sedis est Apostolicæ iudicio omnimodis deferendum; non ita peculiaribus Doctorum quorumdam censuris, in quibus passim deprehenduntur excessus. Pro quo non longè manifestum habemus exemplum, videlicet *nu. 276.* vbi Sylvester magnum errorem Summæ Angelicæ esse profert asserere eum, qui bona fide confitetur, habens peccatum, cui est adnexa excommunicatio, non teneri iterare Confessionem, quando peccatum tale esse mortale nesciebat, licet non inculpabiliter, cùm tamen in Confessione ipsa grauis culpa non admisceatur, quod ex nescientia accidit. Quod & repetit *Quæsito eodem. §. Quintò, secundùm Petrum de Palude*, & magis ex professo *§. illo 8.* Cùm tamen Angeli sententia valde probabilis sit, quam & Suarez dicit esse veriorem *Disputat. 22 citata Sect. 7. nu. 1.* quam & alibi ex professo probat, & eum secuti quamplurimi. Et verendum sanè ne spiritus ille Sylvestri, magni profectò viri, & Summistarum Summi in alios transeat: & verendum magis si fuerit in illis duplex: licet fidendum maximoperè sit, qualiscumque ille fuerit, accedente Apostolicæ Sedis influxu temperandum.

Sylvester sententiam Angeli immeritò confutat, circa Confessionem excommunicati.

Circa Propositionem damnatam de libro Moderni Scriptoris damnatam, notantur nonnulla &

1. Non esse damnatam sententiam de vnius Doctoris auctoritate.

283. Sed circa Propositionis dictæ damnationem aliqua hoc loco addenda, quæ videntur opportuna, & sit illud *Primum*, non videri damnatam communem Doctorum sententiam, iuxta quam vnius Doctoris opinionem amplecti quis potest, ijs concurrentibus, pro ea firmamentis, quæ boni Auctores exquirunt, quorum plurimos adducit citatus Pater à S. Raymundo *Resolut. illa 35.* Cùm enim magnorum Scriptorum sit, & non leuibus fundamentis stabilita, non est existimandum adeò graui damnatione perculsam, cùm legitimæ intelligentiæ locus relictus videatur. Expendendum ergo illud *Debet censeri probabilis.* Quibus verbis debitum sic censendi profertur, vt non sine Auctoris, aut veritatis iniuria possit aliter pronuntiari. Sic ergo sentientes eos Auctores carpunt, qui Iuniorum quorumdam opiniones improbabiles vocant, qualis est illa de licito vsu Bullæ Cruciatæ apud Religiosos in casibus reseruatis de duplicato stipendio pro applicatione fructus specialis, attequàm iudicio Sedis Apostolicæ fuisset expuncta, & aliæ non paucæ. Licitum est ergo Scriptoribus, qui ex professo materias, de quibus occurrunt controuersiæ, pertractant, eas improbabiles vocare sententias, quas apud modernos Scriptores solidis fundamentis destitutas deprehendunt.

2. Non omnes Scriptores ea prærogatiua gaudere.

284. Deinde (vt sit illud *Secundum*) cùm non omnes qui scribunt, ea polleant auctoritate, quam ætas, perpetua lectio, publica Theologiæ professio, & communis æstimatio conciliant: non eo ipso quòd liber prodeat alicuius non ita strenuè in eo puluere versati, licet cum ordinarijs approbationibus in lucem edatur, ea debet prærogatiua frui, vt omnes eius opiniones debeant censeri probabiles. Et hoc est quod SS. Alexander suo Decreto statuit: ne scilicet eo ipso quòd opinio aliqua apud Auctorem modernum extet, debeat probabilitatis honore potiri, & ad praxim possit securè aduocari. Vidi nuper libellum, in quo affirmabat Auctor Virginem in Passione Filij mortuam, addebatque sic communiter docere Doctores; pro quo tamen nullum viderat, sed se audijsse dicentem audiui sui Ordinis Concionatorem, quem habebat pro Oraculo, ita asseuerantem. Circa Missarum stipendium occurrent aliæ præter damnatas Decretis SS. Alexandri, leuibus fundamentis subnixæ, in quas forsan seuerioris iudicij pondus incumbet.

3. Ad statuendam improbabilitatem non esse necessarium Sedis Apostolicæ Oraculum.

285. Sit *Tertium* illud, Propositionem illam ex eo etiam capite damnari, quòd ad stabiliendam improbabilitatem debeat Apostolicæ Sedis iudicium expectari, cùm possit illa ex communi Doctorum sensu haberi, iuxta quem solet Apostolica Sedes damnationis sententiam pronuntiare. Qui ergo in Auctore aliquo opinionem singularem reperit, aut doctus est, aut imperitus. Si primum, scit ille quid in casu huiusmodi præstare debeat, neque esse cuilibet iuxta propriam phantasiam loquenti conniuendum. Si secundum, scire debet periculosum esse suo iudicio, etiam in ijs, quæ legit ad conscientiæ regimen spectantia gubernare: quod & in opinionibus etiam non singularibus faciendum, in quarum praxi errari sæpè continget, dum sine luce magisterij non securè proceditur. Audiens ergo opinionem, quam legit, non esse probabilem, stare iudicio docti magistri tenebitur, si tamen ille circa id de communi Doctorum Sensu testatur, licet opinio talis non sit à Sede Apostolica reprobata. Quòd si secus contendat, censuræ à SS. Alexandro impositæ subiacebit. Itaque non potest sic argui: Non est reiecta, ergo licita est illius loquela.

4. Omnem ab Ecclesia damnatam Propositionem fuisse ab intrinseco improbabilem.

286. Sit *Quartum*, & illud etiam consideratione dignissimum, omnem scilicet Propositionem ab Ecclesia damnatam fuisse improbabilem ab intrinseco: cùm enim opposita sit vera, neque circa id possit Ecclesiæ sensus errare, vt est communis Doctorum sensus, nequit ea, quæ damnata est, solidum fundamentum habere, quo semper caret mendacium. Potuit tamen esse probabilis quoad nos, (& iuxta illam licita operatio) non penetrantes fundum veritatis. Iuxta hoc ergo certum dogma in proprio sensu, legitimè decurrit prædicta damnatio, quia ante illam omnes Propositiones damnatæ erant improbabiles modo dicto: ergo im-

probabilitas non est desumenda solùm ex Pontificia damnatione: quæ est inconcussa Pontificij Decreti consequentia. Vnde quod aliqui Doctores dicere solent, opinionem hanc aut illam (vt de vsu notitiæ per Confessionem habitæ, nuper occurrit, & de Confessione absentis, alijsque) aliquando fuisse probabilem, sed iam non esse talem, iuxta dicta intelligendum, probabiles scilicet fuisse quoad nos, & ab extrinseca Scriptorum Auctoritate, non ab intrinseco, semper enim illæ ab intrinseco improbabiles extiterunt.

5. Pro sententia de vnius Doctoris auctoritate fundamentum esse in Bulla Alexand. 7.

287. Denique, cùm *SS.* Alexander grauium Doctorum sententijs fauendum esse satis luculenter ostendat in Bulla contra Censuras Facultatis Theologicæ Parisiensis in Amadæi Guimenij librum præsumptuosè iactatas, ibi: *In quibus libris censura præsumptuosa notantur aliqua Propositiones, quæ ad actionum moralium regulam pertinent, & grauissimorum Scriptorum auctoritate, & perpetuo Catholicorum vsu nituntur &c.* Et aliunde constet opinionem illam de vnius Auctoris opinione, debitis accedentibus requisitis, grauissimorum Theologorum auctoritate formatam, & longo vsu in Ecclesia receptam, inde satis verosimili deductione conuincitur eam non fuisse ab eadem sua damnatione conclusam, ita vt nullo modo liceat eam ad praxim applicare, stantibus aliàs ijs, quæ à nobis sunt *nu. nu.* præcedentibus explicata, & de auctoritate quidem manifestum est, quantùm ad ipsorum qualitates, nec minùs etiam perspecta eorum antiquitas, vt videri potest apud Dianam *Parte* 4. *Tractat.* 4. *Resolut.* 3. *&* *Parte* 7. *Tractat.* 1. *Resolut.* 23. *num.* 11. *&* *seqq.* & apud alios ab eodem citatos, vt meritò de sententia hac affirmari possit, quod SS. Alexander de opinionibus iniquè à Parisiensi Facultate damnatis affirmat, & sanctè potestatur. Accedit Propositionem illam vt iacet, apud certum Auctorem extare, Iosephum inquam Rocafull, vt videri potest apud Dianam *Parte* 3. *Tractat.* 7. *Resolut.* 60. qui sibi eam non placere ait, & cum Petro Marchantio iudicat nullatenus admittendam. Non ergo generaliter damnatur sententia de vnius Doctoris auctoritate ad probabilitatem sufficiente, sed vt à prædicto Scriptore proposita, contra quam ea faciunt, quæ à nobis remanent ad notata. Licet autem ille, vt videri potest *Tomo* 2. *Parte* 3. *Lib.* 3. *Cap.* 2. *num.* 20. Auctorem libri grauem futurum esse dicat, & qui consultus merito posset audiri, & iuxta eius sententiam operari, nihilominùs Propositio talis proscripta à Pontifice est, quia aliud est illam absolutè proponi iuxta tenorem dictum, vt in Auctore isto videre est; aliud autem limitatione adiecta, quæ in eius explicatione habetur. Itaque Propositio hæc. *Si liber sit alicuius Auctoris moderni, grauis, & qui consultius meritò posset audiri, & iuxta eius sententiam operari, quia in eo concurrunt illa, quas Doctores requirunt ad huiusmodi prærogatiuam qualitates,* diuersa Propositio est, & minimè condemnata. Vnde dicto Auctori, qui & doctus, & grauis, & pius, ac ex primaria regni sui nobilitate, sua est auctoritas inuiolabilis apud litterariam Rempublicam conseruanda.

Propositio damnata extat apud Rocafull.

Nonnullis additis admittenda.

Quibus ex occasione præmissis.

Assertio. Pro approbanda talis doctrina præcedentia.

288. Dico tertio. Quod de non extante obligatione confitendi, quæ non sunt mortalia inuincibiliter reputata, dictum est, Indis specialiùs applicandum, in quibus, vt dixi, ignorantia maiorem obtinet principatum, sicut & in Æthiopibus è patrijs sedibus reuocatis, & iure vel iniuria captis, in quibus Sacramenti Pœnitentiæ vsus facilior accurandus, benigniorum opinionum beneficio, in id præcipuè incumbendo vt dolor & propositum, quibus est opus, non desint, quorum defectus non facile habet supplementum, vt habere potest integritas, quæ bona fide suppletur, si alia necessaria concurrunt, & sunt illi ad dolorem faciles, sicut & ad emendationis propositum, quia futura illis non obijciuntur, totis circa præsentia occupatis. Quod quidem, vt admonui aliàs, in ijs accidit, qui non sunt inter Hispanos educati, qui enim tales, multos eorum exæquant, vnde & circa illos Confessarij curam debent similiter exæquare. Legatur Consilium 4. *Nauarri Lib.* 5. *Tit.* 37. vbi in fauorem pœnitentis rustici hæc habet. *Primò* Confessarium non teneri interrogare illum de numero peccatorum in præcedentibus Confessionibus fortè non expresso. *Secundò*, idem esse quando Confessarius ex probabili coniectura putat quòd rusticus nec confessus, nec interrogatus secundùm numerum in eisdem Confessionibus fuerit. *Tertiò*, similiter dicendum quando pro certo Confessarius ex discursu Confessionis tenet dictum rusticum nec interrogatum, nec Confessum fuisse de numero, & reddit rationem: *Quia id non videtur iure cautum, nec vlla efficaci ratione probari, & quia qui nimis emungit, elicit sanguinem Cap. Denique dist.* 4. *Prouerb. Cap.* 3. Addit tamen: *Modò putet se satis benè confessum fuisse:* (quia scilicet bona fide, & cum sufficiente dolore ac proposito) *nisi confitens interrogaret an debuisset id facere, vel aliqua de causa diceret se id non fecisse.* Quæ quidem si vera aliàs, in Indis maximè, qui confitentes se quater fecisse peccatū aliquod, non sunt circa numerum vrgendi, etiamsi Confessarius verosimiliter putet pluries ab ipso tale crimen perpetratum, quia & in eo bona esse fides potest, & non leue in vrgendo periculum.

Nanarrus in fauorem rustici pœnitentis qua tradat.

SECTIO XIV.

Circa approbationem Religiosi cum limitatione, occasione quærelæ Indici Prælati. Et circa eam difficultas peculiaris.

Casus propositio inuentu Confessarij feminarum.

289. Religiosum approbauerat Indicus Præsul cum limitatione, vt scilicet feminas non posset nisi post annos aliquot, & certè non paucos, auscultare. Ingressus autem Ecclesiam illius Ordinis vidit eum ad Confessionale sedentem, & feminarum excipientem Confessiones, erat enim magni Iubilei tempus. Quod quidem ægrè tulit, & actionem vt inconsultam & absurdam condemnauit. Cui tamen satisfieri ex eo potuit quod Religiosus ille iuuenis, & illius Prælati, satis in eo probabilem fuissent opinionem amplexi,

amplexi, de qua nos in *Thesauro Indico Tomo* 2. *Tit.* 12. *n.* 354. iuxta quam approbatus cum limitatione potuit in Iubileo eligi, sicut etiam per Bullam Cruciatæ, pro quo Auctores dedimus *supra nn.* 223. *&* 230. *& in Thesauro* doctum Archipræsulem in viuis tunc agentem, & iam vita satis in eo munere exemplari perfunctum, Illustrissimum Dom. Gasparem de Villaroel, qui præclara Spiritus sancti æmulatione, à quo positus vt regeret Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo, *Pater fuit pauperum, Dator munerum*, ne relictis sibi libris, qui editione multorum etiam dici *lumen cordium* potuit, vt in lumine iam admirabile videre lumen sperare meritissimò debeamus.

Pro quo fiet primo probatio, vt requiratur illi limitatio applicare.

Archiepiscopus Villaroel laudatus.

Vt possit approbatio reuocari qua tenebatur vsurare.

290. Stante autem opinione prædicta dubitari potest an talis Prælatus, aut alius etiam occasione consimili potuerit approbationem dictam reuocare, eo quòd, licet probabilis talis opinio sit, illius tamen vsus minimè conueniens fuerit iudicatus, Religiosum inquam iuniorem, & hesternum Sacerdotem feminarum Confessionibus publicè audiendis exponi. Posse enim ob rationes denuò occurrentes, ad Confessionem que ipsam spectantes, communis resolutio est, decisumque ita ab Innocentio X. in Breui, quod extat *Tomo* 4. Bullarij, & refertur à Lezana *Tomo* 4. *Consulto* 40. in cuius §. 1. rogantibus Patribus Societatis IESV Prouinciæ Mexicanæ, *An Archiepiscopus Regularē pro Confessionibus semel approbatum, sine noua causa suspendere possit ab ipsis Confessionibus audiendis?* sic responsum: *Respondet Regulares aliàs liberè ab Episcopo præuio examine approbatos ad audiendas Confessiones personarum sæcularium, ab eodem Episcopo suspendi non posse sine noua causa, eáque ad Confessiones pertinente.* Sic ibi. Cùm ergo causa dicta ad Confessiones pertineat, videtur posse Episcopum sua circa hoc vti potestate.

Posse ob causas ad Confessionem spectantes.

Breue Innocent. X.

Item cum limitatione approbari circa feminas, pro quo praxis.

291. Neque contra hoc videtur facere plurium Scriptorum doctrina, quos adducit Diana *Parte* 11. *Tract.* 8. *Resolut.* 27. asserentes non posse Episcopos approbare Religiosos cum limitatione circa feminas ratione florentis ætatis: nam vt ipse Diana testatur, praxis est in contrarium in aliquibus locis, quæ quidem sine magno esse fundamento nequit, vnde Episcopi ea se tueri possunt, & ita ad negationem dictam procedere, nec paruò quidem resistentia constabit. Præterquàm quod suspensio talis non ex eo continget quòd Religiosi opinione vtantur probabili; sed quia talis probabilis opinionis vsus inordinatè vsurpatur, cum publicitate inquam dicta, & ita etiam non sine scandalo, præsertim si desint crates, in quorum vsu multi parùm scrupulosi deprehenduntur, cùm negari nequeat & indecentiæ, & periculo ipsis adhibitis obuiari.

Etiu casu proposito ob scandalum.

Non ferri in contra Pontificis voluntatem Bullam aut Iubileum concedentia.

292. Contra Pontificis etiam voluntatem non ire sic suspendentem Episcopum solam Ordinarij approbationem ad Confessarij electionem requirentis, quod est eorum fundamentum, qui etiam cum limitatione approbatum eligi posse contendunt, ex eo probari potest, quia ex quo suspensio ponitur ob indecentem vsum, iam talis non est ab Episcopo approbatus, & ita potiùs voluntati Pontificis præstatur obsequium, quàm vt aliquatenus violetur. Dubitari enim nequit quin spatio Iubilei currente possit Episcopus Religiosum suspendere, si ipse circa Confessiones ita prauè se gerat, vt sufficientem causam tribuat suspensioni. Si ergo ea, de qua loquimur, reperiatur talis, nihil Iubilei tempus obstabit, alias neque suspendi posset respectu habentium Bullam Cruciatæ, in qua similis facultas cum eadem conditione approbationis ab Ordinario habendæ conceditur.

Nec opponi Episcopum medijs aliis vti posse.

293. Si dicatur ex præfatis non conuinci posse suspensionem dictam infligi, quandoquidem alijs vijs occurri incommodo prædicto potest, admonitione inquam acri Confessarij, aut Prælatis admonitis, comminatione adiuncta circa vlteriores approbationes. Contra hoc esse potest quòd Episcopus parùm fortè medijs præfatis confidet, & res ista adeò seuerum eam tractandi modum requirit, vt non debeat post experientiam absurdæ tractationis, dubijs illa arbitrijs committi. Quòd si euasio dicta vim haberet, sequeretur numquàm posse Episcopos suspensione vti ob causas ad Confessionem pertinentes, quia quando illæ extant, vti medijs præfatis potest, & non statim fulgurantis hastæ spiculum euibrare. Cùm ergo hoc nequeat admitti, eo quòd negotium hoc securis debeat remedijs peragi, in nostro casu idem videtur obseruandum.

Non posse Confessarium suspendi verisimilius apparet.

294. Quid ad hæc? Dicam. Suspensio approbationis iam exhibitæ satis grauis est, & cùm pœnæ rationem habeat, proportionata ei debet culpa respondere, qualis non apparet in prædictæ opinionis vsu, quæ adeò probabilis est, & à doctis Prælatis approbata. Vsus autem ratione necessitatis reddi honestus potuit, quia Iubilei tempore maior debet esse pœnitentium concursus, & fortè Ecclesia non habet ita accommodatas sedes Confessionibus audiendis vt euitari indecentia possit, quæ in iuuenum Confessariorum cum iuuenculis etiam sacro commercio esse potest, & quidem in Cathedralibus ac Parochialibus Ecclesijs de commoditate dicta parùm curari potest, vnde Confessarij vix interposita manu excipere soliti sunt Confessiones feminarum, & suum etiam imminet in adultiore ætate periculum: nec plus debent Religiosi ad huiusmodi cautionem arctari, quàm sæculares, cùm de illorum virtute, in cuius degunt Schola, plus debeat sibi Episcopalis prouidentia polliceri. Accedit suspensionem, si Censura est, si grauis sit pœna, propter veniale peccatum incurri non posse, vnde nec ferri contra venialiter solummodò delinquentem, vt apud Dianam *Parte* 5. *Tractat.* 10. *Resol.* 17. tenent grauissimi Scriptores ex eo ducti quòd pœna improportionata sit. In casu autem nostro suspensio approbationis satis grauis videtur pœna, & ita grauioribus excessibus reseruata, ac propterea noluit Pontifex propter causas alias infligi præter spectantes ad Confessiones, satis apertè indicans eas ad effectum dictum graues esse futuras.

Suspensionis Censura ob solum mortale imponi nequit.

Sed quia oppositum probabile, & Episcopus iudicare potest in eo culpam esse mortalem, nuper adducta infirmantur.

295. Cui quidem rationi illud in primis opponi potest, etiam esse probabilem sententiam asserentium suspensionem absolutè loquendi posse ferri ob peccatum veniale, quod apud Dianam citata *Resolut.* Caietanus, Nauarrus, & P. Auila tenent, & plures alij, quorum auctoritate munitus Episcopus potest suspensionem dictam infligere, non vt Censuram, sed vt simplicem priuationem;

tionem; qui eo in negotio iudex cùm sit, & res agatur ad eius iurisdictionem spectans, multùm profectò illius iudicio deferetur, & in foro externo illius sententia prævalebit. Deinde, poterit ille verosimiliter iudicare in casu dicto plusquàm venialiter delinqui, cuius standum iudicio, quia cùm Pontifex suspensionem approbationis propter solas causas ad Confessiones pertinentes concedit Episcopis, eius illas remittit arbitrio; nullius enim alterius iudicium vt necessarium inducitur. Et licet secundùm Ius regulandum sit, iuxta communem Doctorum sensum, ad sic existimandum optimis Iuris regulis vti poterit, & consilio peritorum duci; nec deerunt qui eidem has in parte suffragantur. Ea autem quæ pro extenuando peccato allata sunt, poterunt in casus contingentia insufficientia censeri, quia si pœnitentium sit copia, possunt illi ad integrè approbatos transmitti. Et Iubilei tempore quoad valorem absolutionis expedit sententijs omnino securis vti, quia intentio Ecclesiæ ad purificandas fidelium conscientias tunc peculiari ratione dirigitur, vt illorum status maximis adhibitis fundamentis melioretur. Ex quibus apparet quod de commoditate sedium dicitur parùm releuare.

Cum res sit perplexa, Episcopo obsequendum.

296. Est ergo satis res ista perplexa, vnde si ad eum fuerit peruentum articulum, omnino expediet morem Episcopo gerere, etiamsi non ita iusta suspensio videatur. Sicut obsequendum quando approbationem iniustè negat, circa quod inter damnatas à SS. D. Alexandro VII. Propositiones hæc extat, & est ordine 13. *Satis facit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo iniustè reprobato.* Ex eo videlicet quòd id, quod iniustè negatur, absolutè negatur; & ita absolutè non habetur ab eo, cui negatur, vt patet in negante iniustè pecuniam, vel quid aliud simile. Et prætereà, quia valde difficile est circa iniustitiam negationis rectum formare iudicium; neque ita inconcussum esse poterit, vt saltim dubium non subsit, in quo pro Prælato præsumendum, vt admonet Cardinalis Lugo *Disput. 21. de Pœnitentia nu. 67.* in casu approbationis reuocatæ locutus, ex quo pro casu iniustæ negatæ argumentum efformamus, quia in vtroque similis ratio decurrit. Pro quo & prudentissimum citatus Cardinalis monitum præstat citato loco ita scribens: *Sic subditis, & maximè Religiosis, vt suprà dixi* (scilicet *nu. 55.* vbi omnino videndus) *honestissimum & consultissimum est Prælatorum intentioni se promptos & faciles exhibere; alioquin suspiciones dabimus æmulis nostris, quòd non tam ob zelum, tuendi nostra priuilegia, quàm ob alias causas obedientiam Prælatis adhibere nolumus.* Sic ille.

Proposito damnata ad Alex. 7 circa negatam iniustè approbationem.

Cardinalis Lugo prudentissima doctrina.

DIFFICVLTAS ALIA.

Circa prohibitionem Prælati Regularis stante Episcopi approbatione.

Potest stare illa respectu pœnitentium non habentium priuilegium.

297. NOn est dubium, si prohibitio cadat supra Confessionis auditionem non habentium priuilegium ad eligendum Confessarium: circa hoc enim communis est Doctorum sententia licitè posse Prælatum Regularem suo subditum vrgere præcepto, quia & in hoc voluntas eius subiecta esse debet, sicut & in alijs; estque illud valde conueniens religioso agendi modo, in quo à Prælato dependet, qui eum potest Ordinario præsentare, vnde etiam circa vsum administrationis huius Sacramenti, & ita etiam per sententiam, aut præceptum, eum ipsi prohibere. Et hoc quidem quantùm ad quæstionem de vsu licito, in quo non hærendum, vt ad aliam de vsu valido veniamus, vbi & aliquid circa præcedentem etiam partem adijciemus. In quo quidem varietate sententiarum depugnatur: sunt enim qui dicant absolutè approbatum ab Episcopo pro suis ouibus, & iurisdictionem ab eôdem accipientem, validè absoluere, non solùm antè præsentationem Prælati, sed etiam eo repugnante, & quantis potest modis prohibente. Sic plures, quos adducunt & sequuntur Diana. *Parte 1. Tract. 11. Resolut. 13.* & in Additionibus Partis 3. Resolut. 7. & Parte 5. Tract. 12. Resolut. 49. P. Mendus in *Bullam Cruciatæ Disput. 22. n. 103. & 106.* & Ludouicus à S. Raymundo *Tomo 1. Tract. 2. n. 47. & 57.* Quod tamen negant alij apud eosdem, & apud postremum plures *num. 54.* qui cum alijs *num. 57. citato* limitationem addit, vt non debeat assertio præfata procedere quando subditus est à Prælato iuridicè suspensus & priuatus audiendarum Confessionum facultate.

Approbatum ab Episcopo valide absoluere etiam repugnante Prælato alij asserunt, alij negant.

Exceptio iuridica sententia.

298. Fundamentum prioris dicendi modi est, quia datur quidquid à Concilio Tridentino vt necessarium ad validam ponitur absolutionem, approbatio inquam Ordinarij cum iurisdictione: circa quarum positionem aut remotionem, nullam habet Regularis Prælatus potestatem. Poterit quidem vsum prohibere, vt diximus, vnde & peccabit subditus præceptum violans, actus tamen valorem non infringet: ad eum modum, quo in administratione aliorum Sacramentorum stat eorum valor, non obstante prohibitione Prælati, etiamsi omnino iustificata sit: quod & in applicatione Sacrificij Missæ tenet satis recepta sententia; valet enim illa, quam subditus præfert expressæ Prælati voluntati, & generaliter fructum sacrificij verè applicat quoquo versus per iniquitatem deflectat.

Priorum fundamentum.

299. Opposita verò positio ex eo videtur firmari, quia Prælatus Regularis etiam habet influxum in ordine ad approbationem ab Ordinario conferendam: supponit enim illa iudicium PrælatiRegularis circa mores & litteraturam subditi: & licet quod ad litteraturam attinet possit Ordinario per examen innotescere, non ita aliud; & ita Ordinarius per Prælati testimonium agnoscit: quòd si ante huiusmodi testimonium approbet, & iurisdictionem conferat, illud certè præsupponit, quia homini morum improbandorum non est credendum velle negotium adeò graue, & tot honestas exigens qualitates, cum suarum ouium discrimine manifesto committere. Stante ergo Prælati prohibitione in non leuibus Confessarij defectibus sibi subiecti fundata, deficit etiam approbationis Ordinarij fundamentum: & ita vim suam amittit, sicque actus illam requirens validus esse non poterit. Quam rationem Doctores non afferunt, & mihi videtur plus alijs firmior ex paucis, quas adducunt.

Item & posteriorum.

300. Mediæ sententiæ fundamentum aliquo modo est nuper adducto concordans, ex eo quòd

Media sententia de iuridica prohibitione.

quod Prælatus Regularis potest iuridica sententia inhabilem ad Confessiones Sæcularium audiendas subditum declarare: qua stante Ordinarius approbare nequit sic declaratum inhabilem: nam approbatio debet morum idoneitatem supponere, quod est à Congregatione Concilij declaratum, & ex terminis ipsis notissimum: ergo, cùm is, de quo agitur, id non habeat, nequit illum Ordinarius approbare, quia annullare sententiam Prælati nequit, cùm sit illa à iudice ab eius auctoritate prorsus exempto: Quæ ratio currit, siue sententia ante approbationem sit, siue post ipsam: quo euentu cessat, deficiente per sententiam dictam eius fundamento sicut nuper pro sententiæ negantis probatione dicebamus, & pro ista magis vrget, vt videtur perspicuum.

Stante etiam iuridica sententia posse omnino Bullæ, Iubilei &c. qui asserunt.

Cæt. pro Doctores omnino sufragantur.

301. Et adeò illud, etiam iuridicæ sententiæ rigore sublato, videtur vrgere, vt propterea censeant absolutè loquendo, posita prohibitione Prælati omnino seria, & quantùm esse in illo potest, efficaci, validam non fore absolutionem, etiam si iurisdictio virtute Iubilei, aut Bullæ Cruciatæ, vel alijs modis à Pontifice conferatur. Pontifex enim non intendit religiosam infirmare subiectionem, & approbationem Ordinarij requirens, eam talem esse vult, quæ esse debet ordinariè loquendo; seruata inquam debita subiectione. Et mirum quidem accideret, si, cùm possit Episcopus Regulari approbationem subtrahere, iuxta dicta, & actum reddere nullum, id Prælato negaretur: cùm constet voluntatem Religiosi magis à voluntate Prælati pendere, quàm à sola voluntate Episcopi, vt arguit P. Fagundez *Lib. 7. in 2. Præceptum Ecclesiæ. Cap. 2. n. 32.* censens ita etiam dicendum quando causa est occulta: quod & generaliter tenent multi apud Thomam Hurtadum *Tomo 2. Tract. 12. n. 2152.* nullam de sententia iuridica facientes mentionem, sed in eo fundati, quòd Religiosus non habeat proprium velle aut nolle. *Ex Cap. Nullus. Et Cap. Quorumdam*, de Electione. in 6. Vnde contra voluntatem Prælatorum non sunt capaces iurisdictionis ab Episcopo concedendæ; sed neque approbationis, supra quam illa immediatè cadit, & à Pontifice supponitur, quia media Religione debet haberi, vt argumentatur citatus Auctor. *n. 2154.* licet parùm consequenter addat. *n. 2156.* sententiam iuridicam esse necessariam, quod in omnimoda prohibitione verosimiliùs fortè affirmari posset.

Fundamentum aliam gentem proferit, iuxta puri.

P. Fagund.

Cæt. Nulli. Cap. Quorumdam.

302. Cui dicendi modo maximè oppositus est ille, quem nonnulli amplectuntur dicentes, etiam si quis per iuridicam sententiam priuatus sit facultate audiendi Confessiones à Prælato suo, si aliàs approbatus sit, vsum fore validum, si Iubilei, aut Bullæ, vel similis alterius indulti virtute fuerit electus Confessarius. Sic Ludouicus à S. Raymundo *suprà. n. 44.* vbi plures pro se adducit eo quòd generaliter loquantur; cùm tamen reuera id in terminis adeò strictis non determinent, nec de priuatione per iuridicam sententiam quidquam statuant, vt videri potest in Diana citatis locis. Et in Lezana *Tomo 1. Cap. 19. n. 12. & Tomo 2. verb. Bulla Cruciatæ. n. 20. & verb. Confessarius. n. 2.* Sicut & in P. Antonio de Escobar in *Libro Theologiæ moralis. Exam. 17. de Bulla Cruciatæ. n. 126. & Tomo 1. Theologicorum Problematum moralium Lib. 7. de Bulla eadem. Sect. 2. Cap. 32. Problem. 27. n. 355.* vbi à præfato Auctore citantur. Dicto autem modo sentientium illud ipsum fundamentum est, quod *n. 298.* iam vidimus, videlicet in fic approbato inueniri quidquid à Concilio Tridentino *Sessione 23. Cap. 15.* vt quis reputari idoneus ad Confessiones Sæcularium audiendas postulatur.

Limitatio ex priuilegio PP. Prædicatorum.

303. Addunt autem aliqui limitationem specialem, vt videri præsertim potest apud Lezanam *n. 12. & 2. citatis.* Et Ioannem de la Crux *Lib. 2. de statu Religioso. Cap. 6. Dub. 2. Conclus. 1. &* 2. citatum Fr. Emmanuelem: si videlicet in Religionibus sit receptum Breue Iulij Secundi, *die 7. Ianuarij. An. 1515.* in quo extat concessio Reu. Generali PP. Prædicatorum facta qua vti possunt omnes habentes communicationem priuilegiorum, qua reuocauit *licentias & immunitates concessas Religiosis eiusdem Ordinis, quas Magister ipse Ordinis reuocandas diiudicauerit, & vndecumque emanaturas, sine licentia Superiorum Confessiones sic auditas annullando.* Sic habet illud coram Reu. P. Francisco Romæo præsentatum & lectum, atque acceptatum Salmanticæ in Capitulo Generali. *An. 1551.* Post quod adducit aliud idem Ioannes de la Cruz concessum ad instantiam Reu. Magistri Stephani Vsusmaris. *die 17. Ianuarij. An. 1555.* Sed Patri Castro Palao videtur *Tomo 4. Tract. 23. Disput. vnica. Puncto 14. n. 24.* non obstare quominùs validæ sint Confessiones dictorum Patrum virtute Cruciatæ aut priuilegij alterius factæ, quia in dicto Breui illud non reuocatur: quin immò excipiuntur licentiæ manu Papæ, aut de consensu Cardinalis Protectoris, vel Vice protectoris signatæ. Et hunc explicationis modum amplectitur Pater à S. Raymundo *suprà n. 50.* Sed videtur ille prorsus inuerosimilis, quia licet in dicto Breui non reuocentur priuilegia Bullæ, & alia; conceditur tamen dictis Superioribus facultas reuocandi quascumque *licentias vndecumque emanaturas*: quæ vniuersitas omnes comprehendit, & ita etiam illas, de quibus agimus, vnde supra ipsas etiam potest cadere prohibitio, dum Religiosus ab audiendis Confessionibus generaliter remouetur. Et ita generatim id asserit Ioannes à Cruce; licet addat priuationem debere esse iuridicam in conuictum, quia pœna grauis est, & ita habet vsus Religionum benè & suauiter omnia disponentium. Quod laudat Thomas Hurtadus *suprà n. 2156.* addens in sequenti, quod si Prælatus sub præcepto formali præcipiat vt non admittat licentiam audiendi Confessiones, subditus illo non tenebitur, nisi iuridicè fuerit declaratus inhabilis: quia sicut suspendi nequit, nisi post sententiam iuridicam, ita neque habilitas electionis ab Episcopo faciendæ in ordine ad electionem.

Priuilegium PP. Prædicatorum.

Sed P. Palao non obstare.

Cuius in verosimilis explicatio.

Ioannes à Cruce.

Præceptum de non admittenda approbatione non obligare est qui asserat.

304. Dico Primò. Inter adductas sententias illæ, quæ fauent subiectioni Religiosorum erga suos Prælatos omninò præferendæ sunt. Id probo: Quia res est grauissima, & ita in ea magis necessaria Prælatorum directio, vnde iuxta illam procedendum. Quòd si directio sequenda, quantò magis præceptum? Qui discursus est euidens, & ideò existimandum eam esse Pontificum mentem volentium in Religionibus subiectionem subditorum, in rebus quidem omnibus, sed in grauioribus

Assertio 1. Sententias fauentes Prælatis esse præferendas.

nioribus præsertim obseruari. Quibus addendum in vsu prohibito magnum posse non semel reperiri periculum, cùm prohibitio supponat hominem minùs ad tantum negotium idoneum, cùm tamen in deferendo prohibitioni periculum sit nullum. Quæ enim vrgens esse necessitas possit prohibito confitendi? Nisi fortè talis sit, quæ impeditis aliàs præbeat facultatem, cuius iam alia erit ratio.

2. Vtcumque Prælatus prohibitionem, serio tamen significet satis est.

305. Dico Secundò. Confessionis nullitas non ex eo est deducenda quòd præceptum sub mortali obligat, vt videntur velle aliqui, sed quomodocumque Prælatus significet se suspendere approbationem, id est satis. Cuius ratio est aperta, quia præceptum ex se non inducit nullitatem, vnde stare illud cum valore actus potest, vt *n.*298. dicebamus. Si ergo aliquando nullitatem inducere dicendum sit, eatenus id accidet, quatenus est voluntatis Prælati manifestatiuum in ijs, in quibus valor actus ab ea pendet, quia modus ille declarandi ipsam videtur efficacior. Cùm ergo voluntas talis alijs modis possit declarari, non est cur ad præceptum sub mortali obligans debeat recursus haberi. Quemadmodùm si Prælatus subdito dicat ne à sæculari rem aliquam considerabilis valoris accipiat, sic enim se velle, peccabit grauiter subditus, & acceptionem reddet nullam, etiamsi Prælatus sub mortali non præceperit, quia declarata sua voluntate, contra illam ire graue peccatum est, & in materia dicta actus nullus, ad cuius valorem voluntas & licentia erat Prælati necessaria.

3. Nec est iuridica sententia necessaria.

306. Dico Tertiò. Ad prohibendum subdito audiendarum Confessionum vsum non est sententia iuridica necessaria, cùm sufficiat caussam prohibitioni sufficientem extare, eamque esse Prælato perspectam. Probatur, quia contrarium sine sufficienti fundamento affirmatur. Et quidem si aliquòd esset, illud certè, quod *n.* 303. duo ibi Auctores citati proponunt, de grauitate pœnæ, ac bono ac suaui Religionum vsu: quod tamen nihil euincit; quia in primis id verum habere posset quando suspensio esset totalis, non verò si ad tempus propter congruas rationes. Deinde etiamsi totalis sit, propter earum Religiosum vsum bene ac suauiter omnia disponentium, id quidem in eo fundabitur, quòd subditorum bono sit nomini consulendum: Atqui iuridicus processus magis est incommodus in ordine ad dictum finem, cùm plus habeat notorietatis, vt est manifestum: quod vitatur cùm ex æquo & bono proceditur, & subdito conuicto, etiamsi non Confesso, suspensio intimatur: qua posita, dum Confessiones non audit, si aliqui id aduertant, potest caussas sibi benè visas, abstractionibus mentalibus vtens prætexere, quod sibi iuridicè notato non liceret.

Ratio fundamentalis.

307. Præterea, ratio fundamentalis est, quia in ijs, quæ pendent à voluntate Prælati non est necessarium processum formare, nisi pro illis, ad quæ per speciales leges forsan obligatur: vnde mutare loco subditos potest, licentias dare, & adimere, & sic alia: Atqui pro Confessarijs amouendis nulla est ratio specialis, quæ oppositum euincat: ergo idem circa illud debet ferri iudicium. Maior est comperta, & Minor ostenditur, quia nullibi limitatio talis apparet, quam aut lex Canonica, aut consuetudo legitimè præscripta videantur induxisse. Et quidem si negotij grauitas deberet attendi ad omnia, quæ grauem materiam concernunt, deberet formari processus, quod constat esse comentum: Ratione autem specialis materiæ nihil est quod vrgeat: ergo de illa vt de alijs iudicandum est, neque onus Prælatis imponendum, quos Sedes Apostolica in sui muneris administratione minùs esse decideret impeditos. Et ita cùm Ius Canonicum statuat formam in iudicialibus caussis seruandam, circa Religiosos modo rationem apposuit, quæ habetur in *Cap. Qualiter & quando*, de iudicijs, quia eorum gubernandi modus debet esse expeditior, & paucis absolui quæstio criminosa.

4 Priuilegia PP. Prædicatorum vti possunt Religiones communicationem earum habentes.

308. Dico Quartò. Priuilegio PP. Prædicatorum vti possunt Religiones aliæ habentes gratiam communicationis. Sic obseruant Lezana, & Ioannes de la Cruz citati, & alij, quod generaliter loquendo videtur difficultate carere. Quoad Bullam autem, & priuilegia similia idem esse, iam significauimus *n.* 303. non admissa explicatione P. Palai, cui nihil adstipulatur id, quod in eodem priuilegio dicitur de licentijs manu Papæ, aut de consensu Cardinalis Protectoris, seu Viceprotectoris signatis: quia in primis de Bulla Cruciatæ aut Iubileo id dici nequit. Præterea ibi est sermo de licentijs peculiaribus ad Religiosos eiusdem Ordinis spectantibus, ideò enim de Cardinali Protectore & Viceprotectore inducta mentio, vnde nequit ad licentias extendi generales. Item, verba illa, *licentias vndecumque emanaturas* satis indicant generalitatem concessionis. Quòd si illa in concessione hac propter apparentem rationem restringitur; & in alia propter similem, quæ confingi facilè possunt, vix erit momenti alicuius gratia prædicta, & præsertim in Regnis Coronæ Hispanicæ, in quibus Bulla Cruciatæ publicatur. Quomodo autem apud Religionem dictam vsus habeat, & etiam alias communicatione gaudentes, earum alumni viderint, dum ego de propria pertracto.

5. Id de Societate specialiter statuitur in qua sunt alia.

309. Dico Quinto. Societas nostra vti potest Indulto præfato ob amplissimam communicationem, quæ illi est à Pontificibus attributa, vt videri potest in *Compendio Priuilegiorum. verb. Communicatio Gratiarum.* §. 2. Quia verò in Compendio dicto non extat Indulti huiusmodi mentio, dubitare quis poterit an liceat illius vsus, quia illorum tantùm vsus licet, quæ fuerint à Generali communicata, ex concessione Gregorij XIII. de qua *verb. eodem* §.5. Ad quod dici potest inprimis id non obstare communicationi, sed vsui. Deinde, vt singulares personæ vti huiusmodi Indultis nequeant cautum est, vt constat ex *verb. Indulta*, vbi sic habetur: *Non licet Nostris vti Indultis Pontificum, aut ea postulare, aut obtenta retinere, absque facultate Superiorum Societatis, iuxta ea, quæ habentur verb. Absolutio* §. 9. *& v. Priuilegia* §. 3. *Similiter de Confessionali impetrato vide supra v. Confessionale*, Sic ibi. Possunt etiam Superiores vsum quarumcumque facultatum à Pontificibus obtentarum prohibere, cùm viderint expedire, vt in Præfatione Compendij adnotatur. Non ergo necessarium vsum est circa communicationem prædictæ gratiæ Societatem esse solicitam. Præterquàm quòd obedientia in Societate eam habet ampli-

Compendium Priuilegiorum.

amplitudinem, quam vidimus. *n.* 265. *& seqq.* Vnde iubenti Superiori abstractionem ab audiendis Confessionibus omninò parendum, quia in eo nulla est ratio repugnandi, cùm peccatum non sit, immò dispositio in ratione prudenti fundata, qualis supponitur esse posse quandopriuilegiorum vsus prohibetur, *Cùm expedire iudicauerint*, quæ sunt Præfationis verba: vnde & cadere præceptum supra prohibitionem potest, quia quod ordinatione potest simplici statui, stante conuenientia potest sub mortali prohiberi, cùm de materiæ grauitate dubitari nequeat, sitque illud satis conforme Instituto Societatis. Immò & in dubio debere sic prohibitum abstinere docet P. Suarez *Tomo* 4. *de Religione Tractat.* 10. *Lib.* 9. *Cap.* 2. *num.* 7.

P. Arriaga qui videtur contrarium, verè non est talis.

310. Neque hoc credo negabit P. Arriaga, qui *Tomo* 2. *de Sacramentis Disput.* 42. *n.* 10. affirmat posita approbatione Episcopi probabilius esse Religiosum licitè agere contra prohibitionem Prælati in casibus dictis Bullæ, Iubilei, & similium, quia non potest Prælatus prudenter contrarium tunc mandare, id enim esset auferre, seu limitare mihi auctoritatem à Pontifice concessam: vti non potest tunc mandare vni Religioso approbato ne audiat alterius Religiosi Confessionem vi Iubilei volentis ipsi confiteri. Pro quo adducit Dianam locis à nobis citatis. Non inquam negabit, si de Religiosis Societatis agatur, ob rationem dictam; quidquid de alijs sit. Et quidem §. *eodem* non id absolutè protulerat, sed particulam dubitationis indicem addiderat dicens: *Respondeo secundò, fortasse nec tunc posse Superiorem id prohibere &c.* Et cùm alias quid in Societate peculiare circa obedientiam sit non ignoraret, non videtur de illa locutus. Posset quidem dici non prudenter facturum Superiorem, si in particulari approbationis vsum prohiberet ei tempore Iubilei, aut virtute Cruciatæ, qui aliàs in eius vsu non esset impeditus, quia beneficio illi magno & vniuersali obicem ponere videretur. At generaliter vetare eum, qui ab huius Sacramenti administratione meretur arceri, nihil prudentiæ contrarium importat, cùm reuera in vsu tali tempore Iubilei, aut virtute Bullæ, plus aliquid talenti in Confessario requiratur, ob multa quæ in Concessionibus illis occurrunt; vnde ingentes Tractatus & libri de Iubileo & Bulla à magnis elucubrati Scriptoribus extant, & molis non pauci in dies maioris eduntur; vnde non meritò existimare quis posset expediens Confessarios aliquos, de quibus non adeò plena haberi satisfactio possit, à Confessionibus huiusmodi remoueri: in quo maior gratiarum dictarum æstimatio ostenditur, & Apostolicæ Sedi gratius præstatur obsequium, quæ, dum licentiam erga electionem Confessarij indulget, numerum quidem illorum adauget, sed eorum stringit qualitates. Ex quo apparet vim non habere inconueniens illud, quod citatus Auctor adducit, aut simile illud, quod subdit in positionis suæ confirmationem, dum ait non posse Superiorem mandare vni Religioso approbato ne tunc audiat alterius Religiosi Confessionem: mandare enim potest iuxta dicta, si generaliter sit ab audiendis Confessionibus prohibitus, aut si minùs aptus ad vsum pro eo tempore specialem habeatur. Quod quidem sicut probabile existi-

Superior quando futurus imprudens.

Potest mandare approbatione audiat Religiosi alterius Confessionem.

mauit dictus Pater respectu Confessionum laicorum, ita & debet respectu Religiosorum iudicare, quia eadem est ratio.

SECTIO XV.

Circa sententiam asserentium transacto tempore publicationis Bullæ Cruciatæ posse eum, qui illo currente non habuit casum reseruatum, absolui ab ijs, in quos posteà incidit. Vbi de eiusdem probabilitate.

Circa casum propositum vt philosophatur Nauarrus.

311. Videtur illa Nauarri *Lib.* 5. *Consiliorum. Tit. de Priuilegijs, qui est* 28. *Consilio* 17. *in* 2. *editione.* vbi ait suscipientem hoc anno Bullam posse frui gratijs susceptæ anno præcedenti, quoad eas clausulas, quæ non sunt sublatæ per Bullam posteriorem. Quod probat, quia gratia semel facta durat donec reuocetur vel suspendatur. *Cap. Si super gratia*, de officio & poteſt. Iud. deleg. *in* 6. Tum etiam, quia si suspendatur, sublata suspensione remanet tam efficax, vt erat ante suspensionem, argumento *Cap. Pastoralis*, de caussa posses. & propriet. & per posita in casu per posteriorem Bullam acceptam tollitur suspensio priorum Bullarum. Sic ille philosophatur: propter quæ Scriptores aliqui vt certum statuunt eum in affirmatiua absolutè fuisse sententia, & ita illam ipsi tribuunt Leander à SS. Sacram. *Parte* 4. *Tractatu de Censuris. Disput.* 17. *Quæst.* 85. Ludouicus à S. Raymundo. *Tomo* 1. *Tract.* 2. *n.* 95. & fortè alij: propter cuius auctoritatem asserit Leander, illam esse probabilem, cùm aliàs non sit suo etiam fundamento destituta.

Cap. Super gratia.

Cap. Pastoralis.

Sed non est affirmantis sententia manifestus assertor.

312. Sed certè Nauarrus non est præfatæ sententiæ manifestus assertor, vt videri in ipso potest, & adducta ex eodem satis videntur indicare: nihil enim præter illa Consilium illud continet, & in illis nihil tale expressum, aut quod per legitimam consequentiam possit deriuari. Pro quo elucidando obseruandum est ante Pium V. solitas fuisse Bullas Cruciatæ à Pontificibus concedi cum ampliori extensione temporis, vt tradunt Emmanuel Rodericus in eius explicatione. §. 12. Trullenck in Dub. 2. proœmiali, & alij. Huiusmodi autem Bullas reualidari sumptione Bullæ annuæ, cùm per eius fuissent publicationem suspensæ, boni Scriptores affirmant, duo scilicet citati, ex quibus posterior *lib.* 1. §. 9. *Dub.* 2. *n.* 3. P. Andreas Mendus Disput. 29. n. 17. & alij: idque conuenienter fieri poterat, quia diuersæ in illis gratiæ extabant ab ijs, quæ in annuis conceduntur, & ita reualidari cum fructu poterant, sicut modò reualidantur gratiæ in Bullis, quæ Cruciatæ non sunt, aut concessæ modis alijs inueniuntur. De his ergo Nauarrum fuisse locutum potest conuenienter intelligi, quia illis scribebat temporibus: quam intelligentiam proponit Trullenck *Dubio nuper citato* 2. *n.* 4. Cui illud videtur obstare, per singularem numerum designatum ab eo annum, dum *de præterito* ait, cùm pluralem adhibere debuisset, si iuxta sensum di-

P. Mendus.

ctum loqueretur. Sed id certè parui, aut nullius momenti est, quia de Bulla per plures annos concessa benè affirmari potuit fuisse anni præteriti, cùm reuera anni talis fuerit, si præsertim anno fuerit præterito & immediato concessa.

Nec ob eo ad tacta illi possunt ac commodari.

313. Deinde, etiam Bulla præteritorum annorum potuisset dici vsitatissima figura, à Grammaticæ præceptoribus Henallage compellata, iuxta quam passim numeri variantur. His addo rationem quam Nauarrus adducit de duratione gratiæ donec reuocetur, non posse Bullæ iuxta statum, quem modò habet, applicari, quia cùm sit illa annalis, nequit de illo dici debere durare, donec reuocetur, vel suspendatur, quandoquidem duratio illi determinata est anni vnius, in quo nec reuocari, nec suspendi potest, vt est receptissa Doctorum sententia. Anno ergo finito, sine reuocatione aut suspensione cessat, vt est manifestum, vnde in illam cadere ratio præfata nequit. Quod etiam constat ex ratione, quam Secundò efformat de effectu gratiæ subsecuto sublata suspensione; quæ neque casui præsenti est accommodabilis: siquidem accepta Bulla huius anni non tollitur suspensio Bullæ anni præcedentis, quia non erat suspensa, sed finitur: non ergo de illa videtur locutus. Quod & verba illa indicant: *& per posita in casu per posteriorem Bullam acceptam tollitur suspensio priorum &c.* Aliqua ergo in casu fuerant posita, quæ suspensionem arguerent, iuxta quæ prodijt resolutio, licet non fuerint ab eodem expressa, & ab ijs omissa, qui post eius mortem editioni secundæ nauarunt operam, in qua dictum Consilium adiectum, quod non erat in priore, licet etiam illa fuerit posthuma.

Pro eodem integrata probatio.

314. Præterea verba illa. *Quo ad illas Clausulas, quæ non sunt sublatæ per Bullam posteriorem*, nullo modo indicant posse hanc accipientem absolui à reseruatis virtute prioris, si Bullæ omnes similes sunt, vt iam eorum concessiones currunt: neque enim tales habent Clausulas priores Bullæ, quas in posterioribus sublatas inueniamus, nec gratia aliqua in illis concedjtur, quæ in posterioribus denegetur: ergo absolui à reseruatis poterit virtute illius iam ab eis per posteriorem semel absolutus, si hac non fuerit gratia anno præteritò vsus, quia clausula ad hoc pertinens non est sublata: legitima consequentia non est iuxta citati Doctoris mentem: nam eam negare potuit, quia interrogatio circa hoc non est directa, sed circa gratias & Indulgentias, quo nomine non venit potestas eligendi Confessarium ad specialem absolutionem, quæ nomine facultatis significatur in Bulla, in qua omnia illa conceduntur: & de illarum differentia dictum à nobis in *Thesauro Tit. 5. nu. 270. & 271.* Nam in electione iterata ad absolutionem dictam pro reseruatis in Bulla Cœnæ specialis difficultas est, & *Cap. si super gratia* adductum, de gratia concessa procedit, & ita pro gratijs tantùm videtur inductum, non pro ijs, in quibus specialis esse difficultas potest, & eo nomine non significantur, & addi regula satis nota potest, quòd in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset in specie verosimiliter concessurus: quia sic in casu præsenti videtur, vt scilicet Pontifex gratiarum & Indulgentiarum multiplicem lucrationem non ægrè concedat; qui tamen in concedenda facultate ad absolutionem dictam meritò esse difficilis possit, nec eam velle reualidationibus illis iterari.

Probabilitatem qui agnoscent.

315. Iuxta hæc ergo sententia dicta ab auctoritate Nauarri nequit probabilitatem adscíscere, si eam aliunde non habeat, cui tamen eam videtur adscribere Trullenck *Lib. 1. citato §. 7. Dub. 3. n. 3.* vbi sic ait: *Quid ergo faciat qui semel in vita absolutus fuit à Papa reseruatis, si intra annũ aliud ipse reseruatum committat? Respondeo, Accipiet secundam Bullam. Quid si etiã ratione secundæ Bullæ absolutus fuerit iterùm à reseruatis semel in vita intra annum, iã nõ poterit ratione primæ nec secundæ Bullæ amplius à Papa reseruatis absolui? Quid ergo erit remedij? Respondeo Primò posse vti Bullis præteritis, si fortè quoad absolutionem reseruatorũ illis vsus non fuerit, vt quidam existimant. Asserunt enim per Bullam præsentis anni reualidari Bullas annorum præteritorum; quod an verum sit infra §. 9. Dub. 2. examinabitur.* Sic ille, qui loco à se citato n. 2. sic ait: *Nihilominùs tamen contraria sententia verior est.* Et etiam citato à nobis nu. 4. post adductam Nauarri sententiam, & illius fundamenta secundum aliquorum intelligentiam, ita subdit: *Quam doctrinam, pace, tanti Doctoris, non existimo adeò veram. Primò, quia Bullæ priuilegia non sunt perpetua, eo quòd expressè in ipsa limitantur ad annum publicationum: tum etiam quia finito eo anno Bulla non suspenditur, sed omnino cassatur, & reuocatur, vt dictum est.* Hæc doctus Scriptor, agnoscens planè sententiæ dictæ probabilitatem, cùm eam in priori loco vti eam, quam quis possit sequi securè proponit; & in posteriori non adeò veram existimet, iudicans apertè non esse à veritate penitus alienam. A quo sentiendi modo non abit Fr. Emmanuel *citato loco.* Sicut etiam P. Palaus *Tomo 4. Tractatu de Bulla Cruciatæ, qui est 25. Quæst. vnica, Puncto 3. nu. 1. in principio,* vt citatur à Patre à S. Raymundo *nu. 96.* inter eos, qui suam & communem sententiam tenent, nec tamen contrariam improbabilem existimant, quod solus asserit P. Bardi. Sed quidem eo loco nihil circa præsentem difficultatem discutit; sed tantùm notissimam Bullæ Clausulam adducit de restrictione ad annum.

Trullenck.

P. Palaus.

P. Mendus negatiuam sententiam statuens parùm firmè vtitur ratione.

316. P. Mendus citata *Disput. 29.* post adductam *n. 15.* sententiam dictam, sic *n. seq.* subdit: *Hæc cogitatio sustineri nequit, & ideò pars negatiua est tenenda*: quibus præmissis pergit sententiam oppositam probans, & benè quidem, quamuis rationem illam addat, quæ non multùm videtur habere momenti, scilicet Bullam posteriorem nullum alium effectum habituram, nisi reualidationem, & ita in illa reualidationem solùm exprimendam, cùm nihil in ea concedatur, quod ex præcedentibus non habeatur. Dici enim potest habere peculiarem effectum dictum, vt scilicet pluries quis à reseruatis Papæ possit absolui, si eis vsus non fuerit circa prædictum beneficium, sicut etiam circa plenariam absolutionem. Quòd autem sola reualidatio non exprimatur, propterea accidere, quia res ista incerta est, nec debere formam concessionis immutari, quia pareret confusionem. In eo autem modo reijciendi sententiam dictam, quem dictus Pater exhibuit, satis apparet non fuisse ab eo improbabilem iudicatam, quia illo in sententiarum etiam satis probabilium desertione est solitus vsurpari.

P. Mendus

317. Dico

Assertio 1. sententiam affirmantem solido carere fundamento. Bulla Cruciatæ tenor.

317. Dico Primò. Sententia quæ Nauarro tribuitur, & est aliquorum, vt testantur Trullenck, Fr. Emmanuel, *suprà*, & P. Mendus. *n. 15.* solido caret fundamento, vt ex dictis videtur manifestum: pro quo & vrget irrefragabiliter Bullæ ipsius tenor, sic enim in Latina habetur: *Item declarant, quòd expirante anno, omnes supradictæ facultates, & gratiæ, & indulta expirent; tantumque poterunt causæ pendentes ad finem perduci,* Hæc ibi. Si ergo expirant cum expirante anno: ergo non suspenduntur, & ita nec reualidantur. Quemadmodùm expirat licentia à Prælato concessa vt quis possit à reseruatis absolui in Festo aliquo, vt solet in aliquibus Religionibus concedi. Et ita si in eo non est ea vsus, non dicitur reualidari quando in Festo alio similis facultas indulgetur: non enim esset reualidari, sed quasi à mortuis suscitari, si extincta vires nouas accipere diceretur. Et idem est de facultate ad exeundum hodie foras, quæ reualidari nequit si sit cum die ipso extincta, nec ad actum redacta: & ita si sequenti die similis petatur, non ideò licebit exitus duplicatus.

Meritò dici posse improbabilem ab intrinseco.

318. Dico Secundò. Sententia dicta meritò dici potest improbabilis ab intrinseco. Id constat supposita Assertionis præcedentis veritate, & illius irrefragabilibus fundamentis: si enim nullum pro ea solidum, id certè est nec verè probabilem pro se habere rationem: neque enim contra Textum expressum esse illa potest, vsu constantissimo comprobatum. Pro quo & addo Decretum S. Tribunalis Cruciatæ ante annos aliquot transmissum circa id, quod de Bullis acceptis post elapsos publicationis annos fieri deberet, ne vsu aliquo minùs decenti earum videatur sanctitati derogari. In eo enim manifestè supponitur elapsis publicationis annis nullius esse momenti in ordine ad effectus, pro quibus à Sede Apostolica conceduntur; aliàs seruari expediret, vt de ijs præscribitur, quæ durantibus publicationis spatijs conferuntur: quod quidem negari nequit iuxta mentem concedentium esse, quidquid de quæstionibus illis sit, quæ circa hoc à Doctoribus agitantur, quomodo scilicet seruari debeant, & an ex defectu circa hoc fructus earum amittatur.

& etiam absolutè.

319. Dico Tertiò. Sine scrupulo aliquo potest sententia dicta dici improbabilis, vt eam vocat P. Bardi, contra nitente Leandro vt *superiùs* vidimus. Quod probo. Quia stante improbabilitate ab intrinseco, vt iam vidimus, restare solùm videtur extrinseca, quæ valde exigua est. Nauarrus enim eam non tenuit, vt ostendimus, alij parùm eidem circa hoc suffragantur, neque apertè mentem suam aperiunt, si vnum Leandrum excipias, qui auctoritati Nauarri multùm in hac parte detulit, dum eius non curauit mentem explorare, vnde integer testis non videtur: sicut & Pater à S. Raymundo Leandrum secutus, & Nauarro, sicut ille, totus armatus, vt modo loquendi vtar Tertulliani; nihil addens quod momenti alicuius sit, quod cum bona ipsius venia dictum esto, qui opinionem Bordoni de duplicato stipendio pro vna Missa dicta in Altari priuilegiato pro anima Purgatorij liberanda, eius non obstante auctoritate improbabilem ab intrinseco censet, & minimè tutam in praxi. *Tomo 2. Tract.* 3. *n. 57. & 58.* & licet probabilem ab intrinseco dicat ob Scriptoris dicti auctoritatem, id non tollit quominus absolutè improbabilis sit dicenda, quia si talis non esset, in praxi posset iuxta illam operari; quod cùm neget, absolutè improbabilem profitetur. Et dicere probabilem esse ab extrinseco ob auctoritatem dictam, est nihil dicere, sed tantùm eum doctum scriptorem amplecti, quod & si non diceret, res ipsa id, quod est obuium oculis, loqueretur.

sententiam, quæ probabilitatem attribuit, non esse probabilem.

320. Dico Quartò. Eodem modo potest dici sententiam asserentem esse probabilem opinionem dictam, non esse probabilem. Supponit Assertio ista circa probabilitatem ipsam esse diuersas posse sententias, dum alij dicunt probabilem esse illam, alij improbabilem, licet priores eam absolutè non tueantur. P. Leander affirmat Bullam anni præcedentis minimè reualidari quoad effectus dictos; asserit tamen oppositum esse probabile. Sicut Pater à S. Raymundo, de qua sententia, an probabilis sit potest esse quæstio, sicut in multis alijs materijs accidit. Dico ergo eorum sententiam, sine scrupulo improbabilem dici posse, & probo: Quia asserens aliquid quod solido fundamento caret, improbabiliter procedit, vt nuper circa sententiam à nobis impugnatam dicebamus: ergo similiter si circa probabilitatem idem accidat, idem est consequenter asserendum. Discursus est euidens. Tunc sic. In casu nostro sententia affirmans non est probabilis, iuxta dicta: ergo neque probabiliter procedit qui eam iudicat & asserit esse probabilem. Si dicas posse Auctores probabilitatem asserentes fundari in aliquo non leui fundamento, in eo scilicet quòd eam sententiam tenentes sint viri tantæ auctoritatis, vt eis possit meritò ea in parte deferri: Contra hoc est id quod iam Assertione præcedenti diximus. Potest quidem aliquando assertioni, & auctoritati Scriptoris multùm tribui, quando eius sententiæ fundamentum ignoratur: si verò illud sit manifestum, & constat esse leuiusculum, ad rationem totum auctoritatis momentum reuocatur. Ibi enim probabilitas ex Auctoris auctoritate deducitur, quia non est credendum grauem, & non vulgaris litteraturæ magistrum leuibus rationibus ad aliquid, quod singulare appareat, permoueri: quæ ratio cessat quando fundamentum innotescit. Si prætereà dicas in eo fundamento posse Auctorem plus videre quàm alij deprehendant, & non leuis momenti sit. Id certè non vrget, quia plus id, quod vidit, explicare debuisset; dum autem non explicat, magis debet multorum oculorum testimonio, quàm vnius aut alterius credi. Sicut in visu materiali accidit: qui enim melius videt, ideò id habere potest, quia perfectiori actu; sed non ideò plus videt, vnde in eo par est ceteris, qui non ita nobili actu potiuntur, & ita non plus ei creditur, quàm illis absolutè quidem videntibus, sed non ita perfectè. Potest item meliùs, quia plus; vnde & dicere potest se tale ac tale videre: aut ratione maioris lucis, aut alterius adiumenti. In Auctoribus ergo maius ingenij acumen secundùm se nequit quoad nos esse perspectum, & solùm per effectus redditur manifestum: quod numquàm accidit, nisi quia plures & meliores rationes ad sententias suas firmandas exhibent; quod dum

Euationi cuidam obiectum.

Alteri item, pro quo aptum exemplum.

non

non faciunt, cessat præstantioris ingenij argumentum, & non extat vnde Scriptoribus alijs aliter sentientibus debeat anteferri : nisi fortè eximiæ sapientiæ sit, vt dictum *suprà*. In quo quidem Nauarrus excelluit, vt videri potest in Præfatione Consiliorum primæ editionis, in qua excusatio habetur breuitatis aliquorum ex ipsis, in quibus nulla ferè resolutio legitur, sine iuridicis firmamentis. Et ex eo accidisse dicitur quòd consulentes ipsum solo erant eius iudicio contenti, & cùm circa propositum dubium eiusdem illis sententia innotuisset, nihil ampliùs requirebant. Tanta erat de illius sapientia opinio generaliter præconcepta.

Nauarri *elogium.*

SECTIO XVI.

Circa potestatem Prælatorum Regularium pro absoluendis subditis à crimine hæresis. De quo in Thesauro Indico. Tit. 12 n. 323. & 328. vbi quid circa Indias peculiare.

321. POst ibi dicta nonnulli peruisi Scriptores, qui recentes cùm sint, eorum haberi copia non potuit ; seriùs enim ad nos vt veniant marium immensa intercapedo compellit. Ex ijs sunt Pater Ludouicus à S. Raymundo, qui *Tract. 2. Resolut. 13.* difficultatem proponit & discutit. Et Amadæus Guimenius *Propos. 2. ex Tractatu de Fide* occasione huius Propositionis in P. Suario à nescio quo Scriptore maleuolo condemnatæ : *Prælati Regulares validè & licitè possunt sibi subditos absoluere à peccato hæresis, & ab excommunicatione propter illud incursa. Suarez. Iesuita Tomo 4. de Religione Tract. 9. Lib. 9. Cap. 2. n. 11. Sic ibi.* In quo citato errat, nam Tractatus 9. dicti Tomi non habet librum. 9. quem solus habet Tractatus 10. in cuius *Capitis 2. n. 11.* nihil tale habetur : sed *n. 16. & 17.* proponit & explicat priuilegia circa absolutionem ab hæresi Societati concessa à Paulo Tertio, Iulio Tertio, & Gregorio XIII. qui Hispaniam excepit, nec de peculiari facultate absoluendi subditos verbum vllum : quamuis consequens videatur, vt si absoluere alios Prælati possunt, etiam ad subditos eadem debeat extendi facultas. Eodem *Tomo Tract. 9. Lib. 2. Cap. 21. n. 11.* ad quem locum citatio forsitan allusit, sic ille scribit, probans concessiones Pontificum in ordine ad absoluendum à casibus in Bulla Cœnæ contentis extendi ad Censuras contractas spe & fiducia priuilegiorum : *Tertiò, quia grauius est crimen hæresis, & præsertim cum relapsu, quàm peccatum aliud commissum etiam cum illa circumstantia fiduciæ priuilegiorum : ergo si facultates extenduntur ad hæresim, cur non etiam ad illam prauam fiduciam, cùm non excipiatur.* Sic ibi, cum allusione ad priuilegium Gregorij XIII. de quo ab eo dictum. *n. 2.* Ille enim Societati concessit id, quod & Nos diximus, & exposuimus *citato n. 323. Thesauri*, & quia illud ad alias extendi Religiones potest habentes priuilegium communicationis, quomodo id intelligendum. *num. seq.* declara-

Propositio circa absolutionem dictam falso P. Suario. *adscripta, & quid reuera senserit.*

P Suarez.

Priuilegium Greg. XIII.

uimus. An autem modò id liceat, videndum statim. Et quidem si non licet, propter prohibitiones peculiares id accidet, quæ P. Suarij fuerunt elucubratione citata posteriores. Scribebat enim sub Clemente VIII. vt constat ex dictis ab ipso Patre *n. 5. citato Capitat. 21.*

322. Iam circa difficultatem propositam sententiarum varietate certatur. *1 Sententia absolutè negans, & illius fundamenta.*

Prima absolutè negat, pro qua citatus Pater à S. Raymundo adducit P. Thoman Sanctum *Lib. 2. Summa. Cap. 11. n. 7.* pro ea referentem Rodericum P. Auilam, & Vegam, & præterea Santarellum, Megalam, Ascanium Tamburinum, Dianam, P. Castro Palaum, & P. Fagundez. Sic *n. 145.* Fundamenta sunt. *Primò.* Quia tale quid erga subditos non licet Episcopis, reuocata iam per Bullam Cœnæ facultate, quæ illis fuerat à Concilio Tridentino concessa *Sessione 24. Cap. 6. de Reformatione*, vt tenent multi, quos citatus Auctor congerit. *n. 146.* de quo & Nos in Thesauro, *n. 136. Secundò.* Quia licet hoc concedatur Episcopis, non ideò est Prælatis Regularibus concedendum, quia Episcopi sunt Inquisitores Ordinarij, quod dicti Prælati non habent respectu subditorum, licet habeant iurisdictionem quasi Episcopalem. Præterea, potestas absoluendi ab hæresi fuerat sublata Episcopis, & per Concilium Tridentinum restituta, & negata eorum Vicarijs, licet habeant iurisdictionem Ordinariam, vbi de Prælatis Regularibus mentio nulla, aut verbum ex quo possit colligi quoad hoc Episcopis exæquari, & illis esse facultatem dictam, si qui eam habuerint, restitutam. Tandem, quia extat Decretum Vrbani VIII. *die 7. Nouemb. An. 1628.* id expressè Prælatis prohibentis.

323. Secunda affirmat de absolutione in foro conscientiæ, non obstante Bulla Cœnæ, pro qua citatus Pater à S. Raymundo patronos producit P. Fagundez, P. Granadum, Ioannem Gutierrez, Eligium Bassæum. Et Leandrum à SS. Sacram. *n. 148.* quæ probatur *Primò*, quia Episcopi possunt, pro quo à Nobis adducti complures & grauissimi Scriptores citato loco *Thesauri. n. 337.* Prælati autem habent iurisdictionem quasi Episcopalem. *Secundò*, quia pro eo extant priuilegia, præsertim Societati concessa, de quibus nuper. *Tertiò*, quia ex concessione Pij V. habent illi omnem facultatem absoluendi erga suos subditos, quam habent Episcopi, ex priuilegio concesso PP. Dominicanis, quod extat in *Bullario Emmanuelis fol. 590.* & per communicationem fit proprium illam habentibus, vt ferè omnes habent. Et extenditur illud etiam ad dispensationes. *Quartò*, quia in Iubileo non exprimitur hæresis : & tamen probabile est ab ea posse absolui, quia absolutio conceditur à casibus reseruatis, & in Bulla Cœnæ contentis : ergo cùm Prælati Regulares similem circa casus dictos potestatem habeant, ad hæresim etiam extendi probabiliter poterit. Antecedens admittunt graues Scriptores, & consequentia videtur legitima. Sic arguit Leander, pro se adducens Portel, Dianam, & P. Suarium. Pro quo & Amadæus allegat Magistrum Acatium de Velasco Episcopum Oriolensem dicentem id posse Prælatos, etiam si Episcopi id non possint, virtute priuilegij Pij V. iam citati cum Megala & Portel. Item Mag. Delgadillo

2. Affirmans in foro conscientiæ non obstante Bulla Cœnæ.

Prob. prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quis auctor eidem.

dillo ex Ordine Minorum, qui Declarationem Cardinalium (sic ille vocat Decretum dictum Vrbani VIII. quia à Sacra Congregatione Episcoporum ac Regularium prodijt, sed Pontificia auctoritate suffultum) ait esse magnæ auctoritatis, non tamen sufficere ad tollendam probabilitatem sententiæ, quam tot Auctores grauissimi docent, & Ecclesia non prohibet. Illustrissimus autem Acatius illius non intulit mentionem, cùm tamen eam constet agnouisse. Citat etiam Amadæus Mag. Antonium de Inojosa Dominicanum, & alios, qui licet non ita vt ille expresè teneant, videntur fauere, & nonnullos etiam apertiùs suffragantes, quos citati referunt. His accedit Bruno Classaing *de Priuilegijs Regularium Tract. 3. Cap. 3. Propos. 1.* praxi in contrarium Hispaniæ & Italiæ laudata, quam iure aliquo Pontificio introductam existimat, quod ad se non peruenisse pronuntiat.

Decreto Vrban. VIII non obstante.

3 Affirmat de hæresi occulta, etiamsi quam talis agit.

324. Tertia cum distinctione procedit, asserit enim quòd si hæresis exterior sit occulta, prout occultum distinguitur contra manifestum, notorium & famosum, & est probabilis in foro contentioso per duos vel tres testes, licet ad forum contentiosum non sit deducta, non posse absolui à Prælatis Regularibus, quia neque ab Episcopis, neque virtute priuilegiorum, sed id ad Sanctum Inquisitionis Tribunal pertinere. Si autem quis sensibili signo hæresim mentalem exprimat, si se solo id fecit, posse à suo Episcopo, si sæcularis sit; & à Prælato suo, si Regularis, à peccato & censura absolui ; immò etiamsi id faciat coràm vno teste. Sic Ioannes Gutierrez, Sousa, Nicolaus Garcia, & Thomas Hurtadus, apud citatum Patrem à S. Raymundo. *n. 152.* Prior huius sententiæ pars probatur fundamentis Primæ, & quia cùm sit dispensatio in iure communi, strictè est interpretanda, & ita occultum accipiendum, non prout opponitur notorio, sed probabili modo dicto. Secunda autem, quia cùm prohibitio sit odiosa quatenus Episcopis & Prælatis confert potestatem, quæ eisdem per Concilium & priuilegia conueniebat, non sufficiunt verba generalia, qualia in Bulla Cœnæ extant, sed magis specialibus opus est, & ita fauorabili locus relinquitur expositioni, & occultum id tantùm habendum, quod probari per testes nequit in foro contentioso. Et hanc sententiam tenet citatus Pater à S. Raymundo. *n. 156.* vbi ait secundam sententiam esse valde probabilem ; primam autem probabiliorem, adiuncta Tertiæ explicatione, quia securior & tutior.

P. Ludouicus à S. Raymundo

Assertio 1. Affirmans probabiliter de Episcopis.

325. Dico Primò. Episcopi iuxta concessionem Concilij Tridentini, & seruata illius forma, possunt subditos ab hæresi occulta absoluere, secundum probabiles occulti explicationes. Pro quo quamplures adduxi in Thesauro. *n. 337. iam citato.* Nec suum penitus Assertioni pondus extenuat quòd à SS. Alexandro non videatur approbata in Decreto proscriptarum Propositionum. §. 3. vbi sic habetur : *Sententia asserens Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de criminibus occultis sermo est. An. 1629. 18. Iuly in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa & tolerata est.* Ibi enim circa sententiam

Propositio damnata ab Alex. 7. nihil contrarium continet.

ipsam nihil decernitur, sed vti scandalosum refellitur asserere sententiam dictam fuisse visam & toleratam ; quia reuera non sine graui scandalo stare potest id Sacræ Congregationi Eminentissimorum Cardinalium attribui, quod est à veritate penitus alienum, & ita est falsum testimonium proferre in re grauissima, & contra grauissimos Catholicæ Ecclesiæ senatores. Habet autem illud Bassæus *verb. Hæresis n. 18.* vir quidem pijssimus, & Religiosissimus, sed in eo deceptus, dum ita scriptũ in aliquo non digno fide scriptore deprehendit. Ex quo & errorem hausit Thomas Hurtadus *Tomo 1. Tract. 5. n. 152. & Tomo 2. n. 1015.* Inde citatam sententiam valde probabilem priori loco, sed in posteriori minimè in praxi probabilem arbitratus. Tantumque abest vt in Consistorio dicto sententia ista visa & tolerata fuerit, quòd oppositum multi & graues scriptores fuerint attestati, scilicet Gregorium XIII. ita declarasse, fuisseque in supremo generali Prætorio pronuntiatum, & non semel decisum. Sic Barbosa *Parte 2. de potestate Episcopi. Allegat. 40. n. 24. & in Collectaneis ad citatum Caput Tridentini n. 52.* ad quem se refert post tredecim alios id, quod diximus, attestatos, & innumeros sententiam præfatam complectentes viginti tribus statim tenentibus oppositam allegatis.

Apud Bassæum *illa, sed deceptum.*

Barbosa.

2. Affirmans etiam de Prælatis extra Hispaniam non videtur reprobata.

326. Dico Secundò. Sententia asserens posse Prælatos absoluere subditos extra Hispaniam ab hæresi occulta, non videtur penitus reprobata. Id tenent citati pro secunda sententia, & Bruno, vt vidimus, non solam Hispaniam, sed Italiam excepit, iuxta quod etiam procedit assertio, vel si quod aliud sit aut Regnum, aut Prouincia, simili gaudens cautione. Et probari ex eo potest quòd in Decreto citato de damnatis Propositionibus habetur, dum post adductam Propositionem sic dicitur : *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absoluere quoscumque Sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursa.* Vbi quidem si circa absolutionem subditorum Regularium quidquam esset damnatione dignum, id explicandi locus erat satis opportunus : postquàm scilicet de Episcopis actum. & de Prælatis circa sæcularium absolutionem, id, quod vidimus, exaratum. Sicut ergo circa Episcopos non est damnata sententia, de qua ibi, ita de Prælatis videtur factum, ne sententia tot habens egregios defensores, damnationis adeò seueræ iaculo feriatur.

Alia etiam damnata sententia, ex quo probatio.

Quæ non elicitur ex reprobatione iam facta ab Vrbano, & Paulo V.

327. Dici potest nihil circa sententiam dictam dispositum, quia iam illa est Vrbani VIII. Decreto probata. Immò & ante illum idem Paulus V. suo Decreto sanciuit, de quo & Nos *in Thesauro Tomo 2. in Additionibus. n. 125.* Sed contra hoc est ; Nam id rectè staret, si non essent qui post Constitutiones dictas vt vidimus censuissent ; cùm ergo sint, eorum debuit audacia cohiberi. Quemadmodùm licet aliquæ sententiæ circa duplicatum stipendium pro Missa satis videbantur Vrbani eiusdem Decreto reprobatæ, à *SS.* tamen Alexandro damnatæ sunt, vt constat ex Decreto citato, ne scilicet per conniuentiam tales doctrinæ indies inualescant. Immò aliqua ex illis à *SS.* Alexandro expuncta fuerat, illa scilicet de stipendio pro applicatione fructus specialis ; nec tamen eo contentus, ipsam inter damnatas attexuit,

xuit, censura illi inflicta, à qua fuerat in Decreto priore immunis, vt superiùs adnotauimus.

Quomodo explicari illorum Decreta possint.

328. Videtur ergo iuxta hæc locum esse expositioni Decreti Vrbani, & consequenter Pauli V. Constitutioni, ex quibus illud suo cum tenore apud Dianam extat *Parte* 8. *Tract.* 7. *Resol.* 50. vt scilicet intelligi debeant de ijs, quæ omnino occulta non sunt, vt est id, cuius testis est nullus, & ita penitus improbabile, de quo dictum *in Additionibus præfatis ad Titulum* 12. *n.* 38. *& seqq.* Quando enim vel vnus est testis, ad denuntiationem adstringitur, cuius oppositum in præfato SS. Alexandri Decreto damnatur: sic enim habet Propositio 5. *Quamuis euidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denuntiare, si probare non possis.* Cùm ergo vni testi constare possit aliquem esse hæreticum ex dictis eius aut factis, licet probare nequeat, tenetur denuntiare. Quod quidem ex eo videtur sustineri posse, quia, sunt scriptores, qui, vt vidimus, plus hac in parte concedant post Decretum vtriusque Pontificis, vnde mitissima hæc expositio plus debet admitti vt aliquomodo defendatur non esse penitus iuxta mentem SS. Alexandri reprobatam sententiam, quæ circa in Prælatis agnoscit facultatem. Quæ exponendi ratio commodior est quàm ea, quæ à Magistro Delgadillo adhibetur, vt vidimus. *n.* 323. qui postremis illis verbis, *& Ecclesia non prohibet*, se manifestè transfigit: Ecclesia enim prohibet in Decretis prædictis, dum Ecclesiæ Caput, Pontificem inquam constat prohibere. Sic enim Vrbanus ibi: *Quam Sacra Congregationis sententiam Sanctitas sua ad se relatam approbauit, mandauitque ab omnibus, ad quos pertinet, inuiolabiliter obseruari. Romæ.* 11. *Nouemb.* 1628.

Propositio damnata.

Licet vnus sit tantùm testis, tenetur denuntiare.

P. Delgadillo explicatio neutiquam admittenda.

Vrbani VIII. *Decretum.*

329. Dico Tertiò. Id quod à Nobis dictum in *Thesauro cit. n.* 333. *&* 334. circa vsum priuilegij Societatis, iuxta nuper propositam exponendi rationem potest locum habere: quod enim in *Compendio* habetur *verb. Absolutio.* §. 8. non videtur iam licere: posita enim facultate absoluendi etiam relapsos, sic additur: *Dummodò talium relapsorum crimina publica & notoria apud Sæculares non sint, vt ex hoc scandalum oriri possit.* Sic ibi. Quod si sustineri posset, à crimine hæresis & apostasiæ, de quibus ibi, absolui possent, etiam si inter Religiosos essent publica: quod constat esse prorsus falsum: vnde in agentes eo modo Tribunal S. Inquisitionis seuera animaduersione procederet; cùm constet neque in minùs notis id solitum tolerare.

Obiectio proposita & soluta.

330. Si obijcias id, quod à Nobis est dudùm pro Assertione secunda propositum ex damnatione Propositionis. 4. *SS.* Alexandri, quæ statuit posse Prælatos Regulares absoluere sæculares hæreticos. Ex eo siquidem deducimus plus aliquid pro subditis debere concedi: quod tamen non videtur ita esse, iuxta dicta posse; quia ad absoluendum ab hæresi prorsus occulta non videtur sublata facultas, quandoquidem Decretum Vrbani generaliter loquitur, & expositio etiam generalis locum habere debet, vt detur locus priuilegio Pauli Tertij, de quo in *Compendio. verb. Absolutio.* §. 6. iuxta quod absolui sæculares possunt ab hæresi, dummodò relapsus non sit; & etiam opinioni eorum, qui tales dicunt non esse generali Ecclesiæ Canone comprehensos. *Si* inquam ita obijcias, negatione eius quod assumitur, res plana relinquitur: nego enim sæcularem absolui posse ab hæresi occulta modo dicto. Neque Decretum Vrbani talem admittit expositionem, cùm debeat illud Decreto *SS.* Alexandri esse conforme: ex quo duo habemus, scilicet aliquam inter Religiosos & sæculares differentiam extare; & præterea eum, qui scit alium aliquem esse hæreticum, debere denuntiare ipsum, etiamsi id probare nequeat, quod est necessariò ad Religiosos extendendum, cùm non inueniantur excepti: vnde solùm pro his relinquitur indulgentia illa, si ab omninò occultis possint absolui. Nec priuilegium Pauli Tertij de absolutione quorumcumquè sæcularium agit, sed eorum, qui volunt ingredi societatem, vt ex tenore concessionis constat: vnde si à proposito deflectant, in præcedentes pœnas relabuntur, vt ibidem declaratur.

Priuilegium Pauli Tertij quam habeat limitationem.

331. Dico Quartò. Iuxta dicta pro Assertione præcedentis nulla ex prædictis sententijs est generaliter admittenda. Non prima, quia, vt vidimus, ab aliqua occulta hæresi possunt subditos Prælati Regulares absoluere. Non secunda id cum nimia affirmans laxitate, & contra quam est damnatio Propositionis Quintæ: si enim sciens aliquem hæreticum, etiamsi occultus sit, denuntiare illum tenetur: ergo ille in casum incidit in Bulla Cœnæ reseruatum: si enim talis non esset, neque negatio itidem denuntiationis vrgeret. Non Tertia, quia intra illam occulti strictam intelligentiam sua etiam est laxitas ab Vrbano, & Alexandro reprobata. Nec propterea sententia, quam proponimus, vti singularis improbanda, quia est Decretis dictis conformis, & posterior; & posterioris, Alexandri inquam, nouitas, ad nouam tenendam sentiendi rationem, sua, hoc est, summa, auctoritate compellit. Circa quæ ea in genua subiectione erga ipsum, successoresque in Pontificio throno procedo, quam in *Thesauro*, dum de his agerem in Additionibus iam dictis protestatus. vide. *n.* 48.

Nullam præfatis sententijs esse generaliter admittendam.

Circa Indos quid, commune cum alijs, & quid speciale.

332. Dico Quintò. In Indijs si quod extat priuilegium pro absolutione dicta, licitus erit illius vsus, quia talia non videntur adductis reuocationibus comprehensa, vt in Thesauro dictum *citato Titulo* 12. *à n.* 303. quod ad Indos attinet; quo ad alios autem non item, nisi cum limitatione subiuncta. Quod autem attinet ad damnatas Propositiones, omnino est obseruandum, quia pro eo nullus est locus exceptioni relictus: vnde Prælati nequeunt absoluere sæculares quoscumque, quia licet Indos possint, non tamen Europæos, nisi vbi Inquisitio non est, pro quo specialiter. *n.* 311. *& seqq.* Tenetur etiam denuntiare qui hæreticum aliquem esse cognoscit, licet probare nequeat. Id quod & respectu Indorum videtur obseruandum; sed non est necessarium vt id DD. Inquisitoribus fiat, sed ijs, qui remedium possunt adhibere, vt Episcopis, Parochis, Vicarijs, Visitatoribus; valde enim timeri ab huiusmodi sic errantibus potest, quia iuxta Apostolum 2. *Tim.* 2. *v.* 17. *Sermo eorum vt cancer serpit.* Et Indi, ad quos malum illud promanare potest, genio sunt ad peruersionem incurrendam perfacili. Respectu verò aliorum, vbi Inquisitio non est, quod est

2. *Tim.* 2. *v.* 17.

iam non frequens, idem præstandum, vt scilicet ad eos denuntiatio dirigatur, qui occurrere malo possunt, & pesti adeo periculosæ remedium præsentissimum applicare. Si Episcopus sit, ille est ordinarius Inquisitor: si non adsit, ad alios accurrendum Ecclesiasticos Pastores, qui si & desint, remedio Euangelicæ correctionis vtendum, & Deo res solicitè commendanda, ne lupus inter oues degens, non solùm dispergat, sed & mactet & perdat. In quo & per Epistolas agendum, si commodè possit, quia denuntiatio non ad solam verbalem testificationem arctatur. Prudentis autem iudicis erit dispicere quid tunc sit faciendum, vno tantùm extante teste, & deficiente probatione, ac reo in longinquo agente.

2. Sententia affirmans præcedentia tamquam non adeò dicenda valdè probabilia. Diana.

333. Dico Sextò. Sententia absolutè affirmans cum ea, quam vidimus, occulti laxitate, non est dicenda valdè probabilis, vt eam vocat Pater à S. Raymundo secutus in eo Thomam Hurtadum *Tomo* 1. *Tractat.* 5. *num.* 152. Sat certè erit illi: si aliqualiter probabilis sit, quam Diana *citata Resolut.* 50. prorsus refellendam esse affirmat, nec in praxi admittendam, vtpotè de directo pugnantem contra declarationem & mentem Pontificis. Quem Auctoris huius sensum videtur Amadæus approbare *num.* 2. *citatæ Propos.* 2. & ille quidem secus senserat alibi, præsertim *Parte* 4. *Tractat.* 2. *Resolut.* 5. vbi Thomas Hurtadus *num.* 156. ait omnino falli, dum dicit, quòd occultum in præsenti sumitur prout distinguitur contra notorium, publicum & famosum: quamuis enim hoc sit verum, in casibus non reseruatis, & in casibus reseruatis à iure communi, verum esse nequit, quia potestas ad absoluendum ab his, alijs concessa, restringenda est, vtpote contra ius commune: licet enim sit concessa dignitati, & ita sit ordinaria aliquo modo quia perpetua, tamen restricta. Sic ille loquitur, sed Dianæ id, quod ab eo non est dictum, imponens: vnde & omnino falli de eodem potest non immeritò pronuntiari. De differentia illa occulti nec verbum apud ipsum *loco illo*. In quo tamen affirmat sibi certum esse facultatem dictam Prælatis competere ob priuilegia quæ adducit: quod quidem nescio quomodo ab eo dici potuerit, qui tot locis adducto Vrbani Decreto, & Pauli V. Constitutione, oppositum vti certum & irrefragabile, pro eo pariter quamplurimis Auctoribus allegatis, proclamarat, Prælatos ab vsu contrariæ sententiæ comminatione S. Inquisitionis absterrens, & non esse etiam de hoc dubitandum inculcans. Sic *Parte* 1. *Tractatu* 5, *Resolut.* 6. *Parte* 3. *Tractat.* 2. *Resolut.* 122. *Parte* 6. *Tractat.* 6. *Resolut.* 54. *& Tractat.* 7. *Resolut.* 67. An Decreti oblitus, cuius nec meminit? Quis hoc credat? Dicit tamen, sed quod minùs considerate dixit, saniore cogitatione adhibita retractauit. Id nobis satis, quibus & de his satis.

Thomas Hurtadus.

Dianæ id, quod non est apud ipsum imponit.

Dianæ in assertis, compugantia.

PARS TERTIA.

Videtur hoc loco opportuna partitio, licet enim præcedens Pars prioris molem non æquâuit, plures tamen in illa fuere Sectiones, & grauissimæ difficultates ventilatæ. Sit ergo pro Tertia.

SECTIO PRIMA.

De Nouitia, quæ instante Professionis tempore, deprehensa est non baptizata ex valde probabili fundamento. Vbi vtiles pro Nouitiatus valore doctrinæ, & opportuna alia.

Baptizandus sub conditione dubitans, & etiã habens assensum probabilem.

1. SIc sanè accidit. In quo illud extra dubium est, debere scilicet talem sub conditione baptizari: & secretò quidem, quia res non erat comperta, quod & ita factum: in quo conueniunt Doctores: ex quorum mente id proponit Diana *Parte* 10. *Tract.* 16. *Resolut.* 19. & est Sacris Canonibus definitum, vt videri potest apud P. Suarium *Tomo* 3. *in* 3. *P. Disput.* 22. *Sect.* 2. §. *Sed quæres, & seqq.* Quod quidem non tantùm vrget quando ex vtrâque parte sunt rationes probabiles, ita vt nequeat pro earum aliqua determinatum formari iudicium: quo euentu res intra statum veri dubij relinquitur: sed etiam quando determinatus assensus pro suscepto Baptismo habetur; quia & tunc etiam res est incerta, nec debet negotium æternæ salutis, & in quo de illius præcipuo fundamento agitur, periculo perpetuæ illius amissionis exponi. Et in hoc sensu loquuntur Doctores, vt videri P. Suarez. apud citatum Dianam potest; licet P. Suarez eum sensum non exprimat, sed tantùm de dubio loquatur in priori acceptione, quando scilicet pro vtrâque parte sunt apparentes coniecturæ, eius tamen mens pro opinabili est etiam iudicio manifesta, quia moralem certitudinem necessariam esse dicit omne excludentem dubium: quod quidem in assensu probabili, immò & probabiliore, constat minimè reperiri. Pro quo & expressius ille *Tomo citato Disput.* 16. *Sect.* 2. §. *Secundò colligitur & seqq.* Et ita alij etiam loquuntur.

Idem est cùm de Baptismi valore dubitatur, licet non ita certum.

2. Aduertit autem P. Vasquez *Tomo* 2. *in* 3. *p. Disput.* 146. §. *Posterior verò*, quòd quando circa Baptismum opinio probabilis versatur, quia videlicet de susceptо constat, non tamen de vera illius materia & forma, circa quam esse probabiles opiniones possunt, tunc non esse definitum ab Ecclesia iterandum esse illum sub conditione; licet ipse censeat non solùm posse, sed debere. Et quamuis Scholastici hoc expresè non dixerint, ex sententia tamen non paucorum id sequi. Cuius ratio est iam adducta; quia aliàs salus sic baptizati periclitaretur, si fortè opinio illa, quam Baptismi minister est secutus, non esset vera. Et mirum quidem est non fuisse locutum ipsum de eo, qui probabiliter iudicat se non esse baptizatum, sed de eo tantùm, qui dubitat, eo quòd pro vtraque parte rationes occurrant, sed non tales quæ mouere ad determinatum assensum possint, de quo esse de fide ait debere conditione adhibita baptizari. Quid autem de alio dicendum satis ex illo colligitur, quia iuxta ipsum, quando circa Baptismum ea fuit probabilitas, de qua dictum, omninò certum est debere sub conditione Baptismum repeti, est autem ratio eadem quando absolutè circa susceptionem probabilis versatur assensus, quia idem inconueniens sequeretur, quod ipse in alio casu recognoscit: *Nam cùm sint probabiles opiniones, & fortassis eorum opinio, qui* P. Vasquez. *dicunt tale aut tale Sacramentum ratum aut firmum, esset falsa; talis baptizatus eo modo reipsa remedio careret suæ salutis, vt ille loquitur cit.* §. *Posterior verò.*

3. Pro quo & fuit id quod habet. *n.* 19. vbi adducta Alexandri Decretali eo nomine Tertij, *in Cap. De quibus*, de Baptismo, definientis dubium de illo baptizari sub conditione debere, *Cap. de quibus.* quam adducit D. Thomas 3. *p. q.* 66. *arti.* 9. *ad* 4. D. Thom. ita subdit: *& quamuis Pontifex in eo Capite non loquatur de iterando Baptismo, quando dubium est, an Baptismus collatus alicui verus fuerit. sed quando* P. Vasquez. *est dubium an quis baptizatus fuerit, eadem tamen vtriusque dubij ratio est*, atque adeò eodem modo *Roboratur explicata* iterari posset Baptismus, si tale dubium hac po- *Alex. Tert.* steriore ratione contingeret. Neque solùm definit Pontifex posse in eo casu iterari Baptismum, sed etiam formam tradit, sub qua iterandum sit &c. Sicut ergo de dubio agendo eadem est in vtrôque ratio; ita & de opinione, quia nulla ratio discriminis adduci potest, quæ momenti sit alicuius. In casu ergo de quo loquimur, quoad obligationem suscipiendi Baptismum sub conditione dubitari nequit, siue dubium fuerit vno, siue alio modo; nam etiam stante opinione probabili res dubia relinquitur, *vt superiùs* est ostensum: vnde & Doctores cùm quæstiones probabiles agitant, nomine dubiorum eas solent explicare, dubiumque solent diuidere in negativum & positivum, in hoc vltimo membro opinabilia fundamenta ad assensum includentes, vt in præsenti materia Cardinalis Lugo *Tomo* 1. *de Sacra-* Cardinalis *mentis Disput.* 8. *n.* 139. Quoad alia verò diuersi- Lugo. tas dicta in considerationem venire potest, vt in decursu constabit.

Circacasum quæ dubiũ occurrit.

4. Hac ergo firma assertione suppositа, circa casum dictum hæc occurrere possunt. *Primò* an susceptо Baptismo possit in Professione procedi, ac si susceptus minimè fuisset, cùm iam de illius susceptione constaret. *Secundò*, stante obligatione

tione iterati Nouitiatus, sub prætextu aliquo, vt Nouitiæ bono nomini consulatur, an iterata etiam receptio necessaria sit, novusque non solùm Prælatorum, sed Monialium consensus. Tertiò, quid circa hoc conferre possit probabilitas, si fortè illa in Nouitiæ persuasione inueniatur. Pro quibus.

Assertio 1. Susceptus Baptismus nequit Nouitia in Professione recidere. de dubium Nouitiatum.

Dico Primò. Stante dubio circa Baptismum, & eo suscepto in casu dicto sub conditione, nequit in Professione procedi. Id constat, quia Professio erit dubia, & manifestum est obligari eum, qui profiteri vult, ad non emittendam dubiam Professionem, sicut contrahens quilibet obligatur ad non faciendum dubium contractum, etiam si liberè, & omninò spontaneè velit contrahere: Atqui in casu dicto dubia esset: nequit ergo in illa procedi. De Maiori constat, & Minor ostenditur, quia tunc Professio est dubia, quando est dubius Nouitiatus: sic in præsenti accidit: ergo esset dubia. Maior est certa, quia Professio à Nouitiatu dependet, & est essentiale requisitum, sublatis priuilegijs, ex dispositione Concilij Tridentini *Sessione* 23. *Cap.* 13. *de Regularibus*, & antiquiorum etiam Canonum, quidquid de temporis spatio sit, aut de potestate illi renuntiandi, de quibus in præsenti non agimus: vnde ex illius defectu irrita Professio redditur, vt ex citato Capite Tridentini constat. Atqui id quod vt substantiale requisitum exigitur, si dubium sit, id quod ad illud consequitur, dubium etiam reddit, quia supra dubium fundamentum nequit certa & omninò secura structura consurgere, vt est planum; ergo dubia erit Professio, quam dubius Nouitiatus præcessit: id quod in contractibus alijs est exploratæ veritatis, in quibus si aliquid præuium necessarium est vti substantiale, vitio suo inficit illos, si laboret vitio, & ita dubios reddit, si dubium sit, vt in contractibus Minorum, vxorum, Religiosorum, pro quibus licentia omnino necessaria est eorum, quibus subsunt: & in materia, de qua loquimur, vxoratus aut maritata, sine licentia coniugis expressa aut tacita, quæ æquualeat (si tacitum hîc locum habere potest) & ita si dubia sit, nequit in Professione procedi, immò neque in Nouitiatu.

Dũ dubium tollitur.

5. Iam Minor facilè ostenditur, quòd scilicet dubius sit Nouitiatus, quia hîc debet à Christiana persona fieri vt sit validus, quod est primum præsuppositum inter omnia, quæ ad illius valorem requiruntur: est enim Religio status, in quo de Christiana perfectione agitur; & ita status vitæ Christianæ optimè diuiditur in statum communis vitæ, & statum perfectionis; vt eruditè ostendit P. Suarez. P. Suarez *Tomo* 3. *de Religione Lib.* 1. *Cap.* 2. probans statum Religionis ad posterius membrum pertinere, de quo & *Lib.* 2. *Cap.* 1. Ergo cùm dubium sit an Nouitia Christiana fuerit quantùm ad substantiam status, Nouiatus tempore in eo sensu, quo baptizatus solus dicitur Christianus, vt docet P. Augustinus *Tract.* 14. *in Ioannem.* Nouitiatus proculdubio dubius fuit. Et quidem si de Baptismi defectu constaret, Nouitiatus fuisset prorsus inualidus, quia & admissio inualida fuit, supra inualidum etiam ingressum cadens: ergo & dubius, quando & dubius fuit Baptismus vbi locum habet Regula Iuris *in* 6. quam simili *Regula Iuris in 6.* caussæ applicat P. Suarez *suprà. Lib.* 5. *Cap.* 4. *n.* 4.

Auctar. Thesaur. Indic. Tom. I.

Euasio ex probabili sententia circa illum in casu sublati impedimenti.

non firmari tractu temporis quod ab initio fuit inualidum.

6. Dici potest iuxta probabilem sententiam, quam idem Eximius Doctor tenet *citato Cap.* 4. *n.* 10. posse dari Professionem validam etiamsi ingressus fuerit inualidus, si videlicet tempore Professionis sublatum sit impedimentum, vt si coniux ingressus sine alterius coniugis licentia, quam tamen ei ante Professionem intenderit. P. Suarez. Pro quo citat P. Thomam Sancium *Lib.* 7. *de Matrim. Disput.* 37. vbi multa circa hanc materiam generatim & speciatim disputat à *num.* 46. *vsque ad* 70. Adducit etiam P. Azor *Tom.* 1. P. Azor. *Lib.* 12. *Cap.* 1. *Quæs.* §. *Si quæres.* Vbi Professionem coniugis absque alterius licentia factam dicit statim ac alter moritur, ratificari. Et expressiùs ait tenere P. Lessium *Lib.* 41. *n.* 66. *&* 67. *&* P. Lessius. reuera ita est: nam *n.* 66. §. 4. *&* 5. sic habet: *Tertiò, secundùm probabilem quorumdam sententiam, si Nonitiatus fuit inualidus, requiritur eius repetitio, vt si ante completam pubertatem factus: si cum inhabilitate ad illum Ordinem. Ita tenet Nauarrus Lib.* 5. *de Regularibus Conc.* 5. *n.* 19. *sed contrarium est verius, vt rectè docet Sancius: Nouitiatus enim non requiritur, nisi vt ingressus experiatur austeritates Ordinis, & Ordo ipsius mores, vt habetur Cap. Ad Apostolicam* 16. *de Regular. Atqui hoc fieri potest, etiamsi Nouitius sit inhabilis, aut aliud vitium subsit admissioni.* Sic ille, & alij idem amplexi.

Occurritur ex eo quod Baptismus sit de iure diuino requisitus.

7. Sed certè adductum à nobis fundamentum ista non infringunt, quia omnes citati & alij, qui inualidum Nouitiatum in diuersis casibus, ablato impedimento validum esse contendunt, de impedimento specialissimo ex Baptismi defectu non loquuntur, & est in illo ratio magis peculiaris eo quòd non sit impedimentum Ecclesiasticum, sed diuinum: sicut enim ex tali iure habetur vt Baptismus sit ianua Sacramentorum; ita etiam habetur vt sit ianua status perfectionis Christianæ, quæ multò plura supponit, quàm alia Sacramenta, vnde sine statu perfectionis recipi illa possunt; & quidem si Nouitius in amentiam incidat, quæ diu persistat, profiteri nequit sublato impedimento, quia tale illud est vt iure ipso naturali nullitatem inducat, cùm sit vsus liberi arbitrij prioris eo in genere fundamentum ex ijs, quæ ad naturam spectant: ex quo efficitur de non baptizato idem dicendum, quia Baptismus in ordine supernaturali Christianum statum constituente, primum ac primarium eius fundamentum est. Præterquàm quòd id quod ex sententia præfata sapientium Magistrorum dedimus, nimiùm probat, videlicet quòd etiam si quis ante susceptum Baptismum, de quo apertissimè constaret, Nouitiatum iniret, talis Nouitiatus esset validus, recepto ante Professionem dicto Sacramento, quod tamen asseruit nullus, quem ego sciam, nec nisi absurdè asseruerit.

Adductam in contrarium rationem nimiùm probare.

Assertio 2. Posse procedi stantibus quibusdam circumstantijs.

8. Dico Secundò. Si non occurrat prætextus aliquis pro differenda Professione, & bonum Nouitiæ nomen periclitetur, timeaturque scandalum, ratione illius potest in professione procedi. Id probo ex probabili Doctorum quorumdam sententia, qui dicunt eũ qui emisit Professionem nullam, si velit illam ratificare, non indigere iterato Nouitiatu, si per annum integrum in eo fuit,

Exemplum in Professione nulla.

nec teneri statum suum aperire Prælatis, quia præterquam quod id difficillimum est, & satis durum, non est absque manifesto Textu aut ratione admittendum, quorum nihil est, vt cum Patribus Azorio, Sancio, & Lessio loquitur P. Palaus *Tomo* 3. *Tract.* 16. *Disput.* 2. *Puncto* 5. *nu.*7. & hoc quidem etiamsi irritus fuerit Nouitiatus.

P.Palaus,

Ratio ex fine Nouitiatus obtento.

Cuius ratio ea est, quam ex Alexandro Tertiò reddidit, vt iam vidimus *nu.* 6. P.Lessius, quia scilicet Nouitiatus ad hoc institutus est, vt ingressurus experiatur asperitates Ordinis: quem ingredi interdit, & Ordo ipsius mores: ad hoc autem satis est per annum in tali Ordine fuisse, easque fuisse expertum, licet legitimus non fuerat ingressus. Ex quo pro casu nostro licet argumentari: Notitia enim dicta per annum asperitates est Religionis experta, & difficillimum ac satis durum est se manifestare cum boni iactura nominis, & periculo scandali, nec non multiplicium molestiarum, si res effluat, nam erunt ex fororibus, quæ illi exprobrent satis serò fuisse Christianam. Vbi & addi potest id, quod iuxta præfatos est dictum, pro hoc neque Textum manifestum esse, neque rationem, manifestam inquam, & quæ probabilitatem opositæ assertionis infringat.

Ex sententia quorumdam circa casum reualidationis responsio, eo quod Pontifex supplet defectum Nouitiatus.

9. Dici potest iuxta eosdem, vt videri potest specialiter apud P.Lessium *citato n.66. §. Quartò requiritur* P.Sanctium *citata Disputat. 37. nu. 64.* vbi iuxta sententiam loquitur, quam probabilem & tutam affirmat, cùm tamen oppositam *nu.63.* probabiliorem existimet, quam & tenet P.Martinus Perez *De Matrimonio Disputat.58. Sect.3.n.* 11.& P.Palaum *Puncto citato n.* 4.Pontificem in casu dicto, qui est supremus Religionum Prælatus, supplere consensum inferiorum Prælatorum, sine quorum notitia Professio reddi valida eâ ratione potest. Eo enim ipso quòd Alexander Tertius,& Innocentius Quartus ad Professionem reualidandam id tantùm exigant, quod in *Cap. Ad nostram* 8. *& Cap. significatum* 11. de Regularibus, & *Cap. 1. de eisdem in 6.* habetur, vbi de Prælati consensu mentio nulla; reuera suo consensu, qui,& successorum est Canones sacros fouentium & amplectentium, particularium videntur supplere consensum. Id autem non videtur casui nostro adaptari posse, quia pro eo Textus aliquis Pontificius non extat, & ita debet Professioni tali Prælatorum consensus assistere. Nec dici potest consentire dum non resistunt, quia cùm talis non resistentia fundetur in ignorantia facti, illa causat inuoluntarium, vt in reualidatione matrimonij dicunt communiter Doctores.

Cap. Ad nostram. *Cap.* significatum.

Sed eam non obstare monstratur.

10. Sed hoc non obstat quo minùs positio illa satis verosimilis sit. Nam in primis, id quod de consensu à Pontificibus suppleto dicitur, non est cur necessariò debeat admitti, ita vt ad eos, & non ad particulares Prælatos debeat referri consensus. Quia stante Iuris dispositione vt sic res peragatur, voluntas Prælatorum eidem debet esse conformis, & ita dicendi sunt consentire, dum iuxta illam perperàm ingressus profitetur. Deinde, vt referendum ad Pontifices admittamus, nihil plus habetur. Ex eo autem quòd sic accidere possit, ad casum nostrum doctrina eadem non invita descendit ob pariformitatem: ille enim qui Professionem ratificat, verè Nouitius est, quia non verè professus: & tamen eius Professio admittitur, quia sic videntur velle Pontifices, aut particulares Prælati, qui suam Iuri conformem habent voluntatem: ergo cùm in casu nostro idem contingat, eademque sit ratio, vt vidimus, quia difficillimum & satis durum esset, vel Nouitium aut Nouitiam non admitti sine nouo annui Nouitiatus grauamine, aut obligatione se manifestandi in materia adeò inhonora: idem est prorsus asserendum. Quod autem de matrimonio dicitur, ex eo elidi potest, quòd in eo formalissimus consensus requiratur, in quo non ex præsumptione Iuris, sed ex singulari ac valde personali dispositione agitur & ita est iure ipso naturali requisitum. Quamuis & in illo grauissimorum Doctorum sententia sit in casu simili non esse necessarium actualem coniugis ignorantis consensum, cùm sufficiat habitualis, vt videri potest apud P. Sanctium *Lib. 2. de Matrimonio Disp.* 36. qui licet generaliter loquendo contrarium censeat, affirmat tamen *nu.*8. in casu aliquo, in quo ex reuelatione graue aliquod nocumentum esset coniux, qui reualidare intendit, subiturus, dictam posse sustineri sententiam, quæ ratione necessitatis redditur probabilior. Id quod in Professione similiter dicendum affirmat *Disput.*37. *num.* 63. & id est, quod in casu nostro dicimus verosimilem assertionem propositam demonstrare.

Circa consensum in reualidatione matrimonij requisitum ignorantia impedimentum.

11. Dico Tertiò. Si prædicta necessitas non vrgeat, aut alia similis, v. g. si Nouitia tunc habeat dotem, de quo pro anno sequenti dubitat, tenetur ad repetendum Nouitiatum, & omnia alia peragere, ac si nullum eorum præcessisset. Id ostenditur ex dictis, quia alias exponitur nullitati Professionis,& ex nullitate dicta grauissima inconuenientia subsequentur. Simul cum deceptione Religionis, & Prælatorum iniuria, quibuscum infideliter agitur, non admissuris aliàs talibus obscuritatibus implicatam. Potest ergo honestus obtendi prætextus, nec credibile est causam, quæ occurrit dilationis, adeò peculiaris & rara cùm sit in suspicionem esse venturam. Et quidem satis opportunum esset P. Sancij consilium, si hic habere locum posset, dum *Lib. 5. Operis moralis Cap.4. nu.14.* ita scribit ad ea, quæ *citata Disput.37. nu.57.* dixerat se referens: *Tradidimus normam, qua absque nota possit iterari Nouitiatus, si quispiam ad maiorem conscientiæ securitatem, & ad vitandas opiniones, vellet illum iterare. Quæ est detegere Superiori sub Confessionis sigillo vitium prioris Nouitiatus, & Professionis, & petere vt ipsum denuò admittat ad Nouitiatum peragendum inter reliquos Professos, eorum habitu retento. Quòd si admissioni illi sit necessarius consensus Monasterij, poterit Superior illius suffragia petere. tacito Professi nomine, & explicata prioris Professionis nullitate. Et tandem potest secretò pro foro conscientiæ impetrari dispensatio Pontificis* eum Nouitiatum supplentis. Sic ille, vbi quod de dispensatione Pontificis dicitur, habere quidem locum & in Indijs potest & erit quidem ad serenandam conscientiam validissimum, potestque tacito nomine dispensatio peti, nec difficulter obtineri, vno tantùm Confessario id sciente, aut alio secreti viro, cui negatio demandetur; sic enim dispensationes aliæ comparari solent, & expectatione biennali, aut

Asserio 1. Non euanescit causa dubia, aut alia simili existentium necessariò Nouitiatum.

Quomodo fieri sine nota queat.

P Thom. Sanctius.

Pro eo exempla.

P. Sancius. *Minus probabilis opinio ob necessitatem est probabilior.*

Circa suffragia Monasterij difficultas.

aut fortè breuiore totius vitæ tranquillitas impetrari. Illud autem quod de suffragijs Monasterij dicitur, difficultate non caret, quia illa circa incognitam versantia personam, non eam videntur vim habere, quæ in hoc negotio desideratur, vt videlicet sine opinionum incerto Religiosus aut Religiosa in securitatis portu collocetur: huiusmodi enim suffragia non solent in Iure probari, quia cæco in eis modo proceditur, nec obtinetur finis, propter quem Religiosis ius in huiusmodi causis conceditur, vt scilicet omnibus constet quales, ij, aut illæ sint, quibuscum perpetuum est commercium habendum: & quia bono Religionis consulitur, dum plures oculi meliùs quàm pauci quod eidem vtilius possit esse conspiciunt: aliàs ad vnius Prælati iudicium tota deliberatio deuolueretur. Erit ergo aliquale ex prædictis diligentijs adminiculum, sed scrupulus, dum aliunde maior non quæritur firmitas, semper aliquis remanebit.

Asserio 4. Stante probabilitate potest ad Professionem procedi.

12. Dico Quartò. Si Nouitia in casu dicto probabiliter existimet se esse baptizatam, ita vt id sibi, licet cum formidine aliqua, persuadeat, potest recepto Baptismo in Professione procedere. Id probo, quia cùm probabilitas, siue iuris, siue facti, ad operandum sine peccato sufficiat, vbi non est speciale præceptum id vetans, aut aliquod ex vsu sequitur proximo detrimentum, vt in Sacramentorum administratione communis est sententia Doctorum: hoc etiam loco idem licebit, quia non est vnde in negotio huiusmodi specialis obstet difficultas: si enim aliqua, ratione Nouitiatus esset, qui fortè erit inualidus, si pars opposita assensui vera sit, ut esse potest, ex quo & Professio contrahit nullitatem. Atqui hoc non obstat, quia in primis non sequitur Professionem futuram nullam, etiamsi Nouitiatus talis reipsa fuerit materialiter loquendo, eo quòd in ipso obseruata non fuerint quæ reuera debent obseruari. Nam stante probabilitate circa illum potest Professio omnino valida censeri, quia vt talis sit, non requiritur nisi vt prudentium æstimatione Nouitiatus ita peractus fuerit, vt nihil ei credatur vero similiter defuisse, aliàs magnis scrupulis Professiones obnoxiæ remanerent. Quod confirmari potest ex sapientium Neotericorum sententia, iuxta quam Indulgentiæ, pro quarum obtentione diligentiæ aliquæ requiruntur, reuera obtinentur si diligentiæ secundùm probabiles sententias fuerint adhibitæ, etiamsi reipsa opiniones tales veræ non fuerint. Quæ quidem probabilis est, licet à me aliàs non admissa, vt in *Thesaur. Indico* videri potest *Tit.5.nu.*280, & quod certius est, vbi secundùm probabilem sententiam est facta Confessio, absolutio certa est: & vbi secundùm probabilem sententiam negatur debitum, obligatio prorsus cessat, & sic in alijs. Deinde, ex eo quòd Professio sit probabiliter tantùm certa, & reuera esse non firma queat, nullum graue sequitur inconueniens, quia nullum propterea redditur irritum Sacramentum, nec bonis operibus suum perit meritum. Vbi & potiori ratione locum habet id, quod ex P.Thoma Sancio, *n.*10. dicebamus de minùs probabili opinione, quam necessitas reddit probabiliorem, & in casu præsenti occurrit, vitandi scilicet magni detrimenti ex iteratione Nouitiatus, aut reuelatione notabilis defectus

Cum probabilis Nouitius potest esse valida Professio.

ob Baptismum suo tempore non susceptum: vnde & passim videmus Professiones fieri probabilium beneficio sententiarum. Quod agnoscens ipse Pater Sancius *num. præced.* adductus, vt vidimus est locutus. *Si quispiam ad maiorem sententiæ securitatem, & ad vitandas opiniones velit &c.* manifestè supponens posse cum opinione probabili fieri Professionem. Et quod amplius est, consilij esse, non præcepti. Vt si quis probabiliter crederet in opere aliquo, aut illius omissione se non peccasse mortaliter, non teneretur iuxta receptissimam Doctorum sententiam illud confiteri, posset tamen ad maiorem conscientiæ securitatem, & ad vitandas opiniones.

Probabiliter dubitans de Baptismo citra periculum mortis, se gerere acsi certus de eo esset, & Sacramenta recipere potest.

13. Prætereà idem ostenditur ex eo, quod docet P. Dicastillus *Tomo* 1. *de Sacramentis Tract.*2. *Disput.* 1. *Dub.* 9. *n.* 216. quem adducit Diana *Parte* 10. *Tract.* 16. *Resolut.* 19. & videtur sequi, quia eius asserta proponit, nec improbat: scilicet eum, qui tantùm habet Baptisma probabile, eo quòd sint probabiles opiniones ex vtrâque parte, interim citra periculum mortis eadem probabilitate posse alia Sacramenta recipere, maximè illa, quæ non sunt, aut possunt esse in damnum aliorum. v.g. Matrimonium, Pœnitentiam Confirmationem, Eucharistiam: hæc enim omnia interim, dum non est periculum mortis, qua probabilitate se potest gerere pro baptizato, potest recipere: sicut enim probabile est ipsum esse baptizatum, & præcisè quantùm attinet ad reuerentiam Sacramenti, non est peccatum in eo Baptismo permanere: eâdem ratione non erit peccatum illa facere, ad quæ facienda ius habet baptizatus, qualis est vsus prædictorum Sacramentorum: non tamen licet recipere Sacramentum Ordinis &c. Sic apud illos, ex quo pro casu præsenti validius desumitur argumentum, in quo non iam probabiliter baptizatus; sed verè, & absque formidine vlla, non Sacramenta pergit recipere, sed id præstare, ex quo, si verè non consistat, nullum graue inconueniens potest formidari.

P.Dicastil.

Sed non posse profiteri in Religione probatur.

14. Sed quid si ante susceptum sub conditione Baptisma velit profiteri? Adducta quidem ratio licitum id videtur ostendere, & suppositâ huius sententiæ probabilitate, non erit facile illud esse illicitum demonstrare. Sed nihilominùs suaderi id potest: nam Religio est status perfectionis, in quo scilicet ad illam debet tendere Religiosus, iuxta diuersos modos, quibus à Doctoribus huiusmodi solet obligatio declarari. Est autem valde alienum ab illa velle aliquem de Baptismo suo dubium, licet cum probabili assensu in eo velle perseuerare statu, ex quo ante mortem tenetur exire sub obligatione peccati lethalis. Et quidem, vt docet P. Thomas Sancius *in Opere morali. Lib. 6. Cap. 5. n.* 10. peccat mortaliter Religiosus contra præceptum tendendi ad perfectionem, si seruans Regulam & vota intendat non attingere perfectionem vitæ Religiosæ, neque finem per illa intentum: quia licet non teneatur attingere, tenetur tamen non habere actum contrarium. Pro quo adducit Cordubam in *Regulam S. Francisci. Cap. 1. quæst. 3. post 3. dictum vers. Sed vtrùm similiter.* Atqui in nostro casu tale quid videtur accidere, dum is, de quo loquimur, Baptismi certitudinem paruipendit, quod est velle

P. Thom. Sancius.

Obligatio sub lethali tendendi ad perfectionem in Religioso.

non attingere perfectionem, quia voluntas attingendi est cum illo incompossibilis. Et ita meliùs sentiendum de illo, qui dubius de Baptismo Nouitiatum peregit, & eo est sub conditione susceptio professus, quàm de hoc probabili profitente, & in sua probabili persuasione volente remanere.

Friuolus pretextus differendi Baptismum vsque ad mortem.

15. Posset autem in sic agente friuolus forsitan quidam prætextus assumi, velle se inquam, si verè baptizatus non est, morti proximum baptizari, vt sic plenissimam peccatorum remissionem dubio procul consequatur; cùm interim possit tuta conscientia, vt putat, procedere, sua se probabilitate tuendo. Sed est sanè non solùm friuolus, sed pernicios us: nam si fortè reipsa baptizatus non est, priuat se ingenti gratiæ thesauro, qui per Sacramenta confertur, & periculo se exponit sine Baptismo moriendi, licet non sit illud moraliter certum; sed tamen vt res humanæ curtunt, non adeò incertum, vt prudenter non possit timeri. Et ideò in Euangelio viuidæ illæ monitiones: *& vos estote parati, quia qua hora, non putatis, Filius hominis veniet. Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam. Sicut fur in nocte, ita veniet.* Et alij. Et certè incuria hæc circa rem tantam specialia pro eo obtinendo, quod in desiderio est, auxilia demeretur. Valentinianus Imperator, Imperator quidem iam, sed nondum vitalibus aquis ablutus, dum ablui curat, & D. Ambrosium futurum tanti Sacramenti ministrum, sed absentem, aduocat, inter ipsa desideria moritur, etiam properante illo, & Alpium iuga superante, vt ipse narrat, & deplorat amarè *Oratione de illius obitu.* Non eum condemno, quem Doctor sanctus laudandum luculentissima laudatione suscepit, quem & baptizatum à Christo affirmat, Baptismo inquam flaminis, *quia ei humana officia defuerunt.* Sed illius exemplo eorum præiudicialem prætextum, aut etiam præsumptionem accuso (qui forsan si fuerint) Baptismi procrastinantium receptionem inter tot vitæ discrimina, quibus iuvenem Imperatorem, candidum & rubicundum, vt & Sanctus commendat Antistes, subiacuisse conspicimus. Et tantùm pro hisce.

Valentiniani Imperatoris infaustum exemplum.

D.Ambros.

SECTIO II.

Eucharistiam futuram perpetuam in cœlo iuxta nouam quorumdam assertionem, an queat sustineri, sicut & modò ibidem extare, Occasione Indicarum Concionum.

Quod in Titulo quæritur negatum aliàs, & censura notatum & pro eo rationes adductæ. Exod. 16. v. 15.

16. Dictum de hoc à me in *Epithalamio, circa Titulum n.* 89. vbi cuiusdam viri, Religiosi quidem, nec indocti, cogitationem minimè probandam reieci, & censura dignam affirmaui, qui in cœlo Eucharistiam frequentandam esse differebat, vt Beati ex ore Christi verba illa, Manna cœleste accipientes, audirent: *Hic est panis, quem dedit vobis Dominus ad vescendum. Exodi. 16. v. 15.* id quod etiam graui censura dignum existimaui, plusquàm temerarium scilicet, & absque dubio periculosum arbitratus. Quod probaui *Primò* ex verbis D. Pauli 1. Cor. 11. v. 26. *Mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Et ex Concilio Tridentino adducente illa *Sessione 13. Cap. 2.* quæ in hunc sensum SS. Patres acceperunt, & communis Doctorum ac Fidelium sensus interpretatus est. *Secundò* Quia ex communi Theologorum doctrina in cœlo Sacramenta non erunt quæ statui tantùm viæ vti imperfecto congruunt, eo quòd signa sensibilia sint ad perfectionem hominum instituta: est autem imperfectio in homine, quòd per sensibilia signa perficiatur. *Tertiò*, quia in oratione præparatoria ad Missam Diuo Ambrosio iam pridem attributa, licet D. Anselmo tribuendam velit P. Raynaudus propter quasdam parùm solidas coniecturas *in Opusculo de veris & falsis libris*, auctoritatè certè Ecclesiæ comprobata, sic habetur: *Vbi non in mysteriis, sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus &c. Quarto*, quia necessarium est ex huiusmodi positione res corruptibiles in cœlo constituere, panem inquam & vinum, quod Theologia post mundi consummationem optimis ducta rationibus inficiatur: nisi dicatur panem & vinum tunc fore incorruptibilia, quo pacto vna omnibus Beatis communio erit satis, cùm id, quod semel receperit Sacramentum, ab omni sit futurum corruptione immune: quod non philosophari, sed somniare est. *Quintò*, quia propterea hoc fingitur, quia vellent deuoti isti sibi Christum semper præsentem in pectore, non quà Deum tantùm, sed etiam quà hominem. Demus ergo eo modo Christum in Beatis futurum, an pro eo necessarium est panis & vini id fieri Sacramentalibus inuolucris? Qui se sub speciebus panis & vini constituit, nonne poterit in cordibus etiam Beatorum indiuisibili se modo collocare? Sed ad quid hoc? Habent illi in corde Christum deitate præsentissimum, & illud voluptatis torrente potantem. Habent ipsum tangendi per suauissima oscula & familiarem conuictum facultatem: dicet enim illis quod discipulis quondam: *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipse sum: palpate, & videte. Luc. 24. ver. 39.* Iam ille ad Patrem ascendit, nec dicetur Magdalenæ: *Noli me tangere. Ioan. 20. v. 17.* Habent subtilitatis donum, vt ad ipsum Christi cor, possint si velint, manu inoffensa, pertingere. Quid ergo necessarium est Christum in Sacramentales angustias redigere? Quibus addidi futuros fortè alios, aut etiam & hos ipsos cum illis, qui pro affectu erga B. Virginem, simile quid de ipsa sint discursu euagante dicturi.

Prima. *1. Cor. 11. v. 26.* *Secunda.* *Tertia.* *Oratio Ecclesiæ ex D. Ambros.* *Quarta.* *Quinta.*

17. Post hæc à me ante annos triginta conscripta prodijt Secundus Tomus Singularium P. Quintanadueñas, in quo quæstionem eamdem occasione diuersa pertractans, non dissimili eam resolutione concludit. *Tract. 2. Singulari. 1. & 2.* vbi ait piam feminam asseruisse à se visum esse Christum Dominum in cœlo celebrantem, & Eucharistiam sacram Beatis administrantem. Et cùm circa huiusmodi reuelationem in sacro Hispalensis Inquisitionis Tribunali habita fuisset consultatio, non defuisse aliquas pro ea stabilienda rationes, in summa bonorum communicatione, excellentia amoris Christi, non repugnantia cum statu illo, & nonnullis alijs reuelationibus de hoc ipso, fundatas. Quibus non obstantibus,

P. Quintanaduenas similiter sentiunt.

Prob. Primò. tibus, statuit ipse *Primò*, reuelationem prædictam aut doctrinam, nec hæresim, nec expressum contra fidem errorem continere. Id quod probat, quia neque in Scriptura, neque in Concilio aliquo locus extat aliquis, in quo expressum habeatur: locum autem à nobis adductum ex Apostolo non vrgere ait, quia particula *Donec* sæpiùs in Scriptura, & apud scriptores alios vltra euentum rei se protendit: pro quo est obuia probatio ex loco Matth. 1. v. 25. *& non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitum.* Circa quod doctissima est D. Hieronymi expositio, quæ & communis alijs.

Matth. 1. v. 25.

Secundò.

18. Pergit ille, & statuit *Secundò* esse omnino falsam & impossibilem ob multitudinem repugnantium difficultatum, cùm Beati corporibus careant ad vsum Sacramenti necessarijs, & vt in Beatissima Virgine, ac nonnullis alijs, qui corporibus glorios is fruuntur, id ex ea parte non repugnet, aliunde arguit, rogans an sit eadem talis communio? & ea est interrogatione contentus. Addi potest, si ijs solis communio datur, iam falsam euinci reuelationem, quæ de Beatis, quibus sit generaliter collata, procedit. Sic alia satis incredibilia, absurda, & inaudita prosequitur, quæ ob vnius attestationem feminæ recipere, non sine nota potest contingere leuitatis. Quæ enim rationes pro eo adductæ ab ijs, qui ad consultationem adhibiti, nullius momenti sunt, vnde & facilè ab ipso diluuntur. Et quidem licet rationes ab ijs adductas afferat, non tamen reuelationi aut doctrinæ annuisse significat, sed id, quod in huiusmodi consultationibus accidere solet, in quibus non statim in Censuras prorumpitur, sed post discussa omnia, quæ & iuvare, & obstare possunt: quod etiam Scriptoribus in vsu esse solet, dum quæstiones agitant, in quibus certa est resolutio futura, quia aliter decerni nequit, quòd certa sit: eo quòd ad certitudinem ipsam statuendam apparentes etiam oporteat proponere & dissoluere rationes.

Illum ex magna absurdo.

Quæ adhiberi consueuit.

19. Ad Censuras progressus *Primò* ait esse *irrationalem*, quia contra manifestam & efficacissimam rationem, quæ in Thesibus, quæ à Theologis communiter disputantur ex D. Thoma. 1. p. q. 97. *arti.* 3. *ad* 4. proponi solet. Huic adnectit aliam, de qua sic loquitur: *Huic censuræ non immeritò adnectere possumus eam, qua ita sanè à Theologis propositiones notantur. Hæ enim sunt, quæ maximè delirant, seu insaniunt, asserentes ea, quæ sapientibus insana, stulta, seu deliria videntur, Exemplum istud est illud, quod affertur à S. Thoma Opusculo. 10. quod nomina Sanctorum digito Dei scripta sunt in cœlis.* Sic ille: in quibus error videtur extare; verba enim illa. *Qua ita sanè* sensum congruum non reddunt, vnde reponendum videtur, *Qua vt insana propositiones.* &c. Addit esse periculosam in fide, quia contra commune Ecclesiæ & Conciliorum iudicium Eucharistiam vt viaticum institutam, & sacrificium pro peccato ac satisfactione pro Militante Ecclesia celebrandum vnanimiter statuunt, & testimonia Scripturæ huic potiùs iudicio, quam alteri fouenti nouitates circa Sacramenta, & eorum ritus à Clemente VIII. damnatas, stante D. Pauli in concusso Oraculo 1. Tim. 6. v. 20. *O Timothee, depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates,*

P. Quintanad.

1 Tim. 6. v. 20.

& oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Affirmat præterea esse malè sonantem, & piarum aurium offensiuam; item & scandalosam. Tandem malè informatiuam simplicis plebis circa mysteria fidei & Sacramentorum vsum prætextu pietatis aut religionis, quale vitium contra Lutheri doctrinam Leo X. proclamauit. Sic doctus Pater de reuelatione ac doctrina illi conformi locutus: quæ quidem de statu post resurrectionem minimè procedebant; vnde quæ ab ipso dicta multò vrgentiùs contra eam, de qua nos locuti, positionem constat militare.

Additur esse contra ea, quæ SS. Patres de Eucharistia pronuntiant.

20. Pro fundamento autem prædictorum censurarum supponit *singulari. 2. n. 1.* prædictam doctrinam omnino opponi ijs, quæ de Eucharistia à SS. Patribus & Theologis prædicantur, scilicet esse *Mysterium fidei, cibum viatorum, pignus futuræ gloriæ, Sacramentum Regis absconditi, in quo latent Deitas & Humanitas, Acclinationem Christi opacam* (per errorem apud illum *Diocapa*) *Pœnitentium spem, Fiduciam magnam cœlestis assensus*) *Abolitionem peccatorum, Medicamentum animæ, & corporis purgans vitia, Arma præcipua contra mundi Principem, Opus speciosum in expiationem culparum, Fontem mitigantem æstus passionum. Figuram rerum futurarum, & Sacramentum omnem immunditiam abstergens, Mensam aduersus omnes, qui tribulant nos, Lac, quo crescimus in salutem, Symbolum resurrectionis, seu semen illius, Symbolum cœlestis conuiuij, Promissionem cœlestis hereditatis*: pro quo Patres sic loquentes, aut Scripturam exponentes inducit: & tandem Concilium Trident. *Sessione 13. c. 2. vbi Sacramentum hoc vocat spiritualem animarum cibū, quo alantur & confortentur viuentes, & tamquàm antidotum, quo liberentur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruentur. Et Sessione* 22. Cap. 2. ea Missæ Sacrificio attribuit, quæ ipsum ad præsentem tantùm statum pertinere conuincunt. Addi potest & quod Ecclesia in officio sacro sic verbis D. Thomæ proponit ex Opusculo 57. *& de sua contristatis absentia solatium singulare reliquit*, & alia item, de quibus *inferiùs*.

Concilium Trident.

21. Prodijt etiam eruditum opus P. Eusebij Nierembergij de Origine Sacræ Scripturæ, in cuius *Lib. 8. Cap. 34.* inquirit, an Eucharistia futura sit æternum pignus noui Testamenti? & nonnullorum sententiam adducit existimantium numquàm in cœlo defuturam, quod ipse quibusdam pergit coniectiunculis (sic enim loquitur) probaturus, quibus colorem aliquem possit accipere. Et *Primò* arguit ex ligno Crucis, in quo pependit Christus, quod futurum in cœlo perpetuum boni Scriptores firmant, fauente Christo verbis illis: *& tunc parebit signum Filij hominis.* Matth. 24. v. 50. & Interprete Ecclesia dum canit: *Hoc signum Crucis erit in cœlo &c.* quod & de alijs Passionis instrumentis, lancea videlicet, clauis, columna, flagellis, corona spinea, videtur asserendum; Ex quo pro Eucharistia desumi argumentum potest, quia nullum Passionis Christi memoriale ita nobile, quod & ad firmandum & stabiliendum novum & æternum Testamentum est institutum. Quòd si Crux quia ad cruentum spectat Sacrificium, seruari oportet, idem de Eucharistia potiùs asserendum, vt aliquid

P. Eusebius Nieremb.

Ex P. Eusebio Nieremberg. nonnulla pro parte affirmatiua rationes.

Matth. 24. v. 30.

quid ad incruentum ſpectans etiam aſſeruetur.

S.Odo. 22. Arguit *Secundò* auctoritate S.Odonis, cuius adducit Carmina, & vnum tantùm ex illis eſt, ex quo aliquid ad intentum elici poſſe videatur, dum ſic ille.

Hoc genus, hoc vnum placet, hoc durabit in æuum.

Cosmas Ieroſolymitano. Æuum enim non temporalem, ſed æternam indicat durationem. Huic adnectit Coſmam Ieroſolymitanum *Hymno 6. Theolog.* vocantem Euchariſtiam *Immortalem menſam. Tertiò* ex celebri huius Sacramenti figura, Manna inquam, quod aſſeruatum in Arca poſt ingreſſum electi populi in Terram promiſſionis, quæ & ipſa figura cæleſtis beatitudinis. *Quartò* ex Chriſti vulneribus in eius glorioſo corpore conſeruandis ob memoriam fuſi ſanguinis in noſtram redemptionem, hoc eſt ſummi omnium beneficij: id enim ſimile aliquid erga Euchariſtiam peragendum indicat, quæ & ipſa immenſum beneficium eſt, & æternam memoriam promeretur. *Quintò*, quia non incongruum apparet cauſſam glorioſæ Corporum immortalitatis, & ipſam eſſe immortalem: talem autem eſſe Euchariſtiam SS. Patres affirmant, pro quo adducit D. Irenæum, Concilium Nicænum, & Coſmam Ieroſolymitanum, poſſetque alios. *Sextò.* Ex data duobus Diſcipulis in Caſtello Emmauntis, iuxta plurium Doctorum ſententiam. Quòd ſi Chriſtus glorioſus eam ſumpſit, non videtur ſpecies illas Sacramentales corrupturus, & ita in æternum conſeruat, & addit ſcire ſe hoc aliquibus non ineruditis placere, quod & quidâ propterea à publico è ſuggeſtu protulit cum multorum plauſu, nunc ſcilicet in cælo adorari, & adorandam Euchariſtiam in præcordijs Chriſti Corporis, quia glorioſi, tranſparentis, veluti limpidiſſimi Chriſtalli. *Tandem* ex reuelatione Sanctæ Mectildi facta: viſus enim eſt Chriſtus ab ipſa, ſolemni ritu ſacrificans: *Cùm autem inſtaret hora Sacratiſſima, qua eleuata erat hoſtia, viſus eſt eleuare hoſtiam quaſi in aureo paropſide clauſam, & ſindone velatam: per quod figurabatur, quòd hoc Sacramentum omni humano ſiue Angelico intellectui eſt abſconditum. Dicto Pax Domini, poſita eſt ibi menſa, ad quam Dominus ſe ponebat, iuxta quam Mater eius ſedebat. Congregatio autem tota ad menſam illam accedens, vnaquæque ſub brachio Beatæ MARIÆ Virginis quaſi geniculando accepit Dominicum Corpus de manu Domini.* Sic ibi cum luculentiori narratione, ex qua concludi videtur intentum.

Reuelatio S Mectild.

P Euſebij *animis temperata reſolutio negatiua.* 23. Quibus ita præmiſſis, in hunc modum ſubdit: *Quoad conſeruationem Euchariſtiæ in cælo non video tot eſſe fundamenta huius pronuntiati, vt illud ſtatuere poſſim: quod licet falſum non valeam prorſus conuincere, incertum atque ſponte meditatum non poſſum non habere. Reuelatio autem S. Mectildis perparùm vrgere poteſt: neque enim Sancti illi, qui carent corpore, quorum dumtaxat animæ cælum nunc poſident, reuera Euchariſtiam ſumere poſſunt. Idcircò viſus potiùs ille fuit, quam realis Euchariſtiæ ſumptio. In cælo enim iam adita eſt hereditas, neceſſaria non erant eius adeunda inſtrumenta.* Sic ille, ſatis moderatè in cauſſa præſenti locutus, qui videre non potuit P. Quintana-dueñas poſthumam etiam lucubrationem, etiam licet typographica poſteriorem, ſicut neque Epithalamium duorum annorum recentius ſpatio, impreſſione diutiùs prorogata turbatione temporum Gallicis tumultibus impedita. Itaque iuxta illum poſitio præfata de conſeruanda Euchariſtia non manifeſtè falſa, ſed ſine fundamento, hoc enim eſt quod ait, dum ſponte aſſerit meditatam, vnde & coniectiunculas vocauit rationes illas, quas ex ipſo dedimus, & colorem aliquem ob eaſdem admittere pronuntiauit. Et cùm ita locutus fuerit, non defuit Concionator, qui Auctore collaudato, quod ipſe adeò improbandum cenſuit, quaſi dogma ab eodem probatum prædicarit. De Concionatore autem illo cum multorum plauſu audito quid dicamus? Oportuit profectò addi quinam hi multi: Vulgaris profectò frequentia, de qua notum illud ex Seneca: *Non ita cùm rebus humanis agitur, vt meliora pluribus placeant, Argumentum peſsimi turba eſt.* Audiui Concionatoris narrationem cum plauſu acceptam, quæ in honorem Sancti cuiuſdam Religionis Fundatoris redundabat, ſed quæ præſidio careret penitus veritatis, vnde & docti & cordati ingratis eam auribus exceperunt, de quo *& inferiùs.*

Seneca.

In Tribunal S. Inquiſitionis Hiſpalenſis reuelatio circa hoc videnda reprobata. 24. Scio etiam Concionatorem de Sacrificio Euchariſtico in cœlo proprij cerebri meditata qui fuderat, ad S. Inquiſitionis delatum Tribunal, & hæc propter, cum nonnullis alijs, non leui animaduerſione mulctatum. Quid in Hiſpalenſi factum neſcio; credo autem, ſi doctrina illa inoffenſo fuiſſet permiſſa pede decurrere, à præfato Auctore non tacendum, neque ipſum contra illam adeò acribus cenſuris inuehendum: quod neque ipſi fuiſſet permiſſum, & non poſſet impunè permitti. Sic cùm ſententia de non contracto debito peccati Originalis à Virgine ad ſacrum fuiſſet ſenatum fidei delata, & immunis ab eodem ab omni nota prodijſſet, eiuſdem auctoritate iuſſum eſt in Scriptore docto, & Eccleſiæ Granatenſis Canonico, cenſuram eiuſdem expungi; & meritò, quia id non ſine irreuerentia eidem debita, & ipſius veritatis iniuria ſtare minimè potuiſſet. His ergo præiactis.

Aſſertio 1. Sententia negans D. Pauli auctoritate vtì probata. 25. Dico Primò. Veritas à me in Epithalamio ſtabilita optimè probatur auctoritate D. Pauli ibidem adducta, cum adiunctis alijs eidem fauentibus, quidquid, vt vidimus. *n.* 17. P. Quintana-dueñas, quia ſcilicet ſic illam Patres acceperunt, & communis Doctorum ſenſus interpretatus eſt, ita vt nullus ſit, qui aliter acceperit, & myſterium fidei ad ſtatum viſionis extenderit; & quod pro memoria inſtitutum eſt, ad ſtatum perfectæ poſſeſſionis cenſuerit protrahendum. *Tamdiu memoria opus eſt, donec Dominus dignetur venire*, vt à Diuo Hieronymo ibidem dictum. Non negamus particulam *Donec* accipi multipliciter poſſe, de quo Latinæ linguæ magiſtri, & Barboſa *Tractatu de Dictionibus Dict.* 93. Vbi de varia illius intelligentia ſecundùm Iuris diſpoſitiones. Sed certè cùm ad ſignificandum terminum aliquem, quod eſt frequentius & magis genuinum ſignificatum, non ſe vltra rei protendit euentum. Vnde in Scriptura, & alibi ita accipiendum, niſi res ipſa, & circumſtantiæ aliter ſuadeant faciendum, atque inconueniens aliquod ex contraria intelligentia ſit neceſſarium deriuari. Sic in caſu, de quo *Matthæi 1.* euidenter apparet: ibi ſiquidem Euange-

D. Hieron.

Particula Donec quam vim habeat.

Matth. 1. v. 25.

Vt non obſtet commodè explicatus. Euangeliſta Sanctus adducto Iſaiæ loco virginitatem Deiparæ vſque ad partum, & in ipſo partu ſtatuit, & ita ex eo conſtat id, quod eius erat inſtituti, Chriſtum ſcilicet è Virgine natum, & ita Ioſephum ſponſum nullas eo in negotio partes habuiſſe. Vnde ex eo loco non habetur expreſſum Virginem poſt partum ab eo non cognitam, licet ſatis veroſimiliter habeatur. Quomodo enim ille eam auſus fuiſſet attingere, quam Dei Matrem agnoſcebat, & eum contrectare vterum, qui Sacrarium fuerat Deitatis, cui notum erat Ozæ ſupplicium, eo quod Dei Arcam temerè attingere attentaſſet? Conſtat etiam ex Apoſtolica doctrina Deiparam ſemper Virginem permanſiſſe, & ita locum Euangeliſtæ iuxta eum ſenſum accipiendum. Ponamus autem de femina alia eſſe ſermonem, & dictum ab Scriptore aliquo virum ſuum eam non cognouiſſe donec peperit: vt ſi vidua, & vterum gerens ducta ab aliquo fuiſſet. An non manifeſtè ex eo colligi poterat poſt partum ab eo cognitam fuiſſe? Quòd ergo in Deipara aliter ſit accipiendum, ex cauſſa prædicta venit, & myſterio eſt tribuendum: ſic enim loqui Euangeliſta, ſpiritu ſancto dictante voluit, vt virginitatem perpetuam Deiparæ ſingulari modo commendaret, innuens ex eo quòd virgo peperit, *& pariet filium*, virginitatem perpetuam colligendam, etiam eo tacente, ob rationem dictam.

Pſal. 109. v. 1. & 2. particula quomodo accipienda. 26. Eſt & locus alius præfato conſonus *Pſal.* 109. *v.* 1. *&* 2. vbi ſic Dauid: *Dixit Dominus Domino meo: Sede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.* Quem de Chriſto accipiendum expoſuit ipſe. *Matthæi.* 22. *v.* 42. *& ſeqq.* & D. Petrus *Act.* 2. *v.* 34. *&* 35. vbi particula *Donec* terminum non indicet regni eius, ſed potiùs perpetuitatem: quia licet illa ex ſe terminum deſignet, ex adiunctis tamen conſtat vltra illum Chriſti regnum propagandum. Si enim donec debellati inimici fuerint, ſedebit, quantò id potiùs poſtquàm illi fuerint debellati. Eſt ergo ille pro loco alio Matthæi, de quo nuper, illuſtrando percommodus. Si enim virgo in conceptu & partu, quantò id potiùs poſt illum? Ibi multa ſunt patrata miracula vt virginitas cum conceptu & partu conſtaret: hîc nullo nouo opus erat miraculo, ſed rem ſingulari prouidentia dirigere, & impollutum illud templum ſua in puritate cuſtodire. Ex quo pro caſu noſtro id euincitur, quod dudum dicebamus: particulam ſcilicet *Donec* terminum indicare, quia nihil occurrit, ex quo poſſit ad vlteriora protendi ſenſus ab eadem coarctatus.

P Gaſparis Sancij *doctæ circa illam obſeruatio.* 27. P. Gaſpar Sancius in citatum Caput Actuum doctè obſeruat particulam *Donec* (ſicut & particulam *vſque*) adhiberi ſolitam, non vt aliquid excludatur, ſed vt explicetur id, in quod difficultas eſſe poterat, aut dubitandi cauſſa, aut (quod ad inſtitutum præſens facit) vt ij, qui illa vtuntur, reliqua non curent. Sic 2. Reg. 6. v. vlt. *Michol filiæ Saul non eſt natus filius vſque ad diem mortis ſuæ.* Non excluſit tempus poſt mortem, ſed ideò videtur non in cluſiſſe, quia nemini id dubium eſſe poterat Michol poſt mortem non ſuſcepiſſe filios. Matth. 28. v. vlt. *Vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Id eſt, etiam antequàm conſummetur ſæculum; nam conſummato ſæculo non erat dubium. *Geneſ.* 8. *v.* 7. de coruo, *& non reuertebatur, donec ſiccarentur aquæ.* Siccatis aquis certum erat non reuerſurum corvum. 2. Paralipom. vlt. v. 21. *Cunctis* diebus deſolationis egit Sabbatum (populus) *vſque dum complerentur* 70. *anni.* De tempore captiuitatis dubium erat an conſeruata fuerat Sabbati religio, poſt ſolutam captiuitatem nemo dubitaret. Matth. 1. *Antequàm conuenirent inuenta eſt in vtero habens. Et non cognoſcebat eam donec &c.* Ex hoc dicendi genere non ſequitur quòd aliquando Virgo cognita fuerit à Ioſepho, quia Euangeliſta probare voluit Virginem à Spiritu ſancto concepiſſe, & non à Ioſeph, ad quod ſatis erat obſeruaſſe ante conceptum IESVM intactam eſſe virginem; de alio tempore nihil curat. Pro quo citat D. Ambroſium *de Inſtitut. virgin. Cap.* 1. vbi ait ſcripturæ conſuetudinem eſſe, vt cauſſam, quæ ſuſcepta eſt, adſtruat, incidentem differat. Sic venerabilis & eruditus ſcriptor pro elucidatione loci ex Pſalmo adducti, ex quibus multa apud Abulenſem habentur *poſt Quæſtionem* 44. *in Matthæum. Et Quæſt.* 50.

Gen. 8. v. 7.

2. Paral. vlt. v. 21.

Matth. 1. v. 25.

Additio pro Virginis æterna puritate.

28. Et potuit quidem ille tribus à ſe adductis, de virgine quartum exemplum explicans idem pariter addidiſſe, videlicet Euangeliſtam probare voluiſſe virginem à ſpiritu ſancto concepiſſe & non à Ioſepho, & ſic virginem peperiſſe, de virginitate autem poſteà conſeruata non fuiſſe dubium, & ita nihil additum ſpeciale pro ipſa, quod Abulenſis eſt doctè proſecutus. Et prædicto modo explicanda admiſſo, poteſt ille ad caſum, de quo agimus, non incongruè adſciſci: *Mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* An poſtea? Minimè quidem, quia de hoc dubium eſſe nequit, attenta Sacramenti inſtitutione. De duratione quidem vſque ad finem ſæculi poterat meritò dubitari, quia beneficij tanti largitio poterat currentibus temporibus, & multiplicatis iniquitatibus forſitan impediri: vnde voluit Dominus certos nos de illo reddere, ſicut & Apoſtolus verba interpretatus ipſius, omnem circa hoc ſuſpicionem excludens. Sed certè id quod diximus de propria ſignificatione particulæ, veritatem, quam proſequimur, irrefragabilem manifeſtat.

Et accommodatio ad locum Pauli.

Aſſertio 2. Circa auctoritates à P. Quintana adductas. Vbi quod non omnes vrgeant. Dico Secundò. Multæ auctoritates, quæ à P. Quintana adducuntur, id non euincunt, quod ipſe contendit, ad fundandam inquam veritatem Cenſurarum, de quibus. *n.* 20. quia ea, quæ Euchariſtiam in ordine ad peccati remedium explicant, admittenda quidem ſunt, ſed nihilominùs obſeruandum in illa rationes alias cum peccato non connexas inueniri, vt eſſe ſacrificium Deo gratiſſimum & digniſſimum, & quæ in ipſo Euchariſtiæ nomine ſublucet, cùm ſit notum idem eſſe *Euchariſtiam ac Bonam gratiam*, & ita aptiſſima ad reddendas Deo gratias. Vnde eſt ſententia P. Suarij *Tomo* 3. *in* 3. *p. Diſputat.* 41. *Sect.* 5. vbi non vt certum, ſed vt veroſimile ſtatuit Euchariſtiam fuiſſe in ſtatu Innocentiæ futuram, quia *conferret hoc, vt homines* (verba illius ſunt) *perfectiſſimum ſacrificium laudis & gratiarum actionis Deo offerrent Chriſtum offerendo realiter præſentem. Denique quia hoc ipſum Euchariſtiæ myſterium eſt quoddam ex maximis operibus diuinæ omnipotentiæ, quodque valde declarat diuina attributa, ſapientiam, charitatem &c. propter quæ oſtendenda Deus opera-*

P. Suarez.

Euchariſtia in ſtatu Innocentiæ futura.

tur.

tur. Sic ille. Et ego quidem in Epithalamio. *Tit. n.* 139. sententiam istam non admisi, quia doctis Theologis minùs apparet verosimilis, neque modò eidem absolutè subscribo. Sed quia probabilis est, assero ex eius fundamentis posse eidem oppositis ex respectu ad peccatum satisfieri ; cùm constet aliàs ex Concilio Tridentino *Sessione* 13. *citata Canone* 5. præcipuum effectum Eucharistiæ non esse remissionem peccatorum, sed alios esse eiusdem effectus. Quia verò plures ex illis, & si peccatum immediatè non respiciant, sunt tamen illius effectus, aut eorum occasiones, vel pericula, quidquid tale est, eodem modo ab Eucharistia videtur separabile, & ita quod de remissione peccatorum dictum, ad ea pariter extendendum.

Non omnes illius effectus peccatum concernunt.

Concilium Trident.

Assertio 3. Censuræ omnes adductæ comprobantur.

30. Dico Tertiò. Non obstante Assertione præfata, Censuræ à me in Epithalamio propositæ debent sustineri, quibus & addi meritò, quas P. Quintanaduenas adiunxit, & à me sunt etiam indicatæ, dum dixi parùm esse sententiam dictam temerariam compellari. Illud ergo plus quod non expressum, à dicto Patre abunde suppletum. Et hoc quidem quomodocumque Eucharistia in cœlis ante communem resurrectionem, aut post illam collocetur. Et quod ad Communionem attinet, de qua in Epithalamio & Reuelatione S. Mechtildis, supra id Censuræ dictæ descendunt. Et est contra huiusmodi positionem illud præterea, quòd huiusmodi Communio aut semel futura est, aut sæpiùs. Primum non videtur dici congruenter posse, quia in præsenti statu Communio frequens est valde laudabilis, vnde si aliquibus non permittitur quotidiana, ideò est quia non præsumitur eam futuram dispositionem, quæ pro tanti est sacramenti susceptione necessaria : cùm ergo in Beatis illa adsit, nec sit occupatio quæ illis possit circa requisita distrahere, talis videtur profectò eisdem concedenda. Si sæpiùs, ea in functione semper erit occupatus Christus : cùm enim in Beatis sit felix turba, quam dinumerare nemo possit, & quotidie omnes sacrum sint epulum recepturi (quotidie inquam, non quid ibi dies sint nostris similes, cùm vna sola sit, sed spatij interminabilis dies, sed quia ad frequentiam nostrorum dierum ratio videtur habenda, per extensionem virtualem, qualem in æternitate Theologi agnoscunt) longissimum certè spatium actio illa requirit, quæ integrum æquet, immò & prætergrediatur diem. Præterea cùm iterata Communio sit, & species nequeant corrumpi, quia status ille corruptionis non est vllius capax, fiet ex eo multiplicari formas consecratas in pectoribus Beatorum, & cùm frequentes sint Communiones futuræ, futurum pariter in illis ingentem earum acervum. Et quis non exhorreat, aut irrideat potiùs adeò prodigiosum inuentum ?

Contra Communionem discursus manifesti.

Et Primo circa iteratum.

Contra vnicam item.

31. Ideò fortassis ad vnicam Communionem recursus habebitur, diceturque illam esse satis, & futuram in quolibet Beato perpetuam, vt in se Christum manentem habeat, illôque ab eodem Domino commendato fructu æternùm potiatur: *In me manet, & ego in illo Ioan. 6. v.* 57. Ex quo etiam habebitur id quod Concionator ille, de quo *n.* 22. vt Beatus quisque in alio Christum aspiciat velut in Sacrario transparentis christalli. & bellè illud. Sed vnde hoc acceptum rogauerim. Res quidem satis est peregrina, pro qua indicium nullum, & in altissimo illo secreto peragenda. Si vagandi circa ista otiosis mentibus fiat copia, erit qui dicat id non solùm hominibus, sed etiam Angelis commune futurum, assumpturis lucida corpora, & hominibus exæquandis, vt non minùs ea in parte quàm illi habeant, cùm Eucharistia dicatur *Panis Angelorum.* Item feminas in cœlo Sacerdotes futuras, quia ibi omnis indecentia cessabit, propter quam in hoc statu ab eo sunt munere prorsus exclusæ. Et præsertim Deipara. Ex quo efficitur etiam & omnes homines Sacerdotes futuros, per quod cessabit occupatio alijs administrandi Communionem, cùm eam possit quisque sibi ministrare, & sic alia.

Ioan. 6. v. 57.

Additur tibur ex mentione solius Hostiæ facta in Reuelatione.

32. Fit autem in Reuelatione citata solius Hostiæ mentio, & non Calicis, ex quo arguendi copia peculiaris habetur. Siquidem rogare possumus an Beati sint in vna, aut vtrâque specie Communionem accepturi ? Si dicatur *Primum*, ideò erit forsitan, quia & sacrificium in vna etiam tantùm offerendum, vt in Reuelatione indicatur. Ex quo fiet fore illud imperfectum, quia speciem vtramque pro sua substantiali integritate requirit. Et quod de *noui & æterni Testamenti* duratione asseritur, in Consecratione Calicis habetur. Præterea non videtur cur ita affirmari debeat, cùm ratio indecentiæ, quæ subesse posset, ob periculum effusionis, propter quam id est ab Ecclesia prohibitum, in statu illo decentissimo locum habere non possit. Si *Secundum*, non solùm ingentes curandæ segetes pro necessario tritico, sed & copiosæ vindemiæ, nisi omnia ista miraculosè iterata Dei creatione proueniant. Erit ergo Christus sub specie vini in Beatorum ventriculis, cumque dum traijcitur forma vitali actione à sua figura & statu deficiat, & cùm speciabus vini sumptis insuper misceatur, quomodo id stare conuenienter poterit, vt in æternùm sit Sacramentum venerabile permansurum Beatorum omnium oculis obijciendum ? si dicas Deum id conuenienti modo dispositurum, vt nihil indecens habeatur : Bene id quidem : sed cur circa hoc non tribuitur iudicialis virga discursui, vt id, quod videtur conueniens, arbitretur ? Ideò equidem quia circa hæc arbitrari, hallucinari est, & in rebus sanctissimis & altissimis illud, quod præstari sine ingenti temeritate non accidit. Idem ergo circa alia pari est ratione præstandum & ab huiusmodi ineptis phantasiæ commentis abstinendum.

Contra conseruatum à Christo Sacramentum in Emmaunte acceptum, vt fingitur, validissimum argumentum.

33. Ex quo etiam & illud de conseruato Sacramento in Emmaunte accepto, & in Sacrario pectoris velut in vase Christallino à Christo collocato, venit pariter reijciendum. Ad quid enim iam Christus in Christo vase facto suipsius ? Ad quid Deus absconditus in lumine manifesto ? & in Sacramentales redactus angustias æternùm duraturas, quæ vt sumi ab hominibus posset, amore sunt impellente dispositæ, nec iam in illa decent consummatissima maiestate ? Christum in Emmaunte panem consecrasse valde incertum est, & quod grauissimi Scriptores negant, vbi & Cardinalis Caietanus valde alienum à mysterio tanto modum fractionis panis, per quem fuerit à duobus agnitus discipulis, adinuenit. Sed sit ita vt asseritur, sumpsisse inquam Christum panem à se

à se consecratum, vnde alicuius efficaciæ sumi argumentum potest, vt species Sacramentales incorruptas conseruarit, quando constat comedisse aliàs glorioso in statu, ex Euangelio, & Actibus Apostolorum, testante id D. Petro, & Sacro illius libri Auctore Luca : *& conuescens præcepit eis, Nobis, qui manducauimus, & bibimus cum illo postquàm resurrexit à mortuis.* Act. 1. v. 4. & 10. v. 41.

Act 1. v. 4 & 10. v. 41. Quod de cibo & potu sumpto à Christo post resurrectionem accepto.

P. Suarez

Verosimilius de Virgine id longe posse quod de Christo.

34. His addo negari non posse Beatissimam Virginem Eucharistiam frequentissimè sumpsisse, & sic morti proximam id specialius præstitisse. Potuit ergo facere Christus, vt in eius corpore, quod non vidit corruptionem, Sacramentum speciebus incorruptis permaneret, in quo nulla esse difficultas potest. Pergat vlteriùs deuotio, & dicatur post Sacratissimi corporis resurrectionem Sacramentum idem conseruatum, & in cœlesti throno intra Sacrarium pectoris clarissimè translucentis à Beatis omnibus adorari. In quo quidem specialissima videtur esse congruitas, vt quæ Christum in ventre habuit, iam habeat in ventriculo, & sic eam cum omni proprietate salutare Beati possint dicentes : *Aue MARIA, gratia plena, Dominus tecum.* Circa quod ita scribit Richardus à S. Laurentio *de laudibus Virginis Lib. 1. Cap. 8. in principio : Igitur quia tam dulcis, tam celebris, tam festiua, tam deuota, tam efficax, tam suauis est salutatio, quam Christus mandauit B. Virgini MARIÆ, quando mundum hac Mediatrice saluare decreuit : dignum & iustum est vt à Christicolis celeberrimè & deuotissimè recitetur in terris, cùm à Cœlicolis (vt piè creditur) frequenter recitetur in cœlis, ad honorem & gloriam Virginis gloriosæ : vnde canit Ecclesia : Te laudant Angeli &c.* Quid ad hæc Concionator ille ? Equidem si erga Eucharistiam deuotio ad præfatum permouit inuentum, erga Deiparam filialis affectus non videtur quomodo id possit denegare. Et negandum tamen, quia solido fundamento caret, & cum censura negandum : ergo & illud, in quo minus pro verisimilitudine fundamentum reperitur.

Beatitur eam in cœlo saluent.

Richardus à S. Lauren.

A concionatoribus nulla fictioni præstita probabilitas.

35. Neque ab vno illo Concionatore, ac alijs eum in discussa causa, pecudum more, sequentibus, probabilitas vlla conciliari positioni præfatæ potest, cùm videamus in plurimis celebris nominis, qui Conciones suas cum plausu exceptas evulgarunt, lituras grandes in eisdem supremi Fidei Tribunalis iudicio sustinere. Quibus profectò nihil plausus profuit, sicut non profuit Herodi, de quo Act. 12. v. 21. & 22. *Statuto autem die Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos : Populus autem acclamabat : Dei voces, & non hominis.* Ecce non Regium Concionatorem, sed Regem, plausu populi acclamantis auditum. Sed quid demum ? *Confestim autem percussit eum Angelus Domini, eo quòd non dedisset honorem Deo, & consumptus vermibus, expirauit.* v. 23. Non equidem Deo honorem tribuunt, qui non veritates solidas, sed cerebri sui idola populis adoranda proponunt, vnde & vulneribus se præbent obnoxios, & conscientiæ vermibus, quibus miserrimè contabescunt.

Act. 12. v. 21. & 22.

Magna inter plausus pericula, sicut & errores.

v. 23.

36. Ea autem quæ pro fulcienda positione dicta P. Eusebius adduxit, adeò existimauit infirma, vt ad ea nihil censuerit respondendum, vt quę sua videantur debilitate corruere. Sed respondeamus nos, ne circa illa ineruditus quispiam hæserit. *Ad Primum*, de ligno Crucis sit vt dicitur. Quid ni illud ? Testimonio id Christi constat, sic ab Ecclesia recepto. An aliquid pro Eucharistia tale ? Adduntur & instrumenta Passionis, quia in illis ratio esse videtur eadem. Atqui Eucharistia instrumentum Passionis non est, licet tempore ipso Passionis instituta, & memoriale ipsius, ac Sacramentum, & sic à claritate cœlestis beatitudinis alienum, multò magis quàm ab Innocentiæ statu, in quo D. Thomas ob illius perfectionem non futura Sacramenta perdocuit. 3. *p. q.* 61. *arti.* 2. vbi id ex professo probat. *Et arti.* 4. ita scribit : *Ad Primum ergo dicendum, quòd sicut Dionysius dicit in 5. Cap. de Ecclesiast. Hierarchia. Status nouæ legis medius est inter statum veteris legis, cuius figuræ implentur in noua lege, & inter statum gloriæ, in qua omnis nudè & perfectè manifestabitur veritas, & ideò tunc nulla erunt Sacramenta &c.* Licet autem sint qui statui Innocentiæ absolutè loquendo censeant non esse disconuenientem Sacramentorum vsum ; de illo tamen vt fuit in primis parentibus, communiter asseritur, & rationem reddit P. Suarez *Tomo* 3. *in* 3. *p. Disputat.* 3. *Sect.* 3. §. *Secundò dicendum*, ita scribens : *& ad hoc confirmandum valent illæ coniecturæ, quòd primi homines pro breui illo tempore non indiguerunt Sacramentis, quia erant perfecti in scientia & cognitione rerum supernaturalium, & in gratia & iustitia, quantùm pro tunc oporteret.* Hæc ille : quæ ad intentum nostrum satis esse manifestissimè apparet, cùm constet id, quod de primis parentibus est dictum, in Beatis omnibus perfectiùs inueniri.

Ad argumentum 1. de conseruanda in cœlo cruce & instrumentis Passionis, responsio ex eo quòd non sint sacramenta.

D. Thom.

Neque in cœlo illa, neque in statu Innocentiæ.

P. Suarez.

37. Auctoritates S. Odonis, & Cosmæ Ierosolymitani nihil probant : Concedimus enim Sacramentum Eucharistiæ duraturum in ævum, quia vsque ad finem sæculi ; est enim vox indifferens, vt iuxta materiam, de qua agitur, & adiunctum epithetum, iam æternitatem, iam mundi indicet durationem. Sic in hymno Sacro Cathedræ S. Petri, *Patri perennis sit per ævum gloria.* Et in hymno pro S. Virgine & Martyre, *Deus vnus omni Temporis æuo.* Et in hymno pro S. Confessore, *Vt pijs eius meritis iuuemur Omne per ævum.*

Auctoritates S. Odonis, & Cosmæ Ierosolymitani explicata, & quid ævum significet.

Potest

Poteſt etiam dici Menſa immortalis ratione contenti, & quia ſe ipſo eos paſcet immortalitate donatos, qui modò eos mortales paſcit: pro quo illud iterandum meritò votum: *Tu qui cuncta ſcis & vales, qui nos paſcis hic mortales, Tuos ibi commenſales Fac ſanctorum ciuium.* Et D. Ambroſius in Oratione præparatoria ad Miſſam: *Tunc enim me de te ſatiabis ſatietate mirifica* &c. Per quod liquet non vrgere *Secundum.*

Ad 3. de Manna in Arca conſeruato.

38. Quod de Manna dicebatur, & erat *Tertium*, pro veriſſima facit poſitione: ſex enim diebus illius erat pluuia, & Sabbato ceſſabat: cuius myſterium iuxta communem Sacrorum Doctorum ſenſum expoſuit P. Cornelius in *Exodi Cap.* 16. *v* 34. §. *vnde nota*, circa finem, ita dicens: *Decimo tertiò, ſex diebus tantùm colligebatur in deſerto Manna. Sic in Sabbato æternitatis, & in terra Promiſsionis* (in cuius ingreſſu ceſſauit, vt ex verſu. 35. conſtat) *velamen Sacramenti ceſſabit, Chriſtôque facie ad faciem in ſumma quiete perfruemur.* Sic ille. Quod autem aſſeruari iuſſum, vt conſtat ex *verſu.* 32. & 33. vbi ſic habetur: *Dixit autem Moyſes: Iſte eſt ſermo, quem præcepit Dominus. Imple gomor ex eo, & cuſtodiatur in futuras retro generationes: vt nouerint panem, quo alui vos in ſolitudine, quando educti eſtis de terra Ægypti. Dixit Moyſes ad Aaron: Sume vas vnum, & mitte ibi Man, quantùm poteſt capere gomor, & repone coram Domino ad ſeruandum in generationes veſtras.* Id certè pro firmanda veritate deſeruit: aſſeruatio enim ad poſterorum notitiam fuit directa, vt in Textu habetur: *Vt nouerint panem*, quia rei iam pridem acceptæ eam habere non poterant. Quod equidem ad ſtatum gloriæ nequit conuenienter aduocari, vbi pro notitia habenda Euchariſtiæ nulla ratione opus eſt eamdem apud Beatos conſeruari, perfectiſſimè memores beneficij tanti, & ad gratias peragendas indefeſſos. Abulenſis Quæſt. 14. in citatum Exodi Caput ita ſcribit: *& fuit cuſtoditum iſtud Manna ad demonſtrandum futuris generationibus, vt viderent quòd ſicut fuiſſet miſertus Patrum ſuorum dando eis Manna in deſerto, vbi nullum cibum habere poterant; ſic miſereretur eorum, ſi conuerterentur ad eum in toto corde. Et hoc demonſtratum fuit tempore Ieremiæ: nam cùm Iudæi diſſidentes eſſent a Domino, & conuerterentur ad Idola, quia dicebant benè ſibi eſſe, & panibus abundare quando conuertebantur ad Idola, Ieremias oſtendit eis Manna dicens: Hic eſt cibus, quo Deus aluit patres veſtros in deſerto; ideò poteſt vos alere, ſi credatis ei firmiter.* Sic ille. Iuxta quod euidenter apparet in Euchariſtia non poſſe id, quod à Deo eſt diſpoſitum circa Mannæ aſſeruationem, adimpleri.

v 35.

*v*132. & 33.

Id non poſſe ad ſtatum gloriæ referri euidenter oſtenditur.

Abulenſis.

Non omnia de illo dicta congruunt Euchariſtiæ Exodi 16. v.20.

39. Neque opus eſt vt omnia, quæ circa Manna ſunt Dei ordinatione diſpoſita, in Euchariſtia exactiſſima conformitate reſpondeant. Sic illud *v.20. Qui non audierunt eum, ſed dimiſerunt quidam ex eis vſque mane, & ſcatere cœpit vermibus, atque computruit.* An tale aliquid in Euchariſtia. Datum illud ad murmur populi, quo exacerbatus Deus, vt in eodem habetur loco. v. 8. *& ait Moyſes: Dabit vobis Dominus veſpere carnes edere, & manè panes in ſaturitate: eo quòd audierit murmurationes veſtras, quibus murmurati eſtis contra eum: nos enim quid ſumus? &c.* Non ſic equidem in Euchariſtia, non ſic, quam nullum præceſſit murmur, ante omne illud à Domino promulgata, vt ex Ioan. 6. habemus, vbi Euchariſtiam promittente Domino, aliquorum eſt murmur ſubſecutum Iudæorum: *Murmurabant ergo Iudæi de illo, quia dixiſſet: Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi* v. 41. Ex quo & illud habetur Manna datum indignis & refractarijs, cùm tamen Euchariſtia iuſtis data ſit, & pro iuſtis tantùm deceptoribus inſtituta: licet contingat præter inſtitutionis finem in iuſtis aliquando miniſtrari. Si quis autem contendat debere etiam in hoc figuram antitypo reſpondere, dicere etiam poſſumus Manna diuinum cuſtodiendum in cælo, quia ibi eſt Chriſtus, panis viuus, qui de cælo deſcendit, & etiam ſine ſpecierum velamine dici Manna poteſt, & multò id potiori ratione, quia ſuauiorem & validiorem Beatorum palatis guſtum impertit: vnde eſt illud Diui Ambroſij in citata Oratione. *Manducat te Angelus ore pleno: manducet te peregrinus homo pro modulo ſuo, ne deficere poſsit in via tali recreatus viatico.*

Ioan. 6.

S. Ambroſ.

40. Quod de Chriſti vulneribus dicebatur in *Quarto*, facilè diluitur, quia pro illis habemus Euangelicam veritatem. Et licet de fide non ſit vltra iudicij diem progreſſum: eſt tamen communi Doctorum ſenſu firmatum. Et quidem ſi hęc præſidia deficerent, ſatis temerè affirmaretur illud. Vnde D. Thomas 3. *p. q.* 54. *arti.* 4. vbi de hoc agit, ad firmandam prædictam veritatem ſolum Euangelij Textum opponit, & poſteà rationes alias conuenientiæ proſequitur Sanctorum auctoritatibus illuſtratas. Ex illis autem pro Euchariſtiæ conſeruatione in cælo nihil eſt quod ſuffragetur, quia valde inepta eſt conſequentia de vulneribus ad Sacramentum, ſicut inepta eſſet ad Sacramentum Baptiſmi, ſi quis vellet Beatos omnes in cælo nouo abluendos lauacro, & charactere aliquo beatifico in reſurrectione donandos, ad quod poſſint aquæ, quæ ſuper cælos ſunt, diuinitus ſanctificatæ deſeruire.

Ad 4. de Chriſti vulneribus.

D. Thom.

41. Ratione immortalitatis, quæ virtute Euchariſtiæ corporibus reſurgentibus obuentura eſt, arguebatur in *Quinto*, vt hæc debeat Sacramento iſti conferri. Sed valde eſt illa eneruis, quia vt aliquo modo vim dicamus habere, ſatis eſt eſſe immortale ratione contenti. *Chriſtus enim reſurgens ex mortuis, iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur.* Rom. 6. v. 9. Deinde, immortalitas eſt præmium actus meritorij, quo eſt perſeuerantia conſummata; & tamen actus talis non erit perpetuus, quia potuit eſſe actus contritionis, aut alius dictante fide elicitus. Et ipſa quidem fides glorioſæ corporum perennitatis meritoria eſt, accurrentibus alijs ad meritum requiſitis. Pro quo & Apoſtolus Hebræor. 11. vbi magnalia fidei proſequitur, ſic locutus v. 35. *Alij autem diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent reſurrectionem* & v. 39. *& hi omnes teſtimonio fidei probati* &c.

Ad 5. de immortalitate, beneficio Euchariſtiæ obtinenda.

Hebr. 11. v. 35 & 34.

42. Ex D. Mechtildis auctoritate, Reuelatione inquam, arguebatur *vltimò*, de qua, & de Emmauntis ſucceſſu, ex quo *Sextò*, iam dictum. Si vera illa, vt par eſt credere, de myſtico aliquo accipienda ſenſu, cum in puris ſpiritibus locus eſſe Communioni nequeat, circa quem poteſt pius aliquorum diſcurſus per oſtium diuagari, ſalua ſemper Theologicorum dogmatum ſolida puritate.

Ad 6. dictum iam. Ad reuelationem S. Mechtildis, quid commodè dici poſſit.

tate. Cùm Chriſtus in Miſſa ſit principalis offerens, quod alij agunt, poteſt eidem etiam attribui, & ita Communionis dilargitio in Beatis repræſentata, quia ad ſtatum illum, vt nuper dicebamus, peculiari virtute conducit, ad quod etiam Beatiſſima Virgo ſedulam operam impendit, cuius illa ſunt verba Prouerb. 9. v. 5. *Venite, comedite panem meum; & bibite vinum, quod miſcui vobis.*

Prou. 9. v. 5

43. Vt autem Reuelationi Reuelationem opponamus, ſi reuera inter illas eſſe oppoſitio poteſt, præcedenti iuxta ſenſum præfatum explicata: extat illa poſt Epiſtolas Sanctiſſimæ Tereſiæ inter monita ab eadem poſt felicem migrationem data, & eſt ordine 15. ſic habens: *Los del cielo, y los de latiera ſeamos vna miſma coſa en pureza y en amor: los del cielo gozando, los de la tierra padeciendo: nos otros adorando la Eſſencia diuina, voſotros el ſantiſsimo Sacramento, di eſto a mis hijas.* Latinè redditum ſic: *Cæleſtes ciues, & terræ incolæ idem ſimus puritate & amore: Cæleſtes fruendo, terreni patiendo: nos adorando diuinam eſſentiam, vos Sanctiſsimum Sacramentum: Hoc dicito filiabus meis.* Iuxta quæ in Cælo Sanctiſſimum non extat Sacramentum: ſi enim extaret, de illius adoratione minimè Magiſtra illa cæleſtis tacuiſſet, & eo pacto maius pondus ad puritatis & amoris vnitatem inter cæleſtes & terrenos eius monitum habuiſſet. Pro quo eſt illud D. Pauli 1. Cor. 10. verſ. 17. *Quoniam vnius panis, vnum corpus multi ſumus, omnes qui de vno pane participamus.* Quod benè obſeruauit Illuſtriſſimus Commentator *num.* 9. & 10. dicens ſic: *Pedemos reſponder que tambien vemos à Dios, como ellos, aunque no lo vemos de la manera que ellos, Porque el ſantiſsimo Sacramento, y el Señor, que vemos Sacramentado, es el miſmo Hijo de Dios, que ellos ven ſin el myſterio &c. Reſpondere poſſumus nos etiam videre Deum ſicut illi, quamuis non eodem modo videamus ac ipſi. Quia Sanctiſsimum Sacramentum, & Dominus, quem in Sacramento videmus eſt ipſemet Filius Dei, quem illi vident ſine myſterio* &c. Nec de his plura, quæ vtinam ſatis ad compeſcendas huiuſmodi ex inconſulta ortas deuotione licentias, vel ex damnabili vulgo lenocinandi lubidine, de cuius non curandis plauſibus, vt iteratò loquar, iuuat id, quod apud Eraſmum in Adagijs occurrit, pro coronide ſubdidiſſe. *Non aliud eſt hodie populi de Sacris Concionatoribus iudicium, quàm quod Plinius ætate ſua de recitatoribus fuiſſe ſcribit: ſi quando tranſibis (inquit) per baſilicam, & voles ſcire quomodo quiſque dicat, nihil eſt quòd tribunal aſcendas, nihil quòd præbeas aurem: facilis diuinatio, ſcito eum peſsime dicere, qui laudatur maximè. Quapropter Socrates in Critone Platonis, illud in primis vult eſſe ſapienti ſixum decretumque, ne quis opinione vulgi commoueatur; immò ſuſpectum habeat quidquid ſenſerit vulgo vehementer arridere.* Sic ille, non pius certe auctor, & de ſuo quidem locutus tempore, nec contemnendis patronis vſus; & vt noſtro ſint opportuna, nihil per ipſa Euangelicis prædicatoribus, quorum ſemper in Eccleſia multi, detrahendum: ſed non illi ad lydium vulgi lapidem probandi, cùm lydius non ſit, ſed eorum, qui Conſilio ſunt maturiori, qui auditi motus animorum ſalutares excitant, non laudatiunculas populares, & crepitus leuiunculorum, qui nihilò meliores quàm intrauerant, egrediuntur, pro quo D. Hieronymum darem modò, niſi dediſſem alibi, & in quo dedi, opus publici fuerat iuris effectum.

Pro ſtabilita tenenda ſtatu qua fauerat deuotio D. Tereſiæ

1. Cor. 10. v. 10.

Dom. Palafox.

Plauſus Concionatorum quanti faciendi. Eraſmus.

Plinius.

DIGRESSIVNCVLA

Circa Epiſtolam Sanctiſsimæ Matris Tereſiæ à IESV, in qua ſuum erga IESV Societatem affectum luculentiſsimè manifeſtat.

45. Occaſione Reuelationis nu. *præced* adductæ Epiſtolas præclariſſimæ huius in Eccleſia Magiſtræ relegens, in ea hæſi, qua amorem ſuum erga Societatem noſtram teſtatiſſimum eſſe voluit. Eſt illa Ordine 20. quam non grauabor & Hiſpano, in quo ſcripta eſt, & Latino ſermone, ad omnes penetrare facili nationes, vti omnium notitia digniſſimam exhibere. Occaſio ſcribendi, ſicut & argumentum, in ipſo elucet textu, & is ad quem ſcripta, P. Ioannes Suarez fuit Caſtellanæ Prouinciæ Prouincialis, vir ſanè magnus, de quo egregia memoria in Annalibus & hiſtorijs Societatis. Huic ergo illa ſic:

AL MVY
REVERENDO PADRE
PROVINCIAL
DE LA COMPAÑIA
DE IESVS
DE LA PROVINCIA
DE CASTILLA.
IESVS

LA gracia del Eſpiritu Santo ſea ſiempre con V. Paternidad Amen. Vna carta de V. Paternidad me diò el Padre Retor, que cierto à mi me ha eſpantado mucho, por decirme V. Paternidad en ella que yo he tratado que el Padre Gaſpar de Salazar dexe la Compañia de IESVS, y ſepaſſe à nueſtra Orden del Carmen: porque Nueſtro Señor aſi lo quiere, y lo ha reuelado.

Quanto à lo primero ſabe ſu Mageſtad que eſto ſe hallarà por verdad, que nunca lo deſeè; quanto mas procurarlo con el. Y quando vino alguna coſa de eſſas à mi noticia, que no fue por carta ſuya, me alterè tanto, que ningun prouecho me hizo para la poca ſalud, que entonces tenia: y eſto hà tan poco, que debi de ſaberlo harto deſpues que V. Paternidad à loque pienſo.

Quanto à la reuelacion que V. Paternidad diſe, pues no auia eſcrito, ni ſabido coſa de eſa determinacion, tan poco ſabria ſi el auia tenedo reuelacion en el caſo.

Quando yo tuviera la deſvelacion, que V. Paternidad dice, no ſoy tan liuiana, que por coſa ſemejante auia de querer hicieſſe mudanza tan grande, ni darle parte de ello: porque gloria à Dios, de muchas perſonas eſtoy en ſeñada de el valor y credito que ſe ha de dar à eſſas coſas, y no creo yo que el Padre Salazar hiciera caſo de eſſo, ſi no vbiera mas en el negocio, porque es muy cuerdo.

En lo que dice V. Paternidad, que lo aueriguen los Prelados, ſerà muy acertado, y V. Paternidad ſe lo puede mandar: porque es muy claro, queno harà el coſa ſin licencia de V. Paternidad, à quanto yo pienſo, dandole noticia de ello. La mucha amiſtad que ay entre el Padre Salazar y yo, y lamerced, que me hace, yo no la negare jamas, aunque tengo por cierto le ha movido mas à la que me ha hecho, el ſeruicio de Nueſtro Señor, y ſu Bendita Madre, y no otra amiſtad: porque bien creo ha acaecido en dos años no ver carta el vno del otro. De ſer muy antigua, ſe entenderà que en otros tiempos me he viſto con mas neceſidad de ayuda, porque tenia eſta Orden ſolos dos Padres Deſcalzos, y mejor procurara eſta mudanza, que ahora, que gloria à Dios, ay à loque pienſo, mas de ducientos, y entre ellos perſonas baſtantes para nueſtra pobre manera de proceder. Iamas he penſado que la mano de Dios eſtarà mas abreviada para la Orden de ſu Madre, que para las otras.

A loque V. Paternidad dice, que yo he eſcrito para que ſe diga que lo eſtorva, nome eſcriba Dios en ſu libro, ſi tal me paſo por penſamiento. Sufra ſe eſte encarcacimiento, à mi parecer, paraque V Paternidad entienda que no trato con la Compañia, ſi no como quien tiene ſus coſas en el alma, y ponria la vida por ellas, quantò entendieſſe no deſir vieſe à Nueſtro Señor en hacer lo contrario. Sus ſecretos ſon grandes: y como yo no he tenido mas parte en eſte negocio de lo que he dicho, y de eſto es Dios teſtigo, tam poco la queria tener en loque eſtà por venir. Si ſe me echare la culpa, no es la primera vez que padezco ſin ella: mas experiencia tengo que quando Nueſtro Señor eſtà ſatisfecho, todo lo allana. Y Iamas creerè que por coſas muy graves permita ſu Mageſtad que ſu Compania vaya contra la Orden de ſu Madre, pues la tomo por medio para repararla y renovarla, quanto mas por coſa tam leve. Y ſi lo permitiere, tomo que ſerà poſible, lo que ſe procura ganar por vna parte, perderſe por otras.

De eſte Rey ſomos todos Vaſſallos. Plegue à ſu Mageſtad que los de el Hijo, y de la Madre ſean tales que como ſoldados es forzados ſolo miremos adonde va la vandera de nueſtro Rey, para ſeguir ſu voluntad: que ſi eſto hacemos con verdad los Carmelitas, eſtà claro que no ſe pueden apartar los de el nombre de IESVS, de que tantas veces ſoy amenazado. Plegue a Dios guarde à V. Paternidad muchos añios.

Ya ſe la merced que ſiempre nos hace, y aunque miſerable, lo encomiendo mucho à Nueſtro Señor: y à V. Paternidad ſuplico haga lo miſmo por mi, que médio ha que no dexan de llober trabajos y perſecuciones ſobre eſta pobre vieja, y a hora eſte negocio no le tengo por el menor. Cõtodo doy à V. Paternidad palabra de no ſelo decir paraque lo haga, ni à perſona que ſelo diga de mi parte, ni ſelo he dicho. Es oy diez. de Febrero.

Indigna ſierua y ſubdita de V. Paternidad,

TERESA DE IESVS.

Latinus tenor.

ADMODVM
REVERENDO PATRI
PROVINCIALI
SOCIETATIS IESV
PROVINCIÆ CASTELLANÆ.

IESVS.

GRatia Spiritus ſancti ſit ſemper cum V. Paternitate. Amen. Quamdam V. Paternitatis Epiſtolam mihi tradidit P. Rector, quæ me profectò in ſtuporem vertit, propterea quod V. Paternitas in ea mihi ait, egiſſe me vt Pater Gaſpar de Salazar Societatem deſerat, & ſe ad noſtrum transferat Ordinem Carmelitarum: quia ſic Dominus noſter vult & reuelauit.

Quantùm ad primum nouit eius Maieſtas hoc ſemper probandum verum, me numquàm id deſideraſſe, & multò id magis cum ipſo procuraſſe & quando tale quid in meam deuenit notitiam (quod per litteras eius non fuit) ita commota ſum, & adeò magna ſum affecta moleſtia, vt nihil inde vtilitatis ad valetudinem aduerſam contulerit, qua cum tunc conflictabar: & hoc tam euenit nuper, vt id diu poſt reſcierim, quam V. Paternitas, vt reor.

Quantùm ad reuelationem, de qua V. Paternitas loquitur, quandoquidem nihil aut ſcripſeram, aut cognoueram de tali determinatione, ex eo fit, vt neque ſcierim an ille circa caſum reuelationem habuiſſet.

Quòd ſi ego eam diſreuelationem habuiſſem, quam V. Paternitas dicit, non adeò leuis ſum, vt propter rem huiuſmodi, mutationem adeò magnam ab ipſo fieri fuiſſem volitura, neque illam participare ipſi, quia (Deo ſit gloria) à multis ſum edocta perſonis de valore & fide, quæ eſt talibus adhibenda, & credo equidem Patrem Salazar nihil hic facturum, ſi nihil ampliùs in negotio interueniſſet, eſt enim valde cordatus.

In eo quod V. Paternitas ait, vt id explorent Prælati, erit quidem valde expediens, & V. Paternitas ita illis poteſt imperare: quia compertum eſt nihil eum facturum ſine licentia V. Paternitatis (quantum ego aſſequor) ipſi notitiâ de re præſtita. Magnam amicitiam, quæ inter Patrem Salazar, & me intercedit, & quem mihi fauorem impendit, ego numquàm inficiabor: quamuis pro certo habeam ad id illum magis zelo diuini ſeruitij, & eius Benedictæ Matris, quàm alio affectu permotum, nam benè credo integrum tranſiſſe biennium, in quo mutuis non fuerimus litteris collocuti. Ex eo quod adeò ſit illa antiqua poterit deprehendi alijs me temporibus magis ſuccurſu indiguiſſe: nam Ordo iſte duos ſolos Diſcalciatos habebat, & ita meliùs mutationem iſtam accuraſſem, quam modò, cùm (ſit Deo gloria) pluſquàm ducenti ſunt, vt arbitror, & inter eos perſonæ idoneæ ad pauperem noſtrum procedendi modum. Numquam exiſtimaui manum Dei magis abbreuiatam futuram erga ſuæ Matris Ordinem, quàm erga ceteros alios.

Ad id quod V. Paternitas inquit ſcripſiſſe me vt diceretur à me impediri, non me Deus in ſuo ſcribat libro, ſi vel cogitatione id præuolante tractaui. Toleretur iſta exaggeratio, meo videri, vt V. Paternitas intelligat me non agere cum Societate, niſi vt eam decet, quæ res ipſius in anima habeo, & vitam pro ipſis exponerem, quamdiu putarim Domino noſtro non diſplicere contrarium effeciſſe. Magna eius ſunt arcana: cumque ego plus operæ, quàm à me dictum, in hoc non adhibuerim negotio, pro quo teſtis mihi eſt Deus, neque in eo, quod eſt futurum, partem aliquam habere vellem. Si culpa mihi imputata fuerit, non id primò accidet, cùm patior abſque illa: ſed experimento comperi, cùm Deo eſt ſatisfactum, omnia ipſum complanare. Neque vnquam credam propter res valde graues eius permiſſuram Maieſtatem, Societatem ſuam contra Ordinem ſuæ Matris inſurrecturam, quandoquidem ipſam vt medium aſſumpſit id illum reparandum & renouandum: quantò id potiùs ob rem adeò leuem? Quod ſi permiſerit, vereor futurum poſſibile, vt quod ex vna parte lucrari intenditur, per alias diſperdatur.

Omnes huius Regis Vaſſalli ſumus. Faxit eius Maieſtas, vt & qui Filij, & qui Matris, ſint tales, vt veluti ſtrenui milites ſolùm inſpiciamus quò tendat vexillum noſtri Regis, vt eius voluntatem proſequamur: hoc enim ſi Carmelitæ verè faciamus, manifeſtum eſt diſceſſionem non poſſe facere eos, qui Nomine IESV gaudent, pro quo toties comminationibus ſubiaceo. Vtinam Deus V. Paternitatem multos hoſpitet per annos.

Qua nobis beneuolentia faueat perſpectum habeo, & quamuis miſera valde Domino noſtro commendo, & V. Paternitatem exoro, vt idem pro me præſtet. Seſqui annus enim iam exactus, in quo laborum & perſecutionum ſuper hanc pauperem vetulam pluuia non ceſſat. Et præſens modo negotium inter minores non computo. Nihilominus V. Paternitati fidem obſtringo meam, nec verbum illi dicturam, vt id faciat, neque alicui vt meo nomine illud dicat, quod nec dixi. Eſt hodie dies decima Februarij

Indigna ancilla & ſubdita V. Paternitatis.

TERESIA A IESV.

Laudata Diua parens, effectu Societatis gratiſſimo in eamdem declarato.

47. Ecce Litteras Illuſtriſſimæ gemini Ordinis in Dei Eccleſia commendatiſſimi Fundatricis, magiſterio cœleſti percelebris, Apoſtolici ſpiritus Heroinæ, in Domini ſabaoth, id eſt exercitium, primariis Copijs Amazonis, Orbis vtriuſque delitij, vexilliferæ ſanctitatis: quas quidem velut pretij incomparabilis theſaurum debeat æſtimare Societas, adeò eius & effectu, & pretio in eiſdem commendata. Et eas quidem Illuſtriſſimus Dom. Palofox elegantibus notis exornauit, quibus nihil adijciendum videatur: addam tamen, quia & facile eſt inuentis addere, & in gloriam tanti redundat Auctoris, vt nihil in eius laudatione ſit ſatis, quæ ſuper omne ſe meritorum culmen erexit, *ſummâque locum ſibi legit in arce*; quamuis animus non ſit elogij concinnandi, quod eſt à nobis in Epithalamio & Amphitheatro præſtitum; ſed diſcutienda nonnulla, quæ & mores concernunt, nec ab inſtituto abeunt præſentis Opuſculi, in quo ea, quæ ad moralem Theologiam ſpectant præſertim pertractamus. Sit ergo illud ante alia, pro quo inquirit.

§. I.

An Beatiſſima Tereſia ſanctè potuerit eum, de quo agit, ad ſuum Ordinem inuitare, allicere, procurare.

48. NOn factum ab ipſa, ſed quid ſi faceret? Numquid in eo aliqua conſcientiæ labes?

Dico Primò. Stante inclytæ Virginis ſanctitate non eſt admittendum peccaturum ipſam grauiter, ſi mutationem dictam attentaret. Id eſt clarum, & multò magis ſtante illo arduo voto efficiendi quod perfectius eidem videretur in Sacris eius officijs celebrato. *Aſſertio 1. negans peccatum mortale.*

Dico Secundò. Neque peccatum veniale ſimiliter admittendum propter rationes dictas, cum proportione applicandas. Licet enim illud cum ſanctitate non pugnet ex ſubreptione & aduertentiæ defectu commiſſum; quando tamen tale eſt vt ex propoſito fiat, valde peculiarem ſuam affert inordinationem, & ita cum ſingulari ſanctitate ſtare communiter nequit & ſtudio ardenti perfectionis, quale in Beatiſſima Tereſia conſtat viguiſſe. Sic ego in Amphitheatro probaui in biennio poſt Sacrorum ſtigmatum impreſſionem exacto peccatum veniale non fuiſſe admiſſum à Seraphico Patre Franciſco; quia cum feruenti amoris æſtu, quo illius flagrabat cor, non poterat vlla ratione componi. Habiturum autem huiuſmodi peccatum inordinationem dictam cum aduertentia erga ipſam, per ſe loquendo, ex eo conſtat, quia negotium tale non erat vno actu ſubreptitiè adueniente peragendum, ſed multam requirebat attentionem, & eo in genere verſabatur, quod ob varias circumſtantias, inconuenientia erat non mediocria vel ſola tractatio eius allatura, & maiora multò, ſi effectum ſortiretur, vt dicetur ſtatim. *Etiam veniale.*

49. Dico Tertiò. Ratione bonæ fidei non poterat à peccato actio talis excuſari, ſi ſecundùm ſe eſſet tale, attento Diuæ Matris ſtatu. Id probatur, quia illa ſatis edocta erat à Deo, & eius miniſtris, quibus ad conſcientiæ ſuæ directionem vſa eſt, nullum graue negotium ab ipſa ſine directione huiuſmodi obeundum, & in eius defectu magnum ſubeſſe periculum. Atqui negotium dictum erat ſatis arduum: mutatio inquam Religionis in homine æſtimationis tantæ, cui & Religio munus adeò graue commiſerat, Rectoris inquam Abulenſis Collegij, ex qua inter duas Religiones tunc ferè naſcentes, radices poterant amaritudinis ſurſum germinare, & ita impedire bonorum multorum fructus, iuxta Dui Pauli illud Hebr. 12. v. 12. & 13. *Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit* *Ratione bonæ fidei non excuſandum.* *Hebr. 12. v. 14. & 15.*

videbit Deum : Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei : ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat, & per eam inquinentur multi. Quod quidem præſenti cauſſæ venit penitus adaptandum. Accedit votum de complectenda perfectione, quod in caſu prædicto locum habebat, ſiquidem conſultatio pro illo ſine dubio erat melior, ex qua nullum ſequi incommodum poterat ; cùm tamen ex oppoſito non leuia poſſent inconuenientia pertimeri. *Fili, ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pœnitebis.* Sic ſpiritus ſanctus, qui & Concilij ſpiritus eſt. Iſaiæ. 11. v. 2.

Eccli. 32. v. 24.

Celerem poſt Conſilium executionem laudat in illa Scholaſtes.

50. Laudat in Diua noſtra Dom. Palafox in *Annotat. ad Epiſt. 65. n. 28.* celerem poſt Conſilium executionem ab ipſa ſuis in Monialibus requiſitam, quod ex verbis illius elicit. *n. 8. dictæ Epiſtolæ*, vbi tamen id neque inſinuatum apparet. Sed ſit ita vt ille exiſtimat ; conſilium tamen vt firmum fundamentum executioni præiaciendum. Et celeritatem quidem executionis poſt conſilium acceptum ſignificatam eſſe ait à Politicis prudentibus axiomate illo : *Conſilium ſub manu* ; quia intellectum conſiliari, & manum exequi, idem futurum. Quod equidem & in humanis & in diuinis eſt rebus expediens ; & in iſtis magis : *Neſcit enim tarda molimina ſpiritus ſancti gratia* D. Ambroſius in Cap. 2. Lucæ. Quod eſt profectò eleganter dictum : ſed Conſilium ſub manu aliter videtur explicandum, vt ſcilicet promptum ſit, & quod eruditi aſſerunt, *ſub manu naſcatur.* Pro quo citatur Suetonius *in Auguſto. Cap. 49.* Vbi tamen de conſilio nihil, ſed de celeritate ad habendam notitiam eorum, quæ in Prouincijs gererentur, pro quo erant in vijs, qui annuntiarent celeriter diſtributi. Quando autem res poſtulat vt cum Deo tranſigatur non deproperandam executionem citatus Prælatus in Epiſtolæ eiuſdem Adnotationibus n. 29. 30. & 31. dignus qui audiatur, obſeruat : ſit enim ibi : & eſt res.

Conſilium ſub manu quid.

D. Ambroſ.

Suetonius.

Dom. Palafox.

Et eſt res notatu digna : quòd cùm ita eſſet, vt de materia fundationis ageretur adeò inclinationi Sanctæ conformi, & quæ illi adeò videbatur comperta, vt non egeret conſultatione, nec in ea harendum videretur (ſic enim ſcripſerat) nihilominùs noluit epiſtolis reſpondere priuſquàm ad Deum per orationes recurſus haberetur.

Sine Deo conſulto nihil aggreſſa D.T

Sed numquid non clarum ? Numquid non reprehendit dilationes interpoſitas, & conſilia, ac conſultationes ? Ita ſane : ſed erant illa conſilia, & conſultationes creaturarum, & inter creaturas ; ſed ad conſulendum creatorem tendere, & per orationem conſultationem inire, non ſolum non prohibet calamo, ſed & exemplo confirmat. Oratio non ſolùm eſt id, quod decernitur, præceſſura, ſed & ſe comitem præbitura ; quia merum eſt periculum, & inchoare & exequi, & ſequi & proſequi, & finem imponere ſine Oratione.

Immò quia materia erat valde cordi eius adblandiens, & valde eius exiſtimationi conforme Fundationes facere, id in oratione conſultura perrexit. Quia in illis rebus, in quibus habendum decretum inclinationibus noſtris conforme, cautiores ſumus : lentiores, cunctatioreſque futuri & conſultationibus iteratis ea in orationibus reuoluturi, ne mea ſit inclinatio qua deliberat, cùm Deum arbitror *Decretorem. Hoc eſt expedientiſſimum axioma, quod ſi ad praxim aduocaremus, maximas nobis vtilitates conciliaret.* Hæc ille. Ex quibus habemus Diuam Matrem non potuiſſe in negotio tanto bona fide ductam errare, quia & humana ac diuina conſultatione præmiſſis, vt poterat amantiſſimus ſponſus, de quo ſcriptum Iob. 36. v. 32. & 33. *In manibus abſcondit lucem, & præcipit ei vt rurſus adueniat : Annuntiat de ea amico ſuo* (quid ſponſæ ?) *quòd poſſeſſio eius ſit, & ad eam poſſit aſcendere.* illumne in errorem ruere denegare ?

52. Dico Quartò. Per ſe loquendo in caſu dicto agere vt mutatio talis fieret non poterat ſine graui ſtare peccato. Probatur ex communi Scriptorum doctrina, iuxta quam, etiam cùm per Eccleſiaſticos Canones mutatio licet, illicita grauiter redditur, ſi Religio, de qua deſerenda agitur, graue ſit incommodum perpeſſura. Quod quidem ex *Cap. Licet* de Regularibus, eliciunt, in quo ſic habetur : *Ne quis ex temeritate vel leuitate, in iacturam, vel iniuriam ſui Ordinis, ſub prætextu maioris religionis ad alium Ordinem tranſuolaret.* Sic ibi, de priuilegijs anteà conceſſis inducta mentione. Quæ quidem quomodocumque accidat, eſt vitanda. Accedat & regula illa in eodem Capite ab Innocentio Tertio conſtituta, ſic dicente : *Quoniam, ſicut maius bonum minori bono præponitur, ita communis vtilitas priuatæ vtilitati præfertur.* Vbi licet de Epiſcopis agat, qui ſine licentia Pontificis nequeunt deſerere Præſulatum, ad caſum etiam mutationis Regularium, de quo egerat, manifeſtè debet extendi, quia & in illo eadem ratio militat, vt ſcilicet mutatio dicta non fiat, quando etiam ſi maior eius, qui eam intentat, futura eſſet vtilitas, communi eſt tamen vtilitati obfutura, vt eſſe conſtat, ſi cum boni nominis iactura, & circumſtantijs alijs contingat, ex quibus ſcandalum non leui fundamento timeatur. Videndi P. Suarius *Tomo 4. de Religione. Tract. 8. Lib. 3. Cap. 9. n. 6.* P. Thomas Sancius *in Opere morali Lib. 6. Cap. 7. n. 11.* P. Palaus *Tomo 3. Tract. 16. Diſput. 4. Puncto 16. §. 3. n. 1.* qui alios adducunt. Conſtat ex dictis *n. 49.* quàm eſſet exitialis futura mutatio dicta, cui Societas occaſionem dediſſet nullam, quod in huiuſmodi rebus expendendum Auctores obſeruant : ſi enim Religio occaſionem præbet iniuriosè agens cum ſubdito, illius deſertio, etſi iniurioſa videatur, reuera talis non eſt, quia ille vtitur iure ſuo, & iacturam ſuam iacturæ illatione compenſat, vel potiùs dum bono ſuo conſulit, damnum non curat aliorum, ſed illud permittit, quod velle directè nequit ; eſſet enim id contra charitatis leges : quia verò eſt aliquomodo voluntarium, dici poteſt modum aliquem compenſationis intercedere, dum iniuria iniuriæ irrogatione rependitur, & ſic æqualitas non iniurioſa ſeruatur : licet enim dicatur iniuria ea quæ à Religioſo Ordinem deſerente videtur inferri, reuera formaliter talis non eſt, ſed materialiter ; ſi enim formaliter talis eſſet, minimè talis deſertio licèret.

4. Eſſe grauia peccatum prædictam moliri mutationem, quæ in Religioſi regulariter damnabilis. Cap Licet.

Iniuria in Ordinem fieri poteſt.

53. Dices à Sancta Matre actionem dictam rem valde leuem indicari ibi : *Quanto mas por cuatan leue.* Sed hoc certè non obſtat ; rem enim leuem dicit, non quòd in ſe talis eſſet, ſed quòd fundamento ſolido careret, cùm minimè tale quid in mentem dixerit incurriſſe. Quod verò in ſe leuis non fuerit, ſed momenti magni, ex ipſius epiſtolæ tenore integro compertum habetur : & ex

Quomodò actionem dictam dicat rem leuem, cùm ſit adeò grauis.

ex eo ſpecialiter quòd ad amoliendam ſuſpicionem execratorio eſt vſa iuramento, & verbis magno profectò ſenſu plenis. Quod idem repetit alio ſtylo, Deum teſtem aduocans : quòd inter labores & perſecutiones, quæ per ſeſquiannum eidem incubuerant hanc cenſeat, nec minorem alijs, numerandam. Quod & confirmat Illuſtriſſimus Scholiaſtes, ita *n. 5.* ſcribens, poſtquam in Sancta Matre excandeſcentiæ laudabilem ardorem ponderârat ; *& quare non iraſceretur, ac ſe tueretur Sancta Tereſia, ſi in quæſtionem adducebatur amor, quo ipſa Religionem adeò Sanctam, qualis eſt Societas, proſequebatur ? Cur non iraſceretur, quandoquidem imputatur ipſi quòd vna manu Filys eius ad ſuas Fundationes vteretur, & alia maioribus & melioribus Filijs eam ſpoliabat ? Cur non excandeſceret, & ſe defenderet. Si cor adeò ſanctum, ingenuum, ſincerum, quale Sanctæ erat, vt duplex traducebant ? Cur non iraſceretur, quandoquidem eo ipſo priuabant ſtricto amicabili commercio cum Religione adeò docta & Sancta ?* & nonnullis interpoſitis ſic pergit : *Eſſetne melius vt propter non diſſectam à Sancta huiuſmodi impoſturam, neque eam in ipſo ortu ſuffocantem, duæ Religiones, quas vno partu produxit Eccleſia ad mundi bonum, & vniuerſalem Fidelium lætitiam, luctantes naſcerentur, ſicut Iacob & Eſau, aut ambitioſa æmulatione ob primogenituram, quemadmodum Zara & Phares ? Multò id melius diſpexit Sancta, quæ magnanimo ſpiritu errori occurrit, eumque diſcuſſit, fugauitque, & gladio ſpiritus, veritatis, fortitudinis, ſinceritatiſque proſtrauit.* Hæc ille & alia, piè ſatis, ſubtiliter, & eleganter adnotata.

Dom. Palafox.

§. II.

Quid in prædicto caſu operari potuerit Reuelatio.

54. NOn extitiſſe reuelationem res ipſa reddidit manifeſtum, quia non eſt illam ſubſecutus effectus, neq; Diua parens in ſe agnoſcit, neque in Patre Salazar admittendam, videtur innuere verbis illis : *& credo equidem Patrem Salazar nihili id facturum, ſi nihil amplius in negotio fuiſſet : eſt enim valde cordatus.* Sed reuera ad ipſam ſolùm ſpectaſſe id, quod de reuelatione fuerat euulgatum, quod & eodem loco ſatis ab eadem indicatum : cùm enim de reuelatione ad ſe ſpectante locuta fuiſſet, addidiſſetque ſatis ſe inſtructam circa materiam talem, ſcireque quantùm fidei debeat reuelationibus adhiberi ad Patrem Salaſar progreditur affirmans adeò illum eſſe prudentem, vt neque ipſe reuelationi, de qua erat ſermo, fidem eſſet, niſi plus aliquid in eo eſſet negotio, præſtiturus. Erat enim ille ex ijs vnus, quos eo in genere habuerat ipſa magiſtros, vnde & qui non facilè acquieſceret talibus, niſi magno impenſo examine, & aliunde adminiculis aduocatis. In quo & cœleſtem habuerat illa Doctorem, vt ipſa refert *Cap. 27. vitæ.* Cùm enim iam eius ſpiritus probatus fuiſſet, & ex Deo viſitationes illas extraordinarios aduenire conſtaret, quidam eius Confeſſarius eidem præcepit, vt illas apud ſe, Confeſſario etiam tacitas, contineret. Quod quidem ſibi diſplicuiſſe teſtatus Dominus,

P. Salazar prudentiam laudat.

Confeſſario potius quàm reuelationi-bus obſecun.

& ita eidem iniunxit, vt quidquid tale accideret, Confeſſario penitus aperiret : *Quia in hoc magna erat ſecuritas, & in contrario fieri poterat vt aliquando falleretur.* Quæ ſunt Domini verba : & ijs præmiſſis ſic ſubdit : *Quoties mihi Dominus aliquid in oratione iubebat, ſi Confeſſarius iniungebat oppoſitum, Dominus mihi dicebat iterùm vt eidem obedirem.* Teſtimonio ergo Domini, reuelationibus nimiùm credula, dum eas apud ſe tacitas ſeruat, periculo ſe erroris exponebat, vnde & Confeſſarij oraculum illi erat potius, ipſo Domino ſic miſericorditer & humaniter annuente. Ex quo fit Patrem Salazar, etti reuelationem circa mutationem audijſſet ſuam, non ſtatim delaturum ipſi, ſed prudenter repulſurum : quia cùm reuelationi ſubeſſe quandoque falſum ſciret, de illa, quæ rem adeò notabilem, & periculis expoſitam continebat, prudentiſſimè poterat non veritati conſonam iudicare. Et hoc eſt quod Sancta Mater inſinuat, dum eum valde cordatum proteſtatur.

55. Hinc eſt etiam vt P. Ioannes Suarez Prouincialis de reuelatione tali ſimiliter iudicarit, vocans eam, non reuelationem, ſed diſuelationem, cui minimè fides deberetur. Sunt enim aliqua adeò abſurda, licet aliàs poſſibilia abſolutè loquendo, vt ſi circa illa reuelationem extare audiemus, ſine ſcrupulo eam vti fundamento carentem poſſimus reiectare. Abſurditas autem contingere poteſt, ſi ex reuelatione alicuius infamia ſequatur, ſi quidquam minimè neceſſarium ad effectum aliquem, qui eſſe iuxta humanam diſpoſitionem poſſet, ſi diſpenſationem in aliqua lege contineat, quæ cum ſcandalo ſit futura, ſi de breui aliquorum Purgatorio procedat, qui depraua tè vixerunt, & ſic alia, pro quibus videri poteſt Dom. Arauxo *in Deciſionibus moralibus. Tract. 3. Quæſt. 23. §. 2.* vbi ex multis, quos citat, regulas ad dignoſcendas reuelationes prudenti elucidatione proponit, ex quibus aliquæ ad præſens poſſunt negotium conuenienter deriuari, vt ex dictis apparet. Vbi & illud congruit, quod de reuelationibus dicitur feminarum. Reuera enim in talibus, etſi probæ ſint, multæ exiſtimantur reuelationes, quæ tales non ſunt : & vt à malo ſpiritu non eſſe dicamus, à proprio certè ſæpiùs veniunt, dum id, circa quod voluntas vehementiùs propendet, imaginationi tenaciùs inhæreſcit.

Quæ reddant ſuſpectam reuelationem.

Dom. Arauxo.

56. Pro quo & habetur eiuſdem S. Matris monitum poſt mortem datum, vt legitur, poſt eius Epiſtolas, & eſt primum ex dictis, licet Nonum in ordine, inſigni & venerabili virgini Catharinæ à IESV ſui Ordinis Religioſæ in hæc verba ad Prouincialis inſtructionem directa : *1. vt nihil ſcribatur, quod ſit reuelatio, nec de illo curetur : nam licet verum ſit multas eſſe veras ; tamen pro comperto habetur multas eſſe falſas & mendaces. Et durum ſanè eſſe operam nauari vt vna veritas inter centum mendacia eruatur : remque eſſe periculoſam : & pro eo multas mihi reddidit rationes. Primam, quòd quantò plus de hoc habetur, tantò plus à fide receditur : quæ lux certior eſt cunctis reuelationibus. Secundam, homines valde eſſe amatores huiuſmodi ſpiritus, & animam talia habentem facile Sanctificant : & id eſt negare ordinem, quem Deus ad animæ iuſtificationem inſtituit, per virtutes ſcilicet, & ſuæ legis ac mandatorum adimpletionem.*

Circa reuelationes D. Tereſiæ poſt mortem monita, ex quibus peculiaris doctrina circa præſens inſtitutum.

Ait 2. vt V. Paternitas valde hoc conetur auertere, quantùm potuerit, quia valde intereſt, & quòd maiori ex parte valde faciles ſcimus mulieres ad ſectandas imaginationes: & quia cùm prudentia & eruditio hominum deficiat, vt res ſuo in loco conſtituant, maius periculum ex hoc imminet ipſis. Ideoque addit ægrè laturam, vt eius filiæ ſuos legant libros: grandiorem præſertim, in quo de illius vita agitur: ne credant ſitam eſſe perfectionem illis in reuelationibus, & propterea illos deſiderent & procurent, vt eam imitentur. Et hoc modo multas patefecit veritates: & quod id, *quo fruitur modò, non illi propter reuelationes, quas habuit, fuiſſe conceſſum. ſed propter virtutes. Veſtramque Paternitatem ſpiritum ſuarum Monialium conuulſuram pergere, dum credit ipſarum bono conſulere, his locum præbens: & opus eſſe, etiamſi aliquæ ſint, quæ eas habeant, & valde certas ac veras, vt hoc diſiciatur, & faciat vt in hoc parum momenti conſtituatur, vt id quod parùm valet, & quòd aliquoties plus noceant, quam proſint. Et hoc adeò magna luce hauſtum, vt mihi deſiderium abſterſerit legendi librum noſtræ Sanctæ Matris.* Sic illa, addens inſuper nonnulla, quibus præſenti non eſt opus inſtituto.

Sine illius iniuria potuit reuelatio, quæ circumferebatur, repudiari.

57. Circa quam reuelationem latiùs excurrit Dom. Palafox Adnotationibus 53. prudenti elegantia ſuperfuſis. Ex quibus id habetur, quod intendimus, Patrem ſcilicet Ioannem Suarez potuiſſe meritò reuelationem, de qua erat rumor, vti ſuſpectam reijcere, Et quidem id potuit ſine aliqua S. Matris iniuria contingere, quia dictus Pater non apertè affirmauit reuelationem factam ipſi, ſed vt vidimus; *Quia ſic Dominus noſter vult, & reuelauit.* Et iterùm. *Quòd ſi ego eam diſuelationem habuiſſem, quam V. Paternitas dicit.* Licet enim reſpondeat amouendo à ſe criminationem dictam, modus tamen ipſe loquendi conditionalis oſtendit non fuiſſe ſibi reuelationem attributam, vnde & præmiſerat neſcire ſe an Pater Salazar *circa caſum reuelationem habuiſſet.* Pro quo & facit Adnotatio 14. citati Scholiaſtæ ſic ſcribentis: *Si veræ ſunt reuelationes, quamuis tales ſint, non niſi poſt mortem veræ declarantur, & rarò illas declarat Eccleſia.* Potuit ergo reuelatio, de qua fuerat ſparſus rumor, & contra quam tot militabant rationes, ſine iniuria diffiari. Quod & ſpiritui eſt ac verbis Matris ſanctæ conforme. Neque enim graue ſibi fuiſſe oſtendit, quòd reuelatio parui penderetur, quæ ſibi facta ferebatur, ex quo non bono ſpiritu ducta credi poſſet, quod à ſumma illius humilitate fuiſſet valde alienum. Sed quòd cum credi poſſet talem reuelationem habuiſſe, iuxta illam fuerit nimis credula eidem operata: vnde ſatisfactionem pro eo planiſſimam reddidit dicens ſatis ſe edoctam circa reuelationum credulitatem: idem ergo quod iam glorificata docuit, mortali in ſtatu conſtituta ſentiebat. Non igitur iniurioſum cenſere debuit, ſi ipſi iuxta proprium, & verè ſanctum ea in re ſenſum, dictus Pater loqueretur. Accedit quod de Patre Salazar illa protulit, ſatis fidele teſtimonium perhibens verbis illis *nu.* 54. poſitis: *& credo equidem Patrem Salazar nihili id facturum, ſi nihil aliud in negotio fuiſſet: eſt enim valde cordatus.* Sicut ergo Pater Salazar nihili potuit facere reuelationem dictam, ita & P. Prouincialis, vir eximiæ probitatis, & in rebus ſpiritualibus verſatiſſimus: pro quo, extat elogium à P. Euſebio Nieremberg propoſitum *Tomo 3. virorum illuſtrium Societatis pag.* 680. vbi ex fideliſſima relatione P. Ludouici de Valdiuia ſic habetur: *Fuit vir inſignis perfectionis, & valde ſolidarum atque heroicarum virtutum. Habebat puram & ſinceram intentionem in omnibus ſuis actionibus, & magnum orationis donum, & modum agendi cum Deo familiarem, ſicut amicus cum amico. Multa fuerunt exempla, in quibus hoc deprehenſum* &c.

Dom. Palafox.

P. Euſebius.

P Ioannis Suarez. elogium.

58. Et vt circa reuelationem præfatam S. Matris non nihil addam, id certè non prætermittendum, quod difficultatem videtur non leuem importare. Siquidem ſeipſam in ſuſpicionem adducit: ſi enim è centum reuelationibus non ſine magno labore eruj vnius alicuius veritas poteſt: ergo & huius non habenda ratio, quæ non è centum vna, ſed ex paucioribus: & vt ex illis, in ea difficultas præfata extat, vt debeat vera reputari. Vidit hoc Dom. Palafox, & *nu.* 17. velut occurrens obiectioni ſic loquitur: *Itaque ex centum reuelationibus nonaginta & nouem ſunt falſæ, & vna tantùm vera, iuxta opinionem Sanctæ. Et aduertimus vnam eſſe opinionem hanc, quam & in cælo tenet: & opinio, quæ in cælo tenetur, non eſt opinio probabilis, quia in cælo ſinitum eſt probabile, & viuitur cum certo, & inde quod eſt dubium abeſt, & viuitur cum euidente, & cùm reuelatio hæc una illa ſit ex centum vera (vt ego piè credo: affert enim ſecum excellentiſsimam doctrinam) nec ſit ex nonaginta nouem, in eo caſu doctrina hæc eſt, critque veriſsima.* Hæc ille. Iuxta quæ reuelationes aliæ ibidem adductæ erant de numero falſarum, quandoquidem vna hæc veriſſima reputatur: vna quidem è centum, cùm ſint aliæ ex nonaginta nouem numero, & ita de numero non verarum. Ad quid ergo adducentur illæ, & orbi vniuerſo proponuntur, adnotationibus adiectis, & detectis defectibus, quæ ſatius fuiſſet in Religioſiſſimis S. Matris filijs latuiſſe?

Dicta reuelatio quid contra ſe habere videatur.

Dom. Palafox.

59. Prætereà, ſi propter excellentiſſimam doctrinam, quam hæc reuelatio continet, vti vnicè vera debet recipi, erunt profectò alij, qui cenſeant aliquam aliam ex præfatis ea prærogatiua gaudere, re enim vera omnes excellenti doctrina ſunt præditæ, vnde & ſecluſis reuelationibus illa eſt creditu digniſſima, immò & aſſenſu firmiſſimo, & ideò citatus Dom. Palafox circa 9. *nu.* 4. ita ſcribit. *Huic ſanctæ Virgini* (Catharinæ ſcilicet à IESV) *monita aliqua S. Tereſia eius Mater dictitabat, vt ea Prouinciali communicaret: taliaque illa ſunt, vt perſpicuè appareat è cælo illa nata ad reddendam terram meliorem.* Non ergo ex illis vna tantùm reputanda vera; vel ſi aliarum vacillat fides, ea, de qua agimus, pariter, & fortè pluſquàm aliæ vacillabit.

E centum non vna tantum, ſed plures credenda videntur.

Idem.

60. Item, vt Sancta Mater affirmat, ex reuelationibus multæ ſunt veræ: *Nam licet verum ſit multas eſſe veras*, quæ ſunt eius verba: circa quæ ſic citatus Interpres, *n.* 15. *Aduertendum eſt etiam ipſam dicere multas eſſe veras in Eccleſia: vt non cum temeritate procedatur in qualificando, & adhibendo fidem reuelationibus, tam condemnando, quàm audiendo, aut cenſuris inurendo: ſiquidem quæ falſæ eſſe poſſunt, etiam poſſunt eſſe veræ, & in Eccleſia ſicut ſunt ſancti, qui amant Deum, etiam Deus, qui aliquando*

Multa vera iuxta D. M.

Idem.

aliquando huiuſmodi ſanctis facit veritates reuelatas & certas; & neque hoc tamquam impoſsibile condemnandum, quod eſſet inſania, aut etiam error: neque vt ordinarium, quia eſſet leuitas. Hæc ille iuxta quæ aliter videtur de reuelationibus ſentiendum: non ſcilicet tot eſſe falſas, vt inter centum vna ſolummodò vera reperiatur. Neque enim Dei amici, quibus ſua Deus ſecreta reuelat, adeò pauci ſunt, vt eiſdem multas veritates notas factas inficiari debeamus. Non ergo ex centum reuelationibus vna tantùm vera, ſi de ijs loquamur, qui probatæ virtutis ſunt, & præſertim in vera humilitate fundati. Vnde & illud Theodidactus ſcriptor *Lib. 2. de Imitatione Chriſti Cap. 2.* Siue Thomas de Kempis ſit, ſiue alius, circa quod controuerſia: *Humilem Deus protegit & liberat: humilem diligit & conſolatur: humili homini ſe inclinat: humili largitur gratiam magnam, & poſt ſuam depreſsionem leuat ad gloriam. Humili ſua ſecreta reuelat, & ad ſe dulciter trahit & inuitat.* Sic ille. Dum Diua Parens in viuis ageret, regula ab eâdem, vt dicitur, tradita, eâdem qua modò firmitate conſtabat: vt ſcilicet ex centum reuelationibus vna eſſet vera. Valebit ne ergo tunc conſequentia iſta? Ergo ex reuelationibus Diuæ Tereſiæ factis vna tantummodò vera fuit, reliquæ falſæ. Quis ita delirârit? Cùm illius reuelationes, quas ſcilicet ipſa conſcripſit, tanta in Dei Eccleſia auctoritate gaudeant, vt quodammodo, dum in ſacris leguntur officijs, Canonizatæ videantur.

Thomas à Kempis, aut aliud.

Præſu eum pro ea curationum dicta regula non obſervanda. cùm ſint acta à Doctoribus tracta.

61. Deinde. Si centum proponantur reuelationes ab ijs explorandæ, quorum intereſſe poteſt, abſurdiſſimè ſe gerent ſi perſonis probatæ virtutis factæ ſint, præfatam regulam applicantes, & dicentes cœco impetu vnam ex illis veram eſſe, falſas reliquas, quandoquidem aliæ regulæ apud Eccleſiaſticos Magiſtros extant ad earum veritatem aut falſitatem dignoſcendam, de quibus citatus Magiſter Franciſcus de Arauxo, num. 55. alios ſecutus, ex quibus eſt P. Martinus Del Rio *Diſquiſit. magicar. Lib. 4. Quæſt.* 3. per ſex eruditione pleniſſimas ſectiones, vt de more ipſi: nec prætereundum id, quod habet Sect. 1. Lit. B. vbi ita ſcribit: *Ad hæc autem nulla magis neceſſaria diſpoſitio ſpiritus, quàm ſolida humilitatis: vt enim docet Moſes apud Caſsianum, Solis humilibus à Deo hæc cognitio datur.* (Scilicet diſcretionis ſpirituum.) *Denique non eſt, iudicium præcipitandum, ſed res Deo diligenter priùs communicanda, & multum ſcrutinium mentis faciendum.* Sic ille, Scripturæ Sacræ exemplis id ſtatim exornans, & corroborans. Cùm ergo præcipitandum iudicium non ſit, neque aſſerendum pariter ex multitudine reuelationum vnam, aut nullam eſſe veram, quando de ipſarum qualificatione tractatur. Et quidem ſi è centum vna; quando minor eſt numerus, dici ſine temeritate poterit nullam eſſe veram, aut nulli eſſe fidem adhibendam: quod manifeſtum eſt contra regulas dictas militare.

P. Martin. Del Rio.

Præſu Eccleſia non reprobantis reuelationes, etſi aliqua fuerint non vera deprehenſa.

P. Lancit.

62. Id quod roborari ampliùs poteſt ex eo quòd licet multæ perſonæ ſanctæ circa aliqua, quæ ſibi reuelata exiſtimabant, fuerint hallucinatæ, non ideò reuelationes omnes illarum ſuppreſſæ ſunt, ſed publicè lucidatæ, cum bona Sedis Apoſtolicæ venia. Pro quo præſtat audire P. Lancitium ſingulariſſimæ diligentiæ Scriptorem Tomo 2. Opuſculorum ſpiritualium. Opuſculo 11. Cap. 13. Col. 13. vbi ita loquitur: *Sciendum namque eſt quando perſonæ aliquæ piæ abſtractæ à ſenſibus aliquid loquuntur, ſæpe eas loqui ex proprio ſenſu, & aliquando hallucinari. Hoc nimis certum eſt, & ſciunt rerum talium periti, & conſtat ex hiſtoriis Eccleſiaſticis authenticis, & Ego poſſem nominare quaſdam honeſtas & Sedis Apoſtolicæ Decretis relatas in numerum Sanctorum, quarum dicta & ſcripta in raptibus, & ex raptibus deriuatas legi, magnis hallucinationibus reſperſas, ideoque non permiſſas imprimi.* Sic ille. In ijs ergo, quæ imprimi permiſſa ſunt, præfatæ ſunt ſeruatæ regulæ: magno equidem documento, vt propter nonnulla minùs veritati conſona, quæ in reuelationibus eo nomine circumlatis occurrunt, neque admittenda videntur, non debeant alia, in quibus reprehenſibile apparet nihil, præcipiti iudicio reprobari. In quibus profectò non vna ex centum, ſed centum potiùs, nonnullis reiectis, approbatæ. Hoc ipſo, quo hæc ſcribo, die ex Martyrologio audiuimus S. Philippum Nerium dono Prophetiæ præditum: & in Lectione pro illius officio 5. ſic habetur: *Prophetiæ dono fuit illuſtris.* Et tamen ex fideliſſimo ſcriptore conſtat aliquid ab eo prædictum, ſine euentu ſubſecuto. Quod quidem & in Prophetis vſu venire ex D. Gregorio *Homilia 1. in Ezechielem* probat D. Thomas *2.2.q. 171. arti. 5.* Quomodo autem qui in eis poſſint errores accidere à Deo corrigantur ibidem ex eodem exponit, de quo & à Nobis dictum *Tomo 1. Theologicorum Problematum in Proluſione Apologetica num.* 220.

S. Philippi Nerij exemplum ſicut & in Prophetis. D. Gregor.

63. Ex quibus videtur non leui ratiocinatione deduci reuelationem, de qua agimus, non plenam mereri fidem: quod quidem nulli rectè ſentienti, ſecluſis affectibus, qui in rebus talibus ſeponendi, vbi ratio futura eſt iudex, & de diuinis coràm diuino iudice iudicandum, debet diſſonum æſtimari. Feminis ſanctis, & in numerum talium Apoſtolicæ Sedis ſententia relatis, hallucinationes quamplurimæ contigerunt, & Prophetas aliquando in errorem prolapſos, dum non Prophetica luce, ſed ſpiritu proprio inducti, ſunt locuti. Quid ſi Religioſæ inferioris gradus tale aliquid accidiſſe dicatur? Hic enim de S. Matris reuelationibus non agitur, cui, etſi tale aliquid accidiſſet, ſine illius poſſet dedecore vllo conſtare, vt & magnis Prophetis, & inſignibus in Eccleſia Sanctis ſexus vtriuſque vidimus accidiſſe. Pro quo videndus P. Alcaſar *Notatione* 22. in Apocalypſim, vbi & ſingulare exemplum adducit. Et hoc quidem in genere feliciſſima Beata Parens, in cuius reuelationibus nihil inuentum, quod falſitatis, aut hallucinationis quidquam viſum fuerit continere, vt dici merito de illa poſſit, quod Cardinalis Ioannes de Turracremata de Reuelationibus D. Birgittæ, ſcrutinium poſt exactiſſimum, protulit initio Defenſorij illarum, verba vſurpans, quæ Iudithæ dicta, & in eius habentur *libro Cap. 8. n. 28. & 29. Dixerunt Iudith Ozias & presbyteri: Omnia, quæ locuta es, vera ſunt, & non eſt in ſermonibus tuis vlla reprehenſio. Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier ſancta es, & timens Deum.*

Reuelationis dictæ nuzare fidem.

In D. T. reuelationibus nihil, quod eam non mereatur, inuentum.

Cardinalis Turracremata.

Iudith 8. v. 28 & 29.

64. Dicere ergo illa cum Paulo poteſt: *Nobis autem reuelauit Deus per ſpiritum ſuum: Spiritus enim*

Illius fides qua & Pauli.

1. Cor. 2. v. 10 D. Bernar.

enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. 1. Cor. 2. v. 10. & eidem D. Bernardus *serm. 8. in Cantica*, vbi præfatum locum adducit: *Confide quæcumque es illa, confide nihil hæsitans. In spiritu Filij, filiam agnosce te Patris, sponsam Filij, & sororem. Soror siquidem est, quia ex vno Patre: Sponsa, quia in vno spiritu. Denique qui adhæret Deo vnus spiritus est. 1. Cor. 6. v. 17. Sed audi etiam de Patre quàm dignanter & filiam eam nominat, & nihilominùs tamquàm nurum propriam ad Filij blandos inuitet amplexus: Audi (inquit) filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui, & concupiscet rex decorem tuum Psal. 44. v. 11. & 12.* Hæc ille, & alia Diuæ Matri specialiter applicanda, cui diuinus spiritus fauoribus insolitis attributus quem specie pulcherrimi vidit iuuenis flammis amabilibus connestitum; vnde & in visionibus suis potuit nihil hæsitans procedere, & soror & sponsa, quin & mater, quæ adeò numerosam prolem Militanti & Triumphanti Ecclesiæ procreauit, vsque ad ipsum mundi finem paritura.

Spiritus S. vt visus eidem.

Dici potest per hyperbolem locuta, vt stet veritas reuelationis, sic enim & loquitur Scriptura.

65. Quia verò mihi animus non est à doctis & pietate insignibus viris recepta conuellere: sit sanè reuelationi præfatæ sua fides. sed cum conuenienti eidem sensu piè & solicitè conquirendo: quandoquidem durum satis apparet vt è centum reuelationibus vna tantùm debeat vera iudicari. Videtur enim satis congruus esse ille, si dicamus Diuam Parentem per hyperbolem locutam more Scripturæ. Sic enim Psal. 13. v. 1. & 13. *Non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.* Quem locum adducit D. Paulus *Rom. 3. v. 12.* quod quidem D. Thomas hyperbolicè, & per exaggerationem dictum existimat. *Eccles. 7. v. 29. Virum de mille vnum reperi: mulierem ex omnibus non inueni.* Vbi & hyperbole, vt exponit P. Cornelius, & alij, volente Auctore sacro ostendere difficiliorem esse inuentu probam feminam & prudentem, quàm virum, vt est apud P. Tirinum: & ab illis animum sapientis auocare, vnde oportuit eas acriter perstrinxisse. Quia ergo Diua Teresia Religiosas suas volebat ab inordinato appetitu reuelationum auertere, ideò hyperbolicè locuta est, quod in ea etiam glorificata minimè censendum indecorum, quandoquidem spiritus sanctus in Scriptura sacra se illa indignum non fuerit arbitratus. Addo & illud Christi Lucæ 19. v. 40. *Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Cui non dissimile Iuuenalis illud:

Rom. 3. v. 12 D. Thom. Eccles. 7. v. 29. P. Cornel. P. Tirinus. Luc. 29. v. 40. Iuuenalis.

Secretum diuitis vllum
Esse putas? Serui vt taceant, iumenta loquentur,
Et canis, & postes, & marmora.

Matth. 19. v. 24. Tale & illud Matth. 19. v. 24. *Facilius est camelum per foramen acus transire: quam diuitem intrare in regnum cœlorum.* Vbi & hyperbole: quod à P. Maldonato sapienter adnotatum, sic exponente Domino difficultatem ingressus dicti, prouerbiali apud Hebræos vtente locutione.

Reuelationes quomodo dignoscendæ.

66. Difficile est ergo inter veras & falsas reuelationes iudicium ferre, quia falsæ plures, sed speciem præseferentes veritatis & pietatis, sed habet hîc locum, quod post præfatam de difficili diuitis in cœlum ingressu dictum à Domino v. 26. *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Quia scilicet per Dei gratiam id præstari potest, quod naturæ nequit viribus obtineri. Ideò & discerni spiritus per lucem à Deo impertitam possunt: quod Diua Mater luculenter expositum dereliquit varijs in locis: sed audienda in *Mansione 6.* vbi ita loquitur: *Si Confessarius habet experientiam, & per ista transiuit, exiguo temporis spatio indiget ad id dignoscendum: statim enim in ipsa reuelatione sitne Deus, aut imaginatio, aut dæmon, præsertim si diuina Maiestas donum ipsi discernendorum spirituum contulerit, illud enim si habet, & præterea litteras, quamuis experientiam non habeat, melius deprehendet. Illud autem summi momenti est, Sorores, vt cum Confessario valde planè & veridicè procedatur.* Sic illa. Non ergo monet vt reuelationibus ianua statim occludatur, vtpotè quę adeò frequenter falsæ, vt ex centum vna tantùm vera debeat æstimari, quod videbatur equidem dicendum, si res ita se haberet, & monitum eius posthumum cum eo esset rigore, quem præseferre videtur accipiendum: sed vt Confessario aperiantur, & illius stetur iudicio, si talis sit, qualem Diua Magistra esse desiderat; sin minùs is conquirendus, cui omnia possint securè committi extraordinario affatu, si ordinarius esse nequeat, quod ab ipsa præstitum, vt ex ipsius scriptis habetur manifestum. Reuelatio ergo, si vti certa recipitur, iuxta eiusdem illuminatissimæ Magistræ doctrinam regulanda, quæ reuelatione potior: de illa enim dubitari potest, non de ista, quæ & illius esse constat, & communi in Dei Ecclesia sensu roboratur.

Diua Teresia.

Cum Confessario sanctissimè res agenda.

67. Vbi & illud addidisse iuuat, non videri probandum id quod Religiosa Catharina affirmasse vidimus. *n. 56.* adeò magna luce Diuæ Matris monitum eidem instillatum, vt desiderium penitus abraserit legendi librum ipsius. Quod quidem Dom. Palafox quoad reuelationes accipiendum ait, & ita concludit n. 53. *Tandem ait V. mater Catharina à IESV,* (cui reuelatio facta est) *eâ sibi ablatum desiderium, quod habebat legendi librum vitæ Sanctæ: hoc est, reuelationes, quæ extant in vita Sanctæ: quod fuit ab ipsa desiderium reuelationum auferri & quantùm ad hoc mihi etiam detractum est, & omnibus detrahendum credo, qui eam legerint, & cordati fuerint, voluerintque per viam rectam, facilem, & apertam ambulare: quia desiderium reuelationum periculo est obnoxium, & sic desiderium imperfectionum, & quod deterius est, deceptionum & & illusionum.* Hæc ille, in quibus illud primò adnotandum, quòd cùm nominatur Religiosa præfata, illud *V.* non Virginem indicare, sed venerabilem, quia Virginem matrem vocari, etiam in Diua Teresia prohibitum à S. Inquisitione, dum ita in quibusdam eius imaginibus legebatur. Cur autem illud, satis est apertum, quia scilicet absoluta illa locutio errori erat exposita, & Deiparæ singulari excellentia videbatur vsurpari, cui tantùm id est proprium, vt Virgo & Mater absolutè debeat compellari. Et Venerabilem quidem vocauerat. *n. 3.* vnde iuxta dicta in præsenti iudicandum. Deinde Religiosa dicta de libro vitæ, & non tantùm de reuelationibus est locuta, & id videbatur consequens ad dispellendum penitus desiderium reuelationum, vt ipsa existimabat, quia illæ ita sunt narrationi historiali intermixtæ, vt sine illis non videatur plenam vitæ notitiam posse comparari. Et cùm ad reuelationes deuentum; per

Non probandum quod dicitur de non legendis libris S. M.

Dom. Palafox.

per saltum transcurrendæ, quod quidem cum præsenti obuersatione stare nequit, vnde & periculum est excitandi desiderium, si verè periculo exposita est earum lectio. Sed quidem nihil tale timeri potest, quandoquidem magisterio Sanctæ Matris cessat illud; & aliunde ex lectione dicta excitari pijssimi & vtilissimi affectus possunt, sicut ex vitarum Sanctorum aliorum lectione: quæ enim illarum est, si Religiosorum sunt, aut Confessorum, immò & Martyrum complurium; in qua non reuelationes aliquæ reperiantur? Quo in genere vita S. Matris excellit, quæ cum reuelationibus modum circa eas se habendi præscribit, & easdem humiliter ac prudenter declinandi. Legantur ergo ab omnibus, & ab alumnis præsertim, neque ea S. Matri irrogetur iniuria, vt liber vitæ eius cœlesti dispositione ac luce compositus, velut lapis offensionis, & petra scandali caueatur.

In ipso vitæ libro cautio pro periculo.

Ilium grauissima commendatio.

68. Pro quo valde expediet doctam & elegantem exhortationem perlegisse doctissimi Magistri F. Ludouici Legionensis, quæ vti illius approbatio, ex præscripto Regij Castellæ Consilij eidem præmittitur, in qua sic loquitur: *Itaque reuelationes, quæ hîc narrantur, non dubiæ sunt, nec ianuam aperiunt ijs, quæ tales sunt, sed potiùs lucem detegunt ad eas quæ tales fuerint dignoscendas: & ad huiusmodi cognitionem velut lydius lapis sunt libri isti. Restat nunc dicere aliquid ijs, qui in ipsis periculum inueniunt, propter eorum quæ tractant subtilitatem, quæ non omnibus apta iudicant: cùm enim tres hominum status sint, quorum aliqui in oratione se exercent; alij, qui, si vellent, possent in ea se similiter exercere: quidam denique qui non possent propter status sui conditionem: rogo qui nam ex ijs sint, qui ex lectione periclitentur? Spirituales ne? Minimè: nisi noceat alicui id ipsum scire, quod agit & profitetur. Qui vt tales sint, habent dispositionem? Multò minus; quia hîc habent non solùm qui eos manuducat quando tales fuerint, sed qui animet & accendat vt sint tales, quod est maximum profectò bonum. Iam Tertij in quo periculum habent? Quòd sciant Deum amanter cum hominibus agere? Inueniri ab eo, qui se ab omnibus humanis denudat affectibus? Delitias, quas animabus impertitur? Gaudiorum quæ ipsis confert, diuersitatem? Modum, quo eas depurat & emaculat? Quid hîc est, quod legenti non instillet sanctitatem, & (vt ita loquar) sanctificet? Quod in eo admirationem Dei non pariat, & in ipsius amore non accendat? Si enim consideratio horum operum exteriorum, quæ Deus in creatione peragit, & rerum gubernatione, schola est communis vtilitatis omnibus hominibus: cognitio mirabilium arcanorum ipsius quomodo potest esse cuiquam exitiosa? Quòd si aliqua propter suam prauam dispositionem damnum inde eliceret, ideò ne oporteret ianuam claudere adeò magnæ & quamplurium vtilitati? Concludit* tandem felices tantæ Matris filias allocutus: *& hac animaduersione Libera ab omni offendiculo tota hæc scriptura relinquitur, quæ, vt ego arbitror & spero, tantùm erit ceteris animabus proficua, quantùm in RR. V.V. quæ ea sunt educatæ, & eâdem aluntur, est videre.* Sic ille, non expleto quinquennio post D. Matris glorioſum exitum: scripsit enim *die 15. Septembris. An. 1587.* Quid si modò scriberet post eiusdem apotheosim, quando cum persona etiam Canonizata doctrina exorante Ecclesia *vt cœlestis eius doctrinæ pabulo nutriamur.* Non ergo auersanda illa, in qua est cœleste hoc pabulum constitutum. Et ego quidem quod ad me attinet ita conabor, qui ex voto hoc quotidie peto, semel & iterum Commemoratione illius recitata. Exaudiar vtinam, fauente ipsa, vt sperare iuuat à tenero illo & ardente in Societatem affectu; vnde & in hanc eiusdem minimam portionem, pro quo præsens discursus elaborat.

Ludouicus Legionen.

ADDITIO.

Circa Reuelationes pro Virginis Conceptione.

Materiam reuelationis vt expleat Mag. Arauxo.

69. MAgister Arauxo *in Decisionibus moralibus Tract. 3. Quæst. 69. n. 38.* de reuelationibus loquens, & regulas tradens, quibus veræ à falsis discernantur, affirmat obiectum diuinitus reuelatum debere esse conforme regulis fidei, & non eis contrarium, aut præter illas: *vnde si res reuelata* (verba illius sunt) *cadens sub opinione, & nondum ab Ecclesia diffinita; sed in scholis controuersa, talis reuelatio non est habenda pro diuina, sed à proprio spiritu loquentis, aut diabolico procedens, aut somniata, qui illam affectat tamquàm de fide certam prædicare, quod est velle addere nouam veritatem dogmatibus fidei. Vt si quis affectando spiritum Propheticum annuntiet sibi reuelatum esse à Deo auxilium efficax prædeterminarè physicè hominis voluntatem ad bonum, quod tenet opinio Thomistarum in materia de auxilijs diuinæ gratiæ: aut B. Virginem fuisse ab originali culpa præseruatam, quod tenet pia Scotistarum Schola: neutri est adhibenda fides, maximè si à factiosis proferatur, quia vnusquisque in caussa propria est testis suspectus, vnde immeritò, & contra hanc octauam regulam. Delrius vbi suprà* Sect. 4. & 5. in fine inquit potiùs adhibendam esse fidem reuelationi S. Brigittæ, qua protulit ex diuino *Spiritu B. Virginem fuisse à peccato originali præseruatam, quàm alteri S. Catharinæ Senensis, quam refert D. Antoninus habuisse de contrariæ opinione, videlicet quòd Dei Mater fuerit in originali peccato concepta. Immò hanc non fuisse Catharinæ reuelationem, sed eius epistolæ 16. superadditam ab eiusdem opinionis factiosis: cùm tamen neutra iuxta hanc regulam habenda sit pro diuina. Immò hoc mysterium crediderim fore reconditum, Deo sic ordinante, mortalibus, donec veniat dies illa, in qua Dominus manifestabit consilia cordium, & illuminabit abscondita tenebrarum.* Hæc ille.

70. Circa cuius ratiocinationem *Primò* aduertendum dictas sanctas semel, iterùm, & tertiò, eum vocare virgines, scilicet n. 5. *Visionibus Sanctarum Virginum Brigittæ & Catharinæ.* & num. 26. *Reuelationibus SS. Virginum Brigittæ & Catharinæ, & ex liuore contra dictas Virgines locutos.* In quo nimis crassus error, minimè Auctori tanto, sed alijs adscribendus, cùm de S. Brigitta & maritatam fuisse, & filios habuisse, atque in sancta viduitate vitam egisse sit notissimum, cuius & filia Sancta alia Catharina Virg. *die 22. Martij* in Romano Martyrologio memorata, stupendo celebris miraculo, dum Tiberis, vbi eius aquæ Virginis pedes attigere, retrorsum abijt, cùm tanta

S. Brigitt. *falsò vocata Virginem.*

Eius filia S. Catharina Virgo miraculo illustris.

P. Balingham. *Brigida alia natione Scota.*

tanta illius eſſet inundatio, vt Romani Vrbis interitum formidarent. Pro quo videri poteſt P. Balingham *in Kalendario* Virginis ad præfatum Martij diem. Fuit quidem & Brigida natione Scota & virgo & ſancta, quæ & Reuelationum libros duodecim ſcripſit, ſed obſcuriſſimos, & multò antiquior, vtpotè mortua *An.* 521. iuxta P. Tirinum, de qua & P. Poſſeuinus in Apparatu. Quòd ſi quiſpiam Auctoris lapſum eſſe velit, humanus equidem ille, & multis non euitatus Auctoribus. P. Tirinus in Auctorum Indice, quem habet *Tomo* 3. ita ſcribit: *Gaſpar Sanchez Hiſpanus Granatenſis è Societate IESV, Comment. in quatuor libros Regum & 2. Paralipom. in Iſaiam, Ieremiam, Threnos, & Prophetas minores. Item duos Tomos Concionum &c.* Vbi quidem ex duplici Gaſpare vnum facit. Et antiquior quidam Concionum Auctor, cuius & P. Riuadeneira in Catalogio Scriptorum Societatis honorificam intulit mentionem, & Granatenſis fuit: recentior verò, ſed illuſtrior ſcripturæ Interpres, non Granatenſis, ſed Centumputeolanus à Centumputeolo, oppido Toletano, & de illo, non de iſto locutus P. Poſſeuinus in Apparatu, qui citatur in margine. Vbi & error circa tempus mortis, dum illa ponitur *Anno* 1592. quod de Granatenſi eſt verum, de alio falſum, qui mortuus *die* 16. *Nouemb. An.* 1628. Tale aliquid occurrit in Scriptore Annalium Marianorum Societatis IESV, qui *n.* 865. P. Didaco de Torres Chuquiſacæ in Peruuio mortuo, narationem inſerens, cum alio eiuſdem nominis, qui Limæ me præſente interijt, apertè confundit, & diuerſa quæ vtrique acciderunt, quaſi eidem tribuenda proſequitur. Citatus enim in margine dies mortis & annus, ſcilicet 1693. 13. *Ianuarij*, errorem indicat manifeſtum: is enim fuit dies mortis eius, qui Limæ occubuit, P. Didaci de Torres Vaſquez non diu poſt initum Prouincialatum, vnde & magno cum totius Prouinciæ dolore, atque Excellentiſſimi Comitis de Chinchon, cui erat à Confeſſionibus, & apprimè charus, ab eximiam prudentiam, ſingularem probitatem, & ſpiritum ab humanis reſpectibus penitus abhorrentem. Sed his omiſſis, de quibus poſſem plura, vt iam ad rem.

Scriptor Annalium Marianor. P. I. N.

P. Didaci de Torres Vaſquez *laus, & mors.*

Lapſus in Scriptoribus non rari.

P. Tirinus.

71. Regula quidem præfata ab Auctore dicto eſt quidem propoſita, ſed non probata fundamento aliquo, propter quod ipſi vt irrefragabili adhærere debeamus. Cur enim Deus non reuelat aliquid, quod fuerat anteà ſub opinione? Quòd quidem, ſi reuelatio priuata ſit, non pro nouo dogmate eſt ſtatim accipiendum alijs in Eccleſia receptis copulandum, vt vniuerſim Catholica fide credatur. Quis hoc dubitet? Sicuti nec dubium eſſe poteſt quominùs reuelatio talis repellenda ſit, ſi eo modo, qui à præfato ſcriptore dicitur, proponatur videlicet. *Si quis illam affectat tamquam fi'e certam prædicare.* Si quis *affectando ſpiritum Propheticum annuntiet &c.* Hic enim procedendi modus ſpiritum non bonum indicat, vtpotè ſuperbiam & præſumptionem ſapientem. Quod ſecus accideret, ſi reuelatio talis humiliter accepta, & humiliter etiam Eccleſiæ miniſtris expoſita, rem fineret, qui, aut quæ illam habuit, eorum, quorum intereſt, iudicio diſceptari. In quo quidem D. Tereſia ſingulari exemplo præluxit, quæ in ijs etiam, quæ ipſa vt indubitata per

Id quod eſt ſub opinione non credi debere reuelatum dicitur, ſed non probatur.

D. Tereſia *non reuelationibus, ſed Confeſſarij ductu regebatur.*

reuelationem acceperat, nolebat alio, quàm Confeſſariorum iudicio regi, ac ſi eas minimè labuiſſet: pro quo ita ſcribit *Cap.* 26. vitæ: *Itaque tot ſunt motiua ad iudicandum eſſe Deum, vt meo paupere iudicio non poſſit dubitari. Securius tamen eſt, (& ego ita facio, & ſine eo quietem non habebam, neque expedit vt femina illam habeamus, quandoquidem litteras non habemus, & in hoc damnum eſſe nequit, ſed multæ vtilitates) vt ſæpiùs mihi dixit Dominus, quod non omittam totam animam pateſacere, & omnes, quos mihi fauores exhibet, Confeſſario, & quòd litteratus ſit, & ei penitus obſecundem. Hoc ſæpiùs.* Idem in D. Brigitta videre licet, pro quo *inferiùs. n.* 73.

Circa auxilium phyſicè prædeterminans negata reuelatio, de quo aliquid.

72. Quod ad exemplum de auxilio phyſicè prædeterminante attinet, benè quidem ſtat, & pro ſententia Societatis facit, vt intelligamus eam id defendendum ſuſcepiſſe, contra quod ſi reuelatio dicatur habita debeat tanti Scriptoris iudicio falſa reputari. In quo obſeruandum, non adhibitum ab eo exemplum in opinione Societatis, ſi videlicet pro ea reuelatio vulgaretur, ſed pro oppoſita: ex quo id videtur fieri, quod dicebam, ſententiam videlicet Societatis altas in Theologica Schola iecciſſe radices, vt numquàm labe factanda meritò credi debeat. Nec ſine myſterio ſic locutus videtur, quandoquidem aliquid huiuſmodi in antagoniſta quodam videri potuit inaniter iactatum, ſplendores videlicet quoſdam, de quibus ij, qui mentale iſtud bellum ſunt exactius proſecuti, de quo & Nos *Tomo* 1. *Theologicorum Problem. Sect.* 8. & de hoc non plura, vt ad reuelationes duarum illarum ſanctarum veniamus, de quibus à nobis dictum *Tomo* 1. *citato in Proluſione Apologetica n.* 219. & 220.

D. Birgitæ *reuelationibus citati Scriptoris aſſertum minimè poſſe adaptari. Vbi de Conceptione Virginis.*

73. Illud autem hoc loco addendum non poſſe reuelationi D. Brigittæ id aptari, quod à citato ſcriptore aſſeritur, dum de reuelatione loquitur eius, quod ſub opinione verſatur, quòd ſcilicet *non eſt habenda pro diuina, ſed à proprio ſpiritu loquentis, aut diabolico procedens.* Adiabolico enim nō fuiſſe vti certiſſimum haberi debet, quia circa reuelationes omnes auctoritate multorum Pontificum diligentiſſimum eſt examen adhibitum, & de illis grauiſſimorum ac ſapientiſſimorum virorum iudicio, ſapientia ac dignitate præcellentium, dignè ac fauorabiliter pronuntiatum. Cùm ergo inter alias, quæ circa Virginis Conceptionem eſt habita, excellentiſſima ſit, & circumſtantias habeat peculiares, quis, niſi valde temerè, affirmet à diabolico ſpiritu proceſſiſſe? & hoc ipſum argumentum conuincit à proprio loquentis ſpiritu non fuiſſe profectam. Si enim hæc talis, quæ alia maiorem fidem mereatur, cùm illuſtrior nulla, & maioribus præſidijs communita? Quid ergo eſt quod Eccleſia in diuinis clamat officijs D. Brigittæ ab æterno Patre per Filium eius Vnigenitum ſecreta cœleſtia reuelata? & quidem humano illius diſcurſui adſcribi non poſſe, ex eo etiam oſtenditur, quia ſermo eſt ſatis prolixus dictatus ab Angelo, in quo myſterium iſtud continetur: cauſſam autem dictationis huius & modum, habet Prologus eidem præfixus: quod non eſt hoc loco omittendum, cùm ſit cauſſæ præſenti ſatis opportunum: Sic ergo ibi: *Igitur Beata Brigitta habens cameram, cuius feneſtra ad altare maius reſpiciebat (Eccleſiæ ſcilicet, S. Laurentij Damaſo) Vnde Corpus*

Modus, quo illas reuelationes ab Angelo excipiebat.

Corpus Chriſti quotidie videre poterat, præparabat ſe quotidie in eadem camera ad ſcribendum cum pugillari, & charta, & penna in manibus, peſtquam horas & Orationes ſuas legerat, & ſic parata Angelum Domini expectabat. Qui veniens ponebat ſe propè eam à latere eius, & ſtabat erectus honeſtiſſimè habens ſemper faciem cum reuerenti geſtu reſpicientem verſus altare, vbi Corpus Chriſti reconditum erat, & ſic ſtans dictam lecturam, id eſt, infraſcriptas lectiones &c. ipſe dictabat diſtinctè & ordinate in lingua materna B. Brigittæ, & ipſa eas quotidie deuotiſſimè ſcribebat ab ore Angeli, & Patri ſuo ſpirituali quotidie illa, quæ ipſo die Scripſerat humiliter oſtendebat &c.

Iuſtè à Deo fuiſſe illas oſtenditur.

74. Et quis iam non hîc videat dictata huiuſmodi à proprio ſcribentis ſpiritu procedere minimè potuiſſe? Angelo quidem dictante ſunt ſcripta, & Angelo quidem lucis, non eo, qui ſe in talem ſolitus tranſformare. Si ergo neque à diabolico ſpiritu, neque à proprio talis ſcriptura proceſſit, euincitur planè à diuino Angeli miniſterio, profecta; & ſicut alia in eiſdem lectionibus contenta, ita & illud, quod ad Confeſſionem ſpectat, de qua *Feria* 4. *Cap.* 10. *Lectione* 1. & 2. Quibus concinit id, quod habetur *Lib.* 6. *Cap.* 55. Vtrobique enim Conceptionem Virginis auroræ aſſimilatam inuenimus. *O quàm clarè emicuit in Anna vtero aurora conſurgens, quando in eo MARIÆ corpuſculum per aduentum animæ viuificatum extitit.* Sic citata lectione 2. & ex ore virginis *citato Capite* 55. *ita. Hora, in qua ego concepta fui, verè poteſt vocari aurea hora & pretioſa. Benè ergo aurea hora fuit Conceptio mea, nam tunc incepit principium ſalutis omnium, & tenebræ quaſi feſtinabant in lucem. Sed ſcito quòd Conceptio mea non omnibus nota fuit. Sic placuit Deo quòd amici ſui piè dubitarent de Conceptione mea, & quilibet oſtenderet zelum ſuum, donec veritas clareſceret in tempore præordinato.* Sic Virgo Tempus hoc, de quo illa, citatus ſcriptor non aliud, quàm futuri ſæculi eſſe contendit, cùm Apoſtoli locum inducat de Iudicij die loquentis. Sed aliter Virgo, cui credendum potiùs: & illud Moſis videtur poſſe non immeritò, vſurpari, quando ſanctiſſimus Pontifex Alexander VII. veritatem hanc adeò promouit, vt ſi quæ ſuperſunt tenebræ, feſtinare videantur in lucem. Deuter. 32. & 33. *& adeſſe feſtinant tempora.*

Reuelatio S. Brigittæ.

Deuter. 32. v 33.

Felicitas præſentium temporum ex gloria Virginis.

75. Et ad felicitatem quidem præſentium hac ex parte id ſpectat minimè prætermittendum, in album ſcilicet ſanctorum à SS. Alexandro corporatum *An.* 1665. *die* 19. *April.* Diuum Franciſcum Saleſium Epiſcopum ac Principem Ganeuenſem, qui in *Praxi diuini amoris. Lib.* 2. *Cap.* 6. luculentiſſimum teſtimonium huic perhibuit veritati, non prætereundum hoc loco, & ex his pono verſum exhibendum, quia Latina copia non ſuppetit: ſic ergo ille: *Deſtinauit itaque* (Deus) *ante omnia ſua Matri ſanctiſſimè dignum profectò fauorem amoris Filij penitus ſapientis, prorſus potentis, omninò boni, & qui, cùm eſſet talis, matrem erat ad ſuum beneplacitum electurus: & ita voluit redemptionem ipſi per modum præſeruatiui remedij applicandam; vt peccatum quod à generatione in generationem deriuatur, eam non attingeret: & ita redempta fuit adeò excellenti modo, vt licet ad eius vſque conceptionem torrens originalis malitiæ peruenerit,*

P. Franciſcus Saleſius *luculentiſſimum teſtimonium illi ſuis perhibet Conceptioni.*

vndas infelices ſuas tanto propellens impetu, quantum ad alias Adæ filias detulit; ſed eò perueniens, vltra non proceſſit, ſed ſtetit, ad eum modum, quo Iordanis tempore Ioſue, & eòdem quidem reſpectu, quandoquidem ad eum modum, quo fluuius iſte curſum frænauit ſuum ob reuerentiam Arcæ Teſtamenti, quæ tranſibat; hic peccatum originale ſuarum curſum frænauit aquarum, eam reueritus & formidans, quæ verum erat futura Tabernaculum, Teſtamenti & fœderis ſempiterni.

76. *Hoc pacto Deus à Matre ſua glorioſa captiuitatem omnem ſemouit, diſponens vt vtriuſque ſtatus naturæ humanæ felicitate frueretur: ſiquidem innocentiam habuit, quam primus nobis perdidit Adam: & excellenti quadam ratione poſita eſt redemptione, quam ſecundus nobis acquiſiuit. Non aliter quàm electionis Horto, qui fructum erat vitæ laturus datum eſt vt omni genere perfectionis floreſceret ſuæ Matri præparante æternæ dilectionis Filio veſtitum deauratum pulcherrima varietate, vt ad eius regnaret dexteram, hoc eſt, vt eſſet prima prædeſtinatorum, quæ delitijs erat diuinæ dexteræ fruitura: quocum hæc Diua Mater, vtpotè reſeruata Filio, ab eo fuit redempta, non ſolùm à damnatione, ſed etiam ab omni eius periculo, eam ſecuram reddente ſua gratia & perfectione, ita vt eius greſſus pulchræ eſſent Auroræ, quæ ex quo in Oriente apparere incipit, conſtantibus ſplendoribus properat, vſque ad perfectum diem. Redemptio admiranda, maius Redemptoris opus, & prima omnium redemptionum: qua Filius amore verè filiali Matrem ſuam in benedictionibus præueniens dulcedinis præſeruauit, non ſolùm à peccato, vt Angelos, ſed etiam ab omni diſcrimine, & ab omni eo, quod eam poſſet diuertere, aut in amoris ſancti exercitijs retardare. Ea propter ipſe Dominus proteſtatus eſt inter omnes ratione præditas creaturas, quas ipſe elegerat hanc Matrem ſuam ſolam eſſe Columbam, totam pulchram, & perfectam, & amicam. quam ſupra omnem comparationem & conſimilitudinem diligebat.* Hæc ille, magnis Eccleſiæ Doctoribus dignitate, ſapientia, & ſanctitudine comparabilis, magnis item ac pluribus veritatis præfatæ teſtibus accenſendus, ne Cardinalis Caietanus ſententiam piam ſanctorum eſſe auctoritate deſtitutam affirmans, pietatis poſſit curſum, ſi non impedire, aliquantulùm, tamen retardare. Pro quo hæc ſatis.

§. III.

Circa execratorium iuramentum Diuæ Tereſiæ vbi de Libro vitæ, de quo Tomo 1. Theologicorum Problematum n. 1843. & ſeqq. *& aliqua Scitu digna.*

77. SIc ille loquitur: *No me eſcribe Dios enſu libro, ſi tal me paſſo pro penſamiento. Non me Deus in ſuo ſcribat libro, ſi vel tale aliquid cogitatione præuolante tractaui.* Vbi iuramentum execratorium, vt Doctores vocant, videtur apertum, & ita agnoſcit Dom. Palafox *n.* 16. Poſſet autem dubitari an formale iuramentum fuerit, propter id, quod ſtatim addit: *Sufraſe eſte encarecimiento à mi parecer. Toleretur exaggeratio iſta, meo videri.* Non ergo iurare voluit, ſed exaggerare, & eo loquendi modo oſtendere, quàm fuerit à ſe alienum id,

Epiſtola D. M. Verba.

Vt non iurauerit qua ſuadere videantur licet verba iuramentum præſeferam.

id, quod sibi videbat imputari. Dari enim posse iuramentum tantùm materiale, iuxta formam scilicet verborum id significantium, sine animo iurandi, non videtur posse negari: sicut etiam esse iuramentum potest, etiam si verba ex se id non videantur præseferre. Vnde est illud D. Gregorij Lib. 27. Moral. Cap. 7. ante medium: *Humanæ aures talia verba nostra iudicant, qualia foris sonant. Diuina verò iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur.* Sic ille, adductus à D. Thoma 2.2.q.89. *arti.7. ad* 4. Pro quo Auctores adducit P. Vincentius Tancredi *de Religione. Tract.4.Lib. 1. Disput. 4. Quæst. 1. & 2.* & videtur id non abhorrere ab eximio Diuæ Matris spiritu, vtpotè quæ iurationibus non assueta, vnde citatus Scholiastes ait fortasse vnicum eius toto in vitæ decursu iuramentum hoc fuisse: vnde opportunius videtur si dicamus neque modò iurasse, sed præfatis verbis ad exaggerationem tantùm sui asserti ex vero penitus vsurpasse.

D. Gregor. D. Thom. P. Tancredi.

78. Sed contra hoc est Cardinalis Caietani doctrina *circa citatum Arti.7. §. Ad euidentiam*, qui est penultimus, vbi propositis rationibus dubitandi pro vtrâque parte in casu quo quis sine alicuius præiudicio iuret id quod verum est; subdit *quòd si subtilius inspexerimus, apparebit mendacium ex propria natura, quoniam directè contrarium fini iurationis, scilicet confirmationi veritatis: ideò enim iuramus, vt veritatem confirmemus. Iurasse namque non cum animo iurandi, est confirmare & non confirmare veritatem. Nam qui iurat actu exteriori, firmat veritatem in quantùm est ex specie actus exterioris: quia verò non iurat mente, non confirmat veritatem. Vnde actus iste sic peruersus in seipso, vt sibi ipsi sit contrarius, est pernicios us toti generi humano, vtpotè quantùm in se est eneruans fidem dandam exteriori iuramento. Magis autem apparet directè pernicies huiusmodi facti iuramenti, considerando iuramentum in ordine ad Deum. Nam sic iurare est ex suo genere illudere diuino testimonio: quia ex actu exteriori inducit diuinum testimonium, & ex actu interiori dissentit inuocationi diuini testimonij: quod nihil videtur quàm quædam diuini testimonij allusio.* Sic citatus Doctor, cuius doctrinam amplexus est Couarrubias *de Pactis 1.p. §. 5. num.* 2. & nonnulli alij dicentes esse peccatum mortale, & negari nequit discursum adductum esse & subtilem & solidum, vt sententia talis debeat verosimilis iudicari.

Caietanus *contrarium statuit, & graue in alio peccatum agnoscit.*

79. Sed nihilominùs tantum esse veniale tenent plures, ex quibus P. Suarez *Tomo 2. de Religione Tract.4. Lib.3. Cap.17. nu.6.* dicens oppositum, etsi probabile, nimis tamen rigorosum, quia ibi non interuenit iniustitia proximi, præter illud genus mendacij, quod homini pernicios um non est: nec etiam respectu Dei interuenit grauis irreuerentia, quia eo modo, quo nomen eius assumitur, ad veritatem firmandam adducitur. Et licet ratione fictionis in vanum assumatur nomen Dei, quod negari non potest, non tamen cum graui irreuerentia ratione materiæ & modi, & ideò licet sit culpa, non tamen grauis, sicut qui orat sine attentione, & qui laudes Deo canit, nihil de illo cogitans, in vanum nomen Dei assumit, & non propterea mortaliter peccat. Nec denique finis iuramenti grauiter in hoc offenditur, quia sufficit ad finem iuramenti, quòd sine fictione exhiberi debeat, & quòd hæc obligatio sit proportionata materiæ, & negotio, de quo tractatur, & ita eamdem sententiam sequuntur P. Lessius *Lib.2.de Iustitia Cap.42.& 43.* P. Thomas Sancius *in Opere morali Lib.3. Cap.6. n.9. & 10.* P. Valentia *Tomo 3. Disputat. 6. Quæst. 7. Puncto 4. Col. vlt.* & alij apud ipsos, & à Nobis etiam adducti in *Appendice Sect. 1. Parte 1. Propositione 12.*

Suarez. *ex aduerso stans id negat, & probat.*

80. Siue hanc verò, siue quamcumque aliam sententiam teneamus, quæ peccatum in huiusmodi genere iurandi recognoscit, proculdubiò asserendum est D. Teresiam ab illo longissimè abstitisse, quæ in gradu erat perfectissimo sanctitatis quando sic scripsit constituta, vetulam enim se vocat, vnde & iam diu erat, ex quo votum illud satis arduum emiserat faciendi quod perfectius sibi occurreret, vnde & à veniali peccato deliberatè admisso procul erat, & multò magis ab eo, circa cuius grauitatem opiniones versabantur, vt vidimus, & doctrina illam extenuans non erat ita roborata, vt modò post grauissimos, quos adduximus, scriptores, & licet Dominicus Sotus ijs antiquior secundam videatur tenere *Lib.8.de Iustitia q.1.arti.7.in solutio.ad 4.vers. Ex secundo autem*, absolutè non loquitur, sed de iurante coacto, quamuis eo quòd eius ratio de non etiam coacto videatur procedere, à P. Thoma Sancio pro ea adducatur, de quo etiam Nos *Propositione citata.*

In D. Matre natura ipsa remota locum habuit, quæ nullo modo sic licenter peccant.

Dominicus Sotus.

81. Potest tamen excogitari modus, quo veniale etiam peccatum possit excusari, pro quo est fundamentum apud P. Sancium, qui P. Valentiæ sententiam amplexus *n.* 10. citato ita scribit: *Si autem interiori animo nolit illa ad materiam falsam referre, nec potest ob aliquas rei circumstantias rationabiliter ab alijs putari id velle, vt inde scandalizentur; sed tamen iure suo vtens vsurpat ea verba ad significandum aliquid aliud interius conceptum, quod verum sit; vel vsurpat ea tantùm materialiter, nil per illa confirmare volens, non peccat mortaliter, nec applicat iuramentum indebitæ materiæ. Immò ego credo nec hunc venialiter peccare, quia nullum est mendacium, & cogit causa iusta vti ea æquiuocatione.* Sic ille. Iuxta quem cùm verba tantùm materialiter vsurpantur, si iusta aliqua causa sit, neque veniale in eo iurandi modo peccatum inuenitur. De quo & dictum *citata Propositione.* Videtur autem dici posse B. Teresiam ad dicto modo iurandum causam iustam habuisse. Iurare enim illam, ipsius erat aduersum consuetudini, & aliàs verba iuramentum præseferentia ad pleniorem faciendam fidem potuit expediens iudicare. Causam enim illi vt iuraret iustam extitisse dubitari nequit, quandoquidem iurauit, & vt materialis esset tantùm iuratio, id quod diximus, potuit suffragari: quod quidem si vti perfectius apprehendit, cum arduo illo voto potuit non male componi.

Vitari veniale vt quoad materiales verborum vsurpationem. P. Sancius.

82. Sed his non obstantibus dicendum est Diuam Matrem formali iuramento vsam, quia omne id, quod ad illud remouendum adduci potest, ab illius sinceriss imo spiritu, & veritatis amantissimo nimis quantùm alienum, peregrinum, abhorrens, neque sine illius iniuria potest aliter pronuntiari. Id constat ex ipsius vitæ decursu satis ab eâdem, & ab alijs fidei incorruptæ con-

Non admittitur in casu præsenti, in quo formale iuramentum.

Diua Teresia quid circa mendacium de se ipsa.

conscriptæ. Sed illud ex *Mentione* 4. minimè huic loco subtrahendum, in qua sic scribit: *Possum errare in omnibus, sed non mentiri: nam per Dei misericordiam potiùs mille mortes sustinerem. Dico quod sentio.* Sic illa, & quidem in illo iurandi modo mendacium aliquod extitisset; non ex parte rei assertæ, sed modo asserendi, eo scilicet ipso quòd verba iuramentum præ se ferentia non secundùm propriam significationem, qua ad interius iuramentum significandum assumi debent, sed materialiter assumuntur, & ita Cardinalis Caietanus num. 78. adductus dixit esse in hoc iurandi modo mendacium ex propria natura, quod P. Suarez non negat, sed quia non pernicios um, non esse peccatum mortale asseruit, vt vidimus *num.* 79. Neque iusta causa suberat vt S. Mater eo modo loquendi vteretur: nam quandoquidem iurare sibi expediens iudicauit ad faciendam fidem, sine ambagibus id præstare magis eius decebat dignitatem. Si enim quia nusquàm aliàs iurauerat (quod sine fundamento steterit) etiam ab illo iurandi modo debuit abstinere ob eamdem rationem. Neque imperfectioni alicui id tribuendum, cùm sit de fide iuramentum habens tria illa satis nota & omninò necessaria adiuncta, iustitiam scilicet, iudicium, & veritatem, esse actum religionis licitum & sanctum, quod & multis Sanctis in vsu, & ita à D. Matre magno cum merito imitabile: cùm tamen iuramenti illius interiori forma carentis nullum apud illos occurrat exemplum. Hoc ergo vti penitus inconcussum ab omnibus piè, dignè, verè, & prudenter sentientibus admittendum. Iam ad alia.

Iuramentum extra mentem D.T.

83. *No me escriba Dios en su libro. Non me Deus in suo scribat libro.* Iuramentum execratorium est, & sanè grauissimum, quod aliàs imprecatorium dicitur: quando scilicet verba iuramenti non immediatè significant inuocationem Dei in testem, sed voluntatem, qua iurans se, vel sua diuino iudicio committit, vt in eis Deus iniuriam sibi illatam vlciscatur, si falsò illius testimonium imploratur. An autem imploratio vindictæ materialiter se habeat ad huius iuramenti constitutionem, an formaliter, parùm interest ad præsens institutum. P. Thomas Sancius *citato Lib.3. Cap.1. num.5.* cum P. Valentia primum affirmat, laudans ibidem Caietanum, qui 2.2. *q.89. arti 1. vers. Ad id autem:* docet officium vindicis seu iudicis implorari in hoc iuramento sub ratione testis: Ergo vt iudex est testis: Atqui imploratio testis vt talis ad formalem rationem iuramenti spectat, ergo non tantùm materialiter se habet. Videtur euidens consequentia. Sed quidquid de hoc sit, imprecatio sanè grauissima est, qua Diua Mater æternam suam damnationem, si id quod sibi imputatum fuerat vel cogitatione versauerat, imprecatur: nam in Dei libro non scribi hoc importat, iuxta illud Apocal. 20. v. 14. & 15. *& infernus & mors missi sunt in stagnum ignis. Hæc est mors secunda & qui non inuentus est in Libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Noluit autem terminis vti communibus dicens more aliorum, *In æternum damner*, vel, Deus *me in æternùm condemnat*, quia minùs decentes illi, sicut vulgares alij: *Maledictus à Deo sim, Diabolus me tollat, Non sit mea anima sal-*

Imploratio vindictæ an de formali se habeat. P. Sancius. Caietanus.

Æternam damnationem sibi imprecatur.

Apocal 20. v.14. & 15.

Sed terminis non vulgaribus vnde Libri vitæ meminit.

ua. Est enim imprecatio dicta sapientioris spiritus, & in rebus diuinis versatissimi, & magis eum decens, qui cum illo loquebatur, insignem pietate virum, sapientia, & rerum spiritualium singulari notitia, vt vidimus *nu.* 57. Videtur quidem diuinorum librorum architecta, ex quibus multorum spiritualis vita profluxit, cum vitæ Libro speciale habuisse commercium, & à diuino spiritu vt per ipsum iuraret incitata, dum id etiam scribebat, quod & ad vitam erat spirituale m profuturum, & sic vt in Libro vitæ etiam scriberentur.

Vt stare queat temporaria scriptio in Libro vitæ.

84. Quomodo autem id stare possit quod verba prædicta designant, videtur difficile; dum enim ait, *Non scribar*, supponit denuò posse scribi, necdum esse scriptam: quod tamen stare nequit: quia quotquot in Libro vitæ scripti sunt, id in Dei æternitate consecuti. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Ephes. 1. v. 4. Vt autem docet D. Thomas 1. *p. q. 24. arti. 1. in Corp. Ipsa prædestinatorum conscriptio dicitur Liber vitæ.* Vt est communis Theologorum doctrina, & præcipuè Interpretum circa Quæstionem dictam. Et Apocal. 3. v. 5. ad illud: *& non delebo nomen eius de Libro vitæ.* Et Cap. 21. v. vlt. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, nisi qui scripti sunt in Libro vitæ Agni.* Philip. 4. vers. 3. *Quorum nomina sunt in Libro vitæ.* Psal. 68. v. 29. *Deleantur de libro viuentium, & cum iustis non scribantur.* Psal. 138. v. 16. *In libro tuo omnes scribentur.* Exodi 32. v. 32. *Aut si hoc non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Nullibi autem talis loquendi modus reperitur, quod scilicet agere quis possit vt in libro Dei scribatur, in quo non supponatur scriptus: neque Scriptura illum exhibet, ex cuius iurata locutione Librum vitæ accipimus, & iuxta quam debet locutio nostra formari.

Ephes. 1. v. 4 D. Thom. Apocal 3. v. 5 & 21. v. vlt. Philip. 4. v. 3. Psal. 68. v 29. & 138. v. 16. Exodi 32. v. 32.

Explicatur variis modis.

Primò per exaggerationem locutam D. M.

85. Nihilominùs stare imprecatio dicta potest & sensu congruente saluari. *Primò* iuxta id quod ipsa subdit: *Suffrase este encarecimiento a mi parecer, Toleretur exaggeratio hæc, meo videri.* Cum exaggeratione ergo locuta, ac si possibile esset vt quis in Libro vitæ non scriptus ab æternitate, in tempore scribatur. Quo pacto explicant probatissimi Interpretes illud Mosis: *Dele me de libro tuo.* Deleri enim erat impossibile quia vt D. Augustinus ait *Lib.* 10. de Ciuitate Dei, Cap. 13. *Præscientia Dei, quæ non possit falli, Liber vitæ est.* Ex quo infert D. Thomas sic in argumento ad Arti. 3. *Sed à præscientia Dei non potest aliquid subtrahi, similiter neque à prædestinatione: ergo &c.* Quod quidem in responsione concedit, & etiam *in Corpore.* Significatur ergo tantùm vehemens desiderium salutis populi in Mose. Non quod verè deleri optet (illud enim erat impossibile) sed vt hac phrasi ingens suum desiderium aliqua ratione patefaceret, quod non poterat aliter: Vnde non ait: *Dele me, modò illis dimittas*, quasi cuperet commutationem sui facere pro populo, populique absolutione, sed, *si id non facis, dele me*, vt bene cum alijs, quos citat, habet P. Cornelius.

D. Augusti.

Secundò, habito respectu ad rem ex se possibilem.

86. Secundò, vt reuera Diua Mater aliquid possibile sibi imprecata fuerit, quòd scilicet in Dei libro non scriberetur: quia hoc absolutè loquendo possibile est, cùm talis scriptio ex meri Dei bene-

placito

placito contingat. Quòd autem ſuppoſita iam ſcriptione in Dei æternitate, & illius præſcientia, quædam ſit in ſenſu compoſito neceſſitas, res Theologica eſt, à qua potuit eius conſideratio abſtrahi: quemadmodùm accidit in orationibus ad Deum fuſis, quibus conamur à Deo benignum affectum circa aliquid impetrare. Cùm enim Deus ab æterno id velit, quod circa rerum creatarum diſpoſitionem euenturum eſt, nequit noſtra oratio eius mutare voluntatem, ſi fortè oppoſitum ipſi placuit, & ſuo Decreto firmauit: ſi autem id voluerit, quod petimus, iam orationis etiam impetratio ceſſat; nam ea non exiſtente, Deus id, quod petitur voluit, & eſt in æternùm voliturus. Oratio ergo, circa affectum Dei tendit ſecundum ſe conſideratum, quod id in æternitate ſua cognouit ille, & propter eam potuit ſic velle, & ſic etiam eſſe illa impetratoria. Et hoc ipſum explicandi genus in oratione Moſis præfata adhibet P. Cornelius dicens: §. Reſpondeo Secundò. *Senſus ergo eſt. q. d. Aut dicas Aut dimitte, aut priua me æterna beatitudine, ad quam me conſignaſti & conſcripſiſti. Sepoſita enim præſcientia & prædeſtinatione Dei, à qua abſtrahebat Moſes, abſolutè poſſibile erat Moſem priuari ſua beatitudine, quod eſt deleri de Libro vitæ.* Sic ille: quod præſenti propoſito venit aptè accommodandum propter id, quod de abſtractione aſſeritur, rei tantùm poſſibilitate ſecundùm ſe conſiderata.

In oratione Moſis illud. P. Cornel.

Tertiò per Ordinem ad gratiam & gloriam &c. D. Thom.

87. *Tertiò* ſic imprecari ſibi ſancta Parens potuit, quia ſtat modus ille loquendi ſine aliquo incommodo, eo quòd poſſit quis in Libro vitæ de nouo conſcribi iuxta D. Thomæ dictrinam *citata q. 24. arti. 3. ap 3.* vbi ita loquitur: *Ad Tertium dicendum, quod eo modo quo aliquis dicitur deleri de Libro vitæ, poteſt dici quòd ibi ſcribatur de nouo, vel ſecundum opinionem hominum, vel ſecundùm quòd de nouo incipit habere ordinem ad vitam æternam per gratiam. Quod etiam ſub diuina notitia ſemper comprehenditur, licet non de nouo.* Sic ille. Quod poteſt ex adducto Prophetæ loco Pſal. 68. confirmari: *Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribantur.* Vbi ſicut deletio de nouo, accidere poteſt, ita & ſcriptionem poſſe, de nouo contingere, ſatis apertè videtur indicari: ſicut & librum iuſtorum aliquo modo eſſe diuerſum à Libro vitæ, quia non omnes iuſti ſunt prædeſtinati: vel potiùs dici poteſt in Libro vitæ omnes iuſtos ſcribi, ſed diuerſo modo, & velut in diuerſa parte libri, vtpotè qui delendi. Vnde & D. Thomas de vno tantùm locutus libro, cùm diſcrimen illud aſſignauit. Potuit ergo D. Teresia ſic iurare, non quidem iuxta priorem illam explicationem de opinione hominum, quàm minùs ipſa curabat, ſed iuxta aliam de nouo ordine per gratiam, non quidem ſe Deo gratam agnoſcens, ſed humiliter dubitans, & gratiæ carentiam ſibi imprecans, in quo quidem iurandi modo imprecatio damnationis inuoluitur, quia ſine gratia indubitatum eſt neminem poſſe ſaluari.

Pſal 68. v. 29.

Iuramentum an eſſe poſſit, intelligendo ſecundum opinionem hominum.

88. Poteſt autem occaſione diſtinctionis dictæ iuxta D. Thomam, non immeritò inquiri, an iuxta priorem explicationem poſſit eſſe iuramentum, ſi quis dicat: *Non me Deus ſuo ſcribat in libro*, intelligendo, *Secundùm opinionem hominum.* Et non dubito eſſe tale poſſe, ſi ſit ſenſus: *Homines me a diuina gratia alienum exiſtimant, & numquam eam adepturum, vtpotè ab ea excluſum à Deo. ſi tale dixi, feci, aut cogitaui aliquid.* Eſt ſiquidem pia imprecatio cum reſpectu ad Deum, qui quamdommodò in teſtem adducitur ſua prouidentia diſponens vt in vindictam negatæ veritatis, opinio talis apud homines ſubſequatur. Neque id quod ait P. Thomas Sancius videtur obſtare *Lib. 3. citata Cap. 2. nu. 41.* ſcilicet hoc non eſſe iuramentum: *Habear hæreticus, ſi hoc non ita eſt*: cui videtur ſimile, *Habear reprobus:* ad quod reducitur id, de quo agimus: Nam licet ita eſſe poſſit quando non eſt reſpectus aliquis ad ad Deum vt vindicem: ſecus tamen accidit, cùm ille adeſt, & ita eodem modo eſt philoſandum de adducto à citato Patre, ſi ſenſus ſit: *Deus me puniat opinione tali de me concepta apud homines, vt hæreticus habear*: quod eſt omnino conforme doctrinæ ipſius & aliorum, de qua *n. 85.*

P. Thomas Sancius.

89. *Quartò* explicari dictum iuramentum S. Matris poteſt iuxta verba adducta ex Pſal. 138. v. 16. *& in libro tuo omnes ſcribentur*: quæ quidem poſt illa habentur: *Imperfectum meum viderunt oculi tui*: quod ad corporis humani formationem referendum Textus ipſe ſignificat, & ita communiter accipiunt Interpretes: Vt ſcilicet embryonem, in quo nondum apparet forma, & diſtinctio membrorum, Deus videat, rectè agnoſcens quid inde fieri debeat, & quò ſit tandem illud quidquid eſt euaſurum: quia in eius libro omnes ſcribentur, eo quòd in ſe habeat exemplaria & Ideas rerum omnium, quomodo pictor & ſculptor ſcit ex informi materia quid futurum ſit, quia videt exemplar. Vnde illud *&* accipiendum pro *Quia*. Quam expoſitionem cùm adducat Cardinalis Bellarminus, ſic poſtea ſubdit: *Poſſunt hæc omnia intelligi: etiam de perfectione quantùm ad animam; id eſt, de ſapientia, prudentia, virtutibus moralibus, gratia, & gloria. Nouit enim Deus imperfectum noſtrum, & nos ex nobis nihil eſſe niſi maſſam informem. Sed iuxta deſcriptionem in Libro vitæ, in dies formamur & proficimus, donec efficiamur conformes imagini Dei, & configuremur corpori claritatis eius. Atque ad hanc perfectionem tam excellentem corporis & animæ, ad quam ex tanta imperfectione perducuntur amici Dei, reſpiciens Propheta exclamat id, quod ſequitur: Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus &c.* Iuxta hæc ergo ſtare iuramentum poteſt. *Non me Deus ſuo ſcribat in libro*, vt ſit ſenſus: *Non me illa concedat, per quæ ex imperfecto ſtatu emergere poſsim, & eius amici in eius libro, Libro inquam vitæ, ſcribuntur.* Quod equidem ſpiritui illi adeò perfectionis auido non poterat non eſſe grauiſſimum, quod ex voto faciendi ſemper quod perfectius erat, ſatis intelligi poteſt. Non videtur autem abſoluta illa locutio: *Non me Deus ſcribat* &c. ad hunc modum explicationis arctanda, quia plus abſque dubio ſonat: ſed quia Diua Mater de Libro vitæ generaliter edocta, non habebat omnes explicationes in promptu, quæ Theologicam notitiam exigunt, dum modo dicto iurauit, omnes illas exiſtimãdum eſt fuiſſe amplexam, quę ſunt communi Patrum ac Doctorum doctrinæ conformes, & ad illas à ſpiritu ſancto directam.

Pſal 138. v. 16. De ſcriptione rarum ſtatus perfecturi.

Cardin. Bellarmin.

Concluditur verbu dictæ omnem ſenſum eis adaptibilem fuiſſe complexam.

Et

Et ita *Quintò* tandem dici poteſt iuraſſe aptiſſimè & ſanctiſſimè, quia eius mens fuit eum in ſuo iuramento ſeruare ſenſum quem poſſet optimum coràm Deo & hominibus, vt ſibi iuxta illum pleniſſima adhiberetur fides eo in negotio, in quo eam talem cupiebat, & medio opportuniſſimo adhibito elicere conabatur.

§. IV.

An ratio à S. Teresia pro ſuo iuramento adducta ſit exacta. Vbi de eius fidelitate erga IESV Societatem.

Iudicium vt conueniat dicto iuramento.

P. Suarez.

Ad neceſſitatem reducitur.

90. Ratio ab ea reddita inſoliti iuramenti illa eſt: *Sufraſe eſta en carecimiento à mi parecer, para que V. P. entienda que no trato con la Compañia, ſi no como quien tiene ſus coſas en el alma. Toleretur hæc exaggeratio, meo videre, vt V. P. intelligat me non agere cum Societate, niſi vti eam decet, quæ res ipſius in anima habet*, & quidem vt iuramentum vndequaque honeſtum ſit, tria illa, de quibus *nu. 82.* requiruntur, ex quibus iudicium præſentem quæſtionem ſpectat, de veritate enim iam vidimus, & de iuſtitia dubitari nequit, cùm materia honeſta fuerit: iudicium autem communiter explicari ſolet, vt neceſſitatem iurandi indicet, vt videri poteſt apud P. Suarium *Tomo 2. de Religione Lib. 1. de Iuramento Cap. 3. nu. 8.* Semper namque neceſſitate aliqua opus eſt, vt ſit illud licitum; circa modum autem neceſſitatis benè ille philoſophatur, vt prudentis hoc ſit arbitrio iudicandum. Et ideò hunc tertium comitem meritò iudicium & diſcretionem appellari, nec poſſe certiorem regulam tradi. Cùm ergo Diua Teresia inter prudentiſſimas debeat Virgines numerari, potuit eius arbitrio talis neceſſitas definiri: cùm præſertim eius prudentia non humanis tantùm regulis duceretur, ſed luce altiori gauderet, vnde & vti Magiſtram cæleſtis doctrinæ ab Eccleſia propoſitam habemus, vt dictum *nu. 68.*

Neque contra Conſilium Chriſti de non iurando ab illa actum. Matth. 5. v. 32. & 37.

91. Quod quidem manifeſtè oſtendit illam in præfato, iuramento non peccaſſe; ſed oſtendendum reſtat neque contra perfectionem fuiſſe conſilij à Chriſto traditi de non iurando: tale enim Conſilium verbis illis clauſum Matth. 5. v. 33. & 37. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non periurabis: reddes autem Domino iuramenta tua. Ego autem dico vobis non iurare omnino: Sit autem ſermo veſter Eſt, Eſt, Non, Non: Quod autem his abundantius eſt, à malo eſt.* Quibus ſimilia habentur *Iacobi 5. v. 12.* Ex quibus P. Suarez eleganti & erudito diſcurſu concludit Conſilium traditum eſſe à Chriſto ad Chriſtianam perfectionem ſpectans, vt numquàm iuretur, niſi quando iurandi inſtat præceptum. Videndus *citato Lib. Cap. 2. num. 17. 19. & 21.* vbi præſertim neceſſitatem præcepti adſtruit, qua non obſtante Conſilium Chriſti iuramento violatur. Non videtur autem neceſſitatem præcepti exitiſſe vt Diua Teresia occaſione prædicta iuraret. Vnde iuramentum non adhibuit, vt id, quod ſibi imponebatur de ſolicitato ad mutationem ſtatus Confeſſario amoliretur, bonis pro firmanda fide rationibus redditis, ſed circa ſinceram agendi modum, & ſubdolam diligentiam, vt crederetur impedire velle, quod aliàs animitus, licet clanculum, accurabat. Id enim animam arguebat ea indignum, quę in ſtatu erat adeò ſpirituali collocata, & quæ adorationem Dei profitebatur *in ſpiritu & veritate*. Ioan. 4. v. 25. facta aliorum eo in genere magiſtra in ijs, quæ ad Euangelicam ſpectant perfectionem: à quo quantùm doloſus ille agendi modus abhorreat nulli non eſt manifeſtum. Hinc Sanctorum aliqui numquàm ſe iuraturos ſtatuerunt, vt Diui Ioannes Chryſoſtomus, & Gregorius Nazianzenus: cùm tamen credibile ſit multas illis occaſiones occurriſſe id faciendi ei ſimiles, & fortè vrgentiores, quàm Diua Teresia ſuo in ſcripto manifeſtat. Id quod in Ethnicis quibuſdam laudabile prædicatur, qui numquàm iurarunt, etiam ſi temporariæ non leuis momenti in eo vtilitates verterentur: pro quo videri poteſt P. Cornelius in citatum locum Matthæi.

Ioan. 4. v. 25.

Qui numquam iurauit Sancti.

Ratione vtilitatis id factum, quæ præcepto æquiparatur.

92. Sed his non obſtantibus conſtanter aſſerendum D. Teresiam contra perfectionem Conſilij à Chriſto traditi non fuiſſe, dum iurauit, operatam: quod quidem ex dictis de voto eius faciendi quod perfectius erat, conuenienter poteſt comprobari. Vt enim iam adnotauimus, quando Epiſtolam iſtam ſcripſit, iam erat grandæua, vnde & ſe anum vocat: & illud Deo conſiliante emiſiſſe in ſacris habemus Officijs: vnde in credibile eſt id quod erat conſilij in iuramento ab eàdem violatum. Fateor equidem non videri præceptum inſtaſſe vt ſic iuraret, quia pro eo non vrget ſolidum aliquod fundamentum: fuit autem magna vtilitas; & hanc ſufficere vt iurari ſine violatione Chriſti Conſilij poſſit, non videtur poſſe negari, quia magna vtilitas pro neceſſitate reputatur. Hinc P. Suarez, qui præceptum toties exegit, neceſſitati vtilitatem adiunxit Lib. 3. Cap. 12. nu. 3. dicens *iuramentum aſſertorium, cui ineſt veritas ſufficienter cogitata & cognita, ſolumque illi deeſt neceſsitas vel vtilitas, numquam eſſe in indiuiduo peccatum mortale*. Sic ille. Syluester verb. *Iuramentum 2. n. 4.* vbi explicans cum D. Thoma *2. 2. q. 89. arti. 3.* tres conditiones iuramenti, aut comites, circa iudicium ait, vt ex neceſſaria cauſſa iuretur, ſubdens ſic: *Adde, vel ex vtili.* P. Thomas Sancius *Lib. 3. Cap. 4. n. 4.* circa idem, *vt neceſſaria vel pia cauſſa*. Idem habet P. Fagundez *Tomo 1. in Decalogum Lib. 2. Cap. 6. n. 14.* & plures alij, Licet autem loquantur de iudicio vt neneceſſarium eſt ad hoc vt iuramentum ſit licitum, ad cauſſam etiam præſentem aduocandum eſt: quia in eo tantùm vim facimus vt vtilitas neceſſitatis nomine comprehendatur, quia reuera quoddam genus neceſſitatis eſt, vnde propter illam multæ diſpenſationes in ſacris præceptis reperiuntur, vt in ieiunio, Feſtis, & alijs, quæ non ſolùm humana, ſed etiam diuina ſunt ſæpiùs, piè Deo res noſtras diſponente, ne vtilitatibus, ſine quibus ægrè vita duci poteſt, careamus: & vt non dicatur comprehendi, ei ſaltem æquialet, propter rationem dictam. Id autem ad materiam etiam Conſilij, & cauſſas perfectionis conuenienter adſciſcitur; vt ſcilicet cùm aliquid contra Conſilium & perfectionem ſit, niſi neceſſitas id excuſet, idem ſit de magna vtilitate, non temporali, ſed ſpirituali dicendum, quia reuera ita accidere poteſt. Vt quando quis ad Religionis ſtatum, qui

P. Snarez.

Syluester.

P. Sancius.

P. Fagund.

Non violati conſilij exempla.

Conſilij & perfectionis eſt, vocatur, & eum vult iuxta conuenientem ſibi vocationem amplecti, contra illum non facit, ſi ob vtilitatem pauperum ſororum aliquandiu in ſæculo maneat, ad quod quidem neceſſitatus non eſt. Sicut etiam non facit contra Concilium Chriſti de vendendis omnibus, & dandis pauperibus, qui ex Conſilio ſpiritualium magiſtrorum ſua retinet, vt ſic meliori modo poſſit eorum neceſſitatibus ſubuenire.

Cùm Dei innoteſcit voluntas, contra Concilium non agitur.

93. Deinde contra Conſilium non facit, qui Dei in eo non complectendo obſequitur voluntati, quia ſumma perfectio noſtra in eo ſita eſt vt Dei voluntatem ſatis nobis manifeſtam faciamus. Vnde Doctores nonnulli, qui Deum neceſſitate morali ad optimum teneri exiſtimant, hoc iaciunt inconcuſſum fundamentum, ceſſare ſcilicet comparationem inter optimum & non tale, quoties de diuina conſtat voluntate, ea enim ſtante nihil melius eſſe poteſt, immò neque æquè bonum, quia per nihil tale conformatur operans ſummæ regulæ bonæ operationis. Sic Sanctus Philippus Nerius ſtatum religioſum affectans, & Societatis ingreſſum ab eius Sancto Fundatore poſtulans, ab eo non eſt admiſſus, vt in eius habetur vita à P. Euſebio conſcripta; quia iudicauit magnus ille diſcretor ſpirituum magis expediens futurum, ſi in ſæculo remaneret, ob eximios fructus eius zelo ſanctiſſimo, vt experientia ſatis ſuperque oſtendit, reſponſuros. Apoſtolicus etiam vir Magiſter Ioannes de Auila, de cuius Canonizatione agitur, ſimiliter in Societatem admitti voluit, & ſimiliter eſt amicabili repulſa ab eodem Sancto Patriarcha dimiſſus, vt & hiſtoriæ habent, & vterque nihil conſilio Chriſti contrarium admiſit non admiſſus, quia ipſius Chriſti voluntatem, bono pro ea ſtante interprete, habuit exploratam. Quod autem Deus per alios ſignificare ſolitus, ſæpiùs etiam aut reuelatione, aut inſpiratione ſolet etiam ſeruis ſuis iudicare, quos non ſecundùm communes leges, ſed ſingulari ſpiritus ſancti motione gubernat. Sic Diuus Franciſcus hereditatem ſuam parenti ceſſit, dicente Chriſto, vt quæ quis habet, pauperibus largiatur. Et cùm virginitatis conſilium ſit adeò in Euangelio commendatum, ſanctas aliquas matrimonio iunctas voluit, ob peculiares inde fructus colligendos, vt in Diuis, Monica, Brigitta, & Franciſca videre licet ad ſtatum cœlibem adſpirantibus, ſed volente Deo coniugali conſortio copulatis.

In S. Philip. Nerio com probatum volente ingredi Societatem.

Et in Apoſtolico Ioan. de Auila

Item, & in feminis ſanctis.

Et in Diua Tereſia damna futura præcauente.

94. Sic ergo Diuæ Tereſiæ accidere potuit, vt ſcilicet à iurandi aliena conſuetudine, iurarit tamen Dei inſpiratione permota eo in negotio, in quo ipſa iuramentum adeò vtile futurum cenſuit, vt quodammodo etiam neceſſarium videretur: vt ſcilicet iuxta dicta *n.* 91. fœdum illum agendi modum à ſe fuiſſe alieniſſimum comprobaret: ſtante prætereà magna illius vtilitate, ob rationem dictam, ex quibus minimè contrarium Euangelico Conſilio fuiſſe conuincitur. Quàm autem expediens fuerit vt fidelitatem ſuam erga Societatem teſtatiſſimam relinqueret, ex eo oſtenditur, quod potuit ipſa præcauere; futuros ſcilicet qui id conarentur obſcurare ex eius libris expunctis omnibus, quæ ad Societatem pertinebant. Quod cùm Religioſiſſimi Patres Reformationis ab ea inſtitutæ intellexiſſent, ſatisfactionē pro eo Generali in Capitulo congregati præſtiterunt, ſanctè affirmantes illud quale quale fuerat, ſe penitus inſcijs, & modò abhorrentibus, perpetratum: pro quo gratiæ à Societate eiſdem redditæ, quæ & reddendæ etiam meritò pro vulgatis Epiſtolis, in quibus Alma Parens ea præclara pro Societate teſtimonia exhibet, vt non parua ipſi gloria inde poſſit conciliari. Et cùm hoc ſit etiam cœleſtis eius doctrinæ pabulum, quis credat legitimos eius alumnos ſuper ipſo nauſeaturos, vt ſuper Manna *cibo leuiſſimo* quondam generatio exaſperans Iudæorum?

Quæ videri cœpta.

95. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eam.* Sic Dauid ipſe *Pſal.* 131. *v.* 11. Fuit ergo tale Dei iuramentum, vt fidelitatem ſuam erga Dauidem in ijs, quæ ipſi promiſerat, firmiſſimè teſtaretur. Et fuit illud ſatis conueniens, nam quæ promiſerat, ea ſunt, quæ in eodem Pſalmo continentur, & ſtatim ſubſequuntur, eòdem ſic addente ex perſona æterni Patris: *Defructu ventris tui ponam ſuper Sedem tuam. Si cuſtodierint filij tui teſtamentum meum, & teſtimonia mea hæc, quæ docebo eos: & filij eorum vſque in ſæculum ſedebunt ſuper ſedem tuam. Quoniam elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem ſibi. Hæc requies mea in ſæculum ſæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.* In quibus priora illa, quæ conditionem important, ſi impleta non fuerint, quia conditionis defuit implementum, cuſtodia inquam diuinæ legis, non eſt cur Deus vt minùs in ſuis promiſſis fidelis cooargui poſſit. Reliqua autem ſine aliqua ſunt conditione prolata: *Quoniam elegit Dominus Sion &c.* Et tamen non videmus illius promiſſionis effectum; Sione relicta, & illius habitatione ac requie in eâdem, quam perpetuam futuram pollicetur. Quia ergo circa fidelitatem vacillare credulitas poterat, additum iuramentum, vt de adimpletione promiſſi minimè dubitantes intelligentiam eius conquiramus, quam Titelmanus porrigit ita ſcribens in eum locum: *Vox Dei Patris. De ædificio & electione ſanctæ Eccleſiæ. Hæc Sion, hæc ſancta ciuitas, Eccleſia ſancta locus eſt, quem mihi ad quietem & iucundam habitationem elegi, in quo coletur & inuocabitur nomen meum: in hac ciuitate ego habitabo, in medio fidelium permanſurus in ea vſque ad ſæculi conſummationem, tamquam paterfamilias in loco ſuo; & ambulabo inter illos tamquam in medio filiorum meorum, ad illis protectionem, liberationem, & opportuna omnia impendenda beneficia.* Hæc ille. Iuxta quæ ſatis exploratum habetur Deum erga Dauidem fideliſſimum extitiſſe, & quidquid filij minùs ordinatè egerint, id quod iurauit minimè defecturum, licet oculis inſipientium aliter videatur accidiſſe. Id quod cauſſæ præſenti facilè quiuis adaptârit.

Pſal 131 v. 11. & ſeqq.

Ex Dei iuramento erga Dauidem luculenta comprobatio.

96. Quid autem ſibi velit Magna Mater, dum res Societatis in anima ſe habere dicit, non vtcumque, ſed valde, ſatis indicat ſingularem erga illam affectum exprimere voluiſſe. Hiſpana enim phraſi ſic dici ſolet: *Habeo illum, aut illam valde in mea anima. Tengole, ô tengola, muy en mi alma.* Quod quidem modis alijs in ſcriptura ſignificatum inuenimus. Habere in corde Philip. 1. v. 7. Eo quòd *habeam vos in corde.* Cui & concinit illud 2. Cor. 7. v. 3. *Prædiximus vobis quòd in cordibus noſtris eſtis.* In viſceribus. Sic idem Philip. 1. v. 8. *Quomodo cupiam omnes vos in viſceribus IESV Chriſti.* Circa quod ſic P. Cornelius: *Quaſi videlicet ego in Chriſti miſericordia & dilectionis viſceribus conſtitutus, & in ea quaſi transformatus, vos ex ijſdem diligerem, nimirùm tam tenero, cordiali, ardenti, & viſcerali amore, quali Chriſtus ſuos omnes diligit.* Sic ille. Et huiuſmodi affectus excellentiam expreſſam reperimus in Apoſtolo, dum de Oneſimo cum Philemone agit, & eum viſcera ſua vocat, hoc eſt adeò viſceribus hærentem, vt eſſe viſcera ipſa videretur. *Tu autem illum, vt mea viſcera, ſuſcipe.* Philem. v. 12. Iuxta Græcum textum: *Tu autem illum, id eſt, Ipſum, hoc eſt mea viſcera, ſuſcipe.* Sic Arias Montanus. Quod & boni Interpretes obſeruant. Vnde & iuxta eumdem ſenſum accipi & illud poteſt: *Refice viſcera mea in Domino.* Quod de proprijs ipſius Pauli viſceribus accipit cum alijs P. Cornelius, & poteſt eorum expoſitio cum alia componi, ſi dicamus Apoſtolum vtrumque complexum: vt & Oneſimum, quem ſua vocauerat viſcera, & propria eius, humana ſuſceptione reficienda deſideret & exoret. Et id quidem quia eum habebat in viſceribus IESV Chriſti, in ſuis inquam, Chriſti in viſcera transformatis; licet erga Oneſimum ſpecialius aliquid videatur indicare, quia vtiliſſimum futurum ſibi adiutorem in negotio propagendæ Eccleſiæ, diuino afflatus ſpiritu recognouit: *Qui tibi aliquando inutilis fuit; nunc autem & mihi & tibi vtilis.* v. 11. fuit enim Epheſiorum Epiſcopus poſt Timotheum & illuſtris Martyr Romæ. Ante omnia iſta inuenimus ſingularem illam magnæ dilectionis formulam dicente ſcriptura ſacra 1. Reg. 18. v. 1. *Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quaſi animam ſuam.* Quod quidem de anima propriè dicta accipiendum, iuxta grauiſſimos Interpretes, & vulgatum illud, animam magis eſſe vbi amat, quàm vbi animat. *Conglutinata eſt anima Ionathæ animæ Dauid & dilexit eum &c. Vbi &* expoſitiua & cauſſalis particula eſt, Conglutinata eſt, quia dilexit, & amor glutinum magnum, nobile, pretioſum & efficax eſt.

P. Cornel.

Philem. v. 11. & 20. Arias Montanus. Sua viſcera Oneſimum vt vocat Paulus. P. Cornel.

v. 11.

1. Reg. 18. v. 1.

Plures & one. bitas ſenſus ſuis verbis complexa.

97. Omittamus alia & dicamus ſanctiſſimam Matrem Tereſiam Apoſtolico plenam ſpiritu, & Seraphico iaculo transfixam, modis prædictis Societatem dilexiſſe: idque voluiſſe ſignificare, cùm eam valde in ſua anima habere proteſtata eſt. Habebat quidem valde in corde, quæ habebat in anima: habebat in viſceribus Chriſti, dum habebat in ſuis, quia ſua erant in Chriſti viſcera transformata. Diligebat vt propria viſcera, vti Oneſimum Paulus, ob eam, quam ab ipſo vidimus redditam rationem: *Nunc autem & mihi & tibi vtilis.* Quam vtilitatem ibidem agnoſcit ingenua illa atteſtatione: *Quandoquidem illam* (Societatem) *vt medium aſſumptit ad ipſum* (Ordinem Carmelitarum) reparandum & renouandum. Circa quod ita ſcribit Dom. Palafox. n. 26. *Ex hac Epiſtola colligitur &c. quintò illuſtre teſtimonium, quod Sancta ad finem. n. 6. reliquit circa id, quod Societas IESV adiuuit vt hæc Sancta Reformatio inſtitueretur, & quod iure optimo id ad reciproci amoris argumentum aſſumebat, quo ſe meritiſſimò proſequuntur: altera* (Religio) *propter id, quod illi dedit; & alia propter id, quod accepit; reddendo per hoc æterna huius amicitiæ ſecura pignora, & mutuæ obſequelæ: inſpecta inſuper ea, quam Sancta contulit, opera Societati IESV in eius Fundationibus. Ac ſi diceret: Non eſt æquum, vt quæ vnæ extiterunt, & ſe vt Deo naſcerentur, adiuuerunt, diuerſa aut contrariæ inter ſe ſint, cùm de incremento agitur & meritis animabuſque ad Deum perducendis.* Sic ille. Vbi quod de adiuta in ſuo ortu Societate dicitur, minùs videtur congruere; orta enim erat antequàm Diua Mater de Ordinis ſui Reformatione ageret, vt ex ijs conſtat, quæ ipſa ſua ſcribit in vita. Videatur præſertim Cap. 23. in cuius fine poſt alia ſic loquitur: *Alabado ſea el Señor, que me ha dado gracia para obedecer à mis Confeſſores, aunque imperfectamente: y caſi ſiempre han ſido de eſtos benditos hombres de la Compañia de IESVS, aunque imperfectamente, como digo, los he ſeguido. Conocida mejoria comenzò à tener mi alma, como ahora dire. Sit Benedictus Dominus, qui mihi gratiam contulit vt meis obedirem Confeſſoribus, licet imperfectè: qui ſerè ſemper fuerunt ex his benedictis hominibus Societatis IESV, licet imperfectè, vt dixi, eis ſum obſecuta. Notorium profectum mea cœpit habere anima, vt mox dicam.* Sic illa: de cuius ingenti charitate non dubito pro rerum opportunitate, ſi quidquam in Fundatione iuuare potuit, in eo minimè defuiſſe. Vnde eſt recommendatio illa ardoris cœleſtis plena in *Epiſtola* 9. ſcripta Excellentiſſimæ Mariæ Henriquez Duciſſæ Aluæ verbis illis: *Vna merced me ha de hacer ahora V. Excellencia en todo caſo, porque me importa ſe entienda el fauor, que V. Exc. me haze en todo. Tes, que en Pamplona de Nauarra ſe ha fundado ahora vna caſa de la Compañia de IESVS, y entrò muy en paz. Deſpues ſe ha leuantado tan gran perſecucion contra ellos, que los quieren echar del lugar. Hanſe comparado del Condeſtable, y ſu Señoria los la hablado muy bien, y hecho mucha merced. Loque V. Exc. me ha de hacer es, eſcrebir à ſu Señoria vna carta agradeciendole loque ha hecho, y mandandole lo lleue muy adelante, y los fauorezca en todo loque ſe les ofreciere.* Sic illa, ad quod Dom. Palafox videtur alluſiſſe.

D. Tereſia illuſtre Societatis teſtimonium perhibet, ſuum erga illam agnoſcens debitum.

Etiam gratis Officijs id teſtata.

98. Iam quod ad dilectam Societatem vt propriam animam attinet, ipſi inæſtimabili charitatis glutino agglutinatam, non eſt in quo aliquatenus hæreamus. Velle illā in ſua habere anima vidimus proteſtatam, quod eſt glutino fuiſſe dilectionis adſtrictam, & dilectam vt propriam animam: neque enim ardentiſſimus animæ illius amor Ionathæ amori cedere poterat, qui & Seraphici fuit nobilis æmulator. De Ionathæ amore locutus Abulenſis *Quæſt. 2. in citatum Caput.* 18. ſic habet: *Ionathas paſſus eſt hic quamdam teneritudinem cordis, quæ eſt in cordibus naturaliter generoſis & excellentibus &c.* Quod quidem Diuæ Tereſiæ venit conuenienter aptandum, cuius cor & generoſum & excellens naturaliter erat: cui generoſæ & excellenti indoli ſi ſupernaturales dotes adijciamus, magnum profectò ipſius amor ſuprà amorem Ionathæ habuiſſe incrementum comperietur. Inquirens autem citatus ſcriptor cauſſam amoris tanti *Quæſt.* 3. ſic ſcribit: *& quia Ionathas erat vir bonus, motus fuit ad diligendum nimis eum, qui dignus erat diligi. Item Ionathas erat vir ſtrenuus in armis, & ob hoc diligebat omnes viros excellentes in arte bellica: Sic autem erat Dauid, quia ipſe erat vir ſtrenuus, ſecundùm quod patet ex bello, quod habuit cum Goliath.* Sic ille. Similitudo ergo

Amoris excellentia expoſita

1. Reg. 18. v. 21. Abulenſis. Amore Ionathæ erga Dauid conuenienter illuſtratur.

Idem.

morum eximij illius amoris Conciliatrix fuit. Quod quidem pro Diuæ Matris amore erga Societatem mirè consonat. Sibi illa amauit similem, sanctitate inquam, de qua illustre testimonium perhibuit citato capite, & alibi. Amauit & strenuam in arte bellica, quam scilicet ad maiorem sui Nominis gloriam propagandam erexit, vt nouo per Diuum IGNATIVM subsidio Militantem Ecclesiam roboraret, vt ipsius est Ecclesiæ attestatione compertum. *Harto me consuela, que tenga V.S.la Compañia tan por suya, que es de grandissimo bien petra todo.* Sic Epist. 3. Illustrissimum Teutonium Archiepiscopum Eborensem allocuta. Et amauit strenua illa præliorum Domini belli potens heroina, pro quibus geminum instituit, & armauit exercitum sub eius vexillis, magno cum Ecclesiæ prouentu, & infernarum copiarum formidine præliantem. Pro quo ipsa in eadem Epistola dicentem excepimus: *De esse Rey somos todos Vasallas. Plague à su Magestad que los del Hiso y de la Madre seam talet que como Soldados es forzados solo mirem es adondeua la vandera de nuestro Rey.* &c.

Diua Teresia.

Eadem.

§. V.

De summo Diuæ Teresiæ erga Societatem amoris argumento ad vitam pro ea ponendam, exprompta.

§. Epistola.

99. SIc illa loquitur post adducta verba. §. præced. *y ponria la vida por ellas, quanto entendiese no deseruiese à N. Señor en hacer lo contrario. Et vitam pro ipsis ponerem* (pro rebus inquam Societatis, quas valde habebat in anima) *quamdiu putarim Domino nostro non displicere contrarium effeciſſe.* Verbum *Ponria* illius temporis est; modò enim, & iam pridem *Pondria* dicimus, nisi fortè vbi Diua Mater scribebat id adhuc in vsu est, quia & magis Castellanæ linguæ Conforme, vnde & dicendum *Tenria*, pro eo quod modò dicimus *Tendria* in verbo *Tener*, quæ ferè anomala sunt, quia littera D. rarò in subiunctiuis inuenietur adiecta, nisi cum verba illam habent, vt in *Puedo Possena, Podria.* Et genus est Syncopæ, cùm deberet dici *Poderia*, sicut dicitur *Tenderia, venderia, Contenderia, Prætenderia &c.* Et pro his minutijs satis, vt ad rem, & rem quidem obseruatione dignissimam, veniamus.

100. *Y ponria lauida por ellas.* Quid maius dici potuit? *Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis.* Sic Filius dilectionis Paternæ. *Ioan.* 15. v. 13. Sic enim Christum appellat Apostolus Coloss. 1. v. 13. *Et transtulit in regnum Filij dilectionis suæ.* Vidimus Diuæ Matris amorem tenerrimum generosi & excellentis animi genuinum fœtum; sed qui tenerrimus idem & fortis, vt magnus Abulensis Antistes *citatâ Quæst.* 2. his verbis expressit: *& est quidam motus interior præcordiorum, qui facit hominem tremere, & interdum ex amoris nimietate & sinceritate amantem prouocat ad dulcissimas lacrymas. Et iam non potest esse maior gradus amoris: & cùm aliquis ad istum peruenerit, omnia contemnit, vitam, & famam, & quidquid esse potest pro eo quem diligit, eo quòd amans iam non est sui iuris. Sed totum se posuit in amato. Est autem iste amor fortis & tener, quamquàm ista videantur repugnare: tener quidem vocatur, quia in teneritudine cordis fundatur, quæ est motus præcordiorum. Fortis autem est, quia nulla est affectio, quæ præcordia mouere possit, nisi amor. Ideò Canticor. 8. v. 6. & 7. dicitur: Fortis est vt mors dilectio. Lampades eius lampades ignis: aquæ multæ non poterunt* (vulgata *Posuerunt*) *extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.* Sic ille. Vbi & nobis exclamare cum Ecclesia in sacris eius officijs licet, *O charitatis victima.* Victima inquam charitatis erga Societatem, iam coràm Deo talis, cui voluntas pro facto est: vt in Societatis etiam oculis esse debet ad dilectionem istam corditus æstimandam.

Ioan. 15. v. 13.

Coloss. 1. v. 13 In illa erga Societatem amor tenerrimus & fortis.

101. Fortis quidem vt mors in ea dilectio fuit, cùm morti se pro rebus Societatis, si ita expediret, offerendam minimè dubitauit. Mors namque Parca dicitur, quia nemini parcit: quod equidem hac in caussa iuuat inspiciamus. Viuebat magna illa tot filiorum Parens, quos doctrina & exemplo dudum genitos Christo cœlitus animabat. Sed si mori pro Societate oporteat, nemini parcit: derelinquendi illi, vt & ipsi quodammodo ea moriente, à qua spiritum religiosæ vitę hauserant, pariter moriantur. Neque minùs ordinata in eo censenda charitas, si id quod D. Thomas docet 2. 2. q. 31. arti. 3. ad 3. & 4. quem alij quamplures Theologi sequuntur, attendamus, parentibus inquam & filijs in eôdem periculo constitutis, illis præ istis subueniendum: *Nullum autem benefactorum officium est tantum, sicut parentum: & ideò parentes in recompensandis beneficijs sunt omnibus alijs præferendi.* Verba illius sunt *citato Arti.* 3. *ad* 3. & in responsione ad 4. ita loquitur: *Ad Quartum dicendum quòd parentes sunt sicut Superiores, & ideò amor parentum est ad benefaciendum: amor autem filiorum ad honorandos parentes: & tamen in necessitatis extremæ articulo magis liceret deserere filios quàm parentes, quos nullo modo deserere licet propter obligationem beneficiorum susceptorum, & patet per Philosophum in* 8. *Ethicor. Cap. vlt.* Sic S. Doctor. Cùm ergo Diua Teresia Societatis alumnos parentes habuerit, & tot ab illis fuerit dotata bonis, vt ipsa varijs in locis contestatur, eos autem quos eius est Reformatio complexa, vt beatam prolem fecundæ Virginitatis, & virgineæ fecunditatis aspiciat, iuxta charitatis leges dicenda est censuisse, dum illos istis morte pro ipsis oppetita, præferendos iudicauit. Videatur Caput illud 23. citatum, in quo mirificè quidquid ad institutum præsens desiderari potest continetur. Et *Epist.* 19. in qua decem suos in Christo parentes enumerat cum elegantibus Adnotationibus Illustrissimi Palafox. Et quàm aptè illud huc descendit, quod ex P. Vilalpando adducit P. Cornelius in citatum locum *Fortis est vt mors dilectio* elegantem antithesim faciente inter dilectionem morti comparatam, & inuidiam inferno, dum additur statim: *Dura sicut infernus æmulatio*: & inter alia sic contra ponit:

Fortis vt mors, quia ergo parentes.

Maior pro illis quàm pro filijs obligatio.

D. Thom.

Cant. 8. v. 7.

Vilalpandus.

Dilectio.	*Inuidia*
Est telum aureum.	*Est cruciatus igneus.*
Ditat quem traijcit.	*Spoliat quem vrit.*

Elegans antithesis circa mortem & inuidiam.

Aureo quidem telo Diuæ Teresiæ traiecta viscera, & quia aureo, eximiè ditata. Sic enim habemus Apocal. 3. v. 17. *Quia dicis: Quòd diues sum & locupletatus, & nullius egeo: & nescis quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, probatum, vt locuples fias, & vestimentis albis induaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ.* Quod aurum, illud ipsum est iaculum ditans quem traijcit, dilectio inquam fortis vt mors, quo Diua Teresia *Angelicis ditata virtutibus*, vt Ecclesia canit, & ita Seraphicis ad martyrium pro Societate subeundum anhelauit. De charitate enim prædictum locum communiter accipiunt Interpretes, & optimam esse expositionem censet P. Cornelius, ardentibus quidem desiderijs comparanda, *appetitionem enim ipsam Deus ingentis pretij loco æstimat*, vt ait D. Gregorius Nazianzenus *Oratione in S. Baptisma.*

Apoc. 3. v. 17.

Iaculum aureum dilectio.

D. Gregor. Nazianz.

Septem lampades in illa

Matth 25.

103. *Lampades eius lampades ignis atque flammarum.* Quàm opportunè cùm de Virgine ex numero prudentium vna agitur, lampades ignis, & flammiuomæ quidem inducuntur, iuxta parabolam, de qua *Matth.* 25. Non vna in Diua Teresia lampas Christi sponsa dilectissima, sed sponsi ad instar multæ. *Et septem lampades ardentes ante thronum*, addita statim explicatione: *Qui sunt septem spiritus Dei.* Circa quæ D. Ambrosius, vel quisquis est Commentariorum illorum Auctor, ita scribit: *Per septem Spiritus Dei septem dona spiritus Sancti debemus intelligere, quæ in Dominum requieuisse Propheta Isaias manifestat dicens: & requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, &c. Hæ igitur lampades septem ante sedem, id est, ante conspectum Ecclesiæ ardere dicuntur, quia sine lumine harum virtutum, in nocte huius sæculi positi, per vitæ viam ad æternam patriam gradi non possumus.* Sic ille, ita accipiendus, vt lampades prædictæ non solùm sint ante conspectum Ecclesiæ propositæ vt in via vitæ dirigant, sed vt exemplaria, vt ij, qui dilectionis amore feruescunt, similes eisdem euadant, quod in Diua Teresia cælesti sponsa erit persequi facile, otio non ignobili fruituris.

Septem dona spiritus Sancti.

104. Illud ex eôdem præsenti commodius institutio, quod subdit in hæc verba: *Verùm quæri potest cur Propheta, cum hæc septem dona in Christum descensura esse diceret, à maioribus cœpit, & descendendo ad minora peruenit. Sed non abs re factum videbitur, si diligenter inspiciantur. Nam quia Dominus noster IESVS Christus de illa cælesti beatitudine, in qua æqualis erat per omnia Patri, ad terras descendere, & homo fieri dignatus est, & Angelis minorari voluit, quos ipse creauerat: non inconuenienter hæc septem dona descendendo accepit, quia voluntatem Patris descendendo & humiliando se vsque ad mortem adimpleuit, sicut dicit Apostolus: Humiliauit semetipsum vsque ad mortem, mortem autem Crucis.* Philip. 2. v. 8 Sic ille. Totus ergo cælestium donorum apparatus in Christo, eò tendebat, vt vitam ipse pro hominibus poneret suam, ad Crucis vsque humiliationem ex lampadum cælesti ardore descendens. Quod quidem in Diua Teresia sublimi quodam modo deprehendi potest ab eo, qui res eius & gesta non indiligens pertractarit. Pro Societate autem id eximiè fecit, quia septem illas lampades pro expectando diuino sponso semper accensas, ad subeundam pro ea mortem inclinauit, à sapientia illa supercœlesti incipiens, propter quam in Ecclesiam lauream est spiri-

Philip. 2. v. 8

Idem.

Christi instar ad mortem pro hominibus oppetendam inuitata.

tualis magisterij consecuta.

105. Et illam quidem in eo, quod subdidit post priora illa verba, circa quæ sumus locuti, videre licet: *Quantò entendiesse no deseruiesa al Señor en hacerlo contrario. Quamdiu putarim Domino nostro non displicere contrarium effeciſſe*: vel, *Diuino non esse seruitio contrarium.* Circa quæ Dom. Palafox prudenter obseruat non debere amori contrarium iudicari, si Prælati aliquando id non indulgeant, quod ab eisdem petitur, & illi iudicant non debere concedi: quod est profectò veriſſimum. *Venitque ad regem* (Absalon) *& ait ad eum: Ecce tondentur oues serui tui &c. & ait Absalom: si non vis venire veniat, obsecro nobiscum saltem Ammon frater meus. Dixitque ad eum rex: Non est necesse vt veniat tecum* 2. Reg. 13. v. 34. & 36. Ecce patrem dilecto filio id quod rogauerat denegantem. Quam autem ea esset negatio conueniens, infaustus statim euentus ostendit, dum coactus copiam abeundi facit: *Cœgit itaque Absalom eum, & dimisit cum eo Ammon.* Pro quo hæc satis, vt circa limitationem à Diua Matre adiectam non nihil adijciamus.

Prudens in eo cautio adhibita amori non contraria.

Aliqua ex amore conuenienter negantur.

2. Reg. 13. v. 34. & 36. & 37.

106. Poterat quidem oppetitio mortis ex se sancta & laudabilis, & ita ex se Deo beneplacens, & meriti magni, meriti inquam martyrij, quia ad eum potuit gradum, adiunctis circumstantijs, peruenire, ipsi quoad executionem vrgendam non placere, quia Diuam Parentem ad alia pro sua gloria egregia molimina destinarat. Sic enim Diui Romualdus, Franciscus, Antonius à conquisitione martyrij reuocati, sicut & Diua ipsa, cùm in tenella ætate domum paternam deseruit, *terris barbaris Christum datura, aut sanguinem*, & à patruo est ad illam reuocata. Quibus in euentibus non imprudens aut inconsultum est à Deo damnatum, sed id quod cum magno est merito susceptum, aliò deriuatum, in quo Deus obsequium sibi volebat impendi cum magna Ecclesiæ vtilitate. Cùm ergo Diua Teresia circa hoc altè fuerit edocta, limitationem prædictam addidit, magnis sapientiæ, intellectus, donorumque aliorum luminibus, quibus erat abundè locupletata, dignissimam; omnia enim eò ducunt, vt voluntatem Dei serui eius fideles agnoscentes, conentur eamdem perfectiùs adimplere. Audiendus cœlestis Magister qui ad *Hebr.* 13. v. 20. & 21. sic ait: *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium, in sanguine Testamenti æterni Dominum nostrum IESVM Christum, aptat vos in omni bono, vt faciatis eius voluntatem faciens in vobis quod placeat coram se per IESVM Christum.* Omne bonum, omne & donum per Christum habitum eò tendit vt fideles ad voluntatem Dei faciendam aptentur. Ideo & qui dilectione Dei inueniuntur ardentes, magno indigent lumine, vt iuxta Dei placitum actiones suas valeant moderari. Pro quo & Magister idem sic Ephesi fideles allocutus: *Propterea & ego audiens fidem vestram, quæ est in Domino IESV, & dilectionem in omnes Sanctos, non cesso gratias agere pro vobis, memoriam vestri faciens in orationibus meis: vt Deus, Domini nostri IESV Christi Pater gloriæ det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis in agnitione eius, illuminatos habentes oculos cordis vestri, vt sciatis quæ sit spes vocationis eius, &c.* Ephes. 1. v. 15. 16. 17. & 18. Ecce dilectionem magnam, & in Sanctos quidem: sed & spiritum

Multa Deus inspirat, quæ tamen agit ne executioni mandentur.

Hebr. 13. v. 20. & 21.

Quidquid molitur Deus in id tendit, vt fideles suæ aptet voluntati.

Ephes. 1. v. 15. & seqq.

Erga sanctos etiã dilectio moderanda.

spiritum sapientiæ,& peculiarem interiorum oculorum claritatem, quia dilectio magna etiam in sanctos, sapientia magna indiget, vt quæ ad ipsos spectant, possint iuxta Dei beneplacitum regulari.

Sic D. Mater erga Societatem.

107. Et hoc est quod in Diua prædicamus Teresia, cuius eximia erga Societatem IESV dilectio erga sanctos erat,vt censebat ipsa,& scripto consignatum reliquit : sic enim citato Cap. 33.

S. Teresia.

Tambien me daba pena que maui essen en casa trator congente tan santa como los de la Compañia de IESVS. Etiam mihi molestiam ingerebat, quòd me viderent cum gente adeò Sancta agere , quales ij sunt qui de Societate IESV. Et tamen sapientiæ debuit peculiari lumine dirigi, vt amorem suum erga ipsos, pro quibus animum parata erat ponere, dispensaret. Quid ad hæc ? Orare ipsam vt amori illi suo, cuius maiores in cœlo flammæ, felicissimè consonans,dilectam sibi Societatem, exoratis à Deo beneficijs competentibus prosequatur.

Quid ab illa oporteat exorare.

Non est iam limitationes suæ dilectioni supponere. Impensè diligit;petat, roget, obsecret, supplicet, instet, exoret id, quod in præfata Epistola optare se pro illa, sua est inter hortamenta, testata, dum & suos adiungit beatos filios, *vt det* nobis

Rom. 15. v. 5. & seqq

idipsum sapere in alterutrum secundùm IESVM Christum,vt vnanimes vno ore honorificemus *Deum, & Patrem Domini nostri IESV Christi. Propter quod suscipiamus inuicem , sicut & Christus suscepit nos in honorem Dei. Rom.* 15. *v.* 5. 6. *&* 7. Amen,Amen, Amen , Fiat , Fiat, Fiat.

SECTIO III.

Vtrum Episcopi Indiarum iuxta facultates peculiares illis à Sede Apostolica concessas , dispensare possint in voto Castitatis cum ijs, qui ex altera diœcesi ad effectum talem veniunt.

108. POsse dispensare iuxta facultates dictas dixi in Thesauro Indico *Tit.* 12. *Cap.* 20. *n.* 461. *& in Additionibus n.*67. *&* 308. *Tomo* 2.vbi & priuilegium Clementis VIII. pro Missionarijs,quod & Pontificum est aliorum, adduximus , quod apud Angelum M. Verricelli extat in *volumine de Missionibus Apostolicis Tit.* 16. *Sect.*6.§.2. *Formula* 4. *qui & Formula* 3. facultates dictas Episcopis solitas concedi proponit. Quid autem sine priuilegijs pro Indijs habeatur , *citato Cap.*20. dictum. Et concessio quidem pro Episcopis tenoris est sequentis : *Quartò, dispensandi & commutandi vota simplicia in alia pia opera , & dispensandi ex rationabili caussa in votis simplicibus Castitatis & Religionis.* Quæ autem rationabiles esse caussæ possint dictum citatis locis.ex quibus magis frequens est incontinentia , ratione cuius id, quod assumptum est in remedium,in laqueum versum deprehenditur : vnde *melius esse nubere, quàm vri iuxta* Apostoli celebrem admonitionem iudicatur 1.*Cor.*7. *v.*9. Circa hoc ergo difficultas alicuius momenti esse non potest : benè tamen circa id,quod discutiendum occurrit,& in casus contingentia quæstionem , de qua Titulus, excitauit. In eisdem namque facultatibus. §.29. cauetur vt earum vsus tantùm liceat in ciuitate & diœcesi , quibus Episcopus præsidet : non ergo videtur ad diœcesanos alienos talis facultas , sicut neque aliæ concessæ Episcopis,extendenda,etiam si in illa ad effectum dictum adsint , quia diœcesis non est materialiter , sed formaliter accipienda, pro diœcesanis inquam : vnde poterit Episcopus extra diœcesim constitutus cum suo diœcesano extra diœcesim etiam agente dispensare , iuxta communem Doctorum resolutionem , & distinctionem iurisdictionis voluntariæ & contentiosæ , de quibus Barbosa *de potestate Episcopi Allegat.* 126.*n.*4.& qui ab eo citantur Doctores, & de dispensatione loquentes in votis id tradunt adducti à Bonacina *Tomo* 2. *Disput.*4.*circa* 2.*Decalogi præceptum. Quæst.*2.*Puncto* 7.§.4.*n.*6. Non ergo videtur posse locum habere dispensatio in casu nostro , stante communi Doctorum sententia asserentium ad dispensationem ab Episcopis validè conferendam requiri vt erga subditos, qui absolutè sint tales ratione domicilij , versetur; vel saltim qui maiori anni parte in eius diœcesi degat , pro quo Auctores congerunt citati : Prior *Allegat.*37. *n.*17.*& seqq.*Alter *suprà n.* 5.

Pronuntiatio ne quid faciat.

Episcopus dispensare cum diœcesanis potest, vtroque extra diœcesim constituto. Barbosa. Bonacina.

109. Nihilominus Dico tamquàm valde verosimile prædictam dispensationem ab Episcopo conferri posse , si in ea diœcesi, in qua est dispensandus , non sit qui huiusmodi sit præditus facultate , Episcopus scilicet , aut alius nominatus ab ipso ante mortem , qui eam habuerat , iuxta id quod conceditur in prædictis facultatibus §. 28. Quod quidem ex tenore concessionis probandum, in qua ad vsum facultatis prædictæ non requiritur absoluta subiectio aut habitatio per maiorem anni partem , sed solùm vt illa sit in ciuitate aut diœcesi , in quibus Episcopus præsidet. Vbi dici nequit diœcesim debere formaliter accipi iuxta dicta , quia in ordinarijs dispensationibus alia est ratio , iniuria videlicet aliqualis propriorum Pastorum : dispensatio namque ad passionem spectat , & cùm sit in votis , peculiarem propriarum ouium exigit cognitionem , quia res valde grauis est,& periculosa ac suspecta illa proprij Pastoris declinatio , vt is , qui non est proprius , adeatur. At in casu nostro non ita accidit, quia in Pastore proprio facultas ad ista non est, vnde iniuriam interpretare nequit huiusmodi additionem , sed beneficium potius , vt remedium scilicet oui periclitanti adhibeatur. Priuilegium ergo cùm fauorabile sit, & minimè in tertij præiudicium, amplè interpretandum est,seruata verborum proprietate.

Pro affirmatione verosimilis resolutio & probatur ex tenore concessionis.

Tenor facultatis Episcopis concessæ.

110. Dices non videri ad quid sit addita præfata limitatio , si alieni subditi possunt dispensari : nam ad dispensationem nihil conducit quòd dispensandus in diœcesi dispensantis sit cùm possit in ea , in qua domicilium non habet æquè benè dispensari. Pro quo obseruandum non exigi à Pontifice vt dispensatio in ciuitate residentiæ Episcopalis fiat , sed in diœcesi : vnde dispensatio potest committi alicui, qui nimis distet, & rationabilem caussam ad dispensandum examinet, audito dispensationis petitore. Atqui hoc ipsum fieri potest ab eo, qui in aliena existit diœcesi; & fortè meliùs ob maiorem petitoris cognitionem. Cùm ergo aliter à Pontifice disponatur, videtur

Obiectio ex tenore ipso, quia diœcesani excepti.

proculdubio dicendum de formali diœcesi dispositionem talem procedere , neque posse ad non subditos extendi.

Non obstare ostenditur.

111. Sed hoc non obstat : Quia si id , quod in argumento assumitur , valeret, pro tota aliqua prouincia, immò & regno,concessio vnica dictarum facultatum sufficeret , cùm ad absentes omnes posset extendi,quod est manifestè contra Sedis Apostolicæ mentem volentis vt singuli Episcopi pro facultatibus dictis peculiarem habeant recursum, qui ex adeò ampla extensione cessaret:nam vnus Episcopus alteri committere dispensationes posset , & id opportuniùs quàm alteri ; sic enim maiori cum consideratione negotium adeò graue , & ita etiam cum maiori conscientiæ securitate transigendum. Præterea , licet aliquando per aliquem alienum Diœcesanum meliùs posset illud transigi ; communiter tamen loquendo id non accidit,quia Episcopus maiorem Vicariorum suorum, aut aliorum, quorum vti industria in rebus talibus potest, habet cognitionem, quos maiori potest cum auctoritate dirigere, instruere, & informare. Petit etiam gratia ista à dispensando accipienda , vt peculiare aliquid circa dispensantem exhibeat non solum obsequium , sed subiectionis genus , quale habet qui ad eius diœcesim accedit , in qua saltim ratione delicti fortitur forum , & nonnullas alias obedientiæ obligationes subit , de quibus Doctores, iuxta probabiles opiniones: vnde meritò Pontifices possunt id exigere ad vsum facultatum,quod iam vidimus,& sufficere etiam remanet comprobatũ. Deinde, cùm possit accidere,vt accidisse vidimus,plures Episcopos habere facultates dictas, non oportuit vt existentibus in diœcesi propria dispensatio à diœcesis alterius Episcopo conferretur, & ideò id est iure optimo à Pontificibus generaliter vetitum,etiam cùm in diœcesi aliqua deest , qui huiusmodi facultatem habeat , ad vitandam confusionem. Et quidem quando plures Episcopi dictas facultates habent , ad eosdem spectat proprias oues pascere modo illo pastionis, vt diximus, vnde ad alios recurrere,non sine ipsorum iniuria stare potest,quæ est ratio propositæ Assertionis.

Vrgetur ex recepta sententia de exemptis,qui se possunt subijcere Ordinario ab eisdé absoluendos.

112. Quod vrgeri ampliùs potest, quoad præcipuam scilicet Assertionem , ex multorum sententia asserentium Religiosos exemptos cedentes exemptionis priuilegio , posse ex suorum superiorum licentia se Episcopo subijcere , vt ab illo absoluantur , vel vt cum eis dispenset in casibus, in quibus id Episcopus cum suis subditis potest. Pro quo P. Thomas Sancius *in Opere morali Lib.* 4.*Cap.*39.*à n.*27 Trullench *in Decalogum Lib.*2. *Cap.*2.*Dub.*37.*n.*20. Bonacina *suprà n.*10.Diana *Parte* 8. *Tract.* 3. *Resolut.* 48. & alij apud ipsos. Non ergo obstat defectus omnimodæ subiectionis , quando ceditur exemptioni. Vnde & idem videtur dicendum in subditis Episcopo , si Episcopi consensus accedat. Vnde & certius id asserendum quando Metropolitanus est , qui dictas habet facultates , quia absolutè loquendo suffraganei se possunt illi subijcere in ordine ad dispensationes , vt cum alijs tenet Bonacina *supra n.* 7. Barbosa *n.* 20. P. Sancius *Cap.* 38. *n.* 10. Diana *Resolut.* 13. & alij complures , eo quòd suffraganei sint subditi Metropolitani , ex quo fit & suffraganeorum subditos aliquem habere respectu illius subiectionis modum, quem non habent alij, qui subditi suffraganeorum non sunt. Vnde cùm citati negent posse Metropolitanum cum suffraganeorum subditis dispensare , intelligendi veniunt quando eorum licentia non extat. Ille autem aliqualis subiectionis modus deseruire potest vt facilius illa præsumi debeat ; præsumptam autem sufficere affirmat P. Molina *Tomo* 4. *Disput.* 61.*n.*3.§. *Illud autem obserua.* Ex quo P.Sancius *citato Cap.*39.*n.*38. & P. Suarez *Tomo* 2.*de Religione. Tractatu de voto. Lib.*6.*Cap.*10.*n.*11. Diana *supra Resolut.*47.§.*& hac opinio.*P.Palaus *Tomo* 1. *Tract.*3. *Disput.*6.*Puncto* 7.§.2.*n.*5. Et alij. Vnde id non solùm ad Metropolitanos, sed ad alios etiã extendendum, præfatas habentes facultates.

In Metropolitano id tenuus.

Barbosa. P. Sancius. Diana.

Quæ subiectio firmiorem reddit præsumptionem. P. Suarez. P. Sancius. P.Molina. Diana. P. Palaus.

113. Pro quo & facit grauium scriptorum sententia , ex quibus est Basilius Legionensis *de Matrimonio Lib.*8. *Cap.*7.*n.*7. asserentem peregrinos & forenses , etiam si breui tempore commorentur, posse à Diœcesanis loci illius dispensari in legibus , votis , & iuramentis, sicut possunt reliqui alij subditi , quia subduntur legibus illius oppidi , & ita non illis deest subiectio necessaria. Et quidem cùm probabilissimum id sit, quod de legibus dicitur; ex eo manifestè comprobatur subiectio,quia leges in subditos tantùm ferri possunt: sunt ergo subditi modo aliquo non improprio, sed legitimo , & ita benè inde colligitur posse dispensari. Ex quo pro instituto nostro validè argumentari possumus, quia sic accedens vt dispensationem obtineat , à sua propriæ habitationis sede peregrinatur , siue transeat , siue non transeat, aut etiam forensis computatur. Vnde & fit non videri licentiam Diœcesani necessariam, quia illa non est ad peregrinandum necessaria , & vt quò velit quisque se conferre. Quòd si dicatur id videri fieri in fraudem subiectionis proprio Diœcesano debitæ , id minimè vrget , quia non censetur in fraudem operari , qui vtitur iure suo , & propriæ conscientiæ consulit per medium opportunum. Id quod Doctores tradunt etiam cùm de præcepti laborioſi declinanda obligatione agitur , quale est ieiunij , vt videri potest apud Dianam *Parte* 10. *Tract.*9. *Resolutio* 19. vbi adducit Patrem Fagundez in *Præcepta Ecclesiæ. Præcepto* 1. *Lib.*1.*Cap.*7.*n.*7. & tutam ac probabilem sententiam esse putat; quam & tenent apud Eligium Bassæum *Tomo* 2. *verb. Len.*3. *in fine* Basilius Legionensis , P. Thomas Sancius, Bonacina, Ioannes Sancius , & P. Gaspar Hurtadus, quos ille sequitur. Licet autem sint, qui secus sentiant , de quo & dictum in *Appendice Sectionis* 1. *Propositi.* 19. eorum ratio non militat in præsenti,quia ibi obligationis declinatio videtur fraudulenta , vt corporis potiùs quàm animæ commodum conquiratur,nullâ ex parte Prælatorum existente interpretatiua voluntate , quæ si extaret , cessaret obligatio: in casu autem nostro præsumptus consensus est , si necessarius ille sit , nec laboriosum aliquod præceptum pro bono animæ ab Ecclesia positum declinatur. Cùm enim Prælati facultatem non habeant , minimè curant subditos dispensatione egentes ipsis se manifestare,sed eorum id curæ relinquunt , vt vnusquisque sibi consulat, & remedium vbicumque inuenire possit, exquirat. Neque est eadem ratio de Religiosis, qui velle & nolle non habent, & super quorum Prælati

Ex sententia probabili idem probatur de peregrinis & forensibus.

Nullam in casu, de quo agitur, esse fraudem,pro quo communis sententia circa talia. Diana. P Fagund. Bassæus. Basilius Legion. P. Sancius. Bonacina. Ioan. Sanc. P Gaspar. Hurtadus.

In Religiosis necessaria licentia.

lati vigilant actiones ; cùm tamen sæculares ire quò velint, possint, & prolibitu domicilia mutare, vnde & se Episcopis diuersis subijcere, à quibus in spiritualibus gubernentur, & cùm pro Religiosis habere locum præsumptio consensus possit, non obstante stricta illa dependentia in ijs, quæ iurisdictionem concernunt, & apud citatos videri potest ; in sæcularibus id potiùs admittendum, & quidem generalis : quod rationes adductæ videntur non leuiter demonstrare.

De commutatione similis resolutio, in qua potior ratio.

114. Et quod de dispensatione est dictum, de commutatione potiùs asserendum, in qua minùs ab obligatione voti receditur, vt est compertum. Licet autem ad vtramque facultas concedatur, discretionis erit dispensaturi, & grauis etiam obligationis, iuxta negotij qualitatem procedere, vt scilicet dispensationem non impendat, si sufficiat commutatio, aliàs superfluè additum fuisset quod ad dispensationem spectat, si videlicet semper esset dispensatione vtendum. Quamuis autem cùm de votis castitatis agitur, non fiat mentio commutationis, sed dispensationis tantùm, id non obstat, quia iam mentio præcesserat circa vota simplicia : quia verò in generalibus concessionibus solent vota castitatis, & Religionis excipi, id additum, quod est in eo genere maius, dispensari inquam posse, & non tantùm commutari. Ex vi quidem generalis concessionis poterant & commutari & dispensari, nulla addita exceptione ; cùm ergo additur, id quod est dictum, significari intenditur, scilicet in duobus illis votis quod est summum ex Pontificia liberalitate concedi. Et ita censent plures & grauissimi scriptores, quos adducit Diana *citato Tract.* 3. *Resolut.* 43. contra nonnullos, qui existimant facultatem commutandi esse maiorem, eo quod maiorem scientiam requirat : quod quidem à citato Scriptore ex eorum, quos citat, doctrina optimè refellit, ostendens pariter quomodo qui commutat, cùm dispensandi facultatem habeat, Dei causam melius agat vt fidelis & prudens dispensator. Quod quidem adeò videtur apertum, vt mirum sit graues scriptores circa illud aliter censuisse.

Cur non expressa commutatio.

Facultas circa illam non est maior, contra aliquos.

SECTIO IV.

Circa obligationem celebrandi in loco à Fundatore Capellaniæ designato, pro casu in Indijs occurrenti.

Casus propositio.

115. VIr quidam nobilis & diues Cantabrica pietate Capellaniam instituit, Missarum numerum pingui cum stipendio designans, & in Capella Diuæ Virginis de Aranzazu, quæ in Ecclesia Patrum Minorum extat, certis diebus dicendas. Primum Capellanum ex filijs vnum esse voluit Sacerdotem sæcularem, & eo deficiente Religiosum non Franciscanum, ad quem quidem priore fratre mortuo Capellania peruenit, & cùm ei iuxta Fundatoris voluntatem deseruiret, in sua Religione Prouincialis electus est, ex quo factum vt Missas designato in loco non posset celebrare, vnde & dubitauit an obligationi satisfaceret alibi celebrando, ne si per alium celebraret, & ei ordinarium stipendium solueret, considerabili emolumento fraudaretur, præsertim sidesignatæ Ecclesiæ Prælatus annueret, ei pro tempore Prouincialatus renuntians iuri, quod ad celebrationem talem videtur Ecclesia possidere.

Vt non sit obligatio quid faciat. Pasqualig.

116. Et pro parte affirmatiua videtur stare *Decisio* 429. Pasqualigi, in qua quærit an Rectores Ecclesiarum possint concedere facultatem Sacerdoti obligato celebrare in sua ipsorum Ecclesia, vt alibi celebret ? & in primis adducit Bonacinam *Tomo* 1. *Disput.* 4. *de Eucharistia Quæst. vlt. Puncto* 2. §. 4. *n.* 4. vbi docet posse Episcopum ex iusta causa dispensare vt Sacerdos alibi celebret, quando nimirùm in loco constituto celebrari non potest. Subditque quòd si in loco constituto celebrari non potest, non videre se qua dispensatione opus sit, cùm ipsa impotentia eximat Sacerdotem ab obligatione, cùm nemo ad impossibile obligari possit. Quod quidem ex eo comprobandum venit, quod apud citatum Auctorem *num. præced.* succurrit, vbi cum multis, quos citat, ait occurrente impedimento cessare obligationem celebrandi in loco designato, & teneri Sacerdotem in alio celebrare : hæc enim censetur interpretatiua voluntas testatoris, qui maiorem vtilitatem percipit ex Missa celebrata alicubi, quàm nullibi celebrata. Iam ergo agnoscit cessationem obligationis sine recursu ad dispensationem Episcopi in aliquo casu, seu aliquando, vt ille loquitur, ex iusta causa comprobata, ex multorum Doctorum, qui affirmant posse Episcopum ex iusta causa in aliquo casu commutare legata in alios æquales vsus pios, saltem quando non est acquisitum ius à tertio : non procedit stante impedimento pro executione legati, sed eo cessante ; quia stante impedimento absolutè loquendo est id faciendum, & non in aliquo casu, sed semper ; neque ob iustam causam, sed ob omnimodam necessitatem. Ex quibus videtur verba illa, *Si nequeat celebrari in loco constituto*, inconsultò adiecta, & per incuriam scribentium : nisi fortè Auctori humanum aliquid, quod multis accidere *Scimus, & hanc veniam petimusque damusque vicissim.*

Bonacina.

Dispensatio Episcopi.

Occurrens impedimento cessare obligationem circa certum locum.

Potestas Episcopi commutandi legatum in aliquo casu.

117. Pergit P. Pasqualigus, & loquendo de ijs, ad quos Ecclesiæ regimen spectat, existimat eos ex rationabili causa posse concedere facultatem celebrandi in alio loco, dummodò tamen Sacrificium applicetur, non secus ac si celebraretur in loco constituto. Id quod probat : Nam qui instituit quòd Missa celebretur in tali Ecclesia vel altari duo intendit, nimirùm fructum Sacrificij, & cultum Ecclesiæ, siue altaris, & commodum populi, saltem multoties, quod percipit ex tali cultu. Ratione autem primi non magis Sacerdos tenetur celebrare in hoc, quàm illo loco, cùm semper idem sit fructus Sacrificij, vnde tenetur tantùm ratione posterioris. Quia verò hic cultus est in ordine ad honorem & cultum Ecclesiæ, quæ à suis Rectoribus regitur, qui etiam disponunt de seruitio & cultu illius eiusdem Ecclesiæ (cùm hoc pertineat ad munus ipsorum) ideò quando testator, aut quiuis alius, instituit talem cultum consequentem ex celebratione Missæ censetur instituere, vt velit esse sub dispositione illius, ad quem pertinet disponere & ordinare cultum Ecclesiæ : quia non debet præsumi

Probat etiã Palqualig. ex potestate Rectorum Ecclesiæ circa Dei cultum.

sumi quòd velit disponere & ordinare cultum in Ecclesia independenter ab ijs, ad quos pertinet de iure dispositio : hoc enim esset sibi vsurpare alienum ius. Rursus. Quando Rectores Ecclesiæ acceptant in proptia ipsorum Ecclesia huiusmodi cultum, videntur acceptare saluo iure ipsorum de disponendo & ordinando tali cultu, quia non præsumitur quis velle se priuare proprio iure, nisi de tali priuatione constet. Hinc, vt habentes huiusmodi cultum sub propria dispositione, possunt ex rationabili causa concedere licentiam Sacerdotibus obligatis ad celebrandum, celebrandi in loco alio. Nec obstat quòd populus priuetur tali commodo ; quia cùm commodum huiusmodi sit quid accessorium cultui diuino exhibito per celebrationem Missæ, eo ipso quòd cultus est vt principale sub dispositione Rectoris Ecclesiæ, est etiam accessorium. Neque Ecclesiæ Rector commutat vltimas voluntates, aut relaxat obligationem aliquam, sed disponit de modo celebrandi, iuxta interpretatiuam voluntatem testatoris, aut illius, qui imposuit obligationem. Sic Auctor ille.

Valeãt concedere licentiam obligatis possunt.

Vigatur quod ad licentiam attinet, admissa obligationis cessatione.

118. In quibus aliquid est quod admitti possit, immò & debeat ab omnibus, scilicet admittentem seruitium Capellaniæ in sua Ecclesia, non ita adstringi ad permittendum vsum, vt non possit aliquando Sacerdoti illum denegare. Si videlicet contingat aut altare occupatum esse, aut etiam Ecclesiam : vt contingere potest pro competenti eiusdem Ecclesiæ seruitio. Quo euentu non est dicendum Ecclesiæ Rectorem concedere licentiam obligato ad Missam alibi celebrandi, sed impedimentum apponere, quo stante, potest & debet sic obligatus alibi celebrare, iuxta dicta *n.* 116. talis enim præsumitur voluntas testatoris, aut alterius, ex cuius dispositione est obligatio constituta. Nisi abutamur voce licentiæ, vt eam impedimenti nomine compellemus ; quo posito, id sequitur, quod ratione licentiæ, si dari posset, haberetur ; quatenus scilicet licentia à verbo *Licet* deriuatur, & ei, qui impedimentum deprehendit, licet alibi id facere, quod certo loco facere tenebatur, ex dispositione eius, qui apposuit impedimentum.

Rectores impedire non possse Capellanum, stante rationabili impedimento.

119. Quòd verò nullo impedimento stante, possit Ecclesiæ Rector licentiam dictam concedere, non videtur admittendum ; idque ex eodem, quod citatus Scriptor adducit, fundamento : scilicet ad Rectorem Ecclesiæ spectare dispositionem cultus in eâdem futuri. Nam in ordine ad ipsum cultum admissa est Capellania dicta fundatoris voluntate cum Rectorum beneplacito concurrente. Atqui in ordine ad cultum Ecclesiæ est valde conueniens Missæ celebratio, pro qua nullum est impedimentum, ergo nequit licentiam ad alibi celebrandum indulgere. Nec dici valet ad id posse iustam causam intercedere : si enim illa semel aut iterùm subsit, ad id necessaria licentia Rectoris non est, vt communiter docent Scriptores, ex quibus plures adducit Bonacina *supra n.* 2. qui dicentes peccare mortaliter alibi quam fundator exigit, celebrantem, addunt : *Nisi hoc faciat ex iusta, & rationabili causa* : non est autem iusta & rationabilis causa, impedimentum, quia ibi ratio seu arbitrium non habet locum. Quando ergo licentia Rectoris inducitur in casu præsenti, plus aliquid videtur concedi, quod tamen admitti nequit, vt videtur manifestum : estque illud contra fundatoris voluntatem : quis enim Capellaniam instituens cum obligatione dicta, id non penitus detestetur, vt scilicet non existente impedimento, diu à celebratione cessetur ? Vbi nequit dici per dispositionem fundatoris non tolli Rectoris ius ad disponendum id, quod ad Dei cultum in Ecclesia possit conueniens iudicari. Hoc enim admittitur ; sed cùm stante dicto iure admittatur fundatoris dispositio, quando scilicet diuino cultui contraria non fuerit, ex eo argumentum instauratur : nam celebratio nullo stante impedimento, ad diuinum cultum pertinet & conducit, & sub ea conditione Capellania est admissa : ergo contra illius voluntatem committitur, dum cessatur à celebratione, nullo impedimento occurrente ; vnde & peccatur etiam grauiter, ex eo quòd populi commodum à fundatore prouisum subtrahatur.

Sine licentia quid possint Capellani.

120. Aut ergo citatus Auctor id tantum vult, quod communiter Doctores concedunt de vna aut altera vice celebrationis, aut quando impedimentum est, vel plus aliquid, neutiquàm admittendum ; cùm Rectorum potestas non sit in destructionem, sed in ædificationem, iuxta Apostolum, & ita non ad minuendum cultum, sed ad amplificandum illum, quod egregiè Missarum celebratione præstatur ; præsertim cùm altare aliquod est designatum, in quo esse aliqua imago solet, erga quam populus peculiarem gerat deuotionem, vel sit priuilegiatum pro anima ab expiatricibus flammis eruenda. Pro quo & facit id, quod *n.* 116. citatum Scriptorem vidimus tradidisse : non inquam esse necessariam Episcopi concessionem, vt Sacerdos alibi celebret, si nequeat celebrare in loco constituto, quod tamen Auctores à Bonacina citati, quem ipse adducit, necessarium affirmant, quando non est impedimentum, & est iusta causa, & non regulariter, sed in aliquo casu particulari. Si ergo ad hoc necessaria est licentia Episcopi, non est id Rectori cuicumque Ecclesiæ concedendum : quòd si in casu particulari id non licet, multò minùs pro diuturna absentia licebit.

Vegetur Reflorum obligatio.

121. Ex prædicta ergo resolutione non habetur solidum fundamentum, vt illa possit casui, de qua loquimur, adaptari. Nec melius probari potest ex communi alia iam proposita de impedito, quia satisfacit alibi celebrans, quando scilicet ex parte loci est impedimentum ; nam si ex parte ipsius sit, & impotentia sit diuturna, per alium celebrare debet, congruo stipendio eidem assignato, vel si, vt gratis faciat possit ab eôdem, digno quidem fide, precibus, aut obsequijs, aut per amicabilem illius oblationem obtinere. In casu autem dicto videtur res ita se habere : quia dictus Prouincialis potest per alium celebrare, sicque necessitatibus Religiosorum succurrere, stipendio eis currente attributo : nam velle vt id gratis faciant, auaritiæ sapit labem, & vereri meritò potest non satisfacturos tales obligationi, sed ad improbabilium opinionum diuerticula recursuros, suam redimentes vexationem : immò & officiosam oblationem potest habere suspectam, vtpotè ad captandam beneuolentiam, vt sæpè accidit, affectatam. Ex parte autem loci impedimentum non extat, vt est compertum, cùm Ecclesia pateat,

In casu, de quo agitur, nihil ex prædictis obstare.

teat, & altare promptum & paratum sit, Religiosique grato sint animo erga fundatorem, quem insignem benefactorem agnoscunt.

Ex præsumpta voluntate fundatoris verosimile fundamentum.

122. Vnum ergo illud fundamentum restat ex præsumpta fundatoris voluntate, quæ erga filium talem in dignitate constitutum, non est communi aliorum regula metienda. Obligatio quidem Missarum perstat, & eiusdem valoris sunt, siue in hoc, siue in alio loco celebrantur: vnde quoad locũ tantùm illa interpretatio deuenit: in quo populi commodum non attentum, quia in Ecclesia dicta ob Religiosorum copiam, numquam eam adeuntibus deest, qua suæ possint satisfacere deuotioni. Sola ergo fundatoris deuotio relinquitur erga imaginem aduocationis dictæ, iuxta quam & sepultus: & ad eam potest alibi celebrantis intentio dirigi, Responsorio adiecto in fine pro parentis anima, quod fortè erat dicta in Ecclesia recitandum. Cùm ergo omnia, quæ ad substantiam operis pertinent, impleri possint, solaque desit loci circumstantia, & aliquid sit parentis voluntati speciale tribuendum, illud erit, quod circumstantiam dictam concernit. Hinc est vt si præcedat testamentum inter extraneos cum clausula derogatoria, & sequatur conditum inter liberos sine vlla clausula in eo apposita, censendum sit prius testamentum reuocatum. Quoniam licet testamento condito inter liberos non sit à iure concessa virtualis clausula reuocatoria præcedentium testamentorum, inter extraneos, sicut sequentium; affectatio tamen parentum ad filios, quæ legislatores impulit, vt ex præsumpta parentum voluntate priuilegium hoc concederent, (quod tamen locum non habet quando de contraria testatoris constat voluntate) cogit etiam vt nos consentaneè ad illud priuilegium, dictum alterum præsumamus, vt cum commuP. Molina. niore sententia tradit P. Molina *Tomo 1. Disp.* 153. §. *Ex eadem doctrina & primero*, adducens pro ea Couarrubiam, & Gregorium Lopez. Quod certè plus multis est, quam id, de quo difficultas nostra procedit. Et tum ex eo, tum ex alijs, quæ possunt adduci, manifestum est iura omnia causis filiorum fauere, & in ipsorum commodum illorum interpretandas voluntates. Et id quidem etiam cùm de iure tertij agitur, qui est damnum perpessurus: quantò ergo id potiùs, vbi nullum tertio damnum imminet, & solùm accidentalis circumstantia pro certo tempore variatur?

Filiorum fauor ob præfatam præsumptionem.

Scandalum vt vitari queat.

123. Quia verò scandalum oriri potest ex eo quòd Missæ tamdiu in præfato altari cessent: illud quidem respectu sæcularium non videtur futurum, qui minimè intenti ad ista esse solent, in Ecclesia præsertim dictæ frequentiæ: Religiosorum autem informatione opportuna sopiendum, fundamento ostenso, propter quod sine conscientiæ grauamine sic agatur. Et quidem cùm dictus Pater possit in quocumque statu per alium celebrare, Religiosum, aut sæcularem, non apparet quomodo suboriri scandalum possit ex eo quòd non videant ipsum aut alium eiusdem Ordinis celebrare. Quomodò autem Religiosus habere Capellaniam possit, non est huius loci,

Religiosi vt esse Capellani possint.

neque super eo mouetur quæstio, quia supponitur id licitè stare posse, si Capellania laica sit, nec proprietatem Ecclesiastici beneficij habeat, sed vt dici solet, Memoria Missarum, vel quòd fundator velit ad alium, si beneficialis sit, proprietatem pertinere, emolumenta autem esse Religiosi pro suæ vitæ tempore, cum licentia Prælatorum. Neque enim in hoc repugnantia est: licet enim Beneficio sit annexus titulus faciendi aliquid, cui sint conuenientes prouentus responsuri; nihilominùs stat aliquando Beneficium esse sterile ex accidenti. Vnde orta quæstio an Beneficiarius talis ad Horas Canonicas teneatur? pro quo diuersæ sunt sententiæ, vt videri potest apud P. Baunij *in noua praxi Beneficiorum. Disput.at.* 13. *Quæst.* 22. Vbi cum multis negatiuam amplectitur. In casu autem nostro non est prorsus sterile, cùm ius habeat ad fructus, deficiente eo, qui seruitij sui emolumenta reportat. Honestiùs autem res ageretur, si emolumentum aliquod conferretur ipsi, & tunc iuxta valorem portionis taxanda esset obligatio ad diuinum officium, iuxta diuersarum opinionum regulas, de quibus dictum in *Thesauro Tomo* 2. *Tit.* 16. *n.* 16. & 17. illud nunc addendo, si pecunia vt stipendium Missarum tribuatur, standum fundatoris voluntati, qui statuere potuit vt stipendium proprietarij Missis conferendum, sit illud, quod est communi lege taxatum: sin autem nihil disposuerit, stipendium futurum pingue, quod scilicet vsu fructuarius accipit, quia non debet esse peioris conditionis proprietarius in eo, quod à fundatore non est in specie prouisum, qui in tali procedendi modo nihil minùs habet, cùm integro à se assignato Missarum numero perfruatur. Et hæc quidem circa difficultatem præfatam, vt verosimile arridet, doctiorum iudicio trutinandum.

Beneficium potest esse sterile, & quid tunc circa Officium diuinum.

124. Vbi non prætermittendum, quod citatus P. Pasqualigus resoluit *Decisione sequenti*, scilicet 230. in qua quærit ad quem spectet determinare diem atque horam celebrandi, quando Sacerdos tenetur celebrare, sed non quotidie, in Ecclesia, quæ non sit sui iuris: ait enim id ad Ecclesiæ Rectorem pertinere, quando ab Institutore determinatio facta non est, qui eo ipso videtur id dispositioni Rectoris reliquisse: & ideò Capellanus nihil habet iuris sibi circa hoc vsurpandi. Vbi quidem agnoscit determinationem Institutoris circa hæc magnum habere momentum: ergo standum ipsi: & ita non simpliciter asserendum id, quod ab ipso vidimus *superiùs* assertum: scilicet id quod ad locum celebrationi destinatum spectat Rectoris iudicio subiacere. Deinde, nimis durum est quod ait diem & horam à Rectore designandos, quasi Capellani circa hoc nulla sit habenda ratio, quia eius, cui Institutor ex affectu speciali, aut Patroni loco eiusdem, gratiam Capellaniæ contulit, etiam circa alia, commodum spectasse omninò est verosimiliter iudicandum vt sic in vsu ministerij sui expeditus esset, atque ita securiùs obligationem impositam adimpleret. Res ergo hæc vtriusque arbirrio transigenda, & amicabilis ineunda conuentio quoad ordinariam celebrationem; quidquid de die aliquo aut hora in aliquibus casibus sit aliter asserendum, iuxta dicta. n. 118. & vt dicamus Institutorem nihil de Capellani speciali commodo cogitasse, res ipsa id potest sufficienter persuadere, & ratio adducta conuincit. Rectoresque tenentur erga Ecclesiæ suæ benefactores gratos se & benignos exhibere. Nec verum

Pasqualig. Ad quem spectet determinare diem & horam celebrandi. Vbi aliqua notatu digna.

verum apparet id quod dicitur, Rectori determinationem circa diem & horam relictam, eo ipso quòd ab Institutore fuerit prætermissa; cùm similius vero videatur relictum id fuisse Capellano, cum ea tantùm subordinatione, quæ ad commodam executionem, apud prudenter & benignè agentes possit conueniens reputari.

SECTIO V.

Vtrùm Indici Mercatores peccent, dum iurant, quod merces pluris ipsis stent, vtendo æquiuocatione, vt ad pretium iustum deueniatur.

125. GEneralis esse quæstio potest, sed ad Indicos Mercatores speciali ratione spectat, quia in ipsis vt sic iurent maior videtur ratio succurrere, eo quoad rerum pretia non ita explorata sint, cùm vltramarinæ existant, & ita ad illud explorandum desiderari maius aliquod testimonium, & fundamentum & ita iuramentum videatur. Circa quod P. Pasqualigus *Decisione* 445. adductu sententia Sylueſtri V. *Iuramentum* 3. *Quæs.* 2. & Cardinalis Toleti *Lib.* 4. *Cap.* 21. *n.* 9. affirmantium; oppositam tenendam esse resoluit, laudatis pro ea P. Lessio *Lib.* 2. *de Iust. & Iure Cap.* 42. *Dub.* 9. *n.* 46. *vers. Respondeo.* Et Ioanne Henriquez *in Compendio Casuum moralium Cap.* 5. *nu.* 32. & probat quia tale iuramentum non est ex obiecto malum, quia non est falsum, vt supponitur, (stante æquiuocatione) nec etiam ex fine, quia non ordinatur ad decipiendum, sed obtinendum iustum pretium, quod est quid licitum, & proinde ordinari possunt ad illum omnia media licita, quæ non sunt de se mala. Nec iuramentum temerè fit, quia supponitur necessitas pro obtinendo iusto pretio. Nec fit contra propriam iuramenti institutionem, quæ est confirmatio veritatis, quia confirmat verum, licet æquiuocum. Neque etiam fit contra communem verborum significationem, iuxta quam debet vsus procedere, quia verba æquiuoca etiam secundùm communem acceptionem, æquiuoco modo significant, & ita cùm proferuntur secundùm aliquem ex sensibus, quos habent, vsurpantur. Et licet audiens formet conceptum diuersum, non tamen iuramentum ordinatur ad decipiendum, quia iurans tantùm vult inducere ad soluendum iustum pretium.

Pasqualigus iuramentum cum æquiuocatione probans, vt illud explicat.

126. Si dicatur iurantem ideò iurare cum æquiuocatione, quia vult inducere ementem ad credendum oppositum illius, quòd est, nempe quòd merces tanti ipsi steterint, cùm reuera ita non sit, quia nisi hoc crederet, non posset inducere ad iustum pretium, quia mediante hoc conceptu inducitur, & ita iuramentum ordinari ad decipiendum. Respondet iurantem non posse hoc intendere, alioquin iuraret falsum. Solùm ergo intendit iurare verum, sed cum æquiuocatione verborum, ex quibus formari possit conceptus diuersus: vnde respectu mentis tantùm intendit dare occasionem, vt, si velit, sibi persuadeat, quòd merces tanti emptæ sint, cùm ita non sit. Nec intendit mediante illa persuasione iustum pretium; sed tantùm stante illa persuasione, quæ potest sequi ex tali iuramento, ratione intellectus mentis determinantis verba, & accipientis in tali significatione, intendit illa vti ab obtinendum iustum pretium. Sic etiam Deus permittens peccatum, non intendit ipsum peccatum vt medium ad punitionem, sed ita permittit, vt si homo posteà peccet ex sua libertate, vtatur peccato ad punitionem. Sic ille philosophatur.

Nec ex eo sequi animum decipiendi, adhibita pro eo explicatione.

127. Dico Primò. Si reuera ita sit, vt Mercatores nequeant iustum pretium, nisi medio iuramento verbis æquiuocis obtinere, sine peccato iurare dicto modo possunt. Id sequitur ex generali doctrina, quam cum bonis Auctoribus dedimus in Thesauro *Tomo* 1. *in Additionibus ad Titulum pro dictis in illo nu.* 171. & 172. & Titulo 6. *Cap.* 1. *Addit. num.* 95. & 96. & *supra in Appendice sectionis* 1. *Propos.* 12. & *nuper in Digressiuncula* §. 3. scilicet posse iurari cum æquiuocatione quoties iusta causa est occultandi veritatem: sicut etiam occultari sine mendacio potest æquiuocatione adhibita, ita & iuramento, cui nulla ex tribus circumstantijs deest, quas Doctores ex *Ieremiæ* 4. *v.* 2. elicuerunt, de quibus & Nos *supra* cum D. Thoma 2. 2. *q.* 89. arti. 3. veritas inquam, iustitia, & iudicium. Non enim prima, quia iuxta mentem iuratur: nec secunda, quia res iustas scilicet ex honesto fine: nec tertia, quia compellit necessitas: magnum enim aliàs Mercatores detrimentum paterentur, vt supponitur, & ipsi fatentur apud P. Lessium, & ideò addunt nihil se iniustum, dum sic iurant, velle committere.

Assertio 1. Affirmans, si aliter iustum pretium obtineri nequeat.

128. Dico Secundò. Mercatoribus sic asserentibus non est facilè credendum. Sic P. Lessius *n. citato* id quod ego cum distinctione accipiendum iudicò. Quod enim dicunt nihil se velle iniustum sic iurando triplicem habere sensum potest 1. non eo animo iurare, vt iniustum pretium extorqueant, in quo quidem fides est illis penitus adhibenda, cùm de eo, quod est in eorum conscientia, testantur, cuius esse fideles testes possunt, & ita affirmant, vt negotium conscientiæ tractent apud Confessarios, aut probos alios Consiliarios. 2. ita se iurare, vt nolint sic iurantes vllo modo peccare, putantes sibi licere. In quo etiam adhibenda eis fides propter rationem dictam, etiamsi contingere posset per conscientiam erroneam lapsos 3. Non posse aliter iustum obtinere pretium. Et in hoc quidem meritò affirmare potuit P. Lessius non facilè ipsis credendum; quia rerum pretia seclusis iuramentis currunt, & ex raritate, aut abundantia variantur, suntq; in foro recepta, quidquid sit de pretio, quo emptæ sunt, aut de expensis circa illas factis. Quod & in Mercatoribus Indicis est videre, qui merces propter dilatum earum aduentum classesque morantes, cariſſimè distrahunt, & ad primum aduentus nuntium de pretio nimis quantùm deminuunt, nullo habito ad pretium, quo ipsis constitere, respectu.

Assertio 2. Illud non esse facile credendum.

129. Dico Tertiò. Mercatores peccant grauiter ordinariè loquendo iurantes circa pretium. Id experientia constat, quia sic iurantes vt reos se criminis lethalis accusant, & quidem cùm ita iurant, eos qui emere volunt, omnino sibi fidem adhibere desiderant, quia aliàs inutile iuramentum existimant, & subtilitates illæ ac precisiones, quas ex citato Scriptore vidimus, multi non admittunt,

Assertio 3. Peccare illos ordinariè.

vnde & paucis ex foro vsui esse possunt, vel potiùs nullis, etsi ad compendia sua lynces videantur.

Assertio 4. Solum esse veniale. Cardin. Toletus.

130. Dico Quartò. Mercatores cum æquivocatione iurantes ordinariè peccant saltim venialiter, si eo fine id faciunt, qui est explicatus. Sic colligitur ex Cardinali Toleto, qui licet de iuramento cum æquiuocatione non loquatur, cuius nec facit mentionem, pro quo tamen citatur à Pasqualigo *suprà nu.* 123. quia tamen ait iuramentum, cui sola deficit necessitas, esse solùm veniale, hoc videtur insinuare, quia iuramento cum æquiuocatione, cui necessitas deficit, eo solo laborat defectu, & sic accidit in iuramento Mercatorum, vt statim explicabimus. Sylvester autem quem citatus Auctor pro sententia eâdem adducit, Mercatorum non meminit circa casum, de quo agitur, neque circa alium, sic tantùm generaliter locutus: *Et adde, quòd etiamsi priuatus non exigat vi iuramentem, sed sponte offeratur, secundùm aliquos non est iurandum dolosè, quia hoc est vti iuramento ad alium finem, quam sit inuentum: quia hoc est vti ad fallendum, & inuentum est ad certificandum. Si autem exigat quidem, sed non vi, sed deprecatiuè, licitum est iurare cautelosè, non ad fallendum, sed ad occultandum, quæ non expedit reuelare.* Sic ille. Vbi cùm sententiam negantem non vt propriam proponat, sed tantùm secundùm aliquos, in ea non videtur penitus conquiescere quando scilicet iuramentum sponte offertur: sed quia ex eo quòd illam non improbat, dici potest eamdem approbare, & inde inferri Mercatoribus non esse licitum iuramentum; instari potest non esse legitimam consequentiam, & ita non benè pro sententia præfata citari, quia cùm iuratur non vi, sed deprecatiuè, potest cautelosè iurari, eo quòd non expediat veritatem reuelari, & necessitas in causa est vt licitè æquiuocatio sic adhibeatur: Atqui Mercatoribus dici potest esse vtile iuramentum: ergo cùm tale est, non negabitur à Sylvestro, qui tantùm secundùm aliquos non licere affirmat, quando sponte offertur, si videlicet in eo vtilitas nulla versatur. Quid autem circa Mercatores ille senserit penitus ignoratur. Quibus prælibatis ad Assertionis iam probationem veniamus.

Quia sola deficit necessitas.

Sylvester.

Ex defectu dicto instruitur probatio.

131. Probatur ergo, Quia iuramento tali deficit circumstantia iudicij, videlicet necessitas, quòd constat ex dictis *n.* 128. rerum enim pretia independenter sunt à iuramentis constituta. Deinde Mercatores iurant, vt illis fides adhibeatur: Atqui non adhibetur, etiamsi iurent, vt experientia constat: ergo inutile est iuramentum. Prætereà id probatur ex opinione prædicta, iuxta quam id licitè facere possunt, quæ apud Auctores vulgari lingua scribentes extat, vt & Theologizant Mercatores, & alij etiam eorum Theologias agnoscant. Cùm ergo notorium sit talem opinionem extare, & eos libenter eam arripere: ex eo habetur, cùm iurant, quali intentione id præstent, emptoribus notum esse, & ita etiam qualem & ipsi debeant fidem eorum iuramentis adhibere. Item, emptores etsi certò sibi persuadeant Mercatores tanti emisse, quanti iurant, minimè id curant, sed quanti sibi oporteat id quod sibi est opus comparare. Et quidem si indigent, de iusto pretio non tergiuersabuntur, & cùm Mercatores iusto sint venditurі pretio, stat mutua illorum conuentio. Ad quid ergo iuramentum? Certè vt infeliciter distractio mercium eueniat, cùm sit experientia compertum eos, qui à iuramentis abstinent, suis esse in contractibus feliciores, & ad eos frequentiùs, ita ipsorum Christiana moderatione agente, recurri.

Assertio 5. Etiam sine vllo peccato stare iuramento potest.

132. Dico Quintò. Aliquandò stare potest iuramentum cùm æquiuocatione sine aliquo peccato. Id probo, quia potest contingere vt emptores aliqui tale iuramentum exigant, dum iurari sibi volunt, & si dicto modo non iuretur, ad iustum non est pretium deueniendum. Itaque opus est emptores expressè exigant, sed adeò esse increduli circa mercium valorem possunt, vt prudenter iudicent Mercatores in ijs circumstantijs futurum vtile iuramentum, hoc enim est virtualiter exigere, nisi fortè credant non iuratis esse credendum, quia emptores rebus in istis versati sunt, quales non sunt ordinariè feminæ, aliàs contentiosissimæ in talibus, sicut & in alijs, pro quo nequit regula certa præscribi. Ad saluandam autem veritatem in huiusmodi Mercatorum iuramentis præter dicta citatis Thesauri locis, expediet vt Mercatores certos quosdam sensu præconceptos habeant, vt videlicet, cùm dixerint *Tanti emi hoc*, intelligant, *vt sic dicerem*, seu *verbaliter*, *non realiter*: *viginti aureis emi vlnam*, *non vulgarem*, *sed imaginariam*, maiorem inquam imaginatione confictam, quæ scilicet vlnam & dimidiam habeat, & sic valorem affirmatum adæquantem, vel plus aut minùs. *Stat hoc mihi centum argenteis*, *non communibus*, *sed minoris æstimationis*, similiter imaginarijs, valorem exæquantibus. Similiter cùm de rebus agitur, quæ sint modis alijs mensurabiles. Quòd si de re non diuidua agatur, dici potest: *Tanti stetit*, quia aut tanti sit empta, aut tantum habeat expensarum, iusta ipsius conditionem, sensus congruus esto: *Tanti* inquam *stetit*, computatione nummorum facta dictis modis, minoris scilicet æstimationis. Et quia ad ista minùs apti inuenientur multi, sit sensus generaliter loquendo de omni mercium genere: *Iuro tanti mihi stare*, *eo modo*, *quo iurare possum sine mendacio.* Quod si non possum, non est meæ intentionis iurare: iuxta ea quæ *nu.* 77. & 81. dicta sunt, de materiali tantum vsu verborum, quibus iuramentum secundum se sumptis importatur.

qui præcipiendi sensus.

SECTIO VI.

Circa recursum ad Regia Tribunalia, pro dictis in Thesauro Indico. Tit. 3. n. 46. & seqq.

Bruno Chassaing, *appellari posse affirmat, & in quibus.*

133. POst scripta ibi, visus P. Fr. Bruno Cassaing *de Priuilegijs Regularium*: qui *Tract. 1. Cap. 1. Propos. 9.* absolutè statuit posse legitimè appellari de abusu ad Principē sæcularē, seu Senatum supremum, quotiescumque potestas Ecclesiastica pronuntiat aut agit contra Canones & priuilegia: possèque Principem ac Senatum supremum

supremum appellationem suscipere, & appellantes à violenta suorum Prælatorum eripere vexatione. Abusum autem seu *vsum cuius actus nullus est*, in quinque casibus generalibus accidere ait. 1. Si Prælati aut iudices Ecclesiastici, aliquid decernunt aut iudicant aduersus iurisdictionem Regiam, aut sæcularem 2. Si contra libertatem aut immunitatem subditorum Regis. 3. Si contra Ordinationes Regum Galliæ, & placita Sematuum supremorum 4. Si contra Sacros Canones Conciliorum Generalium, Decreta Pontificum, Constitutiones ac statuta Episcoporum 5. Si iudices Regis, & alij iudices laici aliquid decernunt, iudicant, & vsurpant in præiudicium & diminutionem iurisdictionis Ecclesiasticæ libertatis, & priuilegiorum Ecclesiæ Gallicanæ. Addit suspensiuum effectum huius appellationis tunc dari, cùm exemptus ab Episcopo, aut ab alio Ordinario, appellat per citationes, informationes, aut pœnas grauatus in sua exemptione, quia terminos iurisdictionis sibi præfixos transgreditur. Vel cùm à sententia superioris contra Sacros Canones, aut Regulares Constitutiones lata appellat. Deuolutiuum autem habere in non exempto, quando à correctione appellat in materia Ecclesiasticæ disciplinæ, potestque appellare pro illo negotio, adire Senatum supremum, ad quem deuolutum est.

Scriptorum, Scriptura, & Inrisoberato.

Probat 1. ex Iure Canonico.

134. Licet autem prædictus Auctor de stylo tantùm Gallicano agere videatur, rationes tamen eius generaliter procedunt, vnde & ad alia regna poterunt minus cauti præfatam doctrinam deriuare. Probat siquidem Primò ex *Cap. Petimus.* 11. *q.* 1. desumpto ex *Concilio Carthagininesi.* 3. *Cap.* 38. vbi sic habetur: *Petimus vt dignemini dare fiduciam, qua, necessitate ipsa cogente, liberum sit nobis Rectorem Prouinciæ, secundùm statuta gloriosissimorum Principum aduersus illum adire, qui plebem, quam inuaserat, vsque hodie commonitus, secundùm quod statutum fuerat, relinquere contemnit, vt qui niti admonitioni acquiescere noluit, & emendare illicitum, auctoritate iudiciaria penitus excludatur &c. Honoratus & Vrbanus Episcopi dixerunt: hoc enim omnibus placet: ab vniuersis Episcopis dictum est, iustum est, placet.* Sic ibi. Circa quod

Cap. Petimus.

Glossa.

Glossa verb. *Excludatur* ait; quòd si quis auctoritate iudicis mittitur in possessionem, & aduersarius eum non admittat, qui nec attendit excommunicationem, videtur quòd manu militari possit auferri ei res, affertque ad id multos Canones & leges. Deinde adducit *Cap. Filijs 16. q. 7.* vbi facultas datur recurrendi ad Regem, cùm per iudices Ecclesiasticos grauamen minimè auferri potest. Prætereà inducit Epistolam Leonis ad Ludouicum Imperatorem, in quo sic scribit: *Si in competenter aliquid egimus, & in subditis contra leges tramitem non seruauimus, vestro ac missorum vestrorum volumus emendari iudicio.* Sic ille, & quia auctoritates prædictæ paucæ alicui videri poterunt, multos se ait prætermittere Canones, ex quibus Doctores Propositionem dictam concludunt, & quos *Causa 7. 9. 11. & 23.* legere quis poterit.

Cap. Filijs.

Leonis epistola.

Deinde ex iure naturali ad propriam defensionem, auctoritate

135. Arguit deinde ex ratione naturali, iuxta quam potest subditus se tueri contra suum Prælatum, & iuris iniustam inuasionem, vt docent Theologi: ergo quotiescumque ab illo oppri-

mitur, & non est alia via, qua se possit tueri, potest Principem sæcularem tamquàm de abusu adire, vt se tueatur. Quòd si alia via sit, quia scilicet ad supremum Prælatum appellari potest, nec sit periculum damni inferendi in mora, teneri hunc ordinem sequi affirmat. Pro quo adducit Salgadum, Castillum, Simancas, Couarrubiam, Caietanum, Gersonem, & P. Suarium *Lib. 4. contra Regem Angliæ Cap. 34.* Addit auctoritates alias, & in primis illud Ierem. 22. v. 2. & 3. *Audi verbum Domini rex Iuda, qui sedes super solium Dauid, tu & serui tui &c. Hæc dicit Dominus: Facite iudicium & iustitiam, & liberate vi oppressum de manu calumniatoris &c.* Circa quod est Commentarius opportunus D. Hieronymi dicentis Regum officium id esse proprium, quod à Deo verbis præfatis iniungitur, & habetur 23. *q. Cap.* 23. Deinde Sacrorum Canonum, qui habentur inserti 96. *distinct.* in qua resoluitur quòd Principis munus sit Ecclesias contritas restaurare, & nouas ædificare: ex eo quòd boni Principis est Sacerdotes honorare & tueri: quod clarius habetur 23. q. 5. ibi: *Cognoscant sæculi Principes se esse rationem reddituros propter Ecclesiam, quam tuendam suscipiunt* & adhuc apertiùs in Cap. *Christianus 2. q. 1.* in quo Gelasius Papa Zeiæ Comiti sic affatur: *Clericos tibi committo, vt tua sublimitatis tuitione vallentur: ne quid illis aut subreptio, aut inimica legibus violentia necessitatis imponat.* Sic ille. Pergit deinde, & quod pro regno Galliæ hoc habeat speciale fundamentum conatur ostendere, Bullis, Auctoribus, & vsu inueterato congestis: sed quidquid de Regno tale sit, generaliter loquendo.

Ieremi. 22. v. 2. & 3.

D. Hieron.

Cap. Cognoscant.

Cap Christianus.

Assertio 1. Appellationem neutiquam admittendam, quia pro eo nullum solidum fundamentum.

136. Dico Primò. Nullum est solidum fundamentum ad asserendum appellationem modo dicto ad sæculares fieri posse potestates. Probatur discurrendo circa nuper adducta. Nam in primis quod ex scriptura, Concilijs, & Patribus conuehitur, tantùm probat Regibus Christianis Ecclesiæ protectionem incumbere, quod est innegabile: Atqui protectio sine iudiciali esse forma potest, vt patet in Patronis, quibus protectio etiã competit. Cap. *Filijs 16. q. 7.* & tamen nihil iuris in illis sibi vendicare possunt, vt decernitur in Cap. *Nullus laicus* 17. de iure patronatus. *Aut quidquid Ecclesiastici iuris est*, quæ sunt verba Alexandri Tertij. Deinde, si verba vt sonant accipienda sint, & non cum ea, qua par est, moderatione, iuxta Sacrorum Interpretum intellectum, non solùm via appellationis, sed absolutè loquendo, possunt Principes se intromittere, quia eorum dicitur esse officium circa causas omnium vigilare, & ius dicere omni Regiæ indigenti protectionis. Et ita in prima instantia, quod erit in Schisma Anglicanum manifestè prolabi. Nullo certè in loco protectio sic inuenietur asserta, vt Clerici ad laica possint tribunalia trahi propriorum iudicum cognitione reiecta: dum ergo hoc non affertur, quia afferri nequit, & nullibi extat, nihil, quod intento fauere possit, habetur.

Cap. Nullus laicus. & Textus alij nihil iuuant.

Ratio ex iure defensionis est debilis, & nullius momenti ostenditur.

137. Ratio deinde ex iure naturali petita inducitur, quia contra iniustum inuasorem se quisque tueri potest, auxilium inde implorans, vnde melius queat impendi; à nullo autem melius, quàm à suprema laica potestate. Sed hæc ratio nimiùm probat, ex ea enim fit causas Clerico-

rum apud laica tribunalia simpliciter agi posse. Si enim Clericus in aliquem delinquat, & inuasor censeatur, ad illa poterit statim recurri, quia nullum tale præsidium ad inuasionis damna depellenda esse potest: quod quidem sana fide nequit sustineri. Deinde generaliter loquendo sententia iudicis competentis, qui cum causæ cognitione procedit, non est inuasio; & vt contingat aliquando iniustam esse, datur iudex competens, ad quem possit appellari. Et hoc ratio naturalis dictat; vt scilicet qui grauatum se iudiciali sententia agnoscit, ad competentem, & iuridicè designatum conuolet defensorem. Atqui hoc accidit quando Ecclesiasticus est à suo iudice condemnatus: ergo ad competentem debet defensorem confugere, & talis est Ecclesiasticus appellationum iudex iuridice designatus, ipsis etiam Christianis Principibus annuentibus, & immunitatem Ecclesiasticam vt veris Ecclesiæ filijs amplexis. Vnde habetur Christianos Principes non ægrè ferre, si Ecclesiastici, cùm se grauatos modo dicto sentiunt, ad iudices prædictos appellent, se non aditis, quia scilicet eos vt legitimos habent. Et quemadmodùm si plura tribunalia laica sint, ad quæ appellatio deferri debeat pro vassallis statuum diuersorum, ratio naturalis non dictat quemlibet grauatum sententia ad quodlibet illorum posse recursum appellationis habere, sed ad illud, quod pro suo est statu designatum: ita in negotio præsenti philosophandum est, & dicendum ius naturale solùm fauere Ecclesiasticis, vt ipsi proprium iudicem possint per appellationem adire, Ecclesiasticum scilicet, sicut rusticani pro rusticanis, & nobiles pro nobilibus designatum. Qui modus explicandi videtur rem istam apertissimè demonstrare.

Reboratur ex damnato recursu in Bulla Cœna. Vbi notanda quædam.

138. Quod vrgeri potest: Num Pontifices recursum per viam violentiæ, anathemate interminato, in Bulla Cœnæ condemnant §. 14. quod quidem facere non possent, si recursus dictus esset de iure naturali, vt est manifestum. Qualis autem recursus sit, quem illi prohibent, ex eorumdem facto constat, dum eos, qui illum ad Regia tribunalia habuerunt, & ad Sedem Apostolicam post sententiam Ordinariorum appellant, non priùs audiendos decernunt, quàm absolutionem ob incursam excommunicationem Bulla fulminatam obtineant, vt ego in *Thesauro* adnotaui, & video

P. Dicastil. etiam à P. Dicastillo adnotatum *Tractatu de Censuris Disput.* 3. *n.*940. Nec dici potest id accidere eo quòd causæ, de quibus agebatur, sine tali recursu peragi poterant, cùm non esset periculum in mora. Talis enim consideratio omnino vana est, cùm dispositio talis non attendat casus particulares, sed generalis sit: & vt de limitatione illa dicamus, quia, vt vidimus *n.*135. citatus Auctor solùm dicit esse licitam appellationem, cùm alia via vitari grauamen nequit, quia est periculum in mora adeundi supremum Prælatum Ecclesiasticum: contra illud arguo: Quia quando constitutus est appellationis iudex, & videtur periculum in mora ipsum adeundi, non est constituendus alius iudex, neque talis vsus inualuit apud benè moratas Respublicas. Et quidem nulla melior, quàm Ecclesiastica, in qua nihil tale extat prouisum: quod tamen eius & æquitatem & pietatē maximè condeceret. Et verò in ipso adeundo Rege mora esse periculosa potest, si magnis sit, vt frequenter accidit, occupationibus distentus, sicut & in eius tribunalibus, & ita videmus passim negotia multa differri, & ijsdem implicatos molestias impatibiles sustinere. Quid enim Curiæ sunt Principum nisi hospitalia miserorum, immò & illis peiora, in quibus curantur morbi, & suppetunt alimenta: cùm tamen in istis, & contrahantur morbi difficilioris curationis, & subsidia illa deficiant. Rectè ergo remedium illud pro particulari casu prætermissum est, quia & illa sæpe nocerent. Id quod non potest humana prouidentia vitari, sicut alia, quæ ex qualibet dispositione oriri quandóque possunt: multóque nocentius posset esse remedium, vt in casu nostro Ecclesiasticos laicis tribunalibus sisti, cum status adeò sublimis dedecore, exitu tumultuario à Religiosis claustris, & Ecclesiasticorum iudicum offensione. Quin etiam sæpè cum eorum iniuria, dum ipsorum sententiæ vt iniustæ traducuntur, quia semper reis tales, quæ in eos feruntur, apparent. Constat ergo ex naturali iure nihil pro adducta positione, si res sincerè, & coràm Deo transigatur, suffragari.

Curiæ hospitalia miserorum.

139. Quod verò ex Doctorum auctoritate producitur, nullius momenti est: quidam enim illorum non benè apud Sedem Apostolicam audiunt. Alij admittentes recursum, appellationem secundùm propriam eius rationem negant, & Couarrubias quidem, cuius auctoritas summa est inter omnes Hispaniæ Iuris vtriusque consultos, id solùm admittit, quod habet §. *Ceterùm in hac Regia.* Cap. 35. *Practicarum Quæstionum*, dum adductis legibus, quæ id pro Regnis Castellæ decernunt, ita scribit: *Nam vbi lis agitur apud iudicem Ecclesiasticum, etiam inter Ecclesiasticos, qui per sententiam condemnatus appellat, iudexque non vult deferre appellationi, & ideo pro executione multis afficitur censuris & grauaminibus, conqueritur simplici querela coram Regijs Auditoribus eo quòd non deferatur appellationi, quam ad Sedem Apostolicam prepositi: tunc statim ex sola simplici querela dantur litteræ Regiæ, quibus præcipitur tabellioni subiecta pœna, quod intra breue tempus mittat ad Curiam acta causæ, & processum &c. Et denique si compertum sit appellationem esse friuolam, causa ad eumdem remittitur: sin autem iusta visa fuerit appellatio, tollitur illa vis & iniuria, quæ aduersus Sacros Canones, & auctoritatem Sedis Apostolicæ fit appellanti ad eamdem, & præcipitur illi iudici quod absolutioni deferat, & absoluat excommunicatum, omniaque acta post appellationem retractet, ac reducat in eum statum, in quo erant tempore appellationis & sententiæ.* Hæc ille. In quibus illud in primis videre iuuat, quod nuper dicebamus, scilicet reis per sententiam condemnatis semper illam videri iniustam; cùm tamen ex citato Auctore constet sæpiùs etiam esse friuolam appellationem, & consequenter sententiam fuisse iustissimam. Illud insuper, longissimè abesse illum, & citatos alios eum secutos ab illo asserto, quod eisdem imponitur, scilicet appellari posse propria & formali appellatione, cùm tantùm simplicem querelam admittant. Circa quod etiam genus recursus, cum aliquam causæ cognitionem importet, vt constat ex pœnali mandato circa actorum missionem in Curiam, quibus & addendum præceptum aliud, quod

Ex doctorum auctoritate præsidium nullum.

Couarrub.

Forma circa recursum in Hispania seruata.

In quo de appellatione nihil.

quod iudici circa absolutionem, & alia prædicta iam vidimus etiam imponi, quantam ex se inuoluat difficultatem eruditè ostendit P. Suarez citato *Cap.*34. præsertim *n.*34. quem quidem Eximium Doctorem pro sententia dicta adducere, ire profectò est contra manifestissimam veritatem, qui quidem id quod dicitur de vi repellenda per vim, & ex naturali iure descendere asseritur, ac pro fundamento assertionis assumitur, egregiè conuellit, & ad actiones illas ex Couarrubia propositas à Censuris eximendus priuilegium necessarium esse concludit *n.*43. & illius sufficientem satisque probabilem notitiam esse in Principibus & Magistratibus requisitam: quod an ita eueniat, neque approbare se posse ait, nec etiam reprobare.

P. Suarez. immeritò adductus.

Assertio 2. iuxta dicta in Thesauro.

140. Dico Secundò. Quid circa negotium præsens absolutè dicendum sit constat ex dictis in *Thesauro.* Addo nunc, iuxta citatum scriptorem in Gallia Concilium Tridentinum quo ad plurima gubernationem aut reformationem concernentia Decreta, neque Bullam Cœnæ, esse recepta, vnde in ordine ad immunitatem Ecclesiasticam allegari nequeunt, si aliter vsus ferat, & ita in casu, de quo agimus, contingit. Videtur autem & in Hispania, & consequenter in Indijs dici posse Bullam Cœnæ quod ad recursum attinet, non esse receptam, qui videtur modus facilis nodum istum dissoluendi. Vnde Auditores Regij publicationi illius non assistunt, & aduituri Concionem, ingressum differunt, donec lectio finietur. Quod autem de Bulla dici potest, ad alios etiam Canones extendendum, in quibus idem videtur à Pontificia Sede disponi, vt quod ad articulum præfatum iam pridem admissi non sint. Quia verò Pontificia Sedes immunitatis tuendæ curam habet semper ardentem, prohibitionis suæ conscia, & quid circa admissionem in regnis fiat Christianis non attendens, legis huiusmodi transgressores vti excommunicationi obnoxios, cum ad litem prosequendam ad tribunal suum aduenerint, iubet in primis absolui. Et quidem si circa Gallos id fiat nescio: & si ita fieri contingat, benè ex eo sequitur quod diximus, Pontificiam scilicet Sedem quid circa admissionem sic non attendere: si autem non fiat, quia defectus admissionis eum effectum habere posse dignoscitur, cur non & circa Hispaniam idem præstandum? Deterioris certè esse conditionis nequit adeò de Ecclesia bene merita quod ad rei substantiam spectat, licet absolutionem præmittendam esse decernatur: quod quidem zelum dictum immunitatis ostendit; cùm aliàs constet litigantes excommunicationem non incurrisse, quæ sine mortali peccato nequit incurri, à quo litigantes alieni, quia bona fide, & iuxta consuetudinem Regni Catholicissimi à doctissimis & valde timoratæ conscientiæ viris approbatam processerunt.

Bulla Cœnæ quod recursum non videri in Hispania receptam.

Quid circa id Pontifices sentiant.

Hispania in eo non postponenda Gallis.

141. Et illum quidem velle conuellere, scrupulosque inijcere, dum id quod est statutum legibus non exceditur, nullum potest effectum pro Dei ac Regis seruitio commodum obtinere. Pro cuius confirmatione id deseruire potest, quod Illustrissimus Barbosa habet *Tract.*1. *votorum decisiuorum & consultiuorum Lib.*2. *voto* 48. omninò legendum. Cùm enim ex mandato Catholici no-

Retinendum intra stylum; quia ex opposito grauia incommoda.

Illustrissi. Barbosa.

stri Regis Philippi Quarti res hæc ab eodem acta cum doctis Regij supremi Consilij Auditoribus seriò, & omni humano semoto respectu fuisset, concluſum est recursus ad iudices sæculares in causis Ecclesiasticis factos esse prohibitos & semper fuisse in illis Prouincijs, vbi sola iuris communis dispositione eos praxis & obseruantia admisit: quia licet iudex Ecclesiasticus malè procedat, non potest sæcularis, cuius est minor potestas supplere negligentiam Ecclesiastici, qui ipso potestate & auctoritate est maior, vt considerauit Rota apud Farinacium *Tomo* 4. *post Consilium* 68. *n.*10. Tum ex eo quia hoc prætextu nihil adeò fieri prætenditur, nisi quòd iudices volunt de causa Ecclesiastica cognoscere, quod fieri non potest, cùm iudex laicus sit incapax iurisdictionis in personas Ecclesiasticas, & earum causas, vt similiter ponderabat eadem Rota vbi *supra n.* 11.

Graues circa illud habita deliberatio.

142. His adiectum grauissimos & sapientissimos Societatis IESV scriptores benè timoratos & moratos viros, & ab omni ambitione liberos, Patres scilicet Vasquez, Marianam, Azorium & Suarium sicut & Magistrum Arauxum, ita censuisse, nisi quando recursus coarctaretur intra limites naturalis & necessariæ defensionis cuilibet permissæ, propriæ scilicet personæ, possessionum, & bonorum, cum moderamine inculpatæ tutelæ, Seclusoque quoque Apostolico priuilegio, etiam stando in puris terminis iuris communis. Tum enim sicut quis ex propria auctoritate potest impunè iudici resistere, poterit etiam, (immò vrbaniùs aget) ad Principem vti potentiorem recurrere, vt se vassallum suum defendat, iudicique inhibeat ne talia agat, & concludit sic: *Vnde extimo hodie sustineri non posse praxim declarandi iudicem aliquem Ecclesiasticum in cognoscendo & procedendo vim facere, quando cognoscit inter Clericos & personas Ecclesiasticas: cùm tunc, si dubitatur de illius competentia, id ad Superiorem Ecclesiasticum spectat declarare: nequaquam enim ratione causæ, & multò minùs personæ, iudex sæcularis in negotio se intromittere potest.* Hæc ille: quibus non obstantibus addit statim in Regio Consilio aliter, se Aduocato, practicatum, vnde & claudit: *Quod certè non sine mysterio factum credidi, vt in propria causa intelligerem, & expertus essem quid hac de re praxis, facto saltem, si non iure, obtineat: & ita censeo nunc vtilius mihi fore silere, quàm tanto cum periculo hac de re alloqui.* Sic ille. Cui zelus dictus non benè quibusdam acceptus obstare non potuit, quominus à Rege nostro Episcopali culmine donaretur, sicut neque Magistro Arauxo alijs ardentiùs locuto, vnde & ab eius scriptis aliqua sunt à sæculari potestate subtracta, vt in citato Voto videri potest. *n.*5. & ipse quidem Barbosa Ecclesiasticæ immunitatis adeò eximius patronus & zelator, in causa propria se dicti recursus non dubitauit tueri remedio, vt videri potest in *Praxi exigendi pensiones* Tomis de votis præposita *Parte* 2. *Quæst.* 11. cuius *n.* 17. ita scribit: *Nonò quia ius recurrendi ad iudices laicos per viam violentiæ priuilegio Apostolico vero vel præsumpto, Principi concessum, necesse est vt dicamus, quia aliàs nullati subijceretur: & quoad nostros Lucitanos circa primas instantias, & ne causæ extra regni fines extrahantur videtur cōcessum priuilegio Iulij Tertij, de quo*

Qui fauent ex Societate Scriptores.

Barbosæ contrarium sensus.

Sed praxis alia in Regijs Consilijs: eodem Aduocato.

Qui & tali remedio alios se tutatur.

Priuilegium Iulij Tertij nihil ad rem.

supra q.6. n.31. Sic ille, qui citato loco priuilegium pleno tenore proponit, sed quod minimè ad rem facit, vt cuicumque adeunti & legenti constabit, quia in eo de recursu ad Regia Tribunalia mentio nulla, & solùm contra Ecclesiasticos procedit qui vt in suis grauibus delictis fauorabiles iudices obtinerent, eos extra regnum arte doloque conquisitos adsciscebant; cui præiudiciali abusui Ioannes Tertius opportunum remedium à Sede Apostolica postulauit, quod & fuit à citato Pontifice concessum. De cuius Breuis exacta intelligentia citatus Scriptor latè & eruditè discurrit. Videndus P. Dicastillus suprà *n.* 953. *& seqq.* vbi Couarrubiæ sententiam vti probabilem defendit cum moderatione ab eodem adiecta, qui & *Tomo 1. de Iustitia Lib. 2. Tractat. 1. Disput. 4. 165.* vsum satis frequentem in Hispania circa recursum, non facile esse damnandum affirmârat.

P. Dicastil.

ADDITIO.

Circa Regulares pro recursu ad laica tribunalia.

Prohibita illis appellatio à Iure Canonico.

143. APpellatio illis prohibita est multis iuris Pontificij Canonibus, scilicet Cap. *Ad nostram. Cap. Reprehensibilis. Cap. de Priore. Cap. Quia nos.* Cap. *Cùm speciali*, de Appellationibus & Cap. *Licet.* & Cap. *Irrefragabili.* de officio Ordinarij, ex quibus Cap. *Ad nostram* sic habet: *Quia verò remedium appellationis non ideò est inuentum, vt alicui à Religionis & Ordinis obseruantia exorbitanti debeat in sua nequitia patrocinium exhibere: Mandamus, quatenus si quando quilibet subditorum tuorum ad remedium appellationis conuolauerit, non minùs eum iuxta tenorem mandati, quod in prædicta Regula continetur, & institutionem Ordinis corrigas & castiges.* Sic Alexander Tertius Abbati S. Petri. In Cap. autem *Reprehensibilis* 26. sic habetur: *Præcipuè verò hoc in Religiosis volumus obseruari, ne Religiosi, cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra regularem Prælati sui & Capituli disciplinam appellare præsumant: sed humiliter ac deuotè suscipiant, quod pro salute sua fuerit eisdem iniunctum.* Sic ibi, vt alia omittam. Quod quidem & specialibus Religionum decretis ferè constans habetur: quando scilicet de correctione agitur, & id, quod vidimus à Pontifice significatum, occurrit, videlicet iuxta Regulam procedi. Si enim manifestus committatur excessus, aut processus iuridica ratione formetur, notissimum est quid in dictis casibus fieri debeat, & apud Auctores obuium. Illud speciale quod tradit P. Bruno Chassaing *Tract. 3. Cap. 2. Propos. 5. §. verumtamen*: dicens Prælatos ob concessiones sibi factas in caussa appellationis non debere sibi blandiri & propterea à suos subditos quasi tyrannos opprimere: nam in hoc casu habent recursum licitum ad sæcularia tribunalia, appellando ad illa: habetque tunc appellatio effectum suspensiuum, quemadmodùm appellatio ad Papam, vt tenet Paulus Castrensis *Concilio 125. nu. 1. vers. Pro quo etiã Lib. 1.* Lancellotus *de Attentatis 20. in præfatione, n. 46.* Philippus Probus *in Tractatu Regiæ regaliæ quæst. 36. n. 9. circa finem*, vbi refert id quod est circa hoc in Senatu Parisiensi pronuntiatum die 17. Septemb. 1415. Quod etiam tenet Augustinus de Belis in *Tractatu*, cuius titulus est *Allegacion en derecho.*

Cap. Reprehensibilis.

Bruno Chassaing *eam illis concedit; in excessibus Prælatorum.*

144. Quod quidem nullatenus admittendum, nisi recursus talis esset in manifesto & exorbitanti grauamine, vt cuiuscumque auxiliaris potentis posset auxilium implorari, quod, vt ex Barbosa vidimus, erga Principem vrbaniùs fiet, vtpotè potentiorem: quod & sub censura Sedis Apostolicæ tenet Lezana *Verb. Exemptio Regularium nu. 16.* adductis pro eo PP. Suario, Azor, & Layman. Quo euentu appellatio non est, sed merus recursus cum extraiudiciali caussæ cognitione. Vnde Prælatus eo non obstante poterit de iure in caussa procedere ad executionem sententiæ, & censuras aggrauare, quæ nequeunt dici Attentata, vt ea quæ fiunt interposita appellatione, cuius oppositum non ritè in Senatu dicto iudicatum. An autem id expediat, in casus contingentia videndum, ne fortè ex eo aliqua Principis subeatur offensio, & damna maiora subsequantur, aut ex malè affecto Senatu: quamquàm timores isti apud Christianos & pijssimos Principes, eorumque Senatus agentibus, debeant communiter posthaberi. Videatur Lezana *citato verb. Exemptio, & verb. Appellatio, præsertim nu. 5.* vbi multa congerit satis caussæ præsenti opportuna ex quibus præfatum illud Scriptoris assertum potest vndequaque conuelli.

Quod nullatenus admittendum.

Lezana. P. Suarez. P. Azor. P. Layman.

Maximè status Religioso contraria, & ideò maximè prohibita.

245. Illud adde sacros Canones, dum appellationem Religiosis prohibent, id prohibere, quod est maximè eo in genere ipsorum statui & professioni contrarium, vt est euidens, & ex eorum tenore deducitur. Atqui recurrens per appellationem ad sacra tribunalia, est maximè dicto statui ac professioni contrarius: ergo præ alijs debet prohibitus reputari. Discursus est clarus, & planè conuincens, nam Maior, vt vidimus, est euidens; Minor autem irrefragabilis, quia talis recursus plenus est scandalis, & humilitati, qua correctio sustinenda est, vt ex Alexandro Tertio est positum, prorsus aduersatur, & eò magis statui à sæculo ex vi suæ institutionis remoto, quo plus habet de sæcularitate, dum sæculi ministris sic recurrens sæculari humiliatione substernitur, & dum grauis, docti, & Religiosi Prælati subiectionem declinat, laicis indoctis, & ex raptu sæpè viuentibus, vt suæ libertati malè consulat, inclinatur. In Cap. *De Priore*, de Appellat. sic loquitur Alexander Tertius: *Quoniam sancta Romana Ecclesia, & huiusmodi appellationem nõ censuerit admittere, ne Monachis vel Canonicis Regularibus præberetur audacia delinquendi.* Hæc ille, ex quibus liquidò infertur nolle penitus Pontificiam Sedem Religiosos ad laica tribunalia recurrere, quando ad se recursum talem, vbi de correctione agitur, censet repellendum. Et prædictum quidem Textũ adducit citatus P. Bruno; qui tamen quoad eam partem, non extat in Cap. *De Priore*: sed quod ad appellationem admittendam spectat, quando in correctione fuerit manifestus excessus. Nequit autem de illo dubitari quo ad illam etiam partem, quia casum integrũ adducit Glossa, & ita de Pontificis voluntate abundè constitit, quidquid illud fuerit, quod Sedem Apostolicam permouit ad truncandam decisionem. Contra Auctorem prædictum id profectò vrget, & afferentem illam, & ex eâdem arguentem. Neque enim videtur dici posse sublata verba illa eo quòd Sedes Apostolica soleat iam Regularium appellationes admittere; talis enim consuetudo non est nisi in casibus ei similibus, de quo agit Pontifex, quando scilicet Prælati enormiter excedunt, vt verba illa exprimunt: *Si præfatus Canonicus* (Regularis) *Priorem propter suas enormitates manifestas, quæ ipsum notabilem reddunt, ad Sedem Apostolicam appellauit.* Sic ibi. Si autem excessus non interueniat, locum talis non habet appellatio, vt ibidem statuit Glossa verbis illis: *Compellat ipsum ad Apostolicam Sedem cum litteris veritatem continentibus venire satisfacturum de tanto excessu. Nota quòd Prælatus non debet excedere modum in corrigendo: aliòqui tenet appellatio, quæ aliàs non teneret.* Sic Glossa: iuxta quam tenet appellatio quando excessus interuenit, secus si abiit: appellatio inquam ad Sedem Apostolicam, de qua erat sermo, & etiam quæcumque alia, potiori ratione.

Quod refellitur.

Glossa.

Cap. Quia nos.

Cap. de Priore.

Quomodo in eo truncata decisio.

Bruno Chassaing. *appellationem admittendam asserit peccantibus in eo mortaliter.*

146. Est autem valde notabile id, quod prædictus Auctor affirmat *citata Propos. §. Dominus.* 1. scilicet appellationem eorum esse admittendam, qui nequeunt appellare, & mortaliter peccant appellando, eo quòd sententiæ in eos latæ fuerint, dum de correctione & reformatione ad aliorum exemplum ageretur, sed crimina grauia fuerunt, in quibus vult Pontifex appellationem admitti: id quod ex citata Decretali probat, & ita tenere ait Ioannem Andream, Butrium, & Abbatem. Sed est illud Decretali ipsi, & rationi penitus dissonans. Nam ex Decretali habetur Prælatum illum in sua correctione enormiter excessisse, vt verba ipsius iam data conuincunt: ergo potuit sic castigatus sine peccato mortali ad Sedem Apostolicam prouocare: quæ est euidens consequentia. Deinde, contra omnem rationem apparet vt peccãti mortaliter appellationis remedium conferatur: vt enim iam vidimus ex eôdem Alexandro in Cap. *Ad nostram*, ad quid sit illud inuentum constat, & minimè pro exorbitantijs à Religiosa obseruantia debet vsurpari: ergo neque pro peccante mortaliter in eius vsurpatione. Pro quo & est Cap. *Quia nos.* citatum, vbi manifestè delinquentis Abbatis appellatio repellitur, cuius summatim est: *Contra Constitutiones Regulares appellatio, Religiosum non defendit.* Et sæpè quidem contingit Constitutiones Regulares ad peccatum non obligare, & ita in earum transgressione grauiter non delinqui: quantò ergo potiùs existimandum & affirmandum est appellationem non suffragari ei, qui contra diuinam legem peccat mortaliter, quæ est constitutionum omnium regularium fundamentum, cùm Religio status perfectionis sit, & iuxta Christi consilia, ea, quam cernimus, & Ecclesiam exornante, dispositus varietate. Vnde à præfato Scriptore eius Assertio temperatur sic dicente: *Quod ego etiam existimarem, nisi tanta esset euidentia delictorum, & sententia sic iusta, vt nulla esset ratio dubitandi: quia tunc esset appellatio manifestè iniusta, cui proinde deferre Prælatus non teneretur.* Sic ille. Atqui hoc non videtur in casu Decretalis seruatum: ergo illa pro Assertione, quam ex eodem posuimus, perperàm allegatur. Præterea etiam si sententia non sit euidenter iusta, sed de eius iustitia dubitatio aliqua esse possit, in Religiosis, cùm de correctione agitur, non esse locum appellationi communis est Doctorum sententia, quam citatis P. Suario, Dianaque alios referente, amplectitur Lezana *verbo. Exemptio. n. 17*

Assertum temperat Citatus Bruno.

Contra illã ex eiusdem doctrina validum argumentum.

147. Est insuper contra prædictum citati Auctoris assertum de recursu per appellationem ad laica tribunalia id, quod ipse tradit *Propositione illa 5. §. Obijcies contra.* Cùm enim sibi obijciat quod stante sententia de appellatione & recursu ad tribunalia Ecclesiastica, priuilegia in contrarium concessa nullum effectum operantur, cùm nullum extra ius producant, quod est contra Cap. *Abbate* de verbor. significatio. Respondet priuilegia aliquando nihil nouum continere, sed maioris expressionis gratia concedi: vt probat P. Thomas Sancius *de Matrim. Lib. 2. Disputat. 37. n. vlt.* qui in summa *Tomo 2. Lib. 6. Cap. 8. n. 20.* dicit illa priuilegia hoc amplius continere, vt subditus non possit appellare, nisi excessus Prælatorum manifestus sit, quia pax, simplicitas, & obedientia Religiosorum hoc postulat, & sic concludit: *Quod etiam ego existimo.* Quod cùm ita fuerit protestatus, statim pergit suum illum recursum per appellationem ad laica tribunalia, probaturus. Atqui pax, simplicitas, & obedientia Religiosorum multò magis postulat vt à tali abstineatur recursu, vt est manifestum, ergo multò magis ab illo debent abstinere. Si dicat tunc tantùm licere recursum, cùm Prælati vt tyrannos se gerunt, & ita eorum est manifestus excessus. Contra hoc est id; quod *superiùs* dicebamus, semper reis huiusmodi indolis videri Prælatos in suis sententijs excedere, & ita cum dubia etiam est illarum iustitia, magna ad recursum data porta, proculdubio ruent, & terras turbine, scandalis armato perflabunt. Qui ergo appellationem in aliquo casu concedit ob rationem dictam ad omnes virtualiter videtur concedere, quia moraliter loquendo non est possibile limitationem obseruari. Vnde si Prælati appellationi, qualiscumque illa sit, non detulerint, non leues sunt molestias perpessuri, quod iuxta dicta. *n.* 144. accipiendum. Nec de hoc plura.

Recursum solùm in manifesto admittit excessu.

SECTIO VII.

Circa viuæ vocis Oracula pro Religiosis, an sint confirmata, Ad dicta in Thesauro Indico Tomo 2. Tit. 12. à n. 219. Vbi quid pro Indijs.

Bruno Chassaing. *affirmat & probat viguere Oracula.*

148. DIfficultatem hanc ex professo discutit P. Bruno Chassaing. *Tract. 1. Cap. 2. Propos. 6.* & affirmatiuè concludit, vtinam & verè, magno enim id erit Religiosis commodo. Et id quidem quod ille contendit, ab alijs est scriptoribus priùs dictum, sed non ab omnibus sine formidine, vnde & ille iudicium suum doctioribus se subijcere protestatur. *Propos. 2.* Primò ergo ait posse dici nullum esse viuæ vocis Oraculum ad Regulares pertinens, pro quo non extet Bulla Pontificia, si vnum illud excipiamus priuilegium, quo conceditur vt Religiosi laici possint Sacra contingere: quod quidem ait à viro Regulari doctissimo obseruatum. Quod quidem

Quia pro omnibus extant Bullæ, quod ex vno teste confirmat. Sed id nullius esse roboris demonstratur.

dem si reuera ita esset, oportuisset sanè pro ijs, in quibus difficultas occurrit, & de quibus Doctores agunt, in quo & Cardinalis Lugo operam non leuem impendit, notas facere, & communis fecisse iuris, vt sic expeditior decureret vsus, & Religiosi magno hoc adiumento potirentur. Est tamen assertio talis creditu difficilis, si Religionum omnium priuilegia attendamus, quæ videri à viro illo doctissimo non potuerunt, cùm non omnia in publicum prodierint, vtpotè nec typis expositа: immò & hoc expressa modo, non ita euolant, vt ad omnium manus venire queant. Accedit circa Bullas, quæ dicuntur extare, non leues posse difficultates occurrere, vnde maius videtur requiri fundamentum ad securè procedendum in materia adeò graui, & scrupulis non contemnendis obnoxia. Quamquàm si constaret de hoc Oraculo virum doctissimum affirmare etiam esse bullatum, posset in foro conscientiæ id sufficere, saltum ad probabiliter procedendum.

Quia Bulla reuocatoria non fuerunt debitè publicata nec intimata.

149. Pergit ille statuens omnia viuæ vocis Oracula firma esse, vbi Constitutiones Gregorij XVI.& Vrbani VIII. non fuerunt debitè publicatæ, & Regularibus intimatæ, & aliqua exipsis etiam vbi fuerunt publicata. Quæ Assertiones absolutam aliam supponunt, licet non exprimant, quia & illam dictus Auctor probat, omnia scilicet Oracula esse firma absolutè loquendo. *Primò*, quia vt ex præcedentibus Propositionibus constat, à secunda videlicet vsque ad Sextam, constare ait omnia priuilegia subsistere: ergo & Oracula. *Secundò*, quia priuilegia multorum Ordinum à multis Pontificibus ea specialiter innouantibus ex certa scientia confirmata sunt, & præcipuè à Pio V. Bulla, quæ incipit: *& si Mendicantium*, ibi: *Etiam viuæ vocis Oraculo in genere, vel in specie &c. concessa, & perpetuò approbamus, & confirmamus.* Quòd verò generalis hæc concessio sufficiat, & pro Bulla respectu singularum haberi debeat, non probat; cùm tamen egeat probatione: quia non ignorabant Pontifices tales esse generales concessiones, quas si sufficientes iudicassent, & per illas eorum intentioni fieri satis, vix Constitutiones tales momenti alicuius fuissent, cùm Oracula pro Religiosis edita, ad quæ præcipuè Pontificum intentio ferebatur, illa haberent firma, nec per eorum Constitutiones à sua firmitate decidebant. Et quidem licet Pius V. Oraculorum non meminisset, dici poterant confirmata, iuxta citati discursum Auctoris, dum arguit, vt vidimus: *Priuilegia confirmata sunt: ergo & illa, quæ viuæ vocis Oraculo sunt concessa.* Quamuis negari nequeat aliquid expressionem illam operari in ordine ad maiorem firmitatem. Aliquid ergo magis speciale videntur Pontifices exegisse.

& ex confirmatione vniuersali priuilegiorum. Pius V.

Sed generalitatem non sufficere efficaciter comprobatur.

Quia iam sunt sortita effectum: quæ Gregorius excepit.

150. Probat deinde partem aliam positionis. *Primò*, quoniam Bulla Gregorij XV. illa excipit priuilegia, quæ sortita fuerint effectum, & alia Cardinalibus in fauorem Regularium & data, & ab eisdem propria manu firmata, nec non etiam illa, quæ ad instantiam Regum impertita reperiebantur. *Secundò*. Quia Bulla Vrbani nullius Oraculi exceptionem facit, ponitque Clausulam reuocatoriam eamdem, quam Gregorius, cum clausula alia reuocatoria suæ regulæ de non tollendo iure quæsito &c. Vult tamen vt publicatio & intimatio huius suæ Constitutionis fiat per Generales Prouincialibus, & per Prouinciales Prælatis localibus, & per hos alijs. Quòd si facta non fuerit, non est curandum de contentis in hac Bulla, & idem dicendum de contentis in Bulla Gregorij, si publicata & intimata non fuerit. Hæc ille quoad secundam suæ Propositionis partem, quæ quidem in Titulo est prima. Et videtur consequenter ad Bullæ tenorem loqui. Sed non ita certò, vt non possit eius Assertio refelli. Quia intimatio à Pontifice requisita post legis promulgationem, ideò exigitur, vt ad omnium, ad quos spectat, possit notitiam peruenire: cùm ergo sine gradatione dicta haberi illa possit, non est intimatio dicto modo necessaria. Id quod ex tenore Bullæ colligitur. Sic se habente: *Præterea vt præsentes litteræ omnibus & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, quantocius innotescant, & alijs quocumque nomine nuncupatis Superioribus quorumcumque Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Societatis IESV, & Institutorum, de eisdem præsentibus litteris certiores faciant, earumque præsentium exemplaria illis transmittant, qui quidem Prouinciales sub eisdem pœnis teneantur singulis Superioribus Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum regularium vt easdem præsentes subditis suis, vt moris est, publicent.* Sic Pontifex. Ex quibus apparet publicationem dictam per Superiores faciendam, eò dirigi vt notitia dictæ Constitutionis habeatur, & non vt formam præscribi ad inducendam obligationem. Vnde si per malitiam aut incuriam dicta intimatio non fieret, & notitia aliàs haberetur, obligatio ad eius executionem vrgeret, & ita in fine id expressius declaratum; sic enim ibi: *Volumus autem quòd præsentium trasumptis etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus vbique fides adhibeatur, ac si forent exhibitæ vel ostensæ: quodque eadem præsentes litteræ, siue earum exemplaria, ad valuas Basilicarum prædictarum, & in acie Campi Floræ huiusmodi similiter affixæ, omnes quos concernunt perinde arctent ac afficiant, ac si vnicuique personaliter intimatæ fuissent.* Sic Pontifex, vt non liceat de hoc rationabiliter dubitare. Et bona pro hoc exemplaria in reuocationibus priuilegiorum ex Pio V. Gregorio XIII. Sixto V.& Paulo V. adducit Iosephus Rocafull *in Praxi Theologiæ 3. p. lib.6.Cap. 7. dub.5.*

& Vrbanus alia addit, quæ & pro fauore faciunt, præsertim intimationem.

Sed intimationis defectus nequit allegari attento Bulla tenore.

Bulla Vrbani.

Rocafull.

151. Iam quod ad postremam partem Propositionis attinet, aliqua scilicet Oracula non abrogata, facilè ostendit ex dictarum Bullarum tenore, in quo non est cur immoremur. Addit quòd vbi Bulla Vrbani non est publicata nec intimata, vt *suprà* possunt Regulares in foro conscientiæ vti omnibus priuilegijs per Tridentinum expressè reuocatis ex concessione Pij V. ad supplicationem Generalis Ordinis Minorum facta coràm Cardinali Antonio de Monelia, quæ habetur Romæ in Conuentu Aracælitano, quam & referunt Collectores priuilegiorum verb. *Concilium*, & Ioannes de la Cruz *in Speculo Coniugiorum, ad finem*: ac sic in vi illius Oraculi proximè citati existimarunt, Castellinus. Peyrinis, Henriquez, Rodericus, Beia, Vega, Sanchez, & LLamas. Quod quidem additamentum non videbatur necessarium:

Priuilegium Pij V. concedentis priuilegia à Tridentino reuocata, pro foro conscientiæ.

rium: nam si iuxta ipsum, omnia priuilegia sunt firma, non obstante Bulla prædicta: ergo siue publicetur, siue non publicetur, intimetur aut non intimetur, talis vsus erit in foro conscientiæ licitus. Deinde Auctores illi, qui de priuilegio illo concesso Patribus Minoribus à Pio V. loquuntur, omnes ferè ante Constitutiones Gregorij & Vrbani scripserunt, vt est notorium: ergo non benè pro statu præsenti adducuntur, vt scilicet ijs non obstantibus dictus liceat vsus. Et quidem P. Thomas Sancius *in Opere morali Lib.5. Cap.4. n.16.* vbi citatur, priuilegij dicti non meminit, sed alterius concessi Monialibus S. Dominici ab eodem Pontifice, vt non expleto Nouitiatu, si mors instet, possint emittere Professionem, cuius tenorem adducit P. Emmanuel *Tomo 3. qq. regul. q.15.arti.6.* cuius & meminit P. Henriquez *Lib. 13.de Excommunicat.Cap.40.in Commentario n.2. Lit.R.* qui etiam alterius mentionem facit ibidem *Lit.B.* de quo Auctor dictus addito nomine Generalis, scilicet, Aloysij, & præterea obseruatas citari illud à P. Claudio in *Compendio priuilegiorum Societatis IESV v. Concilium §. 3.* Citat & speculum Coniugiorum, quod est Alfonsi à vera cruce, in quo lapsus dictus Auctor vocans eum Ioannem de la Cruz, qui est valde diuersus scriptor & tempore & Religione.

Auctores ante reuocationem scribentes male inducti pro statu præsenti circa illud.

Pij V. priuilegium scriptorum auctoritate firmatur.

152. Et in *§. illo 3.* à P. Henriquez citato sic habetur: *Posuimus vti in foro conscientiæ omnibus gratijs per Antecessores Pij V. Minoribus concessis, etiam quoad illas ex eis, quæ sunt restricta seu derogata per Concilium Tridentinum, prout eisdem concessit ipse Pius V. viuæ vocis Oraculo die 31.Martij. An.1566.& refertur in Manuscriptis fol.79.pag.2.* Sic ibi. Circa quod ait Cardinalis Lugo *in Adnotationibus ad Compendium dictum pro viuæ vocis Oraculis*, quòd licet Gregorius XIII. reuocauerit concessiones à Pio V. factas Mendicantibus, prædicta tamen concessio non sit reuocatione dicta comprehensa, eo quòd tantùm Constitutiones reuocauerit. Id quod etiam absolutè concedit P. Suarez *Tomo 4.de Religione.Tract.10.Lib.9.Cap.4. n.12.* vbi & ita scribit: *Non dubito quin quatenus ad præsens attinet, illa priuilegia integra sint, etiam quoad illa, quæ non occultè, sed publicè fiunt, vt sunt ministerium Extremæ vnctionis, & Eucharistiæ in articulo mortis, vel etiam sepulturæ. Quia verò concessio Pij V. non est absoluta, sed solùm in foro conscientiæ, seu occulto; ideò si Parochi vellent sibi vendicare aliquod ius circa huiusmodi personas, & in exteriori foro illud postularent, non posset eis resisti virtute priuilegiorum, nisi quatenus per Concilium Tridentinum non sunt restricta: quamdiu autem ipsi non resistunt, tuta conscientia possumus vti priuilegijs iuxta concessionem Pij V.* Sic ille, qui si post Constitutiones Gregorij & Vrbani fuisset locutus, magnum eius auctoritas momentum in negotio præsenti contineret; quia verò ante illas locutus, minoris profectò momenti est, & secundùm probabilitatem sententiæ, de qua agimus, regulandum, pro qua citatus scriptor nihil præterea adducit, nisi quod ad regnum Galliæ spectat, in quo negat fuisse prædictas Bullas publicatas & intimatas, quia vt id legitimè fieret, debuerunt priùs Regi præsentari, & per litteras patentes approbari ante publicationem, quod tamen non ita factum, & sic illarum cessat obligatio. Præterea quam quòd Prælati, ad quos publicatio & intimatio spectat, id non præstiterunt, quod vidimus eisdem imperari, & ita quæuis alia notitia non inducit obligationem, tam respectu Regularium, quàm aliorum, ad quos potest reuocatio pertinere. Et circa hoc vltimum iam à nobis dictum quàm leue sit; aliud autem de præsentationis & Regiæ approbationis defectu, cum Regni illius iura specialia concernant, ipsi viderint, ad quos spectat, & Apostolica Sedes auctoritatem suam vt potuerit tueatur. Et hæc quidem ita à me scripta ante secundum Decretum SS. Alexandri VII. circa damnabiles Propositiones, in quo ista habetur, & est ordine 36. *Regulares possunt in foro conscientiæ vti priuilegijs suis, quæ sunt expressè reuocata per Concilium Tridentinum.* Per quod quidem videtur omnis circa hoc quæstio sublata. Iuxta quod etiam regulanda, quæ à Nobis dicta in *Thesauro Indico. Tomo 2.Tit.12.n.348.& 349.* licet non omnis videatur præclusa via ad doctrinam ibidem propositam defendendam, cùm priuilegij præfati specialitas non videatur penitus abrogata.

Cardinalis Lugo.

P.Suarez.

Circa Gallicum quid speciale erga Bullarum receptionem.

Propositio damnata.

ADDITIO.

De eadem Oraculorum reuocatione. Vbi moderni Scriptoris Assertа discussa.

153. Est ille P. Fr. Antonius à Spiritu Sancto Lusitanus Carmelita Discalciatus, qui in Directorio Regularium *Tractatu 2. Dispensat. 1.n.35.& seqq.* firmitatem Oraculorum, non obstante Pontificum prædicta reuocatione propugnat dicens in primis omnia Oracula vsque ad tempus Gregorij XV. fuisse posteà per Bullas motu proprio & ex certa scientia confirmata. Quæ confirmatio vim habet nouæ concessionis ex Peyrinis *Tomo 3. Priuilegiorum. Cap.12. Constitut.18. Vrbani 8.in Scholijs.n.1.Cap.12.* & alijs. Quod quidem si ita esset, omnis cessaret quæstio. Sed quod Peyrinis ait non est ita peruium & planum, vt in eo non sit, in quo offendere sincere possit inueniendæ veritatis cupiditas. Et id quidem Peyrinis ipse non videtur ignorasse, dum sic subdit: *Saluo semper meliori iudicio, & stylo Curiæ Romanæ aliter interpretante & sentiente.* Non ergo suo de sensu securus: & oportuisset sensum & stylum consulere, id quod erat ipsi perfacile antequàm sensum proprium mundo faceret manifestum. Nec contentus sua illa protestatione, sic tandem concludit: *Sed ego his non me immisceo. Puto standum esse illi interpretationi, quam stylus Romanæ Curiæ admittit & seruat.* Qui & n. 13. ita scribit: *Noto 2.quòd per istam derogationem viuæ vocis Oraculorum, non derogatur viuæ vocis Oraculis, quibus Sanctitas sua, aut alij summi Pontifices priuilegia Religionibus concessa, aut Decreta summorum Pontificum, aut Sacros Canones & Decreta Tridentini, aut aliorum Conciliorum explicant, aut declarant; dummodò hæc viuæ vocis oracula non continent aliquam gratiam, priuilegium, aut indultum. Ita Lezana in summa Regularium. Cap. 3. n. 21. & probari Tomo 2.priuileg.regular.in Constitutione Pauli V.n.1.* Hæc ille, ex quibus manifestè habetur Oracula, quæ aliquam gratiam, priuilegium, aut indultum concedunt, dicta Constitutione

Fr. Antonius à Sp. Sancto. *Oracula omnia confirmata contendit.*

Laurentius Peyrinis *eam assertionem præiuit.*

tione reuocari. Quòd si hoc habent illa, quæ declarationem continent, in ijs, quæ talia non sunt, sed simplicem concessionem important, id potiori ratione dicendum : vnde Pontificia Constitutio ad omnia extenditur, in citato Auctore apertissimè sentiente.

Stylus Curiæ in contrarium.

154. Pro quo & facit, stylum Curiæ, ad quem se refert, ità habere, vnde Romæ scribentes nihil prædictæ interpretationi fauorabile scripsisse deprehenduntur. Ex quibus P. Pellizarius *Tomo* 2. *Tract.* 8. *Cap.* 1. *n.*131. post adductam illam, & Auctore citato, sic subdit : Ita Peyrinis, *quàm probabiliter (maximè quoad forum externum) viderit ipse, & iudicent alij ; non enim libet in hù immorari.* Sic ille. Et ita quidem vt à citato Auctore dicitur sentit Lezana, vti styli Romanæ Curiæ scientissimus. Vnde non videtur quomodo ab aliquibus vti contrariæ positionis fautor allegetur. Qui & vt amplius suam mentem aperiat ita prosequitur : *Solum reuocantur & cassantur omnia & singula priuilegia, facultates, licentiæ, & gratiæ quæcumque viuæ vocis Oraculo concessa.* Hæc ille, de quo & *n. sequenti.* Diana *Parte* 9. *Resolut.*61. *Tract.*7. contra stylum & praxim Romanæ Curiæ esse ait, cui & se submittit tandem apud ipsum Leander à Murcia post longum pro contraria positione discursum. Et *Parte* 10. *Tractatu* 14. *Resol.*24. citato P. Quintanadueñas *Tomo* 1. *Tract.* 9. *Singulari* 3. *n.*1. *& seqq.* Sic loquitur : *Ita Quintanadueñas, & Ego : non enim suscitandæ sunt à nobis tragediæ in damnum Religionis, sed in his materijs calamum & ingenium coarctare debemus. Vide etiam Eminentißimum Dominum meum Cardinalem de Lugo in suis nouissimis & doctissimis Responsionibus moralibus Lib.* 4. *Dub.* 33. *n.* 2. Hæc Auctor iste. Et citatus quidem ab eo Cardinalis vti certum id statuit *citato loco*, & ita singularem lucubrationem molitus est, vt exploraret quæ viuæ vocis Oracula per Bullas essent peculiares concessa, vt liquidò constaret quæ essent pura Oracula : quem laborem pro Societatis priuilegijs in Compendio propositis illustrandis & explorandis voluit præsertim militare. Et in eam mentem Scriptores Societatis, sicut & Societas ipsa videtur consensisse.

P. Pellizar.

Diana.

Cardinalis Lugo.

Non esse frustraneam reuocationẽ Vrbani vt saluet auctor citatus.

155. Progreditur Auctor ille, & ait non obstare sequi ex hoc frustratoriam fuisse illam generalem reuocationem. Vrbani, siquidem iuxta supradictam doctrinam omnia Oracula concessa vsque ad Gregorium XV. iam non erant Oracula, sed priuilegia bullata. Nam ipse hoc non dicit. Sed solùm affirmat & probat Oracula concessa vsque ad Gregorium per prædictam Constitutionem, esto fuisset authentica, non fuisse reuocata, & forsitan annullari Oracula concessa ab eôdem Vrbano, vel Oracula non confirmata à Pontificibus. Et instantia quidem hîc adducta Lezanæ est, *qui verb. Oracula viuæ vocis n.* 5. post adductos modos aliquos dicendi inuerosimiles sic loquitur : *Sed licet hoc probabilitatis speciem præseferat, quia tamen Constitutiones Gregorij & Vrbani relatæ vniuersalissimè loquuntur, & ita, vt credo, iuxta praxim Curiæ intellectæ sunt ; præsertim quia aliàs sequi videretur inutilem fermè esse reuocationem per ipsas factam ; cùm omnia fermè viuæ vocis Oracula Religionibus aut Religiosis concessa concernant, saltem regulariter loquendo, forum conscientiæ, nec alijs præiudicium afferant, ideò oppositum dicendum ;* scilicet Oracula etiam reuocata, quæ continent gratiam omnino fauorabilem, & nulli præiudicialem, quod Bordono arriserat, *Resolut.* 31. *n.*7. Quod cùm ita apertè tradiderit Auctor iste, mirum est à citato P. Antonio pro sua positione citari, vbi & dictis stat, & ita scribit : *Dubium tamen est an per dictas Constitutiones reuocata etiam sint viua vocis Oracula, quæ & si primitus verbo tenus concessa sunt, postea tamen per Bullam, vel Breue fuerunt confirmata. Ad quod Bordonus suprà n.*4. *& 5. affirmatiuè respondet. Probabilius tamen credo contrarium cum Peyrinis loco relato ex verb. Priuilegia Minimorum n.*1. Sic ille, qui ex eo quòd probabilius dicat id, quod vidimus, non aliam probabilitatem credendus est agnoscere, quàm eam, de qua n. 5. quòd scilicet probabilitatis speciem præseferat, non veram & solidam. Vellem autem vt Lezana Peyrinum citans eum in casu, de quo erat quæstio, formaliùs loquentem induxisset : nam *Tomo* 1. *verb. Priuilegia Minimorum in Constitut.* 17. *Iuly Secundi §.* 1. *n.* 1. nihil ad rem habet & intentum. & *n.*2. reuocationem proponit à Gregorio XV. factam cum exceptionibus in eius Constitutione contentis.

A quo Lezana perperàm vti fautor aduocatum.

Nec benè à Lezana inductus Peyrinis.

156. Iam quod ad responsionem dicti Auctoris attinet, quis non videat esse friuolam? Nam licet reuocationem frustraneam futuram verbis non dicat expressis, in eius tamen assertione id quod obijcitur, continetur, cùm ex ea sequatur ferè inutilem reddi. Id autem quod additur de reuocatione Oraculorum ipsius Vrbani, de quibus satis est intelligi, & falsum est & absurdum, quia contra tenorem ipsius Constitutionis, in qua Bulla Gregorij ad litteram inseritur, & generaliter approbatur, reiectis nonnullis exceptionibus in eadem adhibitis : Atqui Constitutio Gregorij Oracula Vrbani non tangit, vt est euidens, quæ & generalior illa est, cùm & id contineat quod ipsa, & plura alia superaddat : erga expositio dicta & falsa & absurda est, sola Constitutionis ipsius lectione depellenda, & penitus disijcienda. Quòd autem dicitur de Oraculis non confirmatis vim argumenti non extenuat, quia illa non perpessa, si fortè sunt aliqua, stante communicatione priuilegiorum inter Religiones : in ijs enim, quæ referuntur, omnia confirmata sunt, & cum illis aliæ ferè omnes communicant. Et quidem si Religio aliqua sit, quæ communicatione sit destituta, non magni illa momenti in Ecclesia est, vnde pro tali neque Oraculum esse aliquod potest, quod oportuerit duobus grauissimis tantorum Pontificum Constitutionibus reuocari.

Inutilis Vrbani reuocatio ostenditur ex concessis ab auctore dicto, quidquid verbum nega.

157. Aliam deinde adhibet responsionem dicens Vrbanum post generalem reuocationem factam à Gregorio, concessisse Societati Iesv sine exclusione communicantium omnia viuæ vocis Oracula, *An.* 1624. vt testatur Portel *Tomo* 1. *fol.* 909. & licet posteà idem reuocauerit omnia Oracula ; hæc tamen reuocatio non fuit extensa ad Oracula concessa ad instantiam Regularium, sed vt patet ex tenore ipsius Bullæ, solùm reuocauit Oracula concessa ad instantiam Regum vel Principum, vel auctoritate Cardinalium munita, relinquendo alia Oracula absque alia reuocatione quàm illa, quæ ex Gregorio veniebat. Vnde cùm hæc reuocatio Gregorij per Vrbanum sublata sit, fit

Responsio alia penitus prosligata.

Instantia Regum & non Regularium frustrà distincta.

fit inde hæc Oracula non esse reuocata. Sic ille philosophatus contra apertum Constitutionis Vrbani tenorem, à quo vt stet reuocata à Gregorio Oracula fuisse concessa, postmodùm in Constitutione dicta reuocata esse nequit vllatenus inficiari. *Omnia* (inquit) *& singula priuilegia, facultates, licentias, & gratias quascumque per Summos Pontifices prædecessores, ac per Nos viuæ vocis Oraculo, & S. R.E. prædicta Cardinalium quorumcumque manu firmata, quibuscumque Generalibus, Prouincialibus, ceterisque Superioribus & personis cuiuscuis Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis, siue sæcularibus, vel etiam ipsis Ordinibus, Congregationibus, Institutis, & Societatibus, etiam Societati IESV, aut eius Clericis, & Presbyteris &c. tenore præsentium reuocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus &c.* Quid euidentius, clarius, manifestius ? Ad hæc certè hærere, in meridiano splendore caligare est. Videantur etiam sequentia, vbi iterùm de Societate sermo, & Bulla alia, de qua inferiùs *n.*159. Vnde ipsa, ad quam hoc maximè spectare videbatur, reuocationem, reiectis huiusmodi illusorijs euasiunculis, pro se & alijs recognouit.

Tenor Constitutionis.

Esto quod ulla reuocatio, ineptè extendi soleat ad priuilegia, sed tantum ad Oracula.

158. Quia verò argui contra præfatam assertionem ex eo potest quòd Vrbanus Oracula concessa ad instantiam Regum &c. reuocauit, & ita reliqua omnia concessa alijs inferioris conditionis debeant reuocata censeri. Respondet reuocationem esse odiosam, & non habere locum nisi in casibus expressis : res namque odiosæ sunt stricti iuris, & in eis non fit extensio. Ita Leander vterque. Quæ doctrina admitti posset, nisi cum reuocatione dicta apertè esset reuocatio respectu aliorum coniuncta. Post adducta namque verba sic additur : *Alijsque personis prædictis, quacumque de causa, etiam de necessitate exprimenda, occasione, prætextu, vel colore, etiam intuitu, contemplatione, seu ad instantiam Imperatoris, Regum, & Principum &c.* Vbi notanda dictio *Etiam*, quæ, vt Doctores tradunt apud Barbosam *in Tractatu de Dictionibus. Dict.*112. exprimit casum magis dubitabilem, & implicat minùs dubitabilem. Deinde in Constitutione Gregorij sic habetur : *Non tamen ad supplicationem Regum concessas.* Voluit ergo in hoc Reges propter celsitudinem dignitatis alijs anteferre, quia indignum iudicauit eos alijs inferioris status exæquare. Quod quidem non attendendum Vrbanus censuit, sed æquandos iudicauit, in quidem suæ esse Regibus querelæ possunt : essent autem amariores, si non solùm non æquandi censerentur, sed etiam post habendi. Est ergo reuocatio stricti iuris, sed non vbi expressa est Principis voluntas, aut aliàs posset rationi minimè consona iudicari.

Instantia ex Concessione Vrbani Officialibus Cameræ facta nullius roboris demonstratur.

159. Vrgere nititur deinde ex eo quòd Vrbanus post generalem reuocationem factam *An.* 1631. *die* 21. *Decembris.* ad instantiam officialium & Notariorum Cameræ Apostolicæ *die* 15. *Aprilis. An.*1636. declarauit prædictas Constitutiones non comprehendere Oracula manu propria signata alicuius Officialis ex illis, quibus ratione numerum suorum de summi Pontificis Oraculo fides haberi solebat, vt patet ex Bulla, quam refert Peyrinis in *Formulario Prælatorum Cap.*3. *Appendice* 4. *§.*3. *lit.z. fol.illi.*539. Ergo cùm ferè omnia priuilegia concessa Regularibus signata sint manu alicuius Officialis Cameræ Apostolicæ, vt patet ex concessis Congregationi PP. Carmelitarum Discalciatorum, inde est quòd saltem hæc Oracula non sint reuocata. Addit tamen, quia inuenire non potuit an Oracula, de quibus est præsens dubium, sint signata manu alicuius officialis Cameræ, ad aliam recurrendum responsionem. Et benè quidem, quia res illa ad factum spectat, in qua non benè arguitur ex priuilegijs, quia cùm priuilegia per Bullas aut Breuia concedantur, in illis manus est officialis Cameræ Apostolicæ necessaria, quod secus accidit in Oraculis, quæ ordinariè aut interuentu Cardinalium, qui de concessione fidem ore tenus faciunt, aut ad Generalium supplicationem, fidem similiter facientium, aut particularibus personis ex ore Pontificis sine officialis interuentu, aut assistentia gratiam excipientibus concedi solent.

160. Tandem ergo respondet, quòd licet talia Oracula non sint signata modo dicto, nec confirmata per Bullas, vt dicebat cum alijs Lezana, adhuc non sunt censenda reuocata. Ita Mercia, vbi suprà, (scilicet apud Dianam *Parte* 9. *Tract.* 7. *Resolut.*71.) Vidal *Titulo de iurisdictione Inquisitorum* 4. *n.*122. Quintanadueñas *Tract.* 3. *Singul.* 15. *n.* 3. Tum quia talis reuocatio non fuit sufficienter intimata nec promulgata in omnibus diœcesibus & prouincijs, quod necessarium erat iuxta sententiam multorum, quos refert ipse Quintanadueñas. Et quod ad intimationem attinet, necessarium erat iuxta priuilegium Gregorij XIII. concessum Societati, modum ab eo præscriptum in ea seruari, vt cum Mercia notauit Vidal *suprà n.*122. Tum quia de tali reuocatione nobis non constat authenticè, quod necessarium erat iuxta præscriptum Sacræ Congregationis, quod refert Lezana *Tomo* 3. *verb. Sacra Congregatio n.*10. Sic se habet dicti Auctoris postrema responsio, in qua Lezanæ, & Patri Quintanæ, id imponit, quod est ab eorum mente penitus alienum, vt vidimus *n.*154. & 155. Quod autem ad publicationem & intimationem spectat, iam est à nobis sufficienter improbatum *n.* 150. Et quidem circa necessitatem publicationis, & eius modum, diuersæ Auctorum sententiæ sunt, & specialiter de legibus loquentium Canonicis. Et P. Quintana pro ea sententia Auctores adducit, iuxta quam necessarium est vt publicatio fiat in omnibus diœcesibus & Prouincijs, addentibus nonnullis id specialiùs requiri in legibus reuocatorijs priuilegiorum. Sed non loquuntur illi quando à Pontifice modus est specialis determinatus pro illa : tunc enim eidem standum : quod vti certum statuit P. Suarez *Lib.*4. *de legibus. Cap.*15. *n.* 4. sic scribens : *Responderi tamen posset in illa lege (Ex Cap. Nouerit, de* sententia excommunicat. Vbi duo menses assignantur) *determinatum fuisse illum modum promulgationis, non verò fuisse latam legem, vt idem sufficiat in omnibus legibus. Certum est enim quoties lex Canonica præscribit modum promulgationis in ea seruandum, illum sufficere, vel esse necessarium, etiamsi ex iure communi, vel consuetudine, aliud requiratur.* Sic ille. Licet autem ad faciendam fidem, vbi res non est facta notoria, ordinariè instrumentum authenticum requiratur, & ideò à Pontificibus super eo in Bullis aut Breuibus suis (quod & in præfatis factum videmus) soleat

Defectus intimationis insistitur, & defectui, etiã notitia quod exploditur.

Vbi Pontifex modum publicationis determinat, cessant opiniones.

P. Suarez.

soleat prouideri : vbi tamen res notorietatem consecuta est, nihil est tale necessarium, quia cessat finis instrumenti dicti, vt in casu præsenti accidit : duæ enim Constitutiones reuocatoriæ Oraculorum apud Auctores extant, & in Bullarijs, & Scriptores omnes quasi de re notissima loquuntur.

Ex priuilegio Societatis ineptè pro intimationis defectu argui.

161. Quod autem ad intimationem spectat ex peculiari priuilegio Societati concesso, negotium facessit nullum, quia quando Pontifices Societatem exprimunt, & suæ voluntatis esse significant, vt illa debeat comprehensa censeri, stylus Romani Tribunalis obtinet vt nulla alia intimatio requiratur, præsertim si Clausula illæ addatur: *Ac si eis personaliter fuissent intimatæ*; quæ in Constitutione Vrbani extat, vt vidimus *n.* 150. & ita nostra obseruat Societas, stante etiam pro huiusmodi veritate Diana *Parte* 7. *Tract.* 10. *Resolut.* 29. *& Parte* 10. *Tract.* 13. *Resolut.* 22. & in particulari loquendo circa casum præsentem iam vidimus. *n.* 154. Scriptorum eius communem sensum suffragari. Nihil ergo citatus Auctor sua contradictione ad demoliendum receptissimum dogma apud sinceros veritatis amatores, præualere potest, quos vtinam res istæ adeo graues, & in quibus errare adeò periculosum est, & turbis excitandis obnoxium, semper nanciscantur.

Diana.

EXCVRSIO.

De viuæ vocis Oraculis pro Indijs.

Concessio circa Baptismum ex se perpetua.

162. ACtum de illis in *Thesauro Indico* circa particulares materias, ex quibus aliqua pro limitato tempore disponunt, sicut *verb. Baptismus* facultas baptizandi extra Ecclesiam, & sine consuetis ceremonijs, quando Nostri id ad maius Dei obsequium fore iudicabunt, propter paucitatem operariorum, & in commoditates, quæ se offerunt. Pij V. & Gregorij XIII. vsque ad *An.* 1589. Quæ quidem licet ex tenore concessionis limitata sit, ratione caussæ adductæ est perpetua : quod & circumstantiæ in Indijs manifestant.

Circa commercium cum infidelibus pro Bulla Cœnæ, similiter.

163. Verb. *Bulla Cœnæ.* Non incurri excommunicationem ab eo impositam propter commercium cum infidelibus, tam de alijs mercibus, quàm de armis, quando non esset in præiudicium Christianitatis, vt si hostem non notabiliter armarent. Pius V. vsque ad *An.* 1579. Quod quidem ad scrupulos eximendos videtur concessum, sicut & quod eodem §. subsequitur ex Gregorio XIII. vsque ad *An.* 1589. Vnde vnum pugionem aut gladium vendere sine probabili periculo, materia sufficiens excommunicationis non est.

Circa dispensationem in ieiunijs idem.

164. *Verb. Dispensatio* §. 1. Facultas dispensandi in foro conscientiæ cum nouis & antiquis Christianis in ieiunijs ab Ecclesia statutis propter grauissimum æstum, & cibos debiliores, & quia homines isti nauigationibus & bellis gerendis sunt dediti. Pius V. vsque ad *An.* 1579. & Gregorius idem vsque ad *An.* 1589. Quæ etiam pro submouendis conducit scrupulis, nam stantibus prædictis caussis obligatio ieiunij ordinariè cessat. Vnde poterunt Nostri non virtute priuilegij, sed spiritualis directionis quodammodo cum illis dispensare ; & ita facultas dicta est etiam virtute perpetua, quia directio idem operatur in ordine ad submouendam obligationem, præcepti illius moderationem declarando, & idem ferè est de contentis. §. 2. vbi ex eisdem Pontificibus, & pro eisdem annis, pro Neophytis conceditur facultas omnino dispensandi in ieiunijs, aut commutandi, idque in Brasilia, in qua grauissimus est æstus, & indigenæ magnis laboribus adstricti, suntque eorum cibi, valde debiles, & ordinaria illa Mandioca, quam qui solam haberet Europæus, & additamenta huiusmodi à nullo censeretur ad ieiunium obligatus. Cur ergo miselli isti ?

Sicut & cæca interdicta. Pro quo & eius priuilegium perpetuum.

165. *Verb. Interdictum.* §. 1. 2. & 3. conceditur Nostris vt possint etiam non præsentibus Scholasticis, sed alijs de Societate, tempore interdicti, & cessationis à diuinis, Missas celebrare. Ex Gregorio XIII. vsque ad *An.* 1603. vbi quod ad Sacerdotes attinet ex Iure habetur, & quoad Nostros etiam Clericali saltem Tonsura insignitos. Quoad illos autem & alios generalior concessio est Pauli Tertij, de quo in Compendio communi Verb. Interdictum §. 1. vbi sic dicitur: *Poterunt Nostri in locis, in quibus degunt, & apud quos pro tempore versari contigerit, tempore Interdicti quauis, etiam Apostolica auctoritate, appositi,* ianuis clausis, *& excommunicatis ac interdictis exclusis, submissa voce Missas, & alia diuina officia celebrare, Sacramenta recipere, & alijs ministrare : dummodo ipsi caussam non dederint Interdicto, nec contingat id ipsis specialiter interdici.* Cùm ergo recipere Sacramenta possint, pariter etiam & Missis interesse. Est etiam per Bullas speciales pro Indijs concessum, quæ licet perpetuæ non sint, vna tamen impleta, alia sine intermissione succedit, vbi & pro Scholasticis dicta gratia pariter indulgetur. Pro quo etiam in rigore (quod ad Nostros attinet) priuilegium necessarium non est, cùm & id Iure liceat ex *Cap. Alma mater* de verbor. significat. *in 6.* ibi : *Singulis diebus in Ecclesijs ac Monasterijs Missa celebrentur, & alia diuina sicut priùs : submissa tamen voce, ianuis clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis.* Sic Bonifacius VIII. vbi cùm in Monasterijs Missæ vt ante Interdictum concedantur, præter ea, quæ statim prohibentur, omnia alia sunt concessa. Et cùm etiam soli excommunicati & interdicti videantur excludi, de alijs non est locus dubitandi. Pro quo videri potest Lezana *verb. Interdictum quoad Regulares n.* 22. & 23. & hæc sunt Oracula aliquid cum limitatione temporis concedentia, & quæ rationem Indulgentiæ non habent, de quibus *inferiùs.* sunt prætereà alia, quæ perpetua dicuntur, eo quod limitatione temporis careant, videlicet.

Compendij communis Societatis.

Circa exhortantes in bello, pariter.

166. Verb. *Bellum*, vt Patres Societatis, qui per varia Indiæ loca milites Lusitanos, qui cum Infidelibus quotidiana bella, committunt, & solent exhortari, ac nonnumquam etiam animare ad fortiter cum hostibus confligendum ; absque vlla irregularitatis pœna aut nota id possint facere in foro conscientiæ : dummodo Patres ipsi haud ferant arma. Sic ad tempus concessionum prædictarum Pius V. Sed sine limitatione Gregorius XIII. Quod quidem ad conscientiarum est securitatem indultum : nam exhortatio & animatio in bello iusto licita est Religiosis, & sine periculo irregularitatis, vt est communis scriptorum sententia,

Id Religiosis licet.

Lezana.

tentia, quam multis eorum adductis, & Iuris Canonici Textibus probat Lezana *verb. Bellum n.* 8. Pro quo & Diana de Clericis loquens *Parte* 6. *Tract.* 4. *Resolut.* 181. de quibus ratio est eadem, & ita Doctores de vtrisque communiter loquuntur.

Circa Communicationem priuilegiorum inter Indicas regiones quæ est declaratio, & per Bullam etiam habetur.

167. *Verb. Gratiarum Communicatio.* Omnia priuilegia, facultates, & gratiæ, quæ Occidentali Indiæ & Orientali concessa sunt, & in posterum concedentur, ita inuicem communicentur, vt singuli earumdem Indiarum, & Nouæ Hispaniæ Societatis Religiosi illis omnibus æquè principaliter in omnibus, & per omnia gaudeant: illisque vti possint, perinde ac si ista omnia, vtriusque Indiæ & Nouæ Hispaniæ Religiosis prædictis specialiter ac nominatim concessa fuissent. Quod quidem Oraculum cùm non concessionem noui alicuius priuilegij sed declarationem contineat, non est reuocatione prædicta duorum Pontificum, vt communiter affirmant Scriptores, de quo *num.* 153. Deinde concessio prædicta habetur per Litteras Apostolicas Gregorij XIII. vt videri citato loco potest. Et id quod dictum de Oraculis declaratorijs, applicandum §. 2. *eiusdem verbi* vbi dicitur eumdem Gregorium indulsisse vt quidquid siue in Litteris Apostolicis, siue in viuæ vocis Oraculis eatenus concessum erat ijs, qui à Præposito Generali mittuntur in Indias, vel in alias Infidelium partes, intelligatur esse concessum ijs omnibus de Societate, qui pro tempore erunt in illis partibus: etiam si à Præposito Generali missi non sint, & quidem Pontifices omnes post Gregorium in suis pro Indijs concessionibus omnimoda cum generalitate loquuntur, ita vt iam differentia illa virtute concessionum dictarum penitus cessare videatur.

Et inter Religiosos Missos à Generali & non Missos.

Circa antepositionem Officij Matutini, quod alùs licet.

168. *Verb. Horæ Canonicæ* ex Gregorio XIII. conceditur Nostris, Concionatoribus, Lectoribus, Confessarijs, & Superioribus, qui sunt aut erunt in Prouincijs Indiæ & Brasiliæ, vt possint toto anni tempore ante horam Cœnæ Ordinariam, etiam cùm per aliquot integras horas ante solis occasum cœnari solet, dicere Matutinum sequentis diei. Quod priuilegium iam nullius ferè momenti est, cùm iuxta probabiles Doctorum sententias, non id solum, sed plus multò liceat. Arguit autem antiquorum illorum Patrum laudabilem circa hoc curam, quia opiniones circa illud non fuerant adeò Doctorum auctoritate, & vsu piorum ac sapientium roboratæ. Vbi & erit qui dicat forsitan, cùm priuilegium aliquid debeat operarij speciale, vt habetur in *Cap. Abbate*, de verbor. significat. ibi. *Cùm priuilegium sit lex priuata : & non esset lex priuata, nisi aliquid specialiter indulgeret* &c. ex eo fieri vt per concessionem dictam anticipare plus liceat Matutinum, quàm consuetudine, aut per probabiles opiniones liceat. Verùm circa hoc non est cur nouas laxitati vias aperiamus, cùm satis laxæ sint, quæ à nouioribus sunt scriptoribus demonstratæ.

Cap. Abbate. Sed plus licebit ratione illius.

Circa nomen Indiarum, & est mera declaratio.

169. *Verbo Indiæ* habetur quòd in gratijs Apostolicis concessis & concedendis Societati, nomine Indiæ Orientalis intelligantur omnes Regiones & Insulæ, quæ vltra Mauritaniam versus Austrum & Orientem ad Regem Portugalliæ spectant, siue iure dominij, siue conquistæ, siue commercij & nauigationis. Nomine autem Indiæ Occidentalis quidquid eôdem iure Occidentem versus vltra Insulas Fortunatas, & eas, quas Tartarias appellant, siue ad Regem Catholicum, siue ad Regem Portugalliæ pertinent. Quod quidem cùm declarationis nomine ibidem proponatur, non debet censeri reuocatum, iuxta dicta *num.* 167. & id quidem expressiùs, quam in Oraculis alijs, cum reuera speciale nihil concedatur, sed mera sit iam concessorum authentica declaratio. Pro quo & alia succurrit ratio. Nam Oraculum tale iam suum est sortitum effectum : quæ autem talia sunt non reuocari ex ipsarum est Constitutionum littera manifestum.

Ergo iurament'orum relaxationem. quæ & perpetua ex concessione circa vota, iuxta multorum sententiam.

170. *Verb. Iuramentum* Possunt Prouinciales Indiæ per se, vel per alios relaxare quodlibet iuramentum, quod non sit in tertij iustum præiudicium : eiusmodi est de soluendis vsuris, vel ijs, quæ in ludo illicito sunt obtenta. Quis id concèsserit non indicatur. Sed certè id quod hìc conceditur, aliunde licet Societati : nam vt habetur *verb. Dispensatio* §. 10. *in Compendio communi* possunt nostri Confessores deputati dispensare in votis etiam Episcopo reseruatis per communicationem priuilegij Patrum Benedictinorum Vallisoleti : potestas autem ad dispensandum in votis, quæ est ad illa penitus relaxanda, extenditur ad iuramenta, quæ non sunt in tertij iustum præiudicium, vt probabiliter tenent Bartholomæus de Ledesma in *Summa Sacrament. Tractatu de Matrimonio Dubitat.* 23. *parte* 3. *Post.* 3. *Concluf.* Emmanuel Rodericus 1. *p. Summæ in* 2. *editione Cap.* 231. *num.* 4. *& Cap.* 189. *num.* 9. *&* Cap. 244. num. 4. licet alij id negent, quos adducit & sequitur, Diana *Parte* 8. *Tractatu* 3. *Resolut.* 44. Esse autem probabile oppositum negari nequit, & ita tenet P. Palaus *Tomo* 3. *Tractat.* 14. *Disputat.* 3. *Puncto* 4. *num.* 9. qui pro sua sententia adducit P. Sa. *verb. Iuramentum num.* 3. vbi reuera ita sentit cum Soto, & Viualdo quando non est præiudicium tertij : quod quidem de iusto est præiudicio accipiendum, vt videtur manifestum. Vterque autem citat Cardinalem Toletum *Lib.* 4. *Cap.* 23. *num.* 2. & 3. vbi nihil habet ad intentum. Citat etiam P. Sa Couarrubiam, præter Sotum, & Viualdum : & cùm sententia dicta probabilis sit, & securè quis illam possit amplecti, in casus occurrentia, talis recursus velut ad facultatem per Apostolicæ Sedis concessionem potest haberi, cùm in ordine ad effectum, securitatem scilicet conscientiæ, probabilitas ratione & auctoritate fundata suffragetur.

Ledesma Emmanuel

P Palaus.

Circa lectionem librorum Infidelium, quæ alùs licet.

171. *Verb. Libri* ita habetur: *Prouinciales Indiæ, & ij quos ipsi nominauerint in illis locis possunt, legere libros Infidelium, ad confutandos errores, qui in eorum sectis continentur. Concessit Cardinalis S. Angeli, cum Summus Pœnitentiarius esset, professus se ad id amplissimam auctoritatem à Sede Apostolica habere, vt habetur in viuæ vocis Oraculis pag.* 15. *&* 16. Sic ibi. Talia autem Oracula similiter reuocantur ab Vrbano Con-

ceſsiones & gratias viuæ vocis Oraculo, etiam à S. R. E. Cardinalibus obtentas, & ipſorum manu firmatas, &c. quæ ſunt illius verba. Sed quidem Oraculum dictum ad ſubmouendos ſcrupulos videtur impetratum: in Bulla enim Cœnæ Excommunicat. 1. ſolùm libri hæreticorum prohibentur, non Infidelium, vt ex Vgolino, Portel, P. Thoma Sancio, & P. Fagundez tradit Lezana *verb. Libri, num.* 19. Sicut neque in Regulis Indicis, quæ poſt Concilium Tridentinum habentur. Et ſolùm circa Thalmud, & eius Gloſſas extat peculiaris damnatio Clementis VIII. *pridie Kalendas Martij An.* 1592. & antiquior prohibitio libri dicti *Magazar.* Ad tollendum autem radicitus ſcrupulum adeſt conceſſio Gregorij XIII. in Bulla, quæ incipit *Exponi nobis die* 8. *Ianuarij. An.* 1575. Vbi quidem circa lectionem librorum prohibitorum ſpeciales facultates inueniuntur. Et poſt libros hæreticorum additur, *Et alios prohibitos, ad oppugnandum.* Vt ergo demus prædictos Infidelium libros eſſe aliquomodo vetitos, circa illos legendos iam exſtat prohibitio, conceſſionis tenore ſeruato. Vnde licet circa hæreticorum libros reuocata ſit, non ita circa alios, qui nihil ad hæreticos ſpectant directè aut indirectè continent. Stat quidem Bullà Gregorij XV. An. 1623. quæ incipit *Apoſtolatus.* Et alia Vrbani VIII. *An.* 1631. circa reuocationem licentiarum legendi libros prohibitos tam ſæcularibus, quàm Regularibus. Sed dictam prohibitionem ſolùm de licentijs perſonis particularibus conceſſis procedere affirmat Laurentius de Peyrinis *Tomo* 2. *Priuileg. Minimorum in Conſtitut.* 9. *Pauli V.* cuius ſententiam ſpeculatiuè probabilem iudicat Lezana *Tomo* 1. *Cap.* 18. *nu.* 96. qui in caſu, de quo loquimur, plus aliquid præfatæ ſententiæ detulit, vbi prohibitio eſt valde dubia, & conuenientia lectionis pro amplificatione fidei comperta, ceſſante ratione prohibitionis, periculo inquam infectionis: adeò enim à ratione aliena Ethnicorum dogmata ſunt, & abſurditatibus ac ineptijs ſcatentia, vt inſtar fabulæ haberi debeant, aut ſummorum delirantium capitum commenta. In Expurgatorio autem auctoritate Generalis Inquiſitionis Hiſpaniæ edito nihil circa hoc habetur, quod poſſit reſolutionem prædictam infirmare: quam & penitus inconcuſſam reddit conceſſio ſpecialis Vrbani VIII. quæ incipit, *Animarum ſaluti die* 15. *Septemb. An.* 1629. quam & ſequentes Pontifices approbarunt.

In Bulla Cœnæ hæreticorum tantùm prohibiti.

Prohibitio alia circa Thalmud, & Magazar.

Peyrinis.

Lezana.

172. *Verb. Miſſa* §. 3. ſic dicitur: *Poſſunt Superiores in vtraque India diſpenſare in regula Miſſalis de communicandis laicis intra Miſſam: ita vt quando eis videbitur expediens, fieri id poſsit finita Miſſa. Gregorius XIII. in viua vocis Oraculis pag.* 99. Quod quidem non video qua neceſſitate impetratum, cùm extet pro eo Pauli Tertij explorata conceſſio, in Bulla, quæ incipit. *Cùm inter cunctas*, ibi: *& poſt, aut ante illarum celebrationem, aut alias: Chriſti fidelibus ipſis Euchariſtiæ, & alia Eccleſiaſtica Sacramenta, ſine alicuius præiudicio miniſtrandi &c.* quod alibi adnotaui, & mirum eſt in Compendio Indico prætermiſſum *verb. eodem*, ſicut & verb. *Sacramenta*, in quo Conceſſionis prædictæ mentio inducta, dum ſic dicitur: *Poſſunt Noſtri Chriſti fidelibus Euchariſtiam, & alia Sacramenta &c.* Quod quidem vſu eſt receptiſſimo roboratum, & etiam ſine priuilegio.

Circa tradendam Euchariſtiam intra Miſſam, habetur per Bullam.

Bulla Pauli Tertij.

173. Iuxta hæc, ſiue de Oraculis cum temporis limitatione, ſiue abſque illa editis, loquamur, nihil videtur reuocatio Pontificum rebus Indicis obfuiſſe. Quod ſi de Indulgentijs agatur, valde eſt recepta ſententia de illis reuocationem dictam non procedere, vt alibi citatis eius Auctoribus oſtendi, ſcilicet in *Theſauro Indico Tomo* 2. *Tit.* 12. *num.* 484. & 493. Vbi quæri poteſt, an ſtante probabilitate de non reuocatione illarum, ſi tamen reuera reuocatæ ſunt, quia nomine gratiarum aut indultorum comprehenſæ, fructuoſæ tamen eſſe poſſint, patrocinante probabilitate, ſicut boni Auctores cenſent de adhibendis requiſita ad earum obtentionem iuxta probabilem opinionem: cùm tamen ſufficientia reuera non ſint iuxta mentem concedentis. Ad quod negatiuè prorſus reſpondendum, quia doctrina illa, ſatis aliàs incerta, hîc nequit veroſimiliter applicari. Cùm enim requiſitæ actiones adhibentur, iuxta opinionem dictam, Indulgentia ſuo in vigore conſiſtit, & ita actiones circa certam Indulgentiam verſantur: in caſu autem noſtro vera Indulgentia non eſt, cùm reuera ſit reuocata; vnde præſumi nequit concedentis voluntas, cui contraria eſt voluntas reuocantis, qui & ipſe minimè vult fructuoſas perſiſtere quas cenſet penitus reuocandas. Itaque in hoc diſcrimen interuenit manifeſtum & obſeruatione dignum.

Circa Indulgentias incurrens prohibitionem.

Peculiaris difficultas, ſi reuera reuocata ſint.

Nullius eſt roboris reſoluitur.

174. Quod autem ad ſpeciales Indulgentias ſpectat, quæ in *verb. Eccleſia* §. 2. & 3. rationem declarationis habent, & ita non cenſendæ reuocatæ, ſunt enim circa explicationem Eccleſiæ, in qua Noſtri & externi eas poſſunt lucrari: & declaratur ampliando ſignificationem ad Eccleſias non proprias, & totum domus habitæ circuitum. Plenaria in mortis articulo, de qua *verb. Indulgentia* §. 2. conceditur omnibus Religioſis à Paulo V. in reformatione Indulgentiarũ, & præterea pro Indijs eſt conceſſa ab eodem, & ſequentibus Pontificibus in Bullis, de quibus *nu.* 165. Quæ & extat in *Compendio Communi verb. eôdem* §. 4. & 15. & à Paulo V. non reuocata, vt patet §. 4. extenditur conceſſio facta pro Eccleſijs diſtantibus per centum milliaria, ad non ita diſtantes. Quòd cùm circa modum conceſſionis tantùm verſetur, ampliatio talis modum videtur declarationis habere. Quod §. 17. habetur, vt poſſint Noſtri morituris ſeptem annorum, & totidem quadragenarum Indulgentiam impertiri, videtur non ita expeditum, quia non eſt Indulgentiæ conceſſio, ſed facultas ad illam concedendam. Nihilominùs ex fine, pro quo facultas conceditur, regulanda eſt, & ita de illa ſimiliter pronuntiandum. Quæ ſi reuocata eſt, habent Noſtri morientibus aſſiſtentes vnde illã ſupplere queant, pro aliarum Indulgentiarum lucratione, quæ ſunt ſanè plurimæ, diligentiam adhibendo. In reformatione Pauli V. non eſt Indulgentia iſta contenta, quia non eſt pro Religioſis ipſis, ſed pro ſæcularibus, vt benè Quintanaduenas *Tomo* 1. *in*

Circa explicationem Eccleſiæ, declaratio eſt.

Plenaria in mortis eſt per Bullam Religioſis communem & à multis Pontificibus.

Facultas pro conceſſione illarum erga morituros, poteſt Indulgentia eadem iuxta cenſeri.

in Appendice Tractatus 4. *Dub.* 2. præſertim *n.* 8. Conceſſio item quæ habetur §. 8. genus declarationis continet circa prorogationem temporis, in quo Indulgentia poteſt obtineri, & ita in §. dicto non proponitur vt nouum priuilegium, ſed per modum animaduerſionis, dum ſic inchoatur: *Aduertendũ eſt Gregorium XIII. die* 11. *menſis Octobris An. Domini* 1579 *indulſiſſe &c.* & ita tenet idem P. Quintanaduenas *Tomo* 2. *Tract.* 6. *circa Compendium Indicum. verb. indulgentia* §. *Indulgentia alia n.* 6. Quod ſi hoc non placeat, propter id, quod ex Lezana dedimus *n.* 153. quia ſcilicet præter declarationem nouum eſt Indultum, & quidem valde ſingulare, ſcilicet Indulgentiam poſſe obtineri, etiam ſi tempus pro ea deſignatum non ſine culpa pœnitentis fuerit elapſum; nullum inde inconueniens emergit, quia vſus probabilis opinionis relinquitur ex non reuocatis Indulgentijs, neque ex eo quòd in caſu dicto, ratione etiam alicuius adiuncti declarationi, non reuocatum Oraculum dicamus, res in altiori gradu certitudinis conſtituitur, cùm intra terminos probabilitatis relinquatur: cùm etiam id, quod de ſimplici declaratione Auctores tradunt, probabile tantùm ſit. Parùm ergo etiam circa Indulgentias Conſtitutiones reuocatoriæ rebus Indicis, ſi fortè aliquid, incommodi, aut verò etiam nihil intulerunt. Circa reuocationem autem à Paulo V, factum obſeruandum à SS. Alexandro damnatam Propoſitionem in Decreto poſteriori, quæ eſt ordine 37. tenoris ſequentis: *Indulgentiæ conceſſæ Regularibus, & reuocatæ à Paulo V. hodie ſunt reualidatæ.* Cuius irrefragabili iudicio ſtandum, quidquid nonnulli ſine firmo aliquo fundamento pronuntiarint. Pro quibus hæc ſatis.

Circa prorogationem temporis vt lucrari poſſit gentium declaratio eſt.

Sipſus aliquid, vnde fundendum.

Reuocationem Pauli V. vigere iam certum. Propoſitio damnata circa Indulgentias.

SECTIO VIII.

Circa neceſſariam approbationem ad audiendas Confeſſiones pro Regularibus in Indijs, de qua & Parte 1. Sectio 6. *nouioris Scriptoris ſententia; diſcuſſa cum generali doctrina.*

Regularem ſemel approbatum, manere talem toto orbe affirmat Fr. Antonius à Spiritu S. *multos allegans.*

175. IS eſt Fr. Antonius à Spiritu Sancto, qui in *Directorio Regularium. Tract.* 2. *Diſputat.* 2. *n.* 13. affirmat probabile eſſe Regularem approbatum in vno Epiſcopatu iuxta formam Tridentini, manere approbatum pro toto orbe, & nulla alia indigere approbatione pro alio Epiſcopatu: nam ita conceſſit Clemens VII. Minoribus, & Sixtus V. Preſbyteris Oratorij in Bulla, *Decet Romanum* apud Bordonum *Tomo* 1. *Reſolut.* 6. *n.* 2. & docent Celotius, Corduba, Præpoſitus apud Dianam *Parte* 6. *Tract.* 7. *Reſolut.* 59. Coninck, quem refert Vrbanus *Tract.* 2. *diſt.* 2. *Sect.* 1. *Regula.* 5. *fol. illi* 216. Baunij *Parte* 1. *Tract.* 4. *Quæſt.* 4. Mancius, Metina, Henriquez, quos refert & ſequitur Martinus à S. Ioſeph *fol. ipſi* 547. Trullench *in Praxi Sacramentorum Diſp.* 8. *Dub.* 7. *n.* 57. Amicus *Diſput.* 15. *de Pœnitentia Sect.* 3. *n.* 123. Antolinez, Leander à Murcia, & probabilem putat Leander à Sacramento, quos refert Diana *Parte* 10. *Tract.* 12. *Reſolut.* 23. Licet contraria probabilior, quæ & communis ſententia, ſit, vt citatus Diana *Parte* 6. *Tract.* 7. *Reſolut.* 79. & *Parte* 10. loco citato affirmat.

Non obſtare Declarationem Vrbani, qui approbationem tantum exigit.

176. Sic cùm præmiſerit, ſubdit non obſtare Declarationem Vrbani VIII. apud Dianam & Lezanam, ſeu Conſtitutionem, in qua videtur contrarium definiri: Nam Pontifex ibi tantùm reuocat priuilegia generalia abſoluendi ſæculares abſque approbatione & examine Ordinarij: vnde non loquitur in noſtro caſu, in quo ſupponitur approbatio ob vno Epiſcopo ſecundùm formam Tridentini. Et licet Diana *Parte* 10. *Tract.* 14. *Reſolut.* 23. contendat hanc ſententiam non eſſe probabilem propter Bullam Innocentij X. in cauſſa Angelopolitana. *An.* 1648. in qua ad Nonum Dubium reſpondet Regulares in vna Diœceſi approbatos nequaquàm poſſe in alia Confeſſiones audire ſine approbatione Epiſcopi diœceſani; fallitur ipſe Diana, nam huiuſmodi Bulla, quam etiam refert Lezana in *Conſilijs Conſ.* 40. *n.* 110. vel nihil probat, ſiquidem in illa tantùm poſtulatur approbatio ab Epiſcopo, vt intuenti patebit: vel dato quòd loquatur de quolibet diœceſano, vt contendit Diana, hoc tantùm procedit de Epiſcopatu Angelopolitano in Indijs Occidentalibus ad ſedandas lites & ſcandala ibi inter Epiſcopum & Patres Societatis ſubortas. Ita Lezana in Conſilijs *ſupra n.* 113. Vnde noſtra ſententia (ſic ille loquitur) adhuc probabilis eſt ſicut anteà, & non improbabilis, vt contendebat Diana: nam illud Breue Innocentij nihil eis, ſaltem in his partibus (in Luſitania ſcribebat) præiudicat. Sic ille.

Breue Innocentij X. ſi non obſtat, quid inde contra illum

Nec Breue Bulla Innocentij X. quia in cauſſa particularis tantùm procedit.

177. In quo quidem illud minùs Conſequens apparet, ſententiam ſuam appellare, quæ approbationem ſit gulorum Epiſcoporum neceſſariam negat, cùm tamen contrariam dixerit communem & probabiliorem; niſi fortè id intelligat ſecundùm Dianæ iudicium, quod tamen eius verba non ſignificant, cùm ſic dicat, *licet contraria communis & probabilior ſententia ſit*, addens ſtatim, *vt teſtatur Diana.* Sed cùm ſuam tandem vocet, eius ſtandum aſſertioni. Et reuera, ſi fundamenta, quæ affert, ſolida ſunt. vt ipſe exiſtimat, non ſolùm probabilem, ſed valde talem eſſe conuincunt: priuilegia inquam Pontificia minimè reuocata, quibus nihil opponitur, quod aliquantulùm videatur vrgere, & quidem cùm Bulla Innocentij X. nihil videatur obſtare pro partibus, in quibus ille ſcribebat, & aliàs affirmet pro ſolo Angelopolitano Epiſcopatu vim habere, non debuit ſententiam ſuam ad partes dictas, alijs non incluſis, affirmare. Nam ſi in Europa id locum habet, multò id potiùs in Indijs, quibus circa hoc maiora ſunt priuilegia conceſſa, vt conſtat ex conceſſione Gregorij XIII. de qua in *Compendio Indico verb. Confeſſarius*: iuxta quam cum ſola approbatione ſuperiorum Societatis poſſunt eius Religioſi Confeſſiones audire, iuncta Adnotationis declaratione: licet temporalis fuerit. ſed quam docti aliqui cenſent confirmatam à Paulo V. omnia priuilegia ex certa ſcientia, & Motu proprio innouante, & de nouo concedente in Bulla *Quantùm Religio* ſatis celebri. *An.* 1606. *pridie Nonas Septembris.* Quod quidem eſt iuxta mentem huius Auctoris, *qui Tract.* 1. *Diſput.* 1. *n.* 64. & 65. ſecun-

Minus apte locutum circa ſententiam, quam dicit ſuam.

Confirmatio ex certa ſcientia quam vim habeat. Pro Bulla Pauli V. *pro Societate.*

secundùm communem Doctorum sensum locutus ait quòd confirmatio ex certa scientia est noua concessio priuilegij, si tamen à principio fuit validum: confirmatio siquidem ex certa scientia habet vim confirmandi actum, seu priuilegium aliàs nullum, reddendo illud de inualido validum, dummodò Princeps confirmans priuilegia non apponat aliquam clausulam, qua dicat se nolle confirmare priuilegia aliàs nulla: vt si dicat, *Quatenus sunt in vsu, Dummodò Tridentino non aduersentur, Prout in libris Ordinis reperiuntur, Dummodò sub nullis reuocationibus non comprehendantur.* Quorum nihil in dicta Bulla extat, in qua solùm priuilegia, quæ ad decimas spectant, & à Leone XL. limitata fuerant, excipiuntur, de quo Nos aliàs.

178. Iam quod ad rem ipsam attinet, duæ adducuntur Pontificiæ Concessiones, ex quibus probatio principalis instruitur, Clementis scilicet VII. & Sixti V. & quidem pro Minoribus videtur clara, sic enim habetur in Compendio Mendicantium verb. *Absolutio quoad seculares. §. 16. Concedit quòd Confessores Ordinis Minorum semel præsentati alicui Episcopo pro Confessionibus audiendis, post vnam præsentationem non tenentur amplius præsentari, etiam si ad aliam transierint Diœcesim.* Sic ibi. Sixti autem pro Presbyteris Oratorij refertur à Naldo *verb. Confessio. & verb. Confessarius*, & incipit, *Decet Romanum Pontificem:* per quam habetur vt dicti Presbyteri Romæ per examen approbati, possint vbique de licentia Ordinariorum locorum absque alio examine absoluere ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, & in posterùm reseruandis, exceptis casibus Bullæ, Cœnæ, sed neutra videtur in re tanta securum processum exhibere.

Priuilegium Clementis VII. *pro Minoribus.*

Sixti V. *pro Presbyteris Oratorij.*

179. Et de priore quidem loquendo Collector ipse priuilegiorum intellectum præfatum non admittit, negans iuxta eum posse sustineri, quod & tenet Emmanuel Rodericus *Tomo 1. qq. regul. q. 39. arti. 5.* & probat, quia à iure communi non debemus recedere, nisi contrarium expresè concessum videamus: hoc autem loco ita accidit, quia dicta concessio commodum locum habet, si dicatur per eam haberi recedentes Religiosos ab ea Diœcesi, in qua sunt approbati, si ad alias transierint, non teneri ad illam reuersos se iterùm præsentare. Quòd si dicatur id concessum ab Eugenio IV. nihil inde vrgeri potest, quia multoties eadem priuilegia ab eisdem Pontificibus conceduntur; & vt benè *citato loco* idem Emmanuel obseruat, confusionem quandòque parit maximam, quia sæpe sepiùs contingit posteriùs impetrata priuilegia limitare & coarctare id, quod anteà sine vlla limitatione & restrictione fuerat impetratum. Id quod vlteriùs probare possumus ex concessione Pij V. in celebri Bulla pro fauore Mendicantium, quæ est septima illius Constitutio apud Peyrinum, in cuius §.4. sic habetur: *Statuentes etiam quòd ille qui semel in vna Diœcesi admissus per Episcopum fuerit, semper in eadem Diœcesi habeatur pro admisso, nec amplius examinari, vel præsentari in dicta Diœcesi debeat, tam quo ad prædicationes faciendas, quam quo ad Confessiones audiendas.* Sic ille, id sanè concedens, quod fuerat ab Eugenio concessum.

Prius nihil tale continere. Emmanuel Rodericus

Repetuntur sæpè concessiones sine aliqua additione, vt in præsenti.

Priuilegium Pij V.

180. Præterea, Auctores communiter de hac disputantes quæstione, priuilegij dicti nullam faciunt mentionem, vtpotè quod vel Oraculum fuerit, vel quòd nullam in eo reperiant firmitatem, ac modum concessionis minimè deprehendant, contra quem militant omnes recentiores Pontificum concessiones obligationem dictam supponentium, dum modum habendæ licentiæ præscribunt à diuerso Diœcesano, vt in Bullis pro Indijs, quæ omnium sunt Christianarum regionum in priuilegijs eximiæ, aut de itinerantibus disponunt: sicut & omnes Cardinalium Declarationes, & praxis Romanæ Curiæ, quam & Societas nostra, cuius celebriora sunt priuilegia, recognouit. Ex quo apparet neque priuilegium Sixti V. pro Presbyteris dictis suffragari, de quo agens Peyrinus *circa Constitutionem 1. Iulij Secundi n. 80.* dubitare se ait an eo gaudeant Mendicantes: fundamentum autem dubitationis non adducit, nisi fortè illud sit; Congregationem Oratorij non esse Religionem: quod tamen circa Societatem obstare nequit, cui conceditur communicatio tum Mendicantium, tum omnium aliorum Ordinum, ac piorum locorum, ac personarum à Gregorio XIII. in Bulla, quæ incipit: *Decet Romanum Pontificem.* An. 1575. vel quia concessio est tantùm pro Romæ approbatis, & ita ad sic approbatos tantùm extendi communicatio potest. Vnde ibidem refert, cùm nollet Archiepiscopus Consentinus Fratres Minimos in Confessarios deputare, statuisse Sacram Congregationem *An.* 1605. quòd illam omnibus Fratribus daret, qui ad Confessiones Romæ admissi fuerant, ob communicationem scilicet dicti priuilegij, *Tomo etiam 3. ad Constitutionem Vrbani VIII. 16. aliàs 26. in fine* ita scribit: *Aliqui Regulares prætendebant frui hoc priuilegio, & non sine ratione. Nam semel per Principem probatus, per inferiorem non debet iterùm examinari, l. Quidam consulebat ff. de re iudicata. Innocentius in Cap. Pastoralis, de Donat. Capella Tolosana Decis. 449. Nauarrus in Manuali Cap. 17. n. 266. Sed ego semper de hoc dubitaui, vt videri potest dicto loco. Hic autem Pontifex omnem dubitationem sustulit.* Sic qui id quod ait de sublata omni dubitatione à Pontifice, propter Constitutionem dictam Vrbani pronuntiat.

Posterius priuilegium similiter extra rem. Peyrinis.

Idem.

181. In illa siquidem omnes concessiones audiendi Confessiones sine Diœcesanorum approbatione reuocat, dum ita præmittit: *Cùm, sicut accepimus, aliquibus Religiosis quorumdam Ordinum, seu Congregationum, à Sede Apostolica indultum fuerit, vt Sacramentales personarum secularium Confessiones audire valeant, etsi ab Episcopis Diœcesanis ad id examinati & approbati non fuerint; nec desint qui temerè asseuerent hoc ipsum priuilegium ceteris quoque aliorum Ordinum Regularibus competere, ex amplissimis Religionum communicationibus*, quas ab eadem Sede Apostolica obtinuerunt: & hinc saluberrimum *Sacri Concilij Tridentini Decretum desuper habitum penitus enertatur. Nos huic modo opportunè prouidere volentes, de Vener. Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotijs Regularium Præpositorum consilio, omnia & singula Indulta huiusmodi audiendi Sacularium Confessiones, absque Ordinarij examine & approbatione, quibusuis Collegijs, Capitulis, Religionibus, Societatibus, & etiam Societati IESV, Congregationibus, & Ordinibus, tam Mendicantium, quàm non Mendicantium,*

Vrbani VIII. *Constitutio contra sententiã dictam, & priuilegii dictum.*

tium, nec non Monachorum quorumcumque, nec non S. Benedicti, Cistercienſium, Carthusienſium, ac etiam quibusuis Militijs, etiam Hospitalis S. Ioannis Ieroſolymitani, ac quibuscumque Ecclesijs, etiam Patriarchalibus, & Metropolitanis, Monasterijs, ceterisque locis pijs, siue eorum & earum respectiuè Abbatibus, Præpositis, Decanis, Magistris, Ministris, Prælatis, Prioribus, Rectoribus, etiam Generalibus, vel Prouincialibus, Capellanis, Confessarijs, aut alijs quocumque nomine nuncupatis Superioribus, & personis quibuscumque, etiam quomodolibet exemptis, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectis, cuiuscumque dignitatis, præeminentiæ, & conditionis existentibus, & quouis priuilegio munitis, & tam ad supplicationem partium, quàm motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine hactenus quandocumque, & qualitercumque, & quauis, etiam de necessitate exprimenda, causa, & alias quomodolibet concessa, Apostolica auctoritate tenore præsentium reuocamus, cassamus, tollimus, abrogamus, & annullamus, viribusque & effectu euacuamus &c.

Sed illam non semitus certe sunt qui contendant, & quid porro facere oporteat.

182. Iuxta prædictam ergo reuocationem locutus citatus scriptor, omnem dubitationem circa adductum priuilegium sublatam esse affirmauit, quia generaliter omnis facultas, audiendi Confessiones sine Diœcesanorum approbatione reuocatur; nec solùm Religiosis, sed quibuscumque Congregationibus, vnde & Congregatio Oratorij comprehensa. Sed certè licet ita illi visum fuerit, non desunt qui sentiant dictam reuocationem tantùm comprehendere priuilegia concessa ad audiendas sæcularium Confessiones sine omnimoda Diœcesanorum approbatione; quod verificari non potest, si accepta illa ab vno ipsorum, ad Diœceses omnes extendatur, neque enim tenor Constitutionis ipsius aliud videtur præseferre. Quod quidem ex eo roborari potest quod Pontifex pro suæ reuocationis causa reddit, scilicet saluberrimum Concilij Tridentini Decretum ex huiusmodi priuilegio penitus euersi. Atqui si approbatio præmisso examine ab vno habeatur Diœcesano, non penitus euertitur, vt constat: immò neque ex parte, si dicamus, vt graues scriptores dicunt, Concilium Tridentinum non exigere iteratas approbationes, sed generaliter locutum, & ita vnicâ, videri fuisse contentum. Nec videtur plus vrgere, quòd in Concilio dicitur *Ab Episcopis*, quàm quod ab Vrbano, *& si ab Episcopis Diœcesanis*: significata enim est pluralitas, quia multi sunt qui approbare possunt, singuli scilicet in Diœcesi sua, sicut si diceretur Religiosus non posse ordinari nisi ab Episcopis Diœcesanis: ex quo nequit colligi singulos à pluribus ordinandos. Quamuis non desint docti scriptores, qui ea vtantur ratione.

Concilium Tridentinum *vna videri approbatione contentum.*

Contrarium videtur certum, & à Peyrino motus dictum omnem sublatam dubitationem.

Pro eo arguitur.

183. Sed certè Peyrinus non longè à Romana Curia scribens ita loqui potuit, quia prædicta Vrbani Constitutio in eo est sensu, quem ipse recognouit, & quem verba ipsa præseferunt, videntur, accepta, quem & ipse Pontifex, & circumstantiæ, ac reuocandi occasiones indicarunt. & quidem non sine mysterio à Pontifice non solùm nominati Episcopi, sed additum *Diœcesani*, vt id quod in Concilio non ita videbatur expressum, declararet. Quibus addo Pontificem non de aliquibus antiquioribus priuilegijs locutum, quæ in antiquis etiam scriptis extant, de quibus non dixisset, *sicut accepimus*; sed de recentioribus alijs, pro quibus ipsi ingesta notitia: nullum autem inuenietur (si de Indicis etiam loquamur) per quod talis sit facta sæculares confitendi copia sine vlla Episcopi approbatione, benè tamen ab vno habita, vt illud Congregationis Oratorij, quod meritò dicere Pontifex potuit temerè asseuerari posse per communicationem alijs eâ gaudentibus conuenire, aut aliud simile, cuius si omnimoda esset licentia, non dubium quin à Religiosis multis ad exemptionem omnimodam aspirantibus fuisset vulgata vtique, & contentissimè decantata. Cùm ergo dictis concessionibus reuocet, non est credendum vna illa approbatione fuisse contentum. Qui certè si ita voluisset, circa Indias, pro quibus maiora sunt priuilegia à Pontificibus impertita, effusior sine dubio fuisset, neque eas adhibuisset limitationes, quas in eius est Bullis videre, de quibus actum sæpiùs: licentias enim à Diœcesanis petendas statuit, dum loca mutantur, & modum circa id præscribit, dum sic ait: *Eisdemque* (Societatis Religiosis) *vt semel ab aliquo illarum partium Episcopo approbati ad prædicandum, Confessiones audiendum, & Missas celebrandum in Ecclesijs & Oratorijs Societatis IESV prædicta, pro ministeriorum huiusmodi exercitio vlteriùs licentiam & approbationem ab alijs Episcopis, quatenus distant vltra duas dietas, petere seu habere minimè teneantur, sed absque illis præmissa facere possint. Si verò Episcopus ab Ecclesia vel loco vbi prædicatur, vel Confessiones audiuntur, non distet vltra prædictas duas dietas, tunc licentia etiam alterius Ordinarij, ita vicini, priùs obtineri debet, quæ tamen etiam per epistolam impetrare possint.* Sic ille in Bulla, quæ incipit, *Animarum saluti die 15. Septemb. An. 1629.* Quæ quidem non multò post adductam Constitutionem prodijt, cùm eius data sit Anni immediatè elapsi 1628.

Ex Indijs efficax argumentum.

Bulla Vrbani VIII.

184. Ex quo habemus Decretum Tridentini Constitutione prædicta secundùm eius legitimam intelligentiam roboratum, quod quidem rectè dici potuit iuxta aliam penitus eneruari, respectu scilicet Religiosorum: quia licet obligatio ad approbationem remaneret, cùm tamen illa ab vno tantùm Episcopo habita, sufficiens pro vniuerso mundo dicatur, vim suam amittit, quo ad præcipuam illius mentem, licet aliqualis eius particula restet: aliquando enim dictio ista non omnimodam totalitatem importat, sed secundùm subiectam materiam venit explicanda, vt ex Cardinali Mantica tradit Barbosa, in Dictione *Penitus* quæ est 249, *n.* 6. & vt dicamus in toto suo rigore accipiendam, verissimum est Decretum penitus eneruari, id est enerue reddi, infirmum, & in efficax, quod non est idem ac reddi omnino nullum. Sic enim dicere solemus, cùm de argumento aliquo agimus, quo aduersantes conantur suam sententiam comprobare, esse penitus enerue, non quòd omninò vi careat, sed quia adeò illa est exigua, vt pro nulla debeat haberi. Sic Isaiæ 2. v. 17. *& Idola penitus conterentur:* quod post captiuitatem Babylonicam accidisse, cum alijs docet P. Cornelius ibi; & circa *vers.* 9. & tamen constat à Iudæis post captiuitatem dictam adorata Idola, licet non sponte, & communi consensu. Non ergo dicta particula semper cum eo rigore sumen-

Trident. *penitus eneruati meritò dictum ab* Vrbano.

Dictio Penitus. Barbosa.

Isaiæ 2. v. 17.

P. Cornel.

da, quem præseferre videtur: vel si iuxta illum sumenda sit, attendenda materia, & termini, circa quos cadit.

Auctoris alterius pro sententia præfata cuiusdam fundamenta.

Bruno Cassaing *eiusdem sententiæ assertor & probat.*

ESt ille P. Bruno Chassaing *de Priuilegijs Regularium Tract.* 5. *Cap.* 2. *Propos.* 2. quę sic habet, *Regularis à suis Superioribus examinatus & approbatus, ac Episcopo præsentatus ad Confessiones audiendas, & admissus ab eodem, est perpetuò admissus, non solùm in Diœcesi illius Episcopi, sed probabiliter etiam in Diœcesibus aliorum Episcoporum.* Priorem partem de examine probat ex Clement. *Dudum* de Sepulturis, vbi id statuitur. Contrarium tamen in Concilio Tridentino *Sessione* 23. *Cap.* 13. Ait tamen, tum ibi, tum *Proposit.* 1. Concilij Decreto per priuilegia derogatum; immò illud contra Regulares minimè in eo sensu disponere: quia iuri communi non derogat, in quo priuilegium dictum habetur insertum. Quòd autem ad priuilegia extra ius vagantia attinet, extat manifestum illud Pij V. in Bulla, *& si Mendicantium*, de qua *nu.* 179. ibi enim ad querelam eorum respondens, quæ habetur *nu.* 4. in hunc modum:

1. *Quia* Concilium Tridentin *iuri communi non derogat.*

2. *Ex priuilegio* Pij V.

Bulla Pij V. *Quorumdam etiam locorum Ordinarij quosdam Religiosos probos & idoneos, etiam à suis superioribus approbatos ad Confessiones audiendas admittere nullo modo volunt*: ita statuit §. 4. *Quod verò in Sessione* 23. *Cap.* 15. *circa Confessiones à Regularibus non audiendas statuitur, hos etiam dictorum Ordinum Fratres à Prælatis suis Generalibus, vel Ministris Prouincialibus ad audiendas Confessiones vtriusque sexus Christi fidelium approbatos vt præmittatur, minimè comprehendat.* Sic ille. Bullam autem istam non esse à Gregorio XIII. reuocatam probat ex professo *Tract.* 1. *Cap.* 6. *Propos.* 6.

Sed huiusmodi fundamenta manifestè conuelluntur.

186. Sed quidem ex adducta Constitutione Vrbani VIII. *nu.* 181. manifestum habetur Regulares Episcoporum examini esse subiectos ibi: *Et si ab Episcopis Diœcesanis ad id examinati & approbati non fuerint.* Vnde nequeunt priuilegia circa hoc allegari, sicut nec Ius commune; cùm ex eadem Constitutione constet Decreta Concilij Tridentini Religiosos etiam Mendicantes comprehendere, ibi: *Tam Mendicantium, quàm non Mendicantium.* Contra quod etiam, alia adduci possent, de quibus nos alibi. Sed demus illa non adeò vrgere, destinatio illa examini, & præsentationis quoad praxim nullius momenti est: cùm enim Regulares debeant Episcopis præsentari, certum est ab illis examini subijciendos, cùm pro se habeant adeò vrgentia fundamenta, neque aliter approbandos. Quòd si qui sint erga hoc ita benigni, vt examini parcant, id quod cum Nostris sæpiùs experimur: non ideò accidit quòd obligationem dictam non agnoscant, sed quia aliàs sic præsentati idonei comperiuntur: quod cùm euenit, Concilium Tridentinum ad examen non adstringit, vt constat ibi: *Per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur.* Neque Vrbanus sua Constitutione plus exigit: cùm enim pro obseruantia prædicti Decreti satagat, non ampliùs, quàm quod in eo est contentum vult inuiolabiliter obseruari, & ita praxis Indiarum habet, in quibus pro euitando examine ius nullum, vti pro re improbanda, nunc temporis, allegatur. Videatur Diana *Parte* 11. *Tract.* 2. *Resolut.* 12.

Distinctio præsentationis & examinis quo ad praxim momenti nullius.

Examen vt requirat Concilium Tridentin.

187. Vult etiam Auctor prædictus in sua illa Propositione approbationem præsentati in eâdem Diœcesi esse perpetuam, adeò vt neque ab approbante, neque à successore possit dicta facultas reuocari. In quo quidem difficilem prouinciam assumit; sed videndum quid pro sua adducat positione. In primis arguit ex discrimine inter gratiam & iudicium: illa enim reuocari potest à conferente ipsam; iudicium verò, cùm per modum sententiæ sit, non est reuocabile, ex Regula iuris 33. *in 6. Mutare consilium quis non potest in alterius præiudicium.* Quo argumento manifestè videtur fieri neque licentiam sæculari Sacerdoti concessam reuocari posse, cùm rationem gratiæ non habeat, sed iudicium importet. Respondet autem discrimen esse, quia sæcularis Sacerdos examini subiectus est, non ita Regularis, quia non potest amplius examinari semel præsentatus: præsentatione enim functus est Ordinarius munere suo, non ita examine sæcularis, cui testimonium dari per errorem potuit, aut peritia in eo desijt, qua testimonium fulciebatur. Sed cùm id quod de præsentatione dicitur, adeò debili fundamento subsistat, nihil ex adducta ratione habetur, ex quo possit positio dicta firmari. Præterquam quòd licentia data sæculari Sacerdoti potest ex prædicta ratione reuocari: ergo & data Regulari, quia similiter in ea esse error potuit, & peritia deesse, qua licentia talis fulciebatur. Neque dici potest ab Episcopo licentiam non concedi, sed erga ipsum officium illud vrbanum peragi, quod eius videtur dignitas postulare. Non inquam dici potest, quia est improbabilis & minimè tolerabilis euasio: siquidem in citata *Clement. Dudum.* de sepulturis de licentia mentio habetur manifesta, ibi: *Vt de eorum licentia, gratia, & beneplacito in Ciuitatibus & Diœcesibus eorumdem huiusmodi personæ sic electæ Confessiones sibi confiteri volentium audiant* &c. Qua veritate stante, euidens est illatio.

Approbationem esse perpetuam & irreuocabilem probat ex discrimine gratiæ, & iudicij.

Regula iuris.

Sed probatio explodatur ex iudicio circa sæcularem Sacerdotem reuocabili.

Licentiam dari ab Episcopo negari nequit Clement. Dudum.

188. Arguit deinde ex Extrauag. *Inter cunctas* de priuilegijs, quam non esse reuocatam innumeri Auctores affirmant: sic enim illa: *Datam verò licentiam, per Diœcesanorum mortem nolumus terminari.* Et posteà: *Per hoc autem non intendimus, quòd sæpè dicti Fratres, qui ad hoc deliguntur officium exercendum, plus habeant in audiendis Confessionibus, & pœnitentijs iniungendis, quàm Parœciales Sacerdotes noscuntur habere.* Ex quibus (ait Auctor) manifestè colligitur perpetuam illam esse approbationem & licentiam ad audiendas Confessiones, cùm per mortem Diœcesani non terminetur: sitque eadem, aut saltem similis licentiæ Parocho concessæ, quæ neque per mortem concedentis Episcopi, nec per ipsius contradictionem aut reuocationem terminatur. In quo quidem quod ad terminationem per mortem dicitur, non est cur repugnemus: quamuis enim prædictæ Extrauagantis deesset auctoritas, idem esset verosimiliter dicendum, vt communiter Doctores affirmant, quando licentia non est data ad beneplacitum, in quo sunt qui secus sentiant: & cùm illa ita determinant minimè ad auctoritatem dictam respectum habent, cuius neque meminerint

Ex decisione Extrauag. Inter cunctas, *inualidum sumi argumentum manifestè ostenditur.*

Etiam sint Extrauagantis decisione approbatio non finiretur morte approbantis.

Parochis Regulares in casibus reseruatis exquiri à Pontifice. Benedict. XI.

rint, sed principijs alijs ex Iure & ratione petitis indubitatè pronuntiant. Ex eo autem quòd non terminatur licentia morte Diœcesani, non sequitur quòd dum viueret non potuerit illam reuocare ob causam sibi benè visam, quam, vt iam declaratum est, nouis Pontificum Decretis, constat debere ad Confessionis ipsius munus spectare. Quòd autem à Successore examinari nequeant talem licentiam habentes, ex præfata decisione minimè habetur: neque id, quod de Parochis dicitur quidquam vrget, quia de absolutione à reseruatis agebatur, in quo noluit Pontifex Benedictus XI. Religiosos sibi ob magna priuilegia ibidem concessa plus Parochis arrogare, vnde addit Pontifex immediatè: *Sicque de casibus Episcopis, & Superioribus, quos inferiùs annotamus, ac Sedi Apostolicæ reseruatis se nullatenus intromittant.* Sic ille.

Ex Bulla Pij V. *Et Declaratione Cardinalium in forma probatu.* Declaratio Cardinal.

189. Præterea arguit ex statuto Pij V. in Bulla citata, *& si Mendicantium*, vbi id extat quod est à nobis *nu.* 179. propositum de duratione approbationis in eâdem Diœcesi. Quod Cardinalium Declaratione fulcitur, quam multi referunt; sic se habentem: *Sacra Congregatio sic censuit, Fratres Mendicantes semel examinatos non debere iterùm ab Ordinario, nec etiam per Successorem examinari.* Insistit autem suo illo iudicio de non reuocata Bulla Pij V. per Gregorium XIII. aut alium ex Successoribus. Sed certè nihil per ista causam, quam defendendam assumit, promouere potest: quia Concessio Pij V. si à Gregorio reuocata non est, id tamen factum ab Vrbano VIII. iuxta dicta *nu.* 181. & 182. dum Diœcesanorum examen exigit, quod est etiam ad casum præsentem extendendum: & ita iudicatum ab Innocentio X. in causa Episcopi Angelopolitani, de qua *nu.* 176. communem doctrinam eidem applicando, quam statuerat idem Vrbanus in Bulla, quæ incipit, *Alias nobis* pro Episcopatu Gienensi, quam adducit Barbosa *Lib.* 1. *de Iure Ecclesiastico Cap.* 43. *nu.* 210. Declaratio autem Cardinalium nullius roboris est, cùm alia ipsi penitus opposita reperiatur tenoris sequentis: *Congregatio Concilij censuit Regulares ad audiendas in Ciuitate & Diœcesi Sæcularium Confessiones semel ab Episcopo prævio examine approbatos, iterùm ab eodem Episcopo non esse examinandos: Ceterùm à Successore posse iterum examinari, iuxta Constitutionem S. Memoriæ Pij V. dat.* 8. *Idus Augusti Pontificatus sui An.* 6. *quæ à fel. recordat. Gregorio XIII non est reuocata per reductionem priuilegiorum Regularium ad terminos Concilij Tridentini*: Sic DD. Cardinales apud Auctores plures, quos adducit Ioannes Sancius *in Selectis Disput.* 48. *nu.* 1. & quid ad hæc? Certè vbi in testium depositionibus contrarietas est, iudicium suspenditur, neque ad sententiam procedi potest.

Alia eorumdem contrariâ.

Pius V. aperè id habet quod in præfata Declaratione asseritur.

190. Citatur autem in Declaratione Constitutio Pij V. ex quo videtur eidem robur conciliari, in qua ille sic habet: *Volumus tamen illos, qui semel ab Episcopo in Ciuitate & Diœcesi suis prævio examine approbati fuerint, ab ipso Episcopo iterùm non examinari: ab Episcopo autem successore pro maiori conscientiæ suæ quiete examinari de nouo poterunt.* Sic ille, & cùm decisio hæc adeò sit aperta, ad illam citatus Auctor respondet Bullam istam reuocatam esse pluribus priuilegiorum Confirmationibus ex certa scientia cum expressa derogatoria huius restrictionis, & supplicante Philippo Secundo Hispaniarum Rege, à Gregorio XIII. *An.* 1572. vt habetur in Bullario *pag.* 1268. & seqq. id testante Salgado, reformatam fuisse: quo circa præinserta Declaratio Cardinalium reuocationi dictæ Bullæ conformis emanauit; nec non sententia sub *Data* 1594. *die* 2. *Aprilis* Camilli Caietani Patriarchæ Alexandrini Sedis Apostolicæ sub Clemente VIII. in Hispania Legati à latere Nuncij, quam refert authenticam Emmanuel Rodericius *Tomo* 1. *qq. regul. q.* 59. *arti.* 4. qua prohibet Archiepiscopis, Episcopis, & alijs maioribus Prælatis sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, & alijs censuris & pœnis, ne Fratres Minores circa præfatum priuilegium, quod existere declarat, impedire, perturbare, ac molestare præsumant. Sic cùm respondeat dictus Auctor, oportuisset vt aliquam peculiarem reuocationem dictæ Bullæ adduceret, quoad restrictionem dictam, quod tamen ab ipso non factum. Quòd si etiam reuera datur, oportuisset etiam Bullam aliam producere reuocatoriam Bullæ Vrbani VIII. de qua nuper; quod neque ab eodem præstitum, cùm iuxta eam receptissima praxis procedat: præsertim Romanæ Curiæ, vt testatur Lezana *Tomo* 4. *Consulto* 40. *n.* 65. & licet Bulla Pij V. quoad Hispaniam suspensa sit, quid hoc ad regiones alias, quid ad Galliam, in qua, & pro qua prædictus Auctor scribit? Sed neque in Hispania iam recepta est, vnde gubernante Toletanam Ecclesiam Serenissimo Infante Ferdinando Philippi Quarti præclarissimæ recordationis germano fratre, volenteque Regulares examinari, nullum à prædicta concessione firmum illi præsidium habuerunt, dum pro depellenda obligatione satis contentiosè certarunt, de qua controuersia fusè egit Ioannes Sancius *citata Disput.* 48. vnde nec momenti est alicuius, quod ex Hispaniæ Nuntio adducitur, in cuius mandati tenore solùm continetur, vt Hispaniæ Prælati priuilegijs Patrum Minorum deferant, neque eos in illorum obseruatione molestent. Licet autem in narratiua priuilegij præfati mentio habeatur, mandatum tamen neque illius, neque alterius circa Sepulturas commemorationem apponit, neque de visis, perpensis, & explorata eorum vi fides habetur: vnde non videtur multùm inde posse firmitudinis in causa præsenti deriuari.

Vt dicatur reuocata.

Sed reuocationis aut fundamentum nullum aut illud Constitutione Vrbani *disiectum.*

Lezana.

Et in Hispania praxis contraria extat.

Ioannes Sancius.

191. Respondet præterea ad constitutionem Vrbani illum Pontificem personaliter Cardinali de Sandoual Episcopo Gienensi, quædam priuilegia aduersus Regulares conformiter ad Decreta Tridentini (vt in Bulla asseritur) concessisse, quæ extendit ad Episcopum Gienensem: vt cernere est etiam in dicta Bulla, & patet ex ijs terminis in ea positis, videlicet *Tui, & Tibi, Hac vice.* Factum autem contra vnum, non lædit ius alterius. Accedit quòd habet clausulam iuris communis reuocatoriam: Sic habet ille. in quo minùs aptè dictum priuilegia Cardinali de Sandoual concessa personaliter, ad eumdem Gienensem Episcopum extendisse, quod stare aliquo modo posset, si diceretur extensa fuisse ad eumdem iam Toletanum Archiepiscopum: quod tamen neque stare potest, quia promotio ad Sedem dictam post an-

De Breui Vrb. VIII. *pro* Cardin. de Sandoual *Episcopo Gienensi, ex quo Responsio ad* Vrb *Constitutionem.*

Inepta locutio citati Auctoris.

nos aliquot contigit, vt ex Data constat, *Annî* scilicet 1629. die 30. *Ianuarij*. & responsio quidem dicta placuit etiam Lezanæ. *Consulto citato n.74.* quæ quidem absolutè videtur admittenda, ne aliàs Regulares nimium quantùm grauatos velimus, cùm in eodem Breui sic habeatur: *Quòd si Regulares, siue in Confessionibus audiendis, siue in prædicando aduersus ea, quæ superiùs declarauimus, quoquomodo deliquerint, in vim earumdem præinsertarum Litterarum, ab Episcopo Gienensi coërceri & puniri possint, etiam Censuris Ecclesiasticis, &c.* de quo plenius in Litteris præinsertis. In eo autem admittendum quod dicitur, ibi: *A præsenti Episcopo Successore pro maiori conscientia suæ quiete possint iterùm examinari, ac si minùs idonei reperti fuerint, reprobari, ad præscriptum Constitutionis b. m.* Pij V. *prædecessoris nostri hac de re editæ* &c. Ex quo videtur non obscurè haberi dictam Constitutionem Pij V. suum robur habere quoad ius Episcopale circa Regularium examen, seruatis conditionibus iam dictis, aliàs ineptè allegaretur, quidquid circa alia dicatur infirmatum.

Admittitur personalem fuisse confessionem.

Sicut circa examen à Successore Episcopo.

192. Ait tandem citatus Auctor vnius Episcopi approbationem sufficere pro Diœcesibus aliorum Episcoporum, id quod probabiliter se asserere protestatur, & poterat id profectò omittere, cùm sit compertum aliter ab ipso asseri non potuisse, cùm oppositum firmissima habeat fundamenta, vt vidimus; & non parùm se obtinuisse gloriari poterit, si assertioni suæ probabilitatis sit gradum consecutus. Probat autem *Primò*, quia Episcopus non præbet iurisdictionem Regulari, quem approbat, sed à Papa illa confertur: ergo semel absolutè data & accepta perpetuò manet. Nec apparet ratio cur ad hunc potiùs Episcopatum, quàm ad alium concessa sit, cùm non maior idoneitas in vno quàm in alio reperiatur. Et quod ad iurisdictionem attinet, probat ex professo *Propositione* 4. Sed cùm ibidem præsentationem omninò necessariam esse dicat, ita vt sine illa nec licitè, nec validè possint Confessiones audiri, nihil ex adducto fundamento concluditur, quia licet præsentatio mera conditio sit, non ideò habetur vnicam sufficere, quia pro quolibet Episcopatu potest illa esse necessaria, sicut in rebus physicis accidit, in quibus ea, quæ vt conditiones requiruntur, iuxta operationum diuersitatem multiplicantur. Quòd autem ratio satis conueniens sit, vt pro diuersitate Episcopatuum præsentationes multiplicentur, ex dictis constat, vnde adductum corruit fundamentum.

Positionem suam, quàm vt probabilem proponit, probat.

Primò, quia Episcopus non confert iurisdictionem Regularibus.

Nihil ex eo haberi ostenditur, cùm præsentatio ad valorem necessaria cognoscatur.

193. Vrget *Secundò* ex concessione Clementis VII. & instat ex alia Eugenij IV. de quibus *n.* 178. *&* 179. vbi quàm sit hoc debile argumentum ostendimus. *Tertiò.* Quia hoc non est contra Tridentinum, quod approbationem tantùm exigit, non illius pluralitatem: sic autem instrui ratio potest: Quoniam si Episcopi in Concilio congregati voluissent pluribus approbationibus subijcere Regulares, illud sine dubio expressis terminis pronuntiassent, cùm de iure ipsorum ageretur: quod cùm non fecerint, aduersus eos est interpretatio facienda, iuxta Regulam Iuris in 6. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, est interpretatio facienda.* Item Tridentinum non requirit absolutè approbationem Episcopi; sed vt quis sit Parochus, *aut aliàs idoneus iudicetur*: vnde sicut multi graues Scriptores affirmant approbationem Parochi aut vniuersitatis sufficere, quidni etiam vnius Episcopi approbatio seu admissio pro omnibus Diœcesibus? Nec adijcias illud verbum *Iudicetur* ad Episcopi iudicium referendum, cùm multi ad iudicium referant aliorum, ac proinde sit res dubia: quæ cùm sit in Iuris antiqui odium, iuxta illud interpretanda est, & ex consequenti in fauorem Regularis, cùm illud in fauorem ipsius conditum sit, vt sic iudicium in hoc feratur iuxta *Regulam* 30. Iuris citati, videlicet *In obscuris minimum est sequendum*: id est, quod in obscuris & dubijs, vt exponit Glossa, quæ ad hoc duo exempla proponit, minima obligatio est sequenda: cùm autem magis obliget Regularem quòd ipsius idoneitas debeat ab omnibus Episcopis iudicari, ideò minor obligatio ad illam iudicandam est pro illa sequenda, ac proinde quòd sufficiat vnius Episcopi iudicium.

2. nihil noui.

3. quia non est contra Trident. in quo id non expressum, & aliàs locus sit expositioni fauorabili.

Regula Iuris in 6.

194. Sed totus hic discursus corruit, si dicamus id, quod in Concilio non ita expressum, à subsecutis fuisse Pontificibus declaratum, vt ex dictis apparet. Fit autem ille ex eo suspectus & infirmus, quia aliqua in eo assumuntur, à Doctoribus communiter reprobata, videlicet quòd Parochus approbare possit, de quo *Parte 2. Sect. 10.* & vt hoc esset tolerabile, illud certè non ita, de quo est quæstio, posse scilicet approbatum à Parocho in omnibus Diœcesibus Confessiones audire. Quod etiam de approbatione vniuersitatis dicitur, si aliquando admitti potuit, iam est antiquatum, quod etiam P. Suarez improbabile iudicauit *Tomo* 4. *in 3. p. Disput.* 28. *Sect.* 4. *n.*3. Quod autem de verbo *Iudicetur* dicebatur, iam est à nobis *superiùs* improbatum ex ipsius Decreti tenore, ex quo id videtur manifestè haberi, nisi nodum in scirpo quærere satagamus. *Aut ab Episcopo per examen, si illis videbitur, aut aliàs idoneus iudicetur.* Certè si sensus dictus, de quo illi, qui citato Auctori non displicent, à Concilio fuisset intentus, non aliàs, sed *Alijs* erat reponendum. Doctrina etiam illa de minima obligatione in dubijs, licet in rebus alijs sit recepta & plausibilis, in ea, de qua agimus, periculosa esse potest: agitur enim de Sacramento Pœnitentiæ, in quo certa est necessaria iurisdictio, aut certè talis, quæ & Confessarium & pœnitentem possit securos in administratione & receptione reddere, & præterea graues occasiones contentionum & iurgiorum inter Episcopos & Regulares non sit nata suscitare. Videatur Constitutio Vrbani VIII. de qua *n.*181. Vbi circa approbationem solummodò Episcoporum meminit, quasi de re certissima, & illam esse omninò necessariam firmissimè statuit, vt non liceat iam verba illa, *(* si fortè licere aliquando potuit *)* in alium sensum auocare. Si in memoriam insuper reuocemus id, quod à nobis dictum *n.* 152, de damnata Propositione circa licitum vsum priuilegiorum, quæ sunt expressè per Concilium Tridentinum reuocata, per quam Auctoris, cum quo est habita disceptatio, videtur animositas refrænata. Quamquàm non videatur prohibitum probabiliter opinari, vbi expressè non constat priuilegia reuocata. Vellem autem circa hæc magna cum moderatione procedi. Neque aliter accipienda quæ in *Thesauro Indico* dixi

Discursus elidatur, ex abusu, quibus nequeat verosimiliter refragari.

P. Suarez.

Circa verbum Iudicetur.

Tenor Decreti Tridentini.

Regula de minimo eligendo periculosè in negotio præsenti, & similibus applicatur.

Prædicta sententia vt damnata ab Alex. VIII.

Tomo 2. Tit. 12. n. 344. Vbi quod non penitus improbabile dictum est, ad Indias spectat, pro quibus peculiaria priuilegia, quæ etiam iuxta nouiores Pontificum dispositiones regulanda. Pro quibus & sit.

Quid circa Indos.

SECTIO IX.

Circa reuocationem Priuilegiorum, præsertim Indicorum, notanda doctrina.

Priuilegia Regularium non esse dicenda talia, ideoque quæ asserit P. Bruno.

195. P. Bruno Chassaing *Tract. 1. Cap. 4. Propos. 1.* Sic statuit. *Priuilegia Regularium specialiter quoad prædicationes, Confessiones, & approbationes, & alia huiusmodi, non sunt iam simpliciter priuilegia, sed iura quæsita.* Circa quod dubitari nequit per priuilegia Apostolica ius Regularibus acquiri, quod & quæsitum meritò dici potest: quæ vox nihil videtur significare aliud, quàm id, quod de acquisito iure dicitur, vt scilicet ius quæsitum idem quod ius acquisitum sit, quod præsertim habetur quando illud est perpetuum. Quòd autem ob prædictam rationem, priuilegia non sint priuilegia dicenda, assertio est contra communem omnium acceptionem, & vsum Conciliorum, Pontificum, atque Doctorum. Et totus Titulus 33. de Priuilegijs, qui habetur *Lib. 5. Decretalium Tit. 7. Lib. 5. in 6. Tit. idem eodem Libro Clementinarum. Et Extrauag. lib. 5.* id præsertim ostendit; ex quibus iuuat Cap. *Quia intentionis 29.* specialiùs expendisse, in quo sic loquitur Honorius Tertius: *Cùm innouatio nec ius nouum conferat, nec etiam tollat vetus: te in eo statu esse volumus, in quo tempore impetratæ innouationis dignoscerù extitisse. Ceterùm nullum per hoc intendimus iuri aliàs eidem Monasterio competenti præiudicium generare.* Sic ille. Vbi apparet per priuilegium ius acquiri, & etiam illud priuilegij propriam rationem habere: ideo enim Decretalis dicta in præfato est titulo constituta. Pro quo & *Cap. Ex parte*, Ibidem.

Ideò non audiendum videntur.

Cap. Quia intentionis. Tit. 33. citato

Ex adducto præcepto deducit ea non reuocari, quamsi de ipsi mentio expressa haberetur.

196. Sed quia hoc ad loquendi modum spectare videtur, tolerabile fortè fuerit; non id tamen quod ex eo deducitur, videlicet censendum non esse Pontificem suis Litteris & Bullis velle priuare Regulares suo illo iure quæsito, etiam si clausulam reuocatoriam priuilegiorum Regularium adhibeat. *Cap. Si is cui.* de Præbendis *in 6.* pro quo & adducit Rodericium, Mandosium, & Bursatum, atque alios suppressis nominibus. Immò si apponat clausulam specificè & in indiuiduo derogatoriam, non debet existimari Papam velle huiusmodi derogari priuilegijs, quod apertè Vrbanus VIII. declarauit, dum regulam seruandam dedit de non tollendo iure quæsito per clausulam derogatoriam, etiam per Bullam, quæ fundata est in Cap. *Quod verò dicitur 25. q. 2. Cap. Peruenit 11. q. 1.* Cap. *Licet, de Officio Ordinarij.* Et *Cap. Dilecti, de verbor. significat.* In quibus dicitur quòd numquàm per sua scripta intendit Papa iuri alterius derogare. Vnde rescripta dicta interpretanda sunt iuxta Canonistas, etiam cum improprietate verborum, licet sine motu proprio edita, & agatur tantùm de modico præiudicio. Quocirca quotiescumque exeunt Litteræ Apostolicæ dictorum priuilegiorum absque iusta caussa priuatiuæ, vel reuocatoriæ, æstimari debent subreptitiæ, & pro non emanatis cum reuerentia haberi.

Assertum dictum, & similia, priuilegiatu præiudicialia.

197. Sic philosophatur ille, propter quæ, & similia alia apud nonnullos occurrentia, vereri possumus, ne priuilegiorum caussa apud Pontifices cum sic philosophantibus in præiudicium etiam innocentium, neque illud leue, reddatur; idque accidat quod Alexander Tertius in Cap. *Dilecti* citato minatus his verbis: *Pro certò sciatis quòd Nos concessa vobis priuilegia decurtabimus, cùm Ecclesia Romana scriptis authenticis obuiare minimè timeatis.* Et Innocentius Tertius in *Cap. Vt priuilegia* præmonitum etiam voluit ita scribens: *Vt priuilegia, quæ quibusdam Religiosis Romana concessit Ecclesia permaneant in concussa, quædam in eis duximus declaranda, ne minùs sanè intellecta pertrahantur ad abusum, propter quem possint meritò reuocari: quia priuilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate.* Sic ille. Propter quam rationem graues & prudentes scriptores circa hoc magna cum moderatione procedunt, quod *(* vt de alijs taceam *)* in Societatis nostræ Auctoribus est videre, vt generaliter verum & exploratum sit, quo grauiores & celebriores, eo etiam moderatiores existere rem profectò subtiliùs & profundiùs penetrantes, atque Apostolicæ Sedi eam, quæ par est, reuerentiam verbis & sensibus exhibentes. Cùm ergo Pontifex rerum istarum dominus priuilegia reuocauerit, dici conuenienter poterit: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est. Sit nomen Domini benedictum.* Et sperandum sanè spiritum sanctum, quo totum corpus Ecclesiæ sanctificatur & regitur, ita res disposituram, vt Religionibus, quæ in eodem corpore membra sunt adeò notabilia, nihil eorum sit de futurum, quæ ad conseruationem suam expedierit, & ita ad fructuosa obsequia, quibus Dei causssam & ipsius Ecclesiæ exaltationem possint promouere.

Cap. Dilecti.

Quia Sedi Apostolicæ odiosa.

Cap. Vt priuilegia.

Inde Auctoribus grauibus, & Societatis scriptoribus circa ista moderatio, & in reuocationibus tolerantia.

Iob. 1. v. 21.

198. Iam quod de iure quæsito non reuocabili dicitur, etiam si de priuilegio specialis & indiuidua mentio fiat, non aliud esse videtur, quàm velle Pontificum manus hac in parte ligare, & vt priuilegia velint nolint in concussa conseruent. Et quidem à Pontificibus ipsis quid ad reuocationem sufficiat iam est sufficienter stabilitum, & vbi mentio priuilegij inducitur, nihil vltra requirendum, nisi circa hoc peculiarissimum aliquid concessum habeatur, quod & comperta Pontificum voluntate, non debet reuocationi quoad eius plenum effectum obstare, quia prædecessores non potuerunt successorum potestatem coarctare. Sic in Cap. *Dudum* citato Titulo priuilegium impetratum circa decimas priuilegiato alteri eas possidenti non præiudicat, dum de illo non facit mentionem. *A parte altera de decimis Noualium non soluendis, non debere per eas (*Indulgentias Apostolicas *)* non facientes de hoc aliquam mentionem, præiudicium generari.* Quæ sunt verba Gregorij IX. ex quibus constat mentione priuilegij facta, nihil præterea ad eius reuocationem desiderari. Pro quo & Glossa adducit Cap. *Veniens*, de Præscript. Sic enim & ibi: *Non obstante priuilegio Clementis Papæ, per quod priuilegijs suorum Prædecessorum extitit derogatum, cùm de illis nullam fecerit mentionem.* Quod & communis amplectitur

Contra dispositionem Canonici Iuris illud esse communiter.

Cap. Dudum.

Priuilegium reuocatur, cuius fit mentio.

Cap. Veniens.

plectitur Doctorum assensus. Quod ergo de non tollendo iure quæsito dicitur in Regula Cancellariæ ab Vrbano disposita, cuius & ipse mentionem facit in Bulla reuocatoria Oraculorum, iuxta Iuris dispositionem intelligendum, quod ille numquam voluit abrogatum : & ita facta priuilegij mentione, per quod ius fuerat acquisitum, debet proculdubio reuocatum reputari : vnde citati illi Textus nihil præter dicta concludunt.

Additamentum impraticabilis ex defectu causæ iustæ in Bullu.

199. Et quidem additamentum positioni præfatæ apponitur, per quod impracticabilis redditur, dum dicitur ita debere fieri, cùm Bullæ Pontificiæ, seu Litteræ Apostolicæ exeunt sine iusta causa priuatiuæ seu reuocatoriæ priuilegiorum : tunc enim subreptitiæ, & pro non emanatis cum reuerentia debent haberi. Quis enim de causa iusta iudex, nisi Pontifex ipse reuocationis ipsius auctor esse possit ? Vnde iniusta nequit sine ingenti temeritate iudicari. Quando præsertim de tollendo eo agitur, quod gratiosè fuerat impetratum : & respondere Pontifex, id quod aliàs Christus, potest : *Amice, non facio tibi iniuriam. Aut non licet mihi quod volo facere ?* Matth. 20. v. 13. & 15. Equidem si modus iste dicendi admittitur, magna grauissimis inconuenientibus aperitur porta, dum in Decretis Pontificijs esse iudex quisque potest, & ita ea pro libitu non admittere aut repudiare. Neque allegari potest priuilegia esse remuneratoria : licet enim talia non soleant Pontifices ita facilè reuocare ; si tamen de eorum voluntate constet, eisdem est irrefragabiliter obsequendum, quia & illa reuocare possunt, vt videri potest apud Dianam *Parte 1. Tract. 2. R. 6. & Parte 7. Tract. 1. Resolut. 8.* & vt demus non posse aliqua dicti generis, ea certè quæ ad Religiosos pertinent, talia non sunt, quia non fundantur in aliquo pacto, aut iustitiæ obligationem inducunt, licet propter merita concessa sint, obligatione quadam œconomica, vti à supremo Religionum Prælato. Sicut enim Generalis & Prouincialis subditis propter operam in Religionis vtilitatem egregiè nauatam possunt exemptiones aliquas concedere, easque causa iusta occurrente suspendere, ita & Pontifex, quia Religiosus status exemptiones tales ex se non vendicat ; & vt aliquæ dicantur necessariæ, non tamen illæ, quæ fortè concessæ sunt, vnde reuocari possunt. Et sic videmus in Religionibus peculiarem obseruantiam profitentibus, cùm noui creantur Prælati, eos exemptiones ab alijs concessas suspendere, & de manifestatis eisdem eas solùm, quæ sibi benè visæ fuerint, approbare, exclusis alijs, & nouas pro rerum opportunitate largiri. Similiter ergo est de Pontifice supremo Religionum Prælato pronuntiandum.

Priuilegia remuneratoria idem habent. Diana.

Matth. 20 v. 13. & 15.

Recursum ad Regia tribunalia licitum affirmat in talibus.

200. Sed est etiam apud citatum Scriptorem quod non est hoc loco dissimulationi litandum ; ait enim quòd si in vi dictarum Bullarum, aut Apostolicarum Litterarum, ab Ordinarijs, aut alio quouis modo grauentur Religiosi, & appellationi ad Papam non deferant, aut credant non delaturos, possunt licitè ad Regem, aut supremum eius Senatum recurrere, quatenus grauamen auferat, donec Pontifex sententiam ferat : vt tenet doctissimus Franciscus Salgadus cum alijs, quos allegat *Tractatu de Regia protectione 1. p. Cap. 1. per totum.* Et Ioannes del Castillo *in Tractatu de hac materia Cap. 41. à n. 161.* & hunc recursum in hac materia sustinere coguntur, qui sententiæ de retentione Bullarum Apostolicarum per Reges & supremos Principes legitimè fieri solita, subscripserunt. Et confirmatur, quia non est credibile Pontificem velle facere aliquid, quod non deceat, & sit peccatum : faceret autem Pontifex, quod non decet, & peccaret, si priuilegia, non dico tantùm quæ iura sunt quæsita, sed etiam alia, quæ non sunt talia, sine ratione reuocaret. Iuxta Cap. *Deut. quod priuilegium debeat esse stabile*, de regulis *iuris in 6.* & Iuris peritos, vt habetur *in Floribus legum*, asserente priuilegia perpetua firmitate constare debere, cùm non deceat Principem sine causa mutare voluntatem. Sic Archangelus Romanus *Lib. 2. de priuilegijs* citans Bonacinam *in Tractatu de Priuilegijs* citantem Suarium & alios.

Castillus.

& peccatum Pontificem sine causa reuocantem. Cap. Deut.

201. Sic inquam habet ille, doctrinam, vt dixi, impracticabilem tradens, quia id supponit, cuius cognitio, ad solum potest Pontificem pertinere : an scilicet causa iusta sit reuocationis priuilegiorum, vel non sit. Vnde reuocatione, de qua legitimè constet, stante, meritò possunt Ordinarij se interponere, & appellationem repellere, quia in eo casu non est locus appellationi, quæ tantùm est à sententia inferioris iudicis ad superiorem : in hoc autem casu sententia non est inferioris iudicis, sed Pontificis reuocatorium iudicium proferentis, quo supposito Ordinarij iustè & legaliter exequuntur, & ita non est locus appellationi ; nisi fortè fundamentum subesset non leue subreptionis aut obreptionis. Si ergo ad Regia tribunalia confugiatur, nihil allegari potest, secluso casu dicto, nisi defectus iustæ causæ in Pontifice ad reuocationem, cuius laici senatores futuri sunt iudices : quòd quàm sit absurdum quis non videat Christianis rudimentis institutus ? Neque id, quod de retentione Bullarum dicitur, instituto præsenti deseruit, quia id fit vt Pontifici inconuenientia repræsententur, quæ ex earum possunt executione timeri, non ex eo quòd iustam causam defuisse Pontifici prætendatur : sic enim non iam supplicatio esset, sed firmum iudicium : vnde quidquid Pontifex vellet, nullo modo executioni, etiam post manifestam illius pro executione voluntatem, mandari posset, sed Pontificem quod non decet, facere, immò & peccare, laicum tribunal inclamaret.

Quod de retentione Bullarum dicitur, non infragatur.

202. Id autem quod de perpetuitate priuilegiorum dicitur, sic immaturè acceptum, nimium quantùm probat : fieret enim ex eo Principes malè facere, & verò etiam Pontifices cùm priuilegia concedunt limitatione temporis adiecta ; quod constat quàm sit absurdum, vt ex concessione Bullæ Cruciatæ liquet, & priuilegijs Indicis. Est ergo legitimus Regulæ præfatæ sensus, quem Ioannes Andreas exhibet verbis hisce : *& nota quòd hoc verbum Decet, quod ponitur in hac Regula, quantùm ad ipsos subditos necessitatem importat, & quantùm ad ipsum Principem, potestatem : ipsum enim priuilegium per se concessum diminuere, vel moderari, & etiam per totum tollere potest. Primum probatur suprà eodem lib. de Decimis 2. & de statu Regularium. Cap. vnico. De priuilegijs*

Ex perpetuitate priuilegiorum incertè arguitur.

Regula sensus. Ioannes Andreas.

uilegijs Cap. 1. & Cap. Ne aliqui. Et Cap. Sequenti. Secundum probatur supra eod. lib. de Electione. Quia sæpè. De immunitate Ecclesiæ. Clericis. De sent. excom. Cap. vlt. in fin. Ad hos. 63. dist. Cap. verum. C. de legibus. l. Digna vox. Sic ille : iuxta quem, & eos, quos adducit, Textus, subditi non debent priuilegijs à Principe concessis contraire, quæ tamen Princeps ipse aut moderari, aut tollere penitus potest. Ex citatis autem Capitibus primum illud de priuilegijs sic habet : *Volentes libertatem, quam nonnullis Apostolica Sedes priuilegio exemptionis indulsit, sic integram obseruari, vt & illam alij non infringant, & ipsi eius limites non excedant* &c. In Cap. autem *sequenti* sic Clemens IV. *Vt Apostolica Sedis benignitas, quæ nonnullis Abbatibus &c. prouideat ne scandala Oriantur : sic tamen quòd ipsi priuilegiati suorum priuilegiorum non frustrentur effectu* &c. Hoc est ergo quod decet, priuilegia inquam Apostolica suo effectu non fraudari, & ita Regulam obseruari sic statuentem *Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum.* Videatur Glossa sensus proponens alios, & satis commodos ; nullus autem occurret positioni præfatæ consentaneus.

Cap. 1. de priuilegijs.

Cap. sequens.

Regula iuris.

Semper saluæ Pontificis potestas, licet valeat à multo per ipsum concessis commutari.

203. Sit ergo constans & firmum iuxta Regulam dictam Principis beneficium decere vt sit mansurum, quamdiu voluntas eius mansurum esse disponit, cui nemo se debet opponere, quia id stare nequit sine maiestatis eius offensione : salua semper eiusdem pro moderatione aut reuocatione omnimoda, potestate, qua semper vsi Pontifices, vt videri potest in Canonibus citatis, ex quibus grauissimus ille, qui extat *Cap. Clericis*, de Immunit. Ecclesiast. in quo sic Bonifacius VIII. *Non obstantibus quibuscumque priuilegijs, sub quibuscumque tenoribus, firmis, seu modis, aut verborum conceptione, concessis Imperatoribus, Regibus, & alijs supradictis, quæ contra præmissa in nullo volumus alicui, vel aliquibus suffragari.* Sic ibi. Nec aliud sibi volunt Bonacina & P. Suarius citati ab illo, ex quibus hic pro certa in hac parte doctrina loquens *Lib. 8. de legibus Cap. 37. n. 7. & 10.* de priuilegijs, quæ consistunt in facultate vel licentia operandi aliquid præter commune ius aut contra illud, ait posse illa à concedente reuocari omnino licitè, & sine causa, saltim cogente, aut necessitatem inducente, pro quo sic subdit post allegatos Auctores ; *& in hoc sensu probant assertionem consuetudo, & omnia iura allegata in dictis Glossis. Ratio verò est, quia hoc priuilegium non transit in dominium subditi, & ita semper pendent ex voluntate Principis : per illam ergo possunt reuocari.* Et nonnullis interiectis sic prosequitur : *Dices, si priuilegium hoc fuit legitimè datum, contra rationem videri illud reuocare sine causa : ergo non potest absolutè dici posse reuocari sine causa. Respondeo. Dupliciter intelligi valet illud, Posse ; primo vt reuocatio valida sit ; & hoc est præcipuè intentum, & conuincitur rationibus factis : & quia talis reuocatio non continet iniuriam, saltim contra commutatiuam iustitiam. Secundò potest intelligi vt etiam licitè fiat, & sic quidem necessaria est aliqua honesta causa vt reuocatio decenter fiat, quia non decet Principem reuocare priuilegium à se concessum nulla noua insurgente causa : argumento Cap. Decet de regulis iuris in 6. & significatur in Cap. suggestum, de Decimis. Vnde si Princeps sic faciat, actus non est vndique honestus, quia indecenter operari aliqua culpa esse videtur, saltem venialis &c. Et si quælibet ratio honesta intercedat & intendatur, nullum erit peccatum.* Sic ille, de ijs sanè priuilegijs locutus, quæ Religiosis conceduntur, & in facultatibus ac licentijs præter ius commune, aut etiam contra illud, consistunt. Cùm ergo & reuocationem validam absque causa esse affirmet, & vt iusta sit, quamlibet honestam rationem sufficientem esse determinet, quis nisi temerè asserere audeat reuocationem futuram nullam : pro qua assertione nulla alia intercedit ratio, nisi illa de iure quæsito, cùm hoc ipsum ius sine peccato vllo possit auferri, qualibet honesta ratione sibi à reuocante proposita ? Quomodo enim credibile sit Pontificem magno semper cum consilio procedentem, in reuocatione huiusmodi, quæ non leuis momenti res est, aliqua honesta ratione non ductum, quod de viro priuato ac prudente, notæque probitatis, esset temerarium suspicari ? Præstat ergo in talibus humiliter obsequi, & Deo, ac eius Ecclesiæ, iuxta modum ab eadem Ecclesia dispositum, fiducia in illo collocata, seruire, qui faciet cum reuocatione prouentum, vt labores Religioni cuique congeneos possint earum alumni sustinere. Et ego quidem pro ea quam Societas nostra erga Sedem Apostolicam peculiarem obedientiam profitetur, doctrinas huic instituto conformes, quamuis oppositæ probabiles appareant, libenter amplector : quantò id potiùs cùm contra illas agitur, quæ communiter non benè audiunt, solido carentes fundamento, ac solummodò sunt de nouitate, intrepidantia, ac laxitate plausibiles?

Cap. Clericis.

Etiam sine causa reuocari aliqua possunt. P. Suarez.

& Religiosa concessa ex illu esse.

Quo animo reuocationes accipiendæ.

SECTIO X.

Vtrùm in Indijs possint Religiosi virtute suorum priuilegiorum absoluere à casibus extra ius commune Episcopis reseruatis, non obstante declaratione nupera SS. Dom. Alexandri VII.

Qui affirmant.

204. POsse quidem, & potiori id ratione, ea conuincunt, quæ Auctores adducunt vt probent id generaliter licere, quibus accedunt Bruno Chassaing *Tomo 1. de Priuilegijs Regularium Cap. 2. Propos. 2.* & Antonius à Spiritu Sancto *in Directorio Regularium Tract. 2. Disp. 3. n. 26. & seqq.* In contrarium tamen videtur stare Decretum 1. SS. D. Alexandri VII. circa damnabiles Propositiones, ex quibus quæ ordine 12. sic se habet : *Mendicantes possunt absoluere à casibus Episcopis reseruatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.* Quæ quidem cum alijs vti ad minimùm scandalosa damnatur & prohibetur. Vbi licet Mendicantes tantùm exprimantur, non ideò existimandum est plus aliquid non Mendicantibus licere : sed ideò expressi, quia eorum maiora sunt priuilegia, vt constat ex Bullis multorum Pontificum, & præsertim Pij V. & apud Lezanam *Tomo 3.* vbi magis in speciali illa proponit & explicat. Est autem singularis Constitutio Pij V. quæ incipit, *& si Mendicantium.* Et Extrauagans. *Inter cunctas* Benedicti XI. de priuilegijs.

In contrarium stat Propositio damnata 12.

Neque ad solos arctanda Mendicantes, quorum maiora priuilegia.

Dixi

Dixi autem potiori ratione conuincere, quia notissimum est priuilegia pro Indijs ampliora extare, vt est à Nobis ostensum in *Thesauro Indico toto Titulo* 12.

Pro Indijs eadem videtur ratio.

205. Videtur autem idem de Indijs ac de regionibus alijs asserendum, quia Pontifex illas non excludit, & pro illis eadem quæ pro alijs videtur ratio militare, ne scilicet Episcoporum reseruatio penitus elidatur, & nullius momenti sit quando ita in promptu habetur absolutionis facultas. Quòd autem generales Pontificum Decisiones Indias comprehendant, videtur certum, quia satis ampla & insignis Ecclesiæ portio sunt, & cùm pro illis non adsit peculiaris gubernationis modus, nisi in paucis quibusdam, ad illas debet quod generaliter est pro tota Ecclesia decretum, extendi. Hinc probant docti scriptores id quod à Gregorio XV. & Vrbano VIII. est statutum circa viuæ vocis Oracula, ad Indias etiam extendi debere, ob generalitatem locutionis, vt videri potest apud P. Quintanadueñas *Tomo 2. Tract.6. Singulari 10.& seqq.* vbi de reuocatis Indicis priuilegijs in particulari agit ex vi reuocationis Oraculorum. Pro quo & stat Cap. *si Romanorum*, dict.19. & l.de pretio ff.de aleator.ex.quibus habetur generalem legis dispositionem omnia sub genere contenta comprehendere. Et receptissimum axioma, *vbi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.* Nihilominus

Quintanad.

Assertio 1. affirmans pro vtrâque India. Et probatur ex concessione casuum Bullæ Cœnæ.

206. Dico Primò. Regulares communicationis priuilegium habentes possunt absoluere in vtraque India à peccatis Episcopis reseruatis. Id probo: Quia possunt absoluere à reseruatis in Bulla Cœnæ (hæresi excepta) propter quam in Bullis aliorum Pontificum, de quibus statim, ponitur limitatio, vbi fideles cum infidelibus degunt &c.) ex priuilegio Pauli Tertij Societati concesso, quod habetur in *Compendio Indico §. 1.* & de quo latè actum in *Thesauro citato Titulo* 12. *n.* 300. *& seqq.* quod priuilegium non est abrogatum, estque perpetuum: quod & ex concessione temporaria habetur Innocentij X. nunc temporis decurrente, cui alia de more Successorum in Apostolica Sede succedet. Ergo & à reseruatis Episcopis absoluere possunt. Consequentia est legitima, quia is qui potest quod plus est, potest & id quod est minus in eodem genere, vbi non inuenitur expressa prohibitio, quod in præsenti contingit. Et concessio quidem citata id non leuiter indicat, dum in ea sic ait Pontifex: *Eos & eorum quemlibet, ab omnibus & singulis eorum peccatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini reseruatis, & à consequentibus censuris, & pœnis absoluere.* Particula enim *etiam*, vt aliàs dictum, secundum receptissimum Doctorum intellectum, est implicatiua, & casum magis dubitabilem includit cum alijs maioris difficultatis. Vnde per Bullam Cruciatæ simile priuilegium continentem circa casus Cœnæ, absolutio à casibus Episcopalibus omninò licet ex eodem fundamento, sicut etiam in Iubileis Anni sancti, & similibus, vbi reseruatio Episcopalis non exprimitur, vt scilicet non obstet, sicut exprimitur reseruatio Pontificia: quia stante priuilegio circa istam, non est opus circa aliam exprimi, nam supponitur. Quod & circa casus in Religione reseruatos pariter currit, qui non habentur expressi, & tamen absolui ab eis Religiosi possunt, ex adducta ratione. Quòd si stante potestate absoluendi circa aliqua reseruata, vt nonnulli Doctores censent, nequeunt tamen à reseruatis illam habentes in Religione absolui; id quidem ex speciali dispositione Religionum quarumdam accidit, faciliorum erga prius, erga posterius autem suo iure gaudere volentium, ob iustas dispositionis huiusmodi rationes. Quòd si Vrbanus VIII. dictam absolutionem prohibuit, ideò fuit, quia & absolutionem à casibus Bullæ Cœnæ etiam prohibuit, vt patet ex eius Decreto, quod adducit Diana *Parte 9. Tract.6. Resolut.51.* & multi ab eo adducti circa citationem & adductionem.

Concessio Innocentij X.

Per Bullam Cruciatæ & Iubileum ex eodem fundamento id licet ex quo arguitur.

Si alicubi aliter accidat, ex speciali id dispositione descendit.

207. Et quidem ante Decretum Vrbani ex ampla facultate circa casus reseruatos Pontifici, licet exclusis in Bulla Cœnæ contentis, grauissimi Scriptores tenuerunt, posse à casibus Episcopis reseruatis absolui, ex quibus P. Suarius *Tomo 4.de Religione Tract.10. Lib.9.Cap.2.n.13.& seqq.* alios adducens, arguensque ex prædicta ratione, quæ semper vrgeret, si nouæ non extitissent prohibitiones; ex quo firmari assertio nostra potest, quia priuilegium pro Indijs est multò amplius; cùm comprehendat casus Bullæ Cœnæ, qui nunquam concessi cum Episcopalium exceptione; & cùm illos absolutè complectatur, nulla extat huc vsque limitatio, quia præcedens Vrbani sub alijs terminis procedit, scilicet non stante concessione casuum Bullæ Cœnæ. Damnatio autem SS. Alexandri nihil amplius concernit quàm quod ad Vrbani Decretum spectat illud inconcussum volentis, contra eorum audaciam, qui suis interpretationibus illud omnino inutile reddebant. Nullus autem ex illis de Indijs locutus, quia neque Vrbanus illarum meminit, vnde neque ad illas damnatio præfata protenditur. Benè verum est quòd illi generaliter loquentes, Indias fuerint sua assertione complexi, in quibus ratio potior ob ampliorem concessionem, de qua dictum: sed cùm eo stat Indiarum peculiarem non factam mentionem, vt stet etiam damnationem dictam nihil speciale circa Indias continere.

Ante Decretum Vrbani id licebat, ob similem rationem.

P. Suarez.

Ex quo validum infertur argumentum.

208. His accedit in casu præsenti non habere locum rationem damnationis à Pontifice adductam in exordio sui Decreti, dum non sine magno animi sui mœrore se audisse testatur *complures opinione Christianæ disciplinæ relaxatiuas, & animarum perniciem inferentes.* Quòd enim Regulares in Indijs à casibus Episcopis reseruatis absoluant, nihil tale importat, cùm neque importet absolutio à delictis quantumuis enormibus, ijs præsertim, quæ in Bulla Cœnæ continentur. In his namque remotissimis regionibus rigorem reseruationis vrgere, in animarum potiùs perniciem vergeret, & consequenter in Christianæ disciplinæ relaxationem. Et verò in illis diutissimè Sedes Episcopales vacant, vnde ad Episcopos recursus cessat, qui ad Capitula non est expeditus, sicut neque ad Vicarios Generales; vnde procul dubio meliùs causa conscientiarum agitur, cùm Religiosis, & magis promptis, & expertis, ad quos licet fiducialis accessus.

Ratio damnationis in Indijs non extat.

Decretum Alex.VII.

209. Dico Secundò. Si casus Episcopales annexam habeant excommunicationem, aut censuram aliam, ad illas se dicta facultas extendit pro foro interiori. Id planum stante Assertionis præfatæ

Assertio 2. affirmans etiam sic sum habeant Censuras annexas.

veritate. Sed cauendum omnino ne ex absolutione controuersiæ cum Episcopis magnis obnoxiæ incommodis oriantur. Et quidem cùm sigillum Confessionis seruari debeat, si Confessario obijciatur abusus in absoluendo, potest absolutè se absoluisse negare, iuxta eum modum, qui apud Auctores habetur de sigillo agentibus. Et licet absolutus vrgeat, & se absolutum clamitet, negationi hærendum, quia clamor talis non est expressa licentia manifestandi excepta in Confessione: Quòd si instet & dicat velle se vt omne id, quòd est inter eos actum manifestet; poterit quidem affirmare ita esse vt pœnitens attestatur, & tunc sui facti reddere rationem. Sed poterit etiam tunc tacere, & instantias repellere dicens, vbi de Confessione agitur, iniuriam esse interrogationem. Neque hîc formidandum, vbi coràm eo agitur, qui iudex non est, & fauere debet maximè Sacramento, vtpotè in supremo sacerdotij gradu constitutus.

Confessarius se gerere debeat, si de absolutione arguatur, & qualis licentia pœnitentis sufficiat.

210. Ad rationem in contrarium adductam respondeti ex iam dictis potest generalem dispositionem omnia comprehendere sub genere contenta: in casu autem nostro non continenetur sub genere nisi id, de quo agitur, iuxta subiectam materiam, quæ quidem Indias non attingit, pro quibus est specialiter prouisum, iuxta id, quod etiam in Iure habetur, vt scilicet generalis dispositio eam patiatur limitationem. *Cap.si propter de rescriptis in 6. l. Si vnico. D. Locatis Cap. Inter dilectos*, de fide instrument. Vbi Glossæ & Doctores. Quòd autem ex eo elidi & frustrari reseruatio videatur, non est vrgens ad negandum fundamentum, quia ratione Bullæ Cruciatæ licet talis absolutio, vt diximus, quæ in Indijs publicatur, nec conqueri Episcopi possunt, quia id ad maius Ecclesiæ bonum conducit cùm in eo publica vertatur vtilitas. Et in Cruciata quidem facultas amplior, quandoquidem omnes etiam sæculares Sacerdotes illam habent, si sint ab Ordinarijs approbati. Deseruit ergo reseruatio, tum pro sæcularibus Sacerdotibus beneficio Bullæ Cruciatæ non valentibus vti, quia illa carent pœnitentes: tum ad ostendendam delictorum quorumdam grauitatem. Et quidem reseruatio in Religionibus tot Pontificum declarationibus & Doctorum laxamentis, ad eum est statum redacta, vt parùm vtilis videatur. Et tamen retinenda illa ob qualemcumque fructum, licet renitente subdito, eius, sit obstinato animo cedendum, ne in damnationis discrimen adducatur: quod & in Ordinationibus est cernere Societatis, quæ quidem & prudentissimæ sunt, & eximiam redolent charitatem, qualem Sedes Apostolica ad huius Sacramenti, cùm talia occurrunt, administrationem exposcit.

Soluta ratio in contrarium iuxta suos principia.

Non reddi frustraneam reseruationem, exemplo Cruciatæ, & casuum reseruatorum in Religionibus.

Quid circa renitentem faciendum.

SECTIO XI.

Vtrùm Regularis audire Confessiones possit, cui Ordinarius approbationem sine iusta caussa denegauit. Ad dicta in Thesauro Indico Tit. 12. Cap. 11.

Sententia affirmans.

211. Affirmant plures, quos adducit & sequitur P. Antonius à Spiritu sancto in *Directorio Regularium Disp.6. n.3.* & magis ex professo Bruno Chassaing de *Priuilegijs Regularium Tract.5. Cap.2.Propos.t.2.* Quorum præcipuum fundamentum desumitur ex *Clement. Dudum*, de sepulturis, ibi. *Quòd si denegent, vel intra triduum non concedant, ex tum ijdem Fratres nihilominùs auctoritate eâdem huiusmodi officium exequantur.* Vbi de PP. Prædicatoribus & Franciscanis est sermo quorum priuilegijs quoad contenta in dicta Clementina Mendicantes alios gaudere, communissima sententia est. Et ad Carmelitas atque Augustinianos extenta in Extrauag. *Frequentes*, de iudicijs. Ad Regulares autem generaliter quoad præfatum articulum in Concilio Lateranensi 5. sub Leone X. Quæ quidem concessiones non sunt per Concilium Tridentinum reuocatæ aut abrogatæ *Sessione* 23. *Cap.* 15. vbi approbationem Ordinarij respectu Regularium vt omnino necessariam inducit, quia stare illæ cum tali Decreto possunt; vt scilicet generaliter necessaria sit, secus in casu particulari, de quo specialiter prouisum, iuxta dicta *n.præced.* Accedit approbationem esse debitam ex iustitia, vnde in eius negatione intercedit iniuria quæ à Pontificia Sede nequit approbari, & contra illam operando compensatur. Quibus non obstantibus.

Ant. à Sp.S. Primo Probatur ex Clement. Dudum omnibus Religiosis communi.

In Concil. Tridentin. non reuocata.

Et quia approbatio ex iustitia debita.

Assertio 1. Vix esse probabilem peculiari omni prohibitione sublata. Et probatur.

211. Dico Primò. Sententia dicta secluſa quacumque peculiari prohibitione vix est probabilis, quam è Societate grauissimi Scriptores acriter impugnarunt, Suarius, Vasquius, Coninckius, Cardinalis Lugo, & alij apud Dianam *Parte* 11. *Tract.2.Resolut.*11. Vbi ex citato Cardinali benè ostendit, quàm sit sententia dicta fundamento destituta, & quoad praxim inutilis, ob conditiones in Clementina requisitas, quas si obseruare Regulares velint, maioribus se difficultatibus implicabunt; cùm sit illis facilius tempori se accommodare, & humilitate consequi, quod iuris allegatione non possunt. Sed quia hoc ad probabilitatem non spectat, illius defectus ex reuocatione Clementinæ, concessionumque aliarum desumendus in citato Concilij Tridentini Decreto, contra Ecclesiæ praxim, & sensum Fidelium, vt benè ostendit Cardinalis Lugo *Disput.21. de Pœnitentia n.51.* Approbatio enim pro Regularibus omnino requiritur, & qui ea negata Confessiones exciperet, verissimè diceretur id facere sine approbatione Ordinarij. Et quidem si priuilegia illa ius commune sunt, iam vim legis habent, & lege noua reuocatur antiqua, etiam de illa non facta mentione ex *Cap.* 1. *de Constitut. in 6.* Quòd verò Concilium Tridentinum, cum priuilegijs possit dicto modo componi, ineptè

Cardinalis Lugo.

Cap 1. de Constitut.

ineptè dicitur, quia ſtante reuocatione priuilegiorum, in eo certè reuocatio admitti debet, in quo ſi deficeret, Decretum notabiliter fruſtraretur: quod quidem in caſu præſenti manifeſtè contingeret; ſic enim multitudo Confeſſariorum introduceretur, etiam indignorum, dum quiuis ſe idoneum duceret, & ea ſequerentur incommoda, quæ ſtuduit Concilium euitare.

Aſſertio 2. Proſcriptam, eſſe, & ita tam penitus reijciendam. Propoſitio damnata.

212. Dico Secundò. Iam non licet vllo modo dictam ſententiam amplecti, quia à SS. Dom. Alexandro in numero eſt damnatarum Propoſitionum collocata, & eſt *numero* 13. tenoris ſequentis: *ſatisfacit præcepto annuæ Confeſſionis, qui confitetur Regulari Epiſcopo præſentato, ſed ab eo iniuſtè reprobato.* Quòd enim non ſatisfaciat, ex eo prouenit: quòd iniuſtè non approbatus, aut reprobatus, verè approbatus non ſit: ſi enim approbatus eſſet, aut ſine approbatione excipere Confeſſiones poſſet, nulla erat ratio, propter quam deberet dici præcepto Confeſſionis non ſatisfeciſſe. Vbi ſupponitur ex parte pœnitentis bonam fidem extitiſſe; ſi enim mala, manifeſtum erat non ſatis fieri præcepto, vti non ſatisfacit, qui ſimplici Sacerdoti iuriſdictione penitus carenti confitetur, aut ordinariam circa ipſum vel delegatam non habenti iuriſdictionem, qualem exigit *Cap. Omnis vtriuſque ſexus.* Et vt SS. Dom. Alexander in eiſdem Propoſitionibus declarat, *Qui facit Confeſſionem voluntariè nullam.* Sic enim in 14. relictis quæſtionibus illis de errore communi, & titulo colorato, vt ſi talis ab Ordinario reprobatus eligeretur à Parocho exiſtimante illum approbatum, aut putante non obſtare illi reprobationem, ſi fortè & ipſe Parochus Regularis ſit, aut alius damnatam complexus opinionem: circa quod probabiles ſententiæ apud Auctores occurrunt, iuxta quas in caſu præſenti poterit qui eos conſuluerit, inoffenſè procedere; ſi illud animaduertamus non ſufficere errorē communē circa Religioſum exiſtimatum idoneum, quia frequenter videtur Confeſſiones audire, vt debeant cenſeri validæ Confeſſiones, iuxta opinionem minùs receptam aliquorum, qui errorem communem ſine titulo ſufficientem affirmant: debet enim error verſari circa habentem officium publicum, ex *l. Barbarius D. de Officio Prætoris.* Eſſe autem Confeſſarium præcisè per delegationem; non eſt habere officium, ſed miniſterium, & ideò nuper Vicarium Parochi dixi, non nudum Sacerdotem, aut ſimplum Confeſſarium, quamquàm illud non ſit adeò certum, vt eſſet ſi Epiſcopi auctoritas accederet, qui exiſtimaret illum ab alio Epiſcopo approbatum, aut Prælatus Regularis ad id haberet facultatem, quod in Indijs ita ſolet practicari.

Etiam ſtante bona fide pœnitentis.

Aſſertio item damnata.

Quid de errore communi vbi quod non ſufficiat ſimpliciter Sacerdotem haberi communiter approbatum.

P. Barbarius.

213. Poteſt autem contra hoc opponi recepta ſententia de opinione probabili tribuente iuriſdictionem, ſicut error communis tribuit, pro quo Auctores congerit Angelus Boſſius *Tomo 1. nu.* 384. Iuxta quam licet Confeſſarius communiter habitus legitimus non habeat iuriſdictionem ratione communis erroris, illam habet ratione probabilis opinionis, etiam ſi minùs probabilis ſit, & quamuis iuxta dicta in *priore Aſſertione*, opinio, de qua agimus, vix probabilis fuerit, à multis tamen eſt probabilis reputata, & cùm ita accidit, licet poſteà detegatur eius falſitas, id non obſtat quo minùs acta iuxta illam in priori illius ſtatu ſint legitima. Sicut euenit in caſu *l. Barbarius*, cuius inhabilitas ad officium Prætoris ob ſeruilem conditionem, poſteà detecta eſt: & ita arguunt docti Scriptores, vt videri apud citatum poteſt, vt illam probent, ſupponentes errorem detegi poſſe, ſicut & falſitatem opinionis, pro quo *nu. citato n.* 390. contra Ioannem Sancium, qui *Diſp. 44. nu. 10.* negat opinioni, quod concedit errori, quia hîc vinci non poteſt, qui autem habet probabilem opinionem, poteſt illa relicta tutam & certam viam amplecti. Quod diſcrimen ex eo refellunt, quia opinio probabilis continet communem errorem, & non minora inconuenientia & ſcandala poſſunt ſequi, ſi geſta ex opinione probabili, in re falſa, eſſent irrita, quàm ſi forent irrita geſta à Prælato ſeu Superiore tantùm putatiuo, qui communi errore legitimus exiſtimetur, ex quo arguit dictus Sancius: & cùm vtrobique eadem militet ratio neceſſitatis, vtilitatis publicæ, & euitatio ſcandalorum, ne Eccleſia deficiat in bono regimine, oportuit vt quando eſt ſolus error, id eſt, non ortus ex opinione probabili, ſed ex ſola populi exiſtimatione proueniens, ſuppleat defectum vbi illa poteſt conferendo iuriſdictionem. Hinc eſt vt habentes opinionem probabilem quòd Sacerdos ſit legitimus Confeſſarius, aut miniſter Matrimonij, ei licitè confiteantur, & coràm eo Matrimonium ineant, & de facto contingere poteſt, & ſæpiſſimè euenit, vt tali confiteantur, & eum Matrimonio adhibeant: quare ſi huiuſmodi Confeſſiones & Matrimonia non valerent, ſi vera non eſſet opinio, & poſteà falſitas detegeretur, orirentur plurima incommoda & inconuenientia ſpiritualia & corporalia, propter neceſſitatem reiterandi Confeſſiones, & ob Matrimonij nullitatem &c. Iuxta quæ in caſu noſtro videtur ſimiliter dicendum, non obſtante falſitate opinionis poſteà detecta per SS. Alexandri declarationem.

Ioannes Sancius.

Contra quod proponitur difficultas non leuis de opinione tribuente iuriſdictionem, etiam ſi minùs probabilis ſit.

214. Quæ obiectio non eſt profectò leuis, pro cuius enodatione videtur dicendum non ſemper Eccleſiam iuriſdictionis defectum ſupplere, cùm videtur agi iuxta opinionem reputatam probabilem, ſi reuera improbabilis ſit, & leuia habeat fundamenta, & multò magis, ſi grauiore nota digna ſit, licet plures habeat defenſores. Quod quidem valde eſt rationi conforme, & quod experientia conſtat, dum Sedes Apoſtolica multoties declarat nullitatem Confeſſionum, quæ iuxta opiniones probabiles reputatas, & quæ non paucis, nec contemnendis placuerant Auctoribus, ſunt exceptæ, abſolutionis forma ſubſecuta. Vt quæ factæ in abſentia Confeſſarij, de quibus Clemens VIII. & virtute Bullæ Cruciatæ à Regularibus, de quibus idem Pontifex, & etiam Vrbanus VIII. de quo ex profeſſo in Theſauro *Tomo 1. Tit. 5. num.* 328. *& ſeqq.* Similiter factæ virtute communicationis priuilegiorum, de quibus Vrbanus idem in citata *ſuperiùs* Bulla, *Cùm ſicut accepimus*: ſententiam enim talem temerariam vocat, vnde Confeſſionibus iuxta illam factis nulla potuit ineſſe virtus ab Apoſtolicæ Sedis auctoritate ſupplente defectum, & ita iterandæ illæ,

Enodatur ex eo quòd Eccleſia non ſuppleat defectum, quando opinio eſt improbabilis, licet ſuos habeat defenſores.

Pro eo exempla.

illæ, licet iuxta probabilia fundamenta, talia illis viſa, eorum proceſſerint auditores. In quibus & alijs caſibus nequit argui ex inconuenientibus, quæ ex nullitate dictorum Confeſſionum oriri poſſunt, quia maiora reputantur à Sede Apoſtolica inconuenientia illa, quæ ex validatione Confeſſionum talium ſequerentur: eſſet enim magnam illis auctoritatem præbere, cum grauiſſima iniuria veritatis, cuius integritati debet ſemper Eccleſiæ vigilantia & zelus attentiſſimus militare. Cùm ergo ſententia, de qua agimus, talis fuerit, vt tandem ſit ab Eccleſia proſcripta, quis credat eam quoad valorem in praxi fuiſſe approbatam? Quod quidem non accidit quando ex errore communi proceditur, quia tunc nulla opinioni tali confertur auctoritas, ſed Confeſſarius talis vt ſimplex ſacerdos habetur, qui iuriſdictionem haberet, etiam ſi opinionum omnium abiecto reſpectu ad Confeſſiones ſe malitioſiſſimè audiendas ingeſſiſſet. Stet ergo non ſolùm deinceps audiendas Confeſſiones à reprobatis ab Epiſcopis fore nullas, & ad impletionem præcepti minimè ſufficientes, ſed etiam fuiſſe, quia tales pronuntiantur à Pontifice, pro eo tempore, quo ab Auctoribus damnatæ ſententiæ ſunt vti validæ pronuntiatæ; vnde illis ab Eccleſia non potuit valor ſufficiens accreſcere, ne illa ſibi contraria videatur. Et quoad Indias idem ſanè dicendum, in quibus etiam approbatio requiritur Ordinarij, iuxta formam à Pontificibus conſtitutam. In quibus maior circa hoc cura adhibenda eſt, quia excitatæ turbæ, maiori cum præiudicio conſtant, ob eam, de qua agitur, Neophytorum in Chriſtianis moribus promotionem, & maiorem à remediorum fonte diſtantiam, ac communi ædificationi inimicabiles ſemper ſimultates.

In errore communi ſecus accidit.

SECTIO XII.

Vtrùm in Indijs diſpenſare Regulares poſſint in ea inhabilitate, quam contrahunt recipientes Simoniacè Beneficia.

Duæ circa quæſtionem ſententiæ oppoſitæ.

215. GEneralis eſſe quæſtio poteſt, ſed pro Indijs ſpecialiter agitanda, quia in illis maior eſt labis iſtius occaſio, & quia maiora etiam ſunt pro illis priuilegia conceſſa. Et generalibus quidem priuilegijs attentis affirmatiuè reſpondent Vrbanus & Crouſers,

Fr. Anton. à Spiritu S.

quos adducit P. Antonius à Spiritu Sancto in *Directorio Regularium Tract. 2. Diſput. 3. n. 77.* qui tamen *n. ſeq.* contrarium tenet cum Abbate, Trullenck, Portel, & PP. Suario, & Palao, ex eo fundamento quia impoſſibile eſt poſſe talem diſpenſationem concedi à Regularibus, & ſimul non eſſe virtualem Beneficij collationem: Atqui Regulares neque directè, neque indirectè poſſunt conferre Beneficium, vt poſſunt Epiſcopi: ergo nullo modo poſſunt in tali inhabilitate diſpenſare, licet aliàs Epiſcopi in illa diſpenſare poſſint quando eſt occulta, vt tenent P. Suarez, P. Henriquez, & P. Leſſius, adducti à P. Palao *Tomo 3. Diſput. 3. de Simonia. Puncto. vlt. n. 4.* & Sayrus, quem refert & ſequitur Trullenck *in Cruciatam*

Negatiua fundamentum.

P. Suarez. P. Henriq. P. Leſſius. P. Palaus.

Lib. 1. §. 2. n. 15. & alij. Licet aliàs quoad occulta pares ſint Epiſcopis Regulares, ratione ſuorum priuilegiorum, de quo *n. 74. & 75.* & præſertim *n. 65. & ſeqq.* Quod etiam tenet Bruno Chaſſaing *de priuilegijs Regularium Tract. 5. Cap. 4. Propoſit. 2.* vbi de caſu præſenti, in terminis proprijs agit, & procedit iuxta idem fundamentum, de quo in præcedentibus. Idem videtur tenere P. Gibalinus Libro ſingulari de Irregularitatibus &c. *Cap. 6. Quæſt. 5.* vbi priuilegijs adductis nullam pœnam excludit ex occultis, niſi homicidium.

Sayrus. Truſſench. Bruno.

P. Gibalin.

Aſſertio 1. Affirmantem eſſe probabilem & practicabilē.

216. Dico Primò. Sententia prior eſt probabilis, & videtur in praxi, ſi grauis vrgeat ratio, minimè reijcienda. *Primò*, quia nomine pœnæ venire illam eſt prorſus innegabile, cùm reuera pœna ſit; id quod de irregularitate ex delicto orta valde probat P. Gibalinus *citata Quæſt. 5.* & etiam *Cap. 1. Quæſt. 2.* Vnde ſi genus quoddam irregularitatis Simoniam eſſe dicamus, quod voluerunt aliqui apud citatum *Cap. 5. Quæſt. 3. Dub. 3.* & apud Dianam *Parte 1. Tract. 11. Reſolut. 113.* ex ea parte id amplius roboratur: quamuis reuera id certius habeat inhabilitas illa, ſi irregularitas non ſit, quia vix eſt aliud quod in ea poſſit conſiderari, niſi quædam iuſtiſſima Eccleſiæ vindicta in eum directa, qui abominando ad Sacrorum adminiſtrationem eſt vſus ingreſſu. *Secundò*, quia fundamentum, quod adducitur, non videtur vrgere: neque enim ſequitur ex diſpenſatione dicta diſpenſantem Beneficium conferre, ſicut diſpenſans in Ordinibus non eos virtualiter confert, & Prælatos Regulares diſpenſare in Interſtitijs communiſſima ſententia eſt, licet quidam velint id ad Epiſcopos, ſuppoſitis etiam priuilegijs, pertinere, nec tamen propterea conferre ordines etiam virtualiter dicuntur: & diſpenſantes ijdem in Matrimonij impedimentis, vt ſcilicet illud contrahi poſſit, non ideò contrahentes virtualiter dicuntur coniungere, cùm ad Parochos tantùm ea ſpectet coniunctio, iuxta receptum contrahendi ritum. Diſpenſatio ergo id tantùm habet, vt tollat impedimentum, & in noſtro caſu inhabilitatem, vt ea ſublata liceat ad Beneficium ingreſſus, ſicut ſublatis cenſuris, pro quibus ampla eſt Regularibus facultas, licet ingreſſus idem quantùm ad vſum; omnem enim cenſuram rationem impedimenti habere benè oſtendit P. Gibalinus citata Quæſt. 3. & ex ſe perſpicuum videtur.

2. quia fundamentum ejpoſitum non vrgit.

Probatur 1. quia eſt pœna.

Aſſertio 2. Ex priuilegijs Indicis maiorem facultatem haberi, quā per Cruciatam.

217. Dico Secundò. Ex priuilegijs Societatis pro Indijs maior circa inhabilitatem prædictam habetur facultas, quàm per Bullam Cruciatam habeatur. *Id* conſtat, quia ex conceſſione Pauli Tertij, & Gregorij XIII. non ſolùm habetur pro peccatis omnibus & cenſuris, etiam in Bulla Cœnæ contentis, ſic etiam pro pœnis conſequentibus, vt patet ex Compendio Indico *verb. Abſolutio. §. 1.* Quod quidem in Bulla habebatur olim, ſed eſt iam ſublatum: & prætereà limitata Commiſſarijs poteſtas circa Simoniam. Ex quo manifeſta apparet differentia, quia iuxta dicta, inhabilitas ex Simonia, pœna eſt, immò & pura pœna. Videtur autem ſublata clauſula dicta, ne inde argumentum deſumeretur ad diſpenſandum in irregularitatibus, quæ pœnales ſunt, & in quibuſdam alijs inhabilitatibus, quæ iuxta mentem Sedis Apoſtolicæ non videntur eſſe, & Commiſſario prohibentur.

Irregularitates pœnales veniunt nomine censuræ, vnde per Bullam dispensabiles, iuxta probabilem dicendi modum.

218. Potest autem cogitari modus dicendi non penitus inuerosimilis, vt dicatur virtute Bullæ dispensabilis inhabilitas, de qua est sermo, etiam si in illa non extat iam clausula dicta, *& pœnis Ecclesiasticis*. Nam, vt affirmat Salonius 2. 2. *q.* 64. *art.*8. etiam si talis clausula desit, irregularitates pœnales veniunt nomine Censurarum, quod & tenent multi apud P. Gibalinum *citata Quæst.* 2. *n.*1. Vnde Pius IV. in Bulla à se concessa post tres expressas Censuras, sic addit: *Y de todas las Cenсuras, y penas Ecclesiasticas*. Nec potest, reperiri præter tres iam notas, & ab ipso expressas, aliqua alia Censura nisi irregularitas: vnde negari nequit irregularitates dictas esse Censuras. Licet ergo prædicta Clausula non adatur, debet intelligi concessa facultas ab illis absoluendi: quia cùm sit fauorabile valde priuilegium Regibus de Catholica Ecclesiâ adeò benemeritis concessum, latè interpretandum est; & ita dicendum, concesso eo, quod plus est, id quod est minus in eodem genere debere etiam concessum reputari. Est autem excommunicatio Sedi Apostolicæ reseruata summum quid in genere Censuræ; & suspensio etiam cum eadem reseruatione, quæ potest esse perpetua: vel sub nomine suspensionis venire, quia reuera irregularitas, quæ pœna est, impedimentum inducit in administratione sacrorum, vnde in Iure aliquando irregularitas suspensionis nomine designatur, vt videri potest apud P. Gibalinum *citata Quæst.* 2. *n.*2. Iam quòd inhabilitas ex Simonia contracta sit Censura, ex dictis habetur, iuxta probabilem sententiam, quæ licet non ita plures habere videatur Auctores, ipsi tamen non parùm auctoritatis in Bullæ concessione conciliant, dum Commissario facultatem absoluendi aut dispensandi in irregularitate ex Simonia contracta denegant, quod & Commissarius exprimit, in quo multi graues ac docti Theologi ac Iurisperiti proculdubio concurrerunt: *& super alia illis qualibet irregularitate, præterquàm homicidij voluntarij, aut Simoniæ, vel Apostasiæ à fide*. Quæ sunt verba Pontificis. Et quia ex illis videtur id, quod præmisimus, infirmari, addendum restat, id quod Commissario negatur, ad forum externum pertinere; quod non tollit quin in foro conscientiæ à Confessario electo absolutio dari queat. Sicut multi dicunt de Inquisitoribus, qui solùm circa forum externum iurisdictionem possunt exercere. Et ita tenent Auctores, quos adducit & sequitur Diana *citato Tract.*11. *Resolut.*111. Hinc est, vt cùm multi Doctores affirment apud eumdem ibidem *Resolut.*25. absolutionem à Censuris debere intra Confessionem fieri, id quod valde indicat Bulla: nullus tamen circa hoc Commissarij meminit, quia non est necessarium vt sit ille Sacerdos; quod neque contrariam sententiam amplexi aliter quoad præsentem articulum arbitrantur. In quo dicendi modo, cùm verosimilis appareat, erunt fortasse qui sine scrupulo conquiescant, & est ille in Cruciatæ fauorem, quem tamen ego non penitus probo, sed neque reprobo, iudicium circa illum prouocans doctiorum.

Bulla Cruciatæ Pij 4.

Irregularitas nomine suspensionis designata.

P. Gibalin.

Facultas Commissarij Cruciatæ.

Diana.

Quid circa modum dicendi præfatum concludatur.

Contra 1. *assertionem Abiectio, exceptio.*

219. Contra priorem Assertionem argui potest ex eo quòd Simoniacus non acquirit ius in re, neque ad rem respectu Beneficij, vt constat *ex Extrauag.* 2. *de Simonia*, & Constitut. 5. Pij V. ac communi omnium consensu, vt videri potest apud P. Suarium *Tomo* 1. *de Religione Lib.*4. *Cap.* 57. *n.*22. Cùm ergo ius non acquirat, non videtur quomodo per absolutionem aut dispensationem à Regulari, virtute suorum priuilegiorum obtenta, verum titulum comparare possit, quia Regularis ipse eum conferre nequit, vt patet, quia non habet ius collationis, aut Institutionis Canonicæ: neque Episcopus, quia cùm ille Beneficium conferre intendit, actum facit nullum, & postea nihil circa Benefiarium efficit, cùm nullitatem, absolutionem, vel dispensationem ignoret: ergo absolutio & dispensatio locum habere nequeunt. Ad quam obiectionem, quæ non leuis sanè est, responderi potest, quod ad Regularem attinet, ab ipso non conferri verum Beneficij titulum, & sic neque ius in re, nec ad rem, nisi æstimatiuè loquendo; sic enim qui facto suo præstat vt aliquis rem quampiam obtineat ab alio conferendam, censetur & ipse contulisse: vt qui à Rege vel Prorege precibus obtinet vt accipiam officium, seu Magistratum largiatur, vel qui agit vt ab Episcopo similiter Beneficium pro amico aut cognato consequatur. Habetur ergo Beneficium dictum ab Episcopo, cuius Collatio reparatur ex Pontificia gratia, perquam habetur vt sit illa sufficiens, & etiam ex voluntate illius, qui dum Collationem præstitit, id omne, agere voluit vt illa esset sufficiens, quoties impedimentum pro illa nequaquam extitisset. Quod declarari potest ex Matrimonio coràm Parocho cum impedimento dirimente celebrato, occulto tamen: quo impedimento cessante validari potest sine assistentia Parochi, quia assistentia præterita sufficiens iudicatur, vt multi tenent scriptores, estque receptissima sententia, quia sic videtur finis à Concilio intentus obtineri; ne scilicet detur locus coniugijs Claudestinis: istud enim tale dici nequit, cum in foro externo possit comprobari. Quòd si hoc non placeat, dici potest Beneficium à Pontifice conferri Ordinarij defectum supplente, eo ipso quòd gratiam absolutionis Regulari dilargitus est, nec sit officium Episcopi requirendum.

quod Simoniacus nullum acquirat ius circa Beneficium.

Fit illis satis commoda explicatione.

Congruenter explicatur ex Matrimonij validatione desumpta.

220. Potest autem existimare aliquis officium Episcopi in casu dicto implorari posse, si videlicet absolutionem quis à Regulari obtineat, qua inhabilitas aboleatur, & pro collatione recursus sit ad Episcopum, quod potest quidem secretò peragi, Confessarij ipsius interuentu. In quo quidem repugnantia non apparet, & eo modo securius videtur in negotio isto adeò graui procedi. Et quidem Episcopis Indiarum facultas ad huiusmodi dispensationem conferri solet cum temporarijs aliis, & est *numero.*5. sic habens: *Absoluendi & dispensandi in quacumq; Simonia, & in Reali dimissis beneficijs, & super fructibus malè perceptis, iniuncta aliqua eleemosyna, vel pœnitentia salutari, arbitrio dispensantis; vel etiam retentis Beneficijs, si fuerint Parochialia, & non sint qui Parochijs præfici possint.* In casibus ergo, in quibus fieri aliquid huiusmodi oporteat, ad Episcopum potest, tacito Simoniaci nomine, recursus haberi, qui & Parochum sustinere valet ijs in partibus, vbi generaliter Parochorum penuria haberetur. Sed verò res est periculo obnoxia fruſtrandæ dispensationis:

Episcopus vt queat etiam in casu præsenti concurrere.

Facultas pro Episcopis Indiarum circa illud.

Cautio pro vt habenda, consideratione digna.

nis: si enim Episcopus collationem impertiri recusset, manebit Beneficio exclusus dispensatus, neque iam Confessarius circa collationem se interponere poterit, quia id eius officij non est, sublata inhabilitate, ad quod se priuilegiorum virtus extendit. Vt ergo fruſtrationi non maneat obnoxia dispensatio, absolutè conferenda est, vt scilicet Beneficium sine recursu alio ad Episcopum teneatur: qui tamen recursus non vt omnino necessarius, sed ad maiorem securitatem visus fuerit requirendus. Vt si pro absolutione à Simonia tamquàm à censura requiratur absolutio ob securitatem maiorem, cùm tamen graues Scriptores minimè necessariam arbitrantur, vt *superiùs* vidimus.

SECTIO XIII.

*An si Regij patrimonij maiores ministri, recognoscentes libros Mercatorum, aut aliter, deprehendant fraudatas esse gabellas, possint summam redactam tuta conscientia Regio fisco applicare, aut earum conductoribus restituere debeant. Ad dicta in Thesauro. Tit.*5.

Pasqualig. cum distinctione respondet.

221. DIfficultatem hanc enodandam proponit P. Pasqualigus *Decisione* 410. & cum distinctione respondet: Nam vel est lex concedens Gabellarijs quòd teneantur Mercatores ipsis exhibere libros emptionum & venditionum ad liquidandas gabellas, vt est in Hispania *l.*25. *tit.*9. *lib.*16. *Recopilat.* aut non est talis lex. Si dicatur primum, tunc summa recuperata ad Principem pertinet, sed tenetur restituere Gabellarijs, quia prædicta lex dat ius Gabellarijs etiam ad illud recuperandum, quod in solutione gabellarum defraudatur: & proinde supponitur cadere sub venditionem aut locationem; cùm non possit dari facultas ad ea recuperanda, quæ iam sunt facta de proprio iure: vnde cùm sit de iure ipsorum, debet ipsis restitui. Si autem dicatur secundum, tunc Princeps potest retinere: quia cùm conductores aut emptores gabellarum sciant committi fraudes varias in soluendis gabellis, illas minoris emunt, aut conducunt; & computando quidquid potest fraudari, illud detrahunt redditui, qui ex gabella percipi potest. Vnde fraudes videntur factæ in damnum Principis, non autem in damnum Gabellarij, vt notant Syluester, Petrus Nauarra, P. Molina, P. Lessius, P. Turrianus, Bonacina, à S. Fausto, Molfesius, Vega, Malderus, & Diana, quos adducit.

Ioannes de Heuia *fauet conductori.*

222. Ioannes de Heuia *in Curia Philippica Tomo* 2. *lib.*1. *Cap.*15. *n.*7. generaliter locutus sic habet: *In locatione Regalium reddituum veniunt & comprehenduntur pœnæ eorum, qui eos defraudant, licet non exprimatur; dummodò contrarium non habeatur expressum, juxta Bertachinum & Azeuedum, & sunt conductoris à tempore commissi, quamuis postea feratur sententia.* Sic ille, pro vltima sen-

Bertachin. de Gabel 2. *p.n.*36. Azeuedus *in l.*2.

tentiæ suæ parte allegans in margine Franciscum Lucanum *de priuilegijs Fisci in* 4. *quæsito Quæstionis* 48. & Ioannem de Amicis *Consilio.* 120. *n.* 25.

n. 11. *Tit.*11. *lib* 9. *Recopilat.*

223. Dico Primò. Si Mercatores teneantur ostendere libros, & hæc diligentia anticipetur ex parte Principis, cùm reuera esset à conductoribus adhibenda, summa adinuenta, in qua defraudatio extitit, ad conductorem spectat, & ita eidem restituenda. Ratio videtur aperta; quia adhibita diligentia conductor summam talem deprehendisset, & sui fuisset iuris: quòd autem eam non adhibuerit, ipsi nocere non debet, quia in mora non fuit: & vt aliqua esset mora, non ideò ipsi imputandum, qui de re sua potuit vt voluit disponere, eam commodiori tempori reseruando.

Assertio 1.

224. Dico Secundò. Siue obligatio ostendendi libros sit, siue non, dum tamen ostensio talis non sit in vsu, defraudata summa ad Principem spectare potest sine obligatione restitutionis, nisi aliter fuerit in pactum expressè deductum. Probatur, quia conductor ex eo quòd Principi talis applicatur summa, nihil minùs habet, quàm esset cessante pro Principe diligentia officialium habiturus; quandoquidem ipse aditurus libros non erat; & præterea Princeps suo iure vtitur, atque ita obligatio restitutionis penitus cessat.

Assertio 2. *Principis fauorabilis.*

Dices Conductores eo ipso quòd libros Mercatorum non excutiunt, eisdem id quod defraudare possunt, remittere, & ita non esse locum Principis explorationi, cùm reuera conductores id facere possent, quia de re sua disponunt, nullo cum Principis detrimento. Sed hoc non vrget, quia conductores inuiti id præstant, vt molestias huiusmodi vitent, cùm videatur certum eos libentissimè habituros, si possent, id quod fraudationibus subtrahitur. Si vrgeas eo quòd inuiti sint, iniuriam pati, & ita restitutione facta compensandam; contra hoc est *Primò*, quòd etiam si aliquomodo admittatur iniuria, non tamen eam tenetur Princeps propulsare, dum eius non imploratur officium, quia conductores scientes huiusmodi defraudationes futuras, cum Principe aut eius ministris pacisceuntur, & vt Doctores adducti *superiùs* aduertunt, ea de caussa minori pretio fit contractus locationis & conductionis. Cùm ergo defraudatio detegitur, & Princeps summam subtractam repetit, iure suo vtitur, & ita nulla restitutionis resultat obligatio. *Secundò* ex ratione nuper adducta, ea non reputatur iniuria, quia vectigalis obligatio à soluturis illud non reputatur adeò grauis, vt se in foro conscientiæ ad illam adscriptos arbitrentur: quod quidem & conductores etiam communiter censent. Quod quidem non tollit, quo minùs Princeps, vt diximus, iure suo vti possit, qui sibi iniuriam fieri probabiliter existimat, cùm lex violatur prudenti lata consilio, & ius ratione eiusdem ipsi competens: in quo, vt Doctores multi tradunt, potest dari bellum ex vtrâque parte iustum, sicut quando illud inter Principes geritur, quorum quilibet pro sui iuris defensione probabiles habet rationes: quod licet non admittant omnes, plurium tamen & grauium scriptorum iudicio comprobatur.

Euasioni occurritur cum notanda doctrina.

225. Dico Tertiò. Communiter loquendo

Assertio 3. Fauorabiles etiam absoluit.

non est obligatio in Principe restituendi summam defraudatam, si non sit in pacto ita constitutum. Hæc Assertio supponit discrimen illud de obligatione ostendendi libros, aut illius negationem, non esse attendendam, vt illam nō attendunt Doctores. qui de ipsa penitus tacuerunt, citati inquā à præfato Scriptore, Sylvester scilicet *V. Gabella* 1. *Quæs.* 9. Petrus Nauarra *lib.* 3. *de Restitut. Cap.* 1. *n.* 247. P. Molina *Disput.* 674. P. Lessius *lib.* 2. *de Iust. & Iure Cap.* 33. *Dub.* 10. *initio* P. Luysius Turrianus *Tomo* 2. *in* 2. 2. *Disput.* 46. *Dubit.* 3. *nu.* 2. Bonacina *Tomo* 2. *Disput.* 2. *de Contractibus Quæst.* 9. *Puncto* 1. *n.* 12. Bartholomæus à S. Fausto *in speculo Confessariorum Disput.* 33. *Quæst.* 37. Vega 1. *p. Summæ Cap.* 15. *Casu* 10. Molfesius *Tomo* 2. *Summæ Tract.* 12. *Cap.* 22. *n.* 142. & 143. Malderus 2. 2. *Tract.* 5. *Cap.* 9. *Dub.* 16. Diana *Parte* 2. *Tract.* 16. *Resolut.* 14. *in fine*. Qui Doctores quæstionem propositam non agitant, sed diuersam aliam: An scilicet Principis creditor qui alia via non potest debitum recuperare, possit tuta conscientia compensatione vti defraudando vectigal, quod Princeps cum obligatione soluendæ certæ quantitatis pecuniæ locauit? & affirmatiuè respondent. Restabat autem ostendere quòd affirmatio circa hoc sit etiam formalis aut saltim æquialens affimatio circa illud, de quo est præsens quæstio. Et quidem non videtur esse, quia stante potestate compensationis dici potest stare obligationem restitutionis; quia non fit compensatio ab eo, cui fit restitutio, sed valde per accidens se habet quòd Princeps restituat, aut non restituat conductori, vt creditor Principis se compenset vectigalis subtractione, sicut è conuerso dici potest Principem non teneri restituere, & creditorem eius non posse vti compensatione, quia in hoc attenditur damnificatio conductoris. Ex eo autem videtur Auctor prædictum fundamentum ex citatis Scriptoribus desumpsisse, quia illi, vt vidimus, minori pretio vectigalium exigendorum ius emunt, quàm reuera illud valeat, & propterea non videntur damnum ex defraudatione pati, quia eo non obstante lucrum habent proportionatum. Sed neque hoc fundamentum conuincit intentum, vt ex tali affirmatione assertio proposita deducatur tamquam certa iuxta mentem prædictorum. Nam etiam si minori pretio non emissent, sed maiore, & omnino proportionato, dici posset Principem non teneri ad restitutionem, ob rationem à nobis *superiùs* propositam, scilicet ex eo quòd Princeps summam defraudatam sibi vendicet, cùm illam non esset conductor habiturus, nihil hunc minùs habere, & Principem suo iure vti. Non ergo bene ex prædicto fundamento Auctores dicti vt manifesti patroni dictæ assertionis inducuntur.

Auctores pro illa, qui librorum non meminerunt

Licet illi reuera de alia agant quæstione, ex cuius decisione non ea sequitur, quam Auctor eos adducens amplectitur, nanisse.

Cur librorum non habenda ratio.

226. Prætereà quod ad discrimen dictum ex obligatione ostendendi libros, aut subtrahendi, attinet, ex eo ostenditur nihil obstare, quia in suis libris scribere quisque vt vult potest, & in hoc ipso esse fraudes, dum aut merces non integrè scribuntur, aut eorum pretium minuitur, vel ita confusè scripta sunt, vt ijs stari nequeat. Ex quo habetur vt in similibus casibus, in quibus fraudis suspicio subest, res in iuramentum taliter suspecti differatur, iuxta *l. Summ.* 22. *D. de pecul.* vbi Bartholus Bouadilla in *Politica Lib.* 5. *Cap.* 4. *nu.* 71. Escobar *de Patrocinijs Cap.* 10. *nu.* 46. de quo & Ioannes de Heuia *supra Lib.* 2. *Cap.* 8. *nu.* 21. Vnde & videmus præxim talem videndorum librorum vix extare, sed recognoscendi instrumenta publica, quæ Tabelliones tenentur exhibere. Quod quia & implicatum negotium est, custodes, & speciales Regij ministri ad depellendas fraudes adhibentur; qui numquàm satis, vnde & imaginarijs computationibus vti soliti, non minùs vrgentibus ministris, ne res odiosa aliàs, & non parùm profectò odiosa, odiosissima exquisita inuestigatione reddatur.

Bouadilla.

Escobar. Heuia.

227. Quod ergo *Assertione* 1. de anticipata recognitione librorum dictum est, casum concernit singularem, qui non tollit communem praxim, iuxta quam loquuntur Auctores; quamuis quæstionem præsentem non ij agitent, quos pro ea videmus à P. Pasqualigo congestos. Pro quo & P. Vasquez in *Opusculo de Restitut. Cap.* 6. §. 3. *nu.* 37. & Bassæus *Tomo* 1. *verb. Gabella* §. 9. qui loquuntur in casu, quo Princeps totum ius & dominium circa gabellas transtulerit in alium, tunc enim nihil iam ad eum pertinet ex ipsis: neque enim gabellæ ipsæ, nec ius ad illas, & ideò perinde videtur se habere ac si priuatus esset; vnde neque se intromittere potest circa earum solutionem, vt pœnam non soluentibus imponat, nisi fortè ipsius auxilium pro illis recuperandis fuerit imploratum, quod debet Vassallis impendere in hoc, sicut in alijs, in quo non de proprio, sed de aliorum iure redintegrando tractatur. Tunc ergo præter expensas in recuperatione factas, & pro Principis ministris adhibenda solutione, nihil vlteriùs vsurpandum, sicut quando pro recuperandis decimis ab Ecclesiasticis sæculare brachium imploratur.

P. Vasquez. Bassæus.

Præfata restrictio limitatis.

228. Dico Quartò. Non est certum, secluso pacto, pœnas defraudantium vectigalia in ipsis comprehendi. Quod quidem ex dictis sequitur, quando pœnæ nihil aliud continent, quàm ipsorum vectigalium integritatem, ita vt Principi cedat, quod à Mercatoribus defraudatum est; si autem præter illud pœna alia sit, vt esse solet, ad Principem spectare ex eo ostenditur, quia non est cur ad conductorem spectare debeat, qui ius ad vectigalia, & non ad pœnas emit, quæ vectigalia non sunt. Nisi fortè ab ipsis conductoribus ministri pro earum exactione deputentur; tunc enim sicut onus soluendi salaria ipsis conductoribus incumbit, ita & pœnarum commodum, vt ex eisdem salaria possint integrari. Vnde si stante hac in conductoribus curà, à Regijs ministris præueniantur, ipsis infertur iniuria, & ita pœnarum facienda restitutio. In quo quidem semper modus paciscendi attendendus est, & sicut Vassallis consulenda fidelitas & patientia, quia durum est contra Regium stimulum calcitrare, ita & Regijs ministris humanus agendi modus, qui & à Regibus nostris commendatus, ne dolor super dolorem, & amaritudo suprà amaritudinem rebus in istis augeatur.

Assertio 4. Pœnas defraudantium non comprehendi de locatione.

SECTIO

SECTIO XIV.

Quinam Confessarij in Indijs possint aperire & executioni mandare Litteras sacræ Pœnitentiariæ.

Bulla Gregorij XIII. pro Litteris S. Pœnitentiariæ.

229. GRegorius XIII. gloriosissimæ recordationis Pontifex in speciali Bulla nihil aliud continente *die* 3. *Aprilis. An.* 1582. cuius initium est, *Exponi nobis*, Societati concessit vt eius *Sacerdotes designati per Præpositum Generalem, aut de eius licentia per alios Superiores Societatis, & à locorum Ordinarijs approbati, vel approbandi, etiamsi nullo gradu sint insigniti, aperire Litteras Sacræ Pœnitentiariæ, destinatas Magistris in Theologia, vel in Iure Canonico Doctoribus, & auditis Confessionibus recurrentium ad ipsos, imposita illis pœnitentia in Litteris expressa, vel de Iure infligenda, eos absoluere, ac in foro conscientiæ, quascumque sibi verbo vel scripto commissas absolutiones, dispensationes, & pœnitentiarum iniunctiones, excipere, & exequi possint.* Sic in Compendio communi. *Verb. Priuilegium* §. 3. Pro quo

Adnotatio priuilegij.

Adnotatio sequens: *Ad hanc facultatem aperiendi dictas Litteras designantur omnes superiores aliàs approbati, iuxta hanc concessionem, & omnes alij Confessorij, quos ipsi ad id deputauerint.* Sic ibi. Quod priuilegium cùm adeò generale sit, sufficiens visum est Societati pro toto orbe, vnde pro Nouo nihil speciale circa functionem prædictam à Sede Apostolica postulauit; supponens vti certissimum illud non personale fuisse, sed Societati concessum concessione ad R. P. Generalem directa, iuxta morem ipsius Societatis, in quo quidem Lezana immeritò aliter sibi videri pronuntiauit. *in Summa Regularium verb. Littera Apostolica n.* 16. Tenor enim ipse manifestissimam reddit Pontificis voluntatem, quandoquidem ratio ab eo adducta generalis est ad personas Generalium & tempora, vt legenti constabit. Et ita vti res extra omnem dubitationem posita semper in Societate recepta fuit, & tale priuilegium Auctores etiam externi communiter recognoscunt. Quia verò in illo aliquid peculiare occurrere potest, id modo disquirendum: in hoc inquam Nouo mundo, quem incolimus, omissis multis, de quibus Doctores, quos adducit prolixè rem versans P. Pellizarius *Tomo* 2. *Tract.* 8. *Cap.* 3. *n.* 188. *& seqq.*

Lezana priuilegium dictum omnino improbabiliter asserit fuisse perjoratt.

P. Pellizar.

230. Dico Primò. Dicti priuilegij communicationem habent Religiones generali circa hoc concessione gaudentes, si in illis similis ratio occurrat ei, quam Gregorius in ipso priuilegij tenore proponit. Quod constat, quia ea stante nihil est quod communicationi possit obstare, vt si Religio litteras profiteatur, nec Doctores aut Magistros habeat, vt videre est in ordine Minorum. De Religionibus verò, in quibus Doctores & Magistri sunt, non est ita certum, propter rationem à Pontifice redditam, quam benè expendit Lezana citato *n.* 16. videtur tamen non improbabile.

Assertio 1. Esse illud aliis Religionibus commune, in quibus eadem ratio.

231. Dico Secundò. Prædicta communicatio competit seruata concessionis qualitate, scilicet quòd facultas concedenda sit à Generali, vel deputatis. Ita pro certo statuit Pasqualigus *Decisione* 414. *n.* 3. quia hoc totum fiat ex priuilegio, non potest ampliùs extendi quam extendatur priuilegium. Ante quem id tenuerunt Emmanuel Rodericius *Tomo* 1. *qq. regular. q.* 63. *arti.* 8. *in fine.* & P. Thomas Sancius *Lib.* 8. *de Matrimonio. Disp.* 34. *n.* 11.

Assertio 2. seruandam concessionis qualitatem, vt non plus liceat illis.

232. Dices sententiam esse multorum priuilegia Societatis, in quibus aliquid conceditur, sed communicandum à Generali, alijs Religionibus competere sine huiusmodi restrictione, quia in Societate locum habet ob summam subordinationem respectu illius, à quo & omnis descendit iurisdictio superiorum, quod secus accidit in alijs Religionibus, vt citatis P. Suario & Miranda, tenet post alios Bruno Chassaing *de Priuilegijs Regularium Tract.* 1. *Cap.* 3. *Propos.* 8. & Fr. Antonius à Spiritu sancto *in Directorio Regularium. Tract.* 1. *Disput.* 1. *n.* 50. vbi præter citatos Emmanuelem & Mirandam adducit Portel, Dianam, & Bordonum. Ex quo videtur ferè idem in casu, de quo agimus, esse dicendum. Sed quidem hoc non vrget, tum quia valde id est difficile, & quod multi magno cum fundamento negant, quia inverosimile prorsus apparet plus habere de priuilegio eos, qui in illo communicant, quàm habeant ij, quibus primariò est facta concessio. Et cùm rectus gubernationis modus id exigat in Societate, aut Religione alia, quod ad priuilegij vsum à Pontifice postulatur, alijs sit commodo futurus subordinationis sanctæ defectus. Et ita ego in *Thesauro* id ex professo probaui *Tomo* 2. *Tit.* 12. *n.* 155. *& seqq.* Sed quidquid de hoc sit, in præsenti casu non habet locum modus ille dicendi, quia in eo non attenditur subordinatio in Societate seruanda, sed peculiaris necessitas sufficientiæ requisitæ ad functionem prædictam. Et quemadmodum si in aliqua Religione priuilegium extaret, vt sine approbatione Ordinarij possent eius Religiosi Confessiones audire; nihilominùs aperire Litteras, de quibus agimus, non possent, quia in priuilegio exprimitur Confessarium debere esse ab Ordinario loci approbatum. Et similiter si pro Graduatis concedatur aliquid, non possunt Religiosi aliarum Religionum, in quibus Graduatio non est in vsu, concessione tali communicationis virtute gaudere, quia est qualitas specialiter requisita; ita pariter in casu nostro asserendum, vnde meritò Pasqualigus id tamquàm certùm & irrefragabile videtur posuisse.

Obiectio ex sententia multorum, qui modum concessionis non obstare affirmant, si alter non-nulla Religiones se gerant.

Elicitur manifesta discriminis reddita ratione post sententia præfata confutationem.

233. Dico Tertiò, id quod ex nuper dictis videtur certum, superiores inquam non posse Confessarijs quibusuis indifferenter facultatem ad functionem dictam indulgere. Sic citatus Auctor ex fundamento adducto; quòd scilicet ad apertionem & executionem peculiaris doctrinæ qualitas requiratur, quam non omnes Confessarij comparârunt. Et quidem Litteræ dictæ ad illos solent dirigi, qui Gradum Magisterij in Theologia, vel Doctoratus in sacris Canonibus sint adepti, ob rationem dictam: ergo in Religiosis, quibus priuilegium est pro earum apertione & executione concessum, simile aliquid habere debent ad eumdem effectum; aliàs negotium tale indebitè peragetur.

Assertio 3. Non posse quibusuis Confessarijs prædictam conferri facultatem.

234. Dico Quartò. In Confessarijs, quibus est dicta facultas tribuenda, non est alia doctrinæ

Assertio 4.

Solam sufficientiam pro executione sufficere prudentiæ & doctrinæ.

excellentia requisita, quàm ea quæ sufficiat ad conuenientem executionem, quæ stare potest, etiamsi Gradum in Theologia aut sacris Canonibus maiorem non sit aliquis aptus comparare. Id ex eo ostenditur, quia in priuilegio illo non exigitur, sed approbatio Ordinarij, & superioris, & certè multi ad Gradus præfatos inepti, in rebus moralibus plures superant Magistros & Doctores in facultatibus præfatis, quia de Theologicis subtilitatibus pro scholis & publico Magisterio plausibilibus, minùs habent. Quod suo modo est de Canonica iuris prudentia dicendum. Potest ergo in talibus totus ille reperiri Catalogus, de quo citatus scriptor *n.* 5. Vt videlicet sciat non solùm modum executionis, pœnitentias imponere, & taxare, quomodo vota commutari debeant, sitque instructus circa casus reseruatos, censuras, & irregularitates, materiam votorum, & circa omnia, pro quibus accurri solet ad Pœnitentiariam. Ex quo id sequitur, pro quo

Assertio 5. In Societate approbationem ad Professionem quatuor votorum sufficere.

234. Dico Quinto, omnibus qui in Societate finitis studijs ad Professionem quatuor votorum approbantur, potest securè committi facultas, de qua agimus. Quod ex eo patet, quia omnes tales, si in sæculo essent, Gradus maiores in vniuersitatibus non infimi nominis obtinerent; quandoquidem in eorum approbatione iurant Examinatores tantùm habere doctrinæ, vt possint Philosophiam & Theologiam cum satisfactione prælegere. Et additum in Congregat. 8. Decreto 37. §. 2. *intelligendum esse in ijs locis, in quibus est idoneorum auditorum ac disputantium concursus.*

Decretum Congreg. 8. Societatis.

Assertio 6. Etiam alijs posse concedi iuxta Assertionem 4.

235. Dico Sextò. Etiam sacerdotibus, qui Professi quatuor votorum non sunt, nec erunt, quia approbatione dicta carent, potest facultas præfata concedi, si habeant quod est Assertione 4. declaratum; vt habent reuera plurimi, quos cùm Pontifex non excluserit, non est cur nos, quod in odium certè eorum status cederet, excludamus. Quod & potiori est ratione dicendum de Professis trium votorum.

Assertio 7. Eam habere superiores, & si minùs sufficientes.

236. Dico Septimò. Si superiores aliqui non polleant sufficientia, quæ ad effectum explicatū requiritur, possunt id præstare quod alij. Id probo. Quia superioribus omnibus in *Adnotatione* conceditur, & esset non parum ipsis indecorum, si quod subditis concedere possunt, ipsis denegetur. In eo ergo casu doctiores consulant, si ij, quorum res agitur, velint pro speciali sua consolatione illos præ alijs adire.

Assertio 8. & Rectores quorumdem Residentiorum.

237. Dico Octauò. Superiores Residentiarum, qui non sunt superioribus alijs localibus subiecti, & in omnibus se vt Rectores Collegiorum gerunt, dicta gaudent facultate, quia Ordinariam iurisdictionem habent, quales sunt superiores Iulienſis & S. Crucis ad Montana. Iuxta quæ Religiones aliæ suam possunt licentiam moderari, si stylum circa hoc velint Societatis amplecti. Vnde

Quomodo id Religionibus alijs applicandum.

& possunt licentiam dare alijs, qui ob defectum dictum minùs apti sunt, vt per se ipsos Litterarum præscriptum exequantur: sicut Vicarij Episcoporum illam dare valent ad plures actus sacerdotalis Ordinis exercendos, quos ipsi nequeunt quando sacerdotes non sunt; & Capitulum Sede vacante illum etiam Episcopo largiri potest exercendi Pontificalia.

Assertio 9. Id negatur Rectoribus seminariorū.

238. Dico Nonò. Rectores seminariorum sæcularium non veniunt quoad hoc nomine superiorum. Probatur, quia iuxta stylum Societatis non censentur tales, vnde non ordinaria iurisdictione, sed delegata petuntur. Quod de seminario S. Martini ciuitatis huius Limanæ satis in Peruuio celebri declarauit R. P. Generalis Ioannes Paulus Oliua. Id quod etiam constat ex Compendio communi priuilegiorum, in cuius Præfatione habetur quinam censeantur nomine superiorum, cùm de priuilegijs agitur, nec de seminariorum Doctoribus mentio vlla, addita pro Residentiarum Superioribus explicatione verbis illis: *Nam reliqui Residentiarum, & Missionum Superioribus, eorum superiores à quibus mittuntur, vel sub quorum cura & directione viuunt, eas ex sibi concessis facultates iuxta Constitutiones communicare poterunt, quas pro ratione locorum, temporum, & personarum, communicandas iudicabunt.* Hæc ille. Ex quibus vniuersim colligitur illos, qui sub aliorum cura viuunt, non intelligi nomine superiorum, licet superiores aliàs sint, vt sunt Ministri: qui tamen in ordine ad ista minimè veniunt nomine superiorum, & illis P. Generalis Rectores Diui Martini assimilat. Licet autem quoad fauorabilia quædam nomine Rectorum veniant,

Quoad priuilegia qui dicantur superiores in Societate.

Circa benedictionem ornamentorum alia est ratio potest.

vt circa benedictionem ornamentorum, de quo dixi aliàs, non tamen in ordine ad effectum, de quo est quæstio, quia non est idem Rectorem esse ac superiorem in ordine ad priuilegia, iuxta mentem Societatis; Rectoris enim nomen etiam sæcularibus præfectis est commune, non ita superioris, iuxta stylum Religionum, immo & Pontificum ita etiam loquentium.

Assertio 10. Concessio facta non aptè potest sine peccato mortali stare. Pro quo & praxis.

239. Dico Decimò. Commissio dicta facta non penitus apto potest sine peccato mortali constare. Circa hoc P. Pasqualigus videtur aduersari, quatenus generaliter asserit esse mortale, tenerique Generalem, & qui deputati sunt adhibere debitam diligentiam ne concedant inhabili hanc facultatem, quando aliòquin illius sufficientiam non habent notam; sin minùs transcurabunt munus suum in graui negotio, & peccabunt mortaliter. Sed certè, si non penitus habili committatur cum obligatione consulendi peritiores, quod facilè exequi potest admonito pœnitente, dicens rem esse grauem, & expedire circa illam cum maiori consilio se gerere. Sic enim in concessione priuilegiorum fieri solet, cùm amplior illa est honoris causſa, quàm sufficientia aliquorum secundùm præsens tempus patiatur: additur enim vt in rebus grauioribus & difficilioribus doctiores consulant. Quòd si in litteris concessionis id non semper exprimatur, verbotenus id significari potest, vt sic honori licentiarij consulatur. Si autem licentia desit, aut inhabili sine dicta admonitione concedatur, graue peccatum vtrobique erit, quia in re graui, & in qua animæ periculum imminet, manifestè deficitur, fitque actus nullus, cùm deficiant à sacra Pœnitentiaria requisitæ qualitates, in eo qui commutationem aut dispensationem votorum, vel quid piam aliud est mandaturus executioni: cùm constat ad sacræ Pœnitentiariæ Tribunal non nisi in rebus momenti magni ad conscientiæ securitatem spectantibus, recursum haberi.

Assertio Vltimo.

240. Dico Vltimò. Qui Gradum Magisterij aut

Imperiti, etiam si gradati, nequeunt Litteras aperire.

aut Doctoratus in Academijs assecuti sunt sine substantialibus requisitis, vt non semel videmus accidere, nequeunt Litteras dictas aperire. Id videtur compertum, licet P. Sancius *supra n.* 17. contrarium tueatur quia Gradus dicti sunt titulus sine re, & res est quæ hic quæritur & exigitur, sufficientia inquam, non titulus. Si dicas esse saltim titulum coloratum, qui cum errore communi sufficere ad actum validum potest, iuxta receptam, de qua & nos *suprà*. Contra est, quia modò non loquimur nisi de aperiente, de cuius peccato procedit Assertio. Si autem is, in cuius commodum expeditæ sunt Litteræ bona fide accedat, & dispensatio, commutatio, aut aliud in eis contentum, conuenienter factum fuerit, vt contingere potest, quia aliquando ignorantes non errant, tunc actus erit validus, sicut valida est absolutio eius qui bona fide accedentem absoluit, licet ignoranter se gesserit absoluens, nihil tamen de substantialibus omittens, iuxta probabiles dicendi modos.

Titulum coloratum & errorem non suffragari.

Quod de casu aliquo.

Si Litteræ à tabbus apertæ, & ultra nullus, an recurri ad alium possit. Vbi pars negati improbatur, quam tenent aliqui.

240. Vbi quæri potest, an si Litteræ apertæ ab inepto fuerint, & actus fuerit nullus subsecutus, recurri cum illis ad alium possit, qui requisitas habeat qualitates. Et videtur id non posse nisi executio illarum ei committitur, qui est eadem aperturus, vnde cum ipsis ab vno apertis nequit ad alium recursus haberi. Et hic modus rem istam tractandi videtur quasi pro forma traditus, vnde eo non seruato valor actus non subsistit, iuxta receptissimam doctrinam. Et in eo quidem ratio peculiaris conuenientię esse potest, quam sacrum illud Tribunal attenderit, quia cùm res agatur secretò, vt frequentiùs accidit, licet iurisdictio illius ad forum etiam externum se extendat, pro quo Barbosa *Lib. 1. de Iure Ecclesiastico Cap. 4. n.* 98. non oportet per multas transire manus, & disrupto sigillo ad illas deuenire. Vnde negari nequit quin res hæc sic pro parte contraria valde dubia, & ita sunt qui affirment valore penitus destitutas, & ita præcipitandum non esse iudicium, vt contra stylum dictum veniatur, si præsertim malitiosè sit in apertione processum. Quia verò in Indijs nimis videtur durum post longam & molestam expectationem effectum impetratæ gratiæ ex inconsideratione aliqua in eius vsu penitus impediri; dici potest non obstare in consideratam apertionem, neque accidens illud substantiam eius penitus demoliri; neque videri verosimilè in Tribunali illo, quod totum est Clementiæ ita rigidè cum beneficiatis ab eo agi, vt penè sit de remedio desperandum, si ob contingentias similes iterùm atque iterùm sit ad illud recurrendum, in quo plures annos fluere necessarium est, & vitam cum illis. Vbi opportunè quadrat id quod de effectibus distantiæ tradunt Doctores multi, præsertim quando est periculum in mora, vt videri potest apud Dom. Solozanum *Tomo 2. de Iure Indiarum Lib. 2. Cap. 4. n. 15. & Lib. 3. Cap. 5. n. 7. & Cap. 9. n. 33.* alibique, quia hîc negotium maioris quàm aliàs momenti agitur, conscientiæ inquam, vbi & moræ periculum maiori constat præiudicio. Quod quidem ex eo faciliùs admittendum, quia P. Thomas Sancius *Lib. 8. de Matrimonio Disputat. citata. n.* 18. & P. Pellizarius *suprà. n.* 216. ita generaliter asseuerant, & Lezana tamquàm ve-

Secreta vt esse debeant.

Distantia peculiares effectus.

Absolute id fieri posse qui censeant.

rius tenet. *n.* 19. Naldus *verb. Litteræ. n.* 8. & alij.

SECTIO XV.

An in partibus Indiarum possint Regulares volentes contrahere matrimonium legitimè coniungere virtute suorum priuilegiorum circa dicta in Thesauro. Tit. 12. & 17.

Bruno Chassaing. *affirmat, & quibus fundamentis.*

241. AGit de hoc Bruno Chassaing *de priuilegijs Regularium Tract. 8. Cap. 3. Propos. 3.* quæ sic habet: *Regulares in partibus infidelium à suis Prælatis specialiter deputati, commorantes, habent facultatem dispensandi in gradibus à lege diuina non prohibitis post contractum matrimonium, possuntque sponsas matrimonio iungere.* Primam partem probat ex priuilegio Leonis X. in Bulla, quæ incipit, *Alias fol. recordat.* verbis illis: *& qui de gentibus Schismaticis, vel aliàs nouiter essent conuersi, dandi licentiam vt vxores suas, cum quibus in gradibus à lege diuina non prohibitis contraxerunt, retinere valerent.* Addit & priuilegium Societati concessum à Paulo Tertio, in quo idem continetur, & præterea ampliorem Leonis concessionem tenoris sequentis: *Dummodò illa impedimenta non sint introducta lege diuina, sed solùm introducta lege Ecclesiastica.* Quæ iuxta ipsum, omnem quoad cetera, impedimenta tollunt dubitationem, quæ quidem gradus prohibitos non concernunt, sed alterius generis sunt. Explicans autem qui gradus sint iure diuino non prohibiti, eorum sententiam adducit, qui primum consanguinitatis in linea transuersali talem non esse censent, videlicet inter fratres & sorores, nec improbat, sicut illi, quos *suprà Parte 1. Sect. 4.* vidimus ab eâdem abhorrere.

Priuilegio Leon. X.

Circa primum gradum transuersalem.

242. Secundam verò partem nullo priuilegio comprobat speciali, sed & adductis à P. Thoma Sancio *Lib. 3. de Matrimonio. Disput. 26. num. 1.* & à Rodericio *Tomo 1. qq. regul. q. 35. arti. 4.* & Portel verb. *Matrimonium*; & in *Additionibus* ad illud, qui modum obseruandum à Regularibus in huiusmodi exercitio præscribunt. Nec propterea Concilij Tridentini, vbi receptum est, pœnas incurrere, nec excommunicationem Clementinæ. *Cap. de priuilegijs.* Nec similiter illud incurrere Regulares extra illa loca, dum sunt Parochi, vt prædicti Doctores notant, nec etiam alios Regulares non Parochos extra illa loca sæculares matrimonio iungentes, si non solemnizent matrimonium cum benedictione nuptiali, vt tradit Rodericus *Tomo 2. q. 2. arti. 1.* Sic ille. Cuius citationes errant: nam P. Thomas Sancius *citato n. 1.* de solis Parochis loquitur. & *n. 5.* absolutè negat posse Religiosos, qui Parochi non sunt, matrimonio iungere, pro quo allegat Veracrucium. *& n. 7.* id ad vagos etiam extendit contrà nonnullos aliter sentientes. Rodericius etiam *citato Arti. 4.* nihil habet, quod possit suffragari, quia de Religiosis Parochis loquitur, & de illis, qui ex superiorum licentia, iuxta Breue Pij V. possunt in populis sibi assignatis Parochiale officium, licet non ex officio, vt ij, qui proprium habent

Error circa Auctorum citationem.

P. Thomas Sancius.

bent titulum, exercere. Nec potuit adeò breui interuallo sibi esse contrarius: cum *Arti. 1. Notat.4.* ita scripserat: *Cùm non possint Capitula Prouincialia assignare Fratribus ad prædictum officium exercendum populos Clericorum, nisi de licentia Ordinarij; sequitur quòd cùm in hoc Breui Pij V. concedatur Capitulis Prouincialibus, vt possint licentiam dare suis Fratribus officium Parochi exercendi in populis assignatis & assignandis; necessariò debet intelligi de assignatione per Episcopum & Proregem, de tali & tali populo Conuentui talis Monasterij, vt dixi, vel facta per Regem Philippum, vel eius Gubernatorem, quia est Patronus Indiarum.* Hæc ille: iuxta quæ nihil Religiosis licet quoad omnimodam administrationem, nisi in populis assignatis. Id quod de matrimonio expressiùs locutus sic fuerat *Notat.3.* contestatus, modo dicendi alio reiecto: *Modò autem non placet quòd possint Indos alterius iurisdictionis matrimonio coniungere, quia abundant Ministri, & quia sequitur confusio: secus si alter est nostræ iurisdictionis, & volunt matrimonium contrahere: quia Concilium non prohibet nisi sponsos alterius Parochiæ, quòd tales non iungat matrimonio nisi eorum Parochus.* Quid his clarius? Portel P. Sancium assertorum abbreuiatione transcribit.

Em Rodericius.

Religiosi in Indijs nihil specialiter possunt erga prædicta, nisi sint Parochi.

243. Iam quod ad rem ipsam attinet, in *Thesauro* diximus quid sit circa potestatem huiusmodi tenendum, & proculdubio asserendum est, vbi constitutæ sunt Parochiæ, & res Christiana stabilita, neutiquàm posse Religiosos matrimonijs assistere, nisi aut Parochi sint, aut de licentia Parochorum: id quod citati Auctores expresè, vt vidimus, attestantur, & priuilegia quidem, de quibus diximus *suprà*, minimè in casu dicto procedunt; sed vbi Parochiæ non sunt, quod de Bulla Pij V. declararunt Eminentissimi Cardinales in caussa Episcopi Angelopolitani *in Responsi. ad 3. interrogationem* ex parte Societatis, verbis illis: *Illam tamen non suffragari, nisi in locis vbi est defectus Parochorum.* Quod ab Innocentio X. approbatum, & vt stet id, quod dici potest, scilicet Decisionem illam peculiarem fuisse, nec omnes comprehendere: ratio tamen ab Emmanuele insinuata manifestè concludit: Constitutis enim Parochijs iam vnicuique Parocho suæ sunt oues assignatæ, quas verbo & Sacramentorum administratione pascere debet: ergo in eius officium nemo se intromittere potest cum eadem potestate; esset enim magna in prædicta administratione ex non seruata subordinatione confusio, quam verosimile non est velle Pontifices confouere. De quo dictum *Tit.7.n.10.& 27.*

Breue Innocentij X.

P.Sancij assertio vt stare possit de transeuntibus per Parochias, qui matrimonio iũgi possunt.

244. Nec contra huiusmodi veritatem facit quod P. Sancius *citata Disput. 26. n.4.* affirmat, scilicet eos, qui in locis, vbi Religiosi munus Parochi obeunt, non habitant, sed habent proprium domicilium, carent tamen proprio Parocho, posse Religiosos, qui per eorum domicilium transeunt, matrimonio coniungere: quod & tenet Portel in *Additione n.7.* Stat enim domicilium habere, & non esse ibi erectam Parochiam. In quo quidem non leuis videtur esse difficultas, quomodò scilicet Religiosi hoc possint, non autem idem circa vagos præstare valeant, vt non posse vidimus assertum à P. Sancio, quem Portel secutus *loco dudum adducto n.8.* quia non videtur maior

Portel.

ratio pro istis, quàm pro alijs. Si dicas pro ijs, qui domicilium habent posse faciliùs inquisitionem fieri, secus in vagis: id non videtur satisfacere: quia cum domicilium facillimè possit acquiri, & momento temporis, vt Doctores tradunt, si animus sit constituendi alicubi firmam habitationem; eidem periculo res manere videtur exposita, quia ibi, vnde domiciliarius iste aduenit aliquod esse potest quod coniugio incommodat, quod quidem Religiosus per domicilium transiens non potest sufficienter explorare. Nihilominus sententiam dictam amplexi dicere possumus, id quod eius Auctores tradunt, regulariter intelligendum, quia regulariter domicilia solent esse diuturna: si autem circa aliquem difficultas ob recentem habitationem orietur, maior est adhibenda diligentia; & licet non exactissima, talis tamen quæ prudenter videatur sufficere; nam volentes connubio iungi illigatos relinqui, idem est ac velle ipsos in perpetuo pellicatu conuiuere, dum huic incommodo, cùm possit, non penitus obuiatur.

si non solemnizent cum benedictione nuptiali an excommunicationem incurrant, impositam in Clementina, Religiosi. Vbi aliqui negant, quia ea dicitur, solemnizare.

245. Id præterea quod à præfato P. Brunone dicitur de non incurrenda excommunicatione Clementinæ, nisi solemnizetur matrimonium, quod reuera tenet Fr. Emmanuel citato Arti. & sequitur Portel *verb. Matrimonium n. 1.* scilicet benedictione nuptiali, difficultate non vacat: nam licet verissimum sit Clementinam *Religiosi, de priuilegijs* eo verbo vti ibi; *Matrimoniaue solemnizare.* quod quidem ea continet, quæ in diuersis Decreti & Decretalium habentur Capitibus, de quibus Glossa ibidem verb. *Solemnizare.* & *præsertim 3.q.5.Cap.1.* & alijs. Iuxta Concilij tamen Tridentini dispositionem *Sessione 24. Cap. 1. de Reformat.* aliter videtur dicendum, vt scilicet iam solemnizare dicatur matrimonium, qui eidem cum requisitis testibus assistit, siue Parochus sit, siue alius de eiusdem aut superioris Prælati licentia. Vnde orta dubitatio, de qua P. Sancius *citato libro. Disput.48. n.8.* An Regularis sacerdos matrimonium solemnizans absque proprij Parochi licentia vltra suspensionem ad nutum Ordinarij statutam in Tridentino *loco nuper adducto*, incurrat excommunicationem Pontifici reseruatam per Clementinam, vel potiùs ea antiqua excommunicatio correcta sit per hanc suspensionem? Circa quod idem Pater negatiuè respondet, aliquorum aliter sentientium sententia reiecta, vbi manifestum est solemnizare pro eodem sumi atque assistere, quandoquidem quomodocumque assistens excommunicatione asseritur innodatus; & ex se videtur prorsus verosimile, quia assistentia ad substantiam contractus huius sacri spectat, pro qua legitime stabilienda zelus Ecclesiæ inuigilat, cùm tamen quidquid prætereà additur accidentale sit. Et ideò minùs curandum.

Concilium Trident.

Sed contrarium probatur, quia qui assistit solemnizat.

Matrimonium in facie Ecclesiæ celebratum, solemnizatur sine alio adiuncto, sicut legitimè contractum.

246. Præterquam quòd matrimonium quod Parocho & testibus concurrentibus initur, dici potest eo ipso solemnizari, sicut communissimo loquendi modo dicitur celebrari: ea enim adhibetur solemnitas, quæ ab Ecclesia instituta est, qua coniugia clandestina carebant. Et Concilium quidem Tridentinum celebrationis verbo semel iterumque vsum *citato Capite.* In contractibus etiam ea, quæ per leges ad eorum valorem requiruntur,

runtur, solemnitatum nomine vocari solita. Hinc dogma illud constans res Ecclesiæ & Minorum non posse sine certis à Iure statutis solemnitatibus alienari: pro quo videri inter Recentiores potest P. Petrus de Oñate *Tomo 1. de Contractibus Disputat. 33. Sect.4. n.71.& Sectionibus seqq.* vir sanè singularis in scribendo constantiæ, quem communis huius Peruuianæ Prouinciæ admiratio & veneratio pariter fuerunt prosecutæ. De matrimonio etiam specialiter loquendo iuxta communem acceptionem Bonacina *Tomo 1. Quæst.2. de illo. Puncto 6.n.1.* hæc habet: *Notandum, Matrimonium, aliud dici solemne, eo quòd fiat coram Parocho & testibus: & dicitur fieri in facie Ecclesiæ: non quòd fiat in ipsa materiali Ecclesia, sed quia fit coràm aliqua multitudine fidelium. Aliud dici Clandestinum, quod duobus modis saltem contingere potest.* &c. Cùm ergo solemne sit, si quis eidem vt Ecclesiæ minister assistit, solemnizare illud cum omni dicitur proprietate. Ex eo igitur non habetur solidum fundamentum ad excommunicationem remouendam.

P. Petrus Oñate laudatus.

Bonacina.

Panam Clementinæ sublatam qui censeant ex noua dispositione Tridentini.

247. Licet autem ex eo Capite non videatur excommunicatio remoueri, aliunde fundamentum remotionis occurrit, ex eo scilicet quòd stante Decreto Tridentini pœnam suspensionis imponentis, excommunicatio Clementinæ sublata videatur, quod tenent graues scriptores, licet P. Sancius *citato n.8.* nullo allegato asserat contrarium esse absque dubio tenendum. Tenent autem P. Rebellus in *Declarationibus Cardinalium*, quas adducit post *Librum 4. de Obligationibus iustitiæ n.83.* Sic enim ibi eorum vna ad verba illa Concilij. *Ipso iure tamdiu suspensus maneat*, &c. *Ideest, sublata pœna excommunicationis, de qua in Clement. in fine de priuilegijs.* Iuuat autem pro eo, quod nuper dicebamus de solemnitate matrimonij ex eisdem Declarationibus eam, quæ est 49. subiecisse, tenoris sequentis: *Decretum hoc, quo statuitur, vt matrimonij contractus fiat solemniter coràm Parocho & testibus, habet tantùm locum in matrimonio per verba de præsenti, non autem cùm sponsalia per verba de futuro contrahuntur.* Sic sacra Congregatio. Tenent etiam Bonacina *suprà. Puncto 8.n.12.& Quæst.4. Puncto 6.n.3.* vbi post P. Rebellum adducit P. Henriquez, & P. Suarium, & etiam Sayrum, qui omnes reuera ita tenent.

P.Rebell.

Declaratio Cardinal.

Alia.

Bonacina. H.Henriq. P. Suarius. Sayrus.

248. Pater quidem Henriquez *Lib.11.Cap.28. in Glossa.* lit.E. P. Suarius citatur à præfato Auctore *Disput.12.de Censuris.Cap.4.n.13.* vbi licet pro Sectione Caput erraticè appositum dicamus, nihil tale habetur, benè tamen *Disputat.22. Sect.4. n.12.* qui tamen circa solemnitatem, quam in celebratione matrimonij iuxta dispositionem Concilij Tridentini recognoscit, aliter philosophatur, sic dicens: *Dicendum nihilominùs censeo Religiosum non incurrere illam Censuram in dicto casu, sed aliter puniri iuxta Concilium Tridentinum. Ratio est, quia licet hæc præsentia sacerdotis dici posset nunc quædam solemnitas matrimonij contrahendi, non est tamen solemnizatio illa, de qua Pontifex in illo Textu locutus est; nam sine dubio loquitur solùm de illa solemnitate, quam Concilium Tridentinum Sessione 24. vocauit benedictionem sacerdotis. Lex autem, præsertim pœnalis, non debet extra mentem legislatoris, & verborum significationẽ vsurpari.*

P. Suarius.

Hæc ille. Sayrus *Lib.4.Cap.15.n.2.* nihil habet, benè tamen *n.8.& 9.* Tenet præterea P. Gaspar Hurtadus *Disputat.5. de Matrimonio n.57.* vbi declarationem Cardinalium citatam agnoscit; sicut & Diana *Parte 5. Tract.10. Resolut.33.* videturque etiam tenere P. Ægidius *Tomo 2. de Sacramentis. Disputat.27. n.73.* vbi de pœna agens benedicentis nuptias sine licentia requisita, solius meminit suspensionis à Tridentino decretæ. Citat etiam Bonacina P. Sancium vti fauentem assertioni prædictæ, cui oppositam vidimus placuisse. Sed certè *Lib.3.Disputat.52.n.4.& Disput.82. Lib.7.* in quibus citatur omisso numero posterioris citationis, qui 2. & 3. tantùm esse potest, nihil habet, quod vllo modo faueat: immò in posteriori à se dicta confirmat circa Clementinæ obligationem, dum ad illa se refert. Iuxta quæ mirum profectò videri debet quomodò dictus Pater ita confidenter pronuntiare potuerit absque dubio id tenendum, quod & Congregatio Cardinalium, & tot graues scriptores vidimus tenuisse. Ex quo fit, quòd licet ratione solemnitatis non videatur excommunicatio euitabilis, quæ in sola assistentia desit; quia tamen probabilis adeò pro illius cessatione sententia est, perinde reputari debet ac si solemnitas ad prædictum euitandæ excommunicationis effectum defuisset.

Sayrus.

P. Gaspar Hurtadus.

Diana.

P. Ægidius.

P. Sancij. *inconsultum pronuntiatum.*

Circa P. Suarium de solemnizatione cum auctoribus prioris sententiæ sentiente notanda obiectio.

249. In quo quidem modus dicendi P. Suarij, & si viro tanto dignissimus sit, difficultate non vacat: nam in primis, dum pœnas extenuare curat, id non assequitur, quia iuxta ipsum vtraque pœna suam vim obtinet, suspensionis inquam & excommunicationis. De priori constat, à Tridentino imposita: de alia item, quia cùm Clementina de solemnitate per solam assistentiam non loquatur, stante pœna pro assistentia imposita, illi non derogatur, cùm circa diuersa versentur. Si autem dicatur à Concilio eamdem pœnam impositam coniungenti & benedicenti, & ita cessare excommunicationem Clementinæ, benè id quidem stabit iuxta dicta, sed à P. Suario id non dicitur; immò pœnam illam antiquiorem videtur non abrogatam reputare, dum extendi ad assistentem sine licentia negat, quia de illa procedit, vnde ad solemnitatem per benedictiones etiam nunc vim eius dirigi videtur dubio procul arbitrari.

Vrgetur pro solemnitate ex sola assistentia Parochi

250. Deinde Clementinam de sola solemnitate per benedictiones intelligendam, ex eo videtur improbandum, quia assistentia ad valorem matrimonij spectans, vt *superiùs* dicebamus, aliqua, & maximè propria solemnitas est; cùm in contractibus id, quod ad eorum valorem per leges est constitutum, solemnitas cum omni proprietate dicatur, vt *suprà* etiam probatum: ergo illa præcipuè à Pontifice est intenta, & salua proprijs Rectoribus volita, ex cuius defectu maiora poterant inconuenientia pullulare. Et quidem in Clementina præter verba illa, *Matrimoniaue solemnizare*, alia non extant ad præsentem caussam pertinentia: Atqui illa non est cur ad solas nuptiales benedictiones sint referenda: ergo ad solemnitatem magis considerabilem, & momenti præcipui debent potiori iure referri, quamuis in solemnitatibus diuersitatẽ esse contigerit. Quemadmodum tradit Concilium Tridentinum *citato Cap. 1.* ibi: *Si quæ prouincia aliis vltra prædictas, lauda-*

Concilium Trident. *laudabilibus consuetudinibus & ceremonijs hac in re vtuntur, eas omnino retineri sancta Synodus vehementer optat.* De quo & dixerat in explicatione celebrationis huius Sacramenti, ibi: *Iuxta receptum vniuscuiusque prouincię ritum.* Ex quo præoccupatur id quod dici potest de nouitate ritus substantiali à Concilio Tridentino introducta, qui cùm Clementinæ tempore non extaret, non potuit à Pontifice circa illum fieri directa Constitutio. Nam vniuersalis ille decidendi modus, illum etiam, sicut & quemcumque alium futuris introducendum temporibus comprehendit; sicut comprehendisse certum est omnes solemnitatis modos, quos circa celebrationem cum ceremonijs, solemnitatibus sacris, seu benedictionibus erant iam cum diuersitate regionum introducti, & erant pariter temporum decursu diuersi futuri; quam diuersitatem optat Concilium obseruari.

A Clementina *prohibet vt potuit, & puniri.*

Assistentia Parochi etiam ante tempora Clementinæ *in vsu fuit.*

251. His addo ante Concilium Tridentinum, & etiam ante tempora Clementinæ, non solùm celebrata in facie Ecclesiæ coniugia, quæ benedictionibus sacerdotalibus in Ecclesia receptis honestabantur, sed etiam illas, quæ sacerdotibus assistentibus pastorali cura, aliquomodo ab ipsis benedici contingebat. Id quod ex Cap. *Cùm inhibitio*, de clandestina desponsat. habetur: cuius vestigijs se inhærere Concilium Tridentinum profitetur. Ibi enim ex Concilio Lateranensi ita Innocentius Tertius: *Cùm inhibitio copula coniugalis sit vltimis tribus gradibus reuocata, eam in alijs volumus districtè seruari; vnde Predecessorum nostrorum vestigijs inhærendo, clandestina coniugia penitus inhibemus, prohibentes etiam ne quis Sacerdos talibus interesse præsumat.* Et infra §. *Sanè* ita subditur: *Si Parochialis Sacerdos tales coniunctiones prohibere contempserit, aut quilibet etiam Regularis, qui eis præsumpserit interesse, per triennium ab officio suspendatur, grauiùs puniendus, si culpa qualitas postulauerit.* Hæc ibi. Ex quibus id videtur, quod diximus, manifestum haberi: Sacerdotes enim interesse solitos coniugijs indicatur: quæ tunc tantùm dici clandestina poterant, cùm sine denuntiationibus legitimis inita fuissent, de quibus ibidem Pontifex: quandoquidem & testibus constabant, & sacerdos legitimus assistebat. Neque assistentia talis materialiter se habebat, vt esse alterius cuiusuis poterat, sed formalis erat, scilicet vt sacerdotis, & ita vt aliquomodo benedictionem impartiret. Cùm ergo ita stare posset, quis non videat Clementinam ad hoc mentem suam direxisse, vt videlicet Regularibus assistentiam talem sub pœna excommunicationis inhiberet? Quod quidem verbis præfatis optimè significare potuit, & reuera significare visa est: *Matrimoniaque solemnizare.* Quod verò defectu benedictionum, quæ in Ecclesia sunt adhiberi solitæ, matrimonia non sint dicenda clandestina, licet id Glossa in *Citatum Cap. verb. Clandestina*, significet; constat ex *Cap. Quod nobis.* eod. tit: sic enim ibi: *Si Matrimonia ita occultè contrahuntur, quod exinde legitima probatio non appareat, ij qui ea contrahunt, ab Ecclesia non sunt aliquatenus compellendi. Verùm si persona contrahentium hoc voluerint publicare, nisi rationabilis causa præpediat, ab Ecclesia recipienda sunt, tamquam à principio in Ecclesia conspectu contracta.* Sic Alexander Tertius.

Matrimonia non erant clandestina ex defectu benedictionum.

Cap. Quod nobis.

Vbi quidem benedictionum mentio nulla, cum tamen in Ecclesiæ conspectu legitima habeantur, eo ipso quod contrahentes in conspectu Pastorum verè se contraxisse testantur. In quod nequeunt Regulares officium se intromittere: id quod & Concilij Decreto, & Clementinæ dispositione stabilitum comperitur.

Sublata excommunicatio Clementinæ

252. Dici ergo iuxta hæc conuenientiùs potest pœnam Clementinæ penitus sublatam, quia licet iuxta P. Suarium non circa assistentiam matrimonio adhibitam, sed circa benedictionum nuptialium impartitionem versetur; ex ea etiam parte cessare dicenda est, quia Concilium Tridentinum pœnam suspensionis iuxta Ordinarij arbitrium duraturam imponit, in eamque est excommunicationis pœna commutata. Si autem reuera circa assistentiam vim habuit, vt probauimus, similiter à Concilio similes pœnæ iniunctione abolita est, ne vnicum crimen duplici pœna feriatur, quod minimè est iuri & rationi conforme, vt ex ijs probatur, quæ adducit P. Sancius *loco citato*, Sayrus, & Bonacina, alijque: quidquid Nauarrus, Maiolus, & Emmanuel apud eosdem aliter videantur censuisse. Quia verò suspensio dicta reseruata non est, poterit Regularis ab ea absolui à suo Prælato, aut ab eo, qui eius vices habuerit, in foro conscientiæ, sicut & virtute Bullæ Cruciatæ, vbi eius vsus permittitur; etiamsi dicamus non posse virtute priuilegiorum absolui à peccatis Episcopo reseruatis: quia id intelligitur de reseruatis ab homine, non à iure, vt communiter aduertunt scriptores, & nos *superiùs* etiam obseruauimus. Si autem Ordinarij de transgressione conscij litem intendant, nec satisfactionem pro adhibita absolutione virtute priuilegiorum admittant, patienter id sustinendum, & peccati pœna benè satis merita sustinenda, dum intra suos se limites nequit Religiosa temperantia continere. Et hæc quidem circa illas duas Propositionis partes de quibus citatus P. Bruno, qui addit posse Regulares in partibus infidelium cognoscere de caussis matrimonialibus, ex concessione Leonis X. in præcitata Bulla his verbis: *Vt de caussis matrimonialibus, quas in partibus illis ad Audientiam nostram deferre deberent, legitimè cognoscendi, & discordantes inter se concordare.* Quæ autem sint illæ caussæ matrimoniales docet Thomas à IESV *de Conuersione omnium gentium verb. Matrimonium*, esse diuortia, adulteria, & similia: qui & aduertit cum P. Sancio de *Matrimonio Disputat.* 19. (librum non citat, & est 10.) illos debere hac facultate vti simpliciter, & de plano, sine Tabellione, ac strepitu & figura iudicij; modò pro viribus nitantur de veritate certiores fieri. In vtrôque autem foro, si à Prælatis licentiam habeant, & per Episcopos liceat, procedere possunt iuxta duos citatos scriptores. Iuxta concessionis autem formam *Primò* videtur dicendum in ijs, quæ ad Audientiam Episcoporum deferri deberent, non esse recursum ad ipsos necessarium, quia solùm ea quæ ad Audientiam Sedis Apostolicæ deferri deberent, vt maiora & difficiliora, committuntur, vt ex eo ad minora, & faciliora argumentum deriuetur. *Secundò* ea, de quibus recursus talis habendus dicitur, concessis caussis, secundùm se spectatis, ad dispensationes reduci, in quibus Regulares pro regionibus dictis ampliſſimam habent

Posse illum in partibus infidelium de caussis matrimonialibus cognoscere per Leonis X *priuilegium, vt stare quat.* Thomas à IESV.

Quid circa praxim.

bent facultatem de quo latiùs in *Thesauro Tomo 2. Tit. 12. num. 378. & seqq. Tertiò*, difficultates, quæ occurrere possunt, eo quòd negotium conuersionis multas secum afferat, pro quibus moris est Sedem Apostolicam consulere, à Religiosis possunt, prudenti arbitrio, resolui. Id quod semotis etiam priuilegijs fieri frequenter solet, non iudiciali auctoritate, sed doctrinali cui se possunt & solent iudices accommodare. Sicut in casu, de quo nuper, de suspensione videlicet à Concilio Tridentino imposita, circa quam dubitant Scriptores an sit ex officio & beneficio. Et Sayrus quidem ab officio tantùm esse verosimile proponit, sic enim respondet culpæ intromittentis se in officium Parochi, ait tamen rem esse dignam, pro qua Sedes Apostolica consulatur: dum autem eius Oraculum non habetur sic delinquentem tutius esse vt ab vtroque se suspensum arbitretur. Sic *citato nu.* 9. Vbi ex spiritu Apostolico agentibus dici meritò cum dilecto Discipulo poterit: *Vnctio eius docet vos* 1. Ioan. 2. v. 27. Id autem quod vltimò dicebatur de potestate in vtroque foro difficultatem peculiarem tangit, de qua sit.

Suspenso an ab Officio & beneficio. Sayrus.

1. Ioan. 2. v. 27.

SECTIO XVI.

An Religiosi, qui voto peculiari tenentur non admittendi dignitates, possint in Indijs Vicarij esse Episcoporum.

A suspensione Trident. *possunt Regulares absolui à suo Prælato, & etiam virtute Cruciatæ in foro conscientiæ.*

254. LIcet communis esse quæstio possit, pro Indijs specialiter titulus eiusdem inquirit, quia in illis frequentior esse occasio potest muneris prædicti suscipiendi, ex adductis à Dom. Solorzano *Tomo 2. de Indiarum iure Lib. 3. Cap. 8. num. 26.* & posse quidem Religiosos illud cum Prælatorum licentia obire communis est Doctorum sententia, pro qua plures congerunt P. Azor *Tomo 2. Lib. 3. Cap. 43. Quæs. 10. §. Quæres itidem.* P. Thomas Sancius in *Opere morali. Lib. 6. Cap. 15. num. 88.* P. Palaus *Tomo 3. Tractat. 16. Disputat. 4. Puncto 12. §. 1. num. 8.* P. Fragosus *Tomo 2. Lib. 8. Disputat. 29. §. 4. num. 11.* Diana *Parte 10. Tractat. 15. Resolut. 30.* Quod de Mendicantibus negant aliqui, ex quibus P. Azor §. *Quid dicendum.* Portel *verb. Religiosus num. 5.* Sbrosius de *Vicario Episcopi Lib. 1. Quæst. 38. num. 4. & 11.* bene impugnatus à P. Sancio pro se alios allegante, & à Dom. Solorzano *num. 27.* Barbosa *de potestate Episcopi Allegat. 54 num. 14.* Quod & tenent citati Diana, & Palaus, nec aliter sentire videtur P. Fragosus, qui assertionem sine aliqua exceptione proponit, affirmans prætereà cum aliquibus, quos profert, illegitimum non posse præfato officio fungi, quia est Prælatura extra Religionem, ad quam non se extendit talis defectus dispensatio. Quod quidem difficultate non caret, quia licet dignitas talis iurisdictionem erga subditos extra Religionem importet, est tamen omninò compatabilis cum statu Religioso, & minoris æstimationis quàm Prouincialatus, aut eo superior in Religione Prælatio. Et ita tenet Illustriss. Barbosa in *Collectaneis ad Cap. 1. de filijs Presbyter.* quem adducit, & videtur sequi Dom. Solorzanus *supra num. 29.* licet Diana *citata Resolutione* vbi oppositum defendit cum alijs ibidem adductis, dicat putare se non assertiuè, sed recitatiuè ab eo adductum. Sed in *Politica Lib. 4. Cap. 8.* id clariùs indicat, sic dicens: *Sed in alijs Monachis & Fratribus, & multò magis in Canonicis Regularibus, qui sub communi Clericorum nomine continentur, non audeo discedere ab opinione currente Doctorum tenentium posse Vicarios esse Episcoporum, dum modò ad id licentiam suorum habeant superiorum, fundatorum multis in Textibus sic docentibus. Immò & addunt, quòd licet vt quis Vicarius sit requiratur esse legitimum, iuxta id, quod ait Nicolaus Garcia, sufficiat tamen huiusmodi Monachis & Fratribus huius defectus dispensatio, quæ inducatur propter ingressum & fauorem Religionis.* Sic ille ex Hispano Latinus. Vbi cum opinionem communem se amplecti proferat, & illud additamentum subdat cum eodem contextu, manifestum apparet ipsum pariter amplexari.

Dom. Solorzanus

Posse absolutè loquendo multorum sententia est.

De illegitimo anceps quæstio.

255. Et videtur ipsi propter Regiam schedulam, quam adducit *num.* 27. ex die 26. *Maij. An.* 1550. & etiam in *citato iam Cap. Politica* facilem futuram decisionem pro Indijs, quod attinet ad facultatem Episcoporum, vt possint Vicarios sibi adscisere Religiosos, si eisdem se velint ij, ad quos spectat, accommodare, licet aliàs sentiat illam de Religiosis tantùm Franciscanis procedere, quibus id est specialiter vetitum, vt ferè omnes obseruant de hoc scribentes. Sed certè schedula dicta non solos Franciscanos tangit, sed quoscumque alios Fratres, vt constat ex verbis illis post multa alia: *Al dicho Frayle Francisco, proveyendole en persona, que nosca Frayle.* Sed accommodare se post illius expeditionem non omnes Religiosi Episcopi voluerunt, quod vtinam eis feliciter accidisset; sed non ita, vt euentu est ipso declaratum, quia neque Religiosis ipsis sic electis, nec subditis, vnde neque Episcopis electoribus, vtilis esse electio potuit, neque speratur futura, quidquid de singulari aliquo posset quispiam feliciùs ominari. Neque est cur Episcopi circa hoc prudentiam & prouidentiam, qua præditos esse oportet, non studeant adhibere, & id vitent disponere, quod si non faciant, minimè est à Regio Consilio tolerandum. Ne ergo vt sapiens ille aliàs *tanti emant pœnitere.*

Pro Indijs vetitum, sed non ab omnibus executioni mandatum.

Regia schedula.

Nec felici exitu.

256. Non prætereundum discrimen, quod circa hoc habet Portel *supra* dicens quòd Prouisoris officium, quod est à Vicariatu generali distinctum, poterit Mendicans exercere, vt praxis docet, secus aliud: quia Prouisor Episcopi non habet lites illas ac strepitus forenses Censurarum. *Scio tamen* (verba illius sunt) quòd Bernardinus Bustos 10. *parte Sermonum Serm. 7. refert quemdam Fratrem Nicolaum de Padua Minoritam fuisse Vicarium Generalem Episcopi Tantini in Lombardia.* Sic ille Circa cuius assertum, quod ad discrimen attinet, nullo solido fundamento roboratur: nam & Prouisor iurisdictionem in foro externo etiam exercet, & negotia valde grauia pertractat & iudicat: licet apud eum forenses

Discrimen inter Vicarium & Prouisorem nullius esse momenti. Portel.

non ſint ſtrepitus, qui peculiarem fori litigioſi notitiam & experientiam exigunt, propter quorum defectum minùs idoneci ad hoc munus eſſe Religioſi ſolent, vt obſeruat Dom. Solorzanus *ſuprà nu.*28. Sed certè non ea de cauſſa videntur ab iſtis repelli, cum poſſit defectus talis ſuppleri adminiculis Aſſeſſorum, ex notatis cum bonis Auctoribus à Barboſa *ſuprà num.* 13. vt in multis ſæcularibus Prouiſoribus accidit quando Theologi ſunt, & officium inexperti penitus adoriuntur; immò & in Canonici Iuris ſtudio verſatis. Qui ergo negant id Religioſis, ex principijs eiuſdem Canonici Iuris id probare contendunt, quia ſcilicet eorum dedecet inſtitutum, quod ſubiectionis eſt, & à ſæcularibus curis alienum, & ita illud profeſſi à iudicialibus debent cauſſis abſiſtere, quæ non poſſunt non eos nimiùm implicare, & à proprijs Religionis occupationibus amouere. Ex quo fit non ſolùm Vicariatus Generalis officium, ſed Prouiſoratus etiam illis non expedire, præſertim in Indijs, in quibus idem Vicarius, qui & Prouiſor, vnde & vtroque nomine indifferenter appellantur, & communiùs poſteriori: & ita de illis ſub præfatis nominibus quaſi indifferentibus diſſerit Barboſa cum multis, quos allegat, *ſuprà num.* 10. vbi ſic: *Vicarius generalis, ſeu Prouiſor, aut Officialis, Iudexque Ordinarius* &c. Iam quod de Religioſo illo dicebatur Tantini Epiſcopi Vicario, parùm videtur vrgere, cùm dici ſatis conuenienter poſſit licentiam pro eo Pontificis extitiſſe, iuxta id quod habet Barboſa *citato nu.* 13. vbi cum Laurentio de Franchis (corrige *Laureto*) affirmante ſe vidiſſe in Curia Romani obſeruari, quòd quoties Epiſcopus Eccleſiæ ſuæ neceſſitate alicuius Monachi opera indiget vt ſui Vicarij officio fungatur, cùm neminem idoneum habeat ex Clero ſæculari, ſacram Congregationem Regularium conſulit, quæ attenta expoſita neceſſitate, impertitur vt Monachum in ſuum conſtituere poſſit. Potuit ergo Epiſcopus Tantinus Pontificem attenta Eccleſiæ ſuæ neceſſitate conſulere, & ille circa hos conſultationi tali etiam annuiſſe.

Barboſa.

Praxis Romana Curiæ.

Stante voto non poſſe quæ videantur ſuadere.

257. Sed iam ad difficultatem propoſitam deueniendo, vt id, quod proponitur, nequeat fieri pendet voti peculiaris obligatio, qualis in Societate extat, à Profeſſis emiſſi non ambiendi, nec acceptandi Prælationem aut dignitatem extra Societatem, niſi ſupremæ poteſtatis adſit imperium, vel præcepti in Religionibus alijs. Quod ſecuti Patres Carmelitani Diſcalciati, Auguſtiniani, ac Clerici Miniſtrantes, alijque, vt teſtatur Vrbanus VIII. *Conſtitut.* 167. Vicariatum autem ſeu Prouiſoratum dignitatem eſſe communis Doctorum ſententia firmat: & inde colligunt eorum plures illegitimos eſſe huius muneris incapaces: ex quibus aliquos adducit P. Thomas Sancius *Lib.*5. *Cap.*5. *n.*16. quibuſcum & ſentit. Ex quo fundamento affirmat. *Lib.* 6. *Cap.*18. *nu.*28. contra votum ire, qui illum procurat, aut in ſui circa illum electione conſentit, quod & alij tenent, ex quibus P. Palaus *ſuprà Diſput.*5. *Puncto* 5.*n.*3. Additque P. Sancius voto huiuſmodi *comprehendi quodcumque aliud Officium iuriſdictionem in foro externo habens in ſibi ſubditos.* Et hoc votum non ceſſare quoad ſuam obligationem, etiam ſi qui illud emiſit, ad Religionem tranſeat, in qua talis non viget obſeruantia, decreuit Vrbanus VIII. ſpeciali Conſtitutione, quam adducit Cardinalis Lugo in *Reſponſis moralibus Lib.* 3. *Dubitat.*4. Ex quibus videtur fieri non poſſe Religioſos tales officium dictum admittere, & multo minùs procurare, quod & in Indijs videtur dicendum, quia & in illis munus præfatum cum omnibus ſuis prærogatiuis exercetur, & ex tali exercitio illa poſſunt inconuenientia emergere, de quibus ſumus paulò ſuperiùs prælocuti. Quibus prælibatis,

Vicariatum eſſe dignitatem.

P. Thomas Sancius.

Conſtitutio Vrb. VIII. *iuxta quam votum non expirat in tranſeuntibus ad aliam Religionem.*

Aſſertio 1. *Poſſe in aliquo caſu tale munus in Indijs etiam à voto legatu aſſumi.*

258. Dico Primò. Licet quod eſt dictum, tam circa non ligatos voto, quàm circa ligatos ipſos, generaliter ſit obſeruandum: caſus tamen aliquis occurrere in Indijs poteſt, in quo liceat munus Vicarij cum licentia Superiorum, ab ijs etiam, qui votum emiſerint, acceptare. Hoc eſt probandum, quia talis poteſt eſſe neceſſitas, vt charitas obliget, cuius imperio extante, ipſum Dei extat imperium, vnde non fit contra votum, cùm in eo exceptio illa extet: *Niſi coactum obedientia eius, qui mihi præcipere poteſt ſub pœna peccati.* Id quod in difficiliori caſu loquens docet P. Thomas Sancius *citato Cap.*18. *nu.*36. vbi de Epiſcopatu loquens prædicto modo philoſophatur dicens poſſe Profeſſos, non obſtante voto, acceptare Epiſcopatum, non tantùm quando Pontifex, cuius eſt hoc præcipere, iuſſerit acceptare, ſed etiam à fortiori quando præceptum naturale ratione neceſſitatis imminentis ad hoc obligauerit: vt ſi manifeſtè vrgeret Eccleſiæ neceſſitas, nec alius eſſet, idoneus ad id munus obeundum, & rationem ait eſſe apertam, quia qua ratione exceptus eſt caſus, quo compulerit præceptum Superioris, cenſetur quoque exceptus à fortiori caſus, quo ius ipſum naturæ obligat: dictio enim taxatiua numquàm excludit ſimiles caſus, vt ex multis probat Euerardus in *ſuis Topicis, loco à natura dictionis taxatiuæ nu.* 4. Addit deinde alia, & pro Aſſertione citat Hoſtienſem, Archidiaconum, Aſtenſem, Abulenſem: conſtareque ait ex doctrina D. Thomæ 2. 2. *q.*89. *arti.* 7. *ad* 2. Concludit tamen caſum eſſe rariſſimum, & qui difficillimè continget, & id quidem fatetur etiam P. Suarius *Tomo* 4. *de Relig. Tractat* 10. *Lib.*9. *Cap.*8. *n.* 26. vbi ſic ait: *Quocirca ſententia Gloſſæ ibi citatæ aſſerentis eſſe peccatum mortale non acceptare Epiſcopatum, ſi is, cui offertur, ſe dignum credat; non eſt vera, niſi quando ſub præcepto imponitur, vel ſaltem euidens eſt neceſſitas, vt charitas ipſa obliget, & ita ſunt intelligendi Gregorius & Auguſtinus* &c. Neque huic, reſolutioni aduerſatur quod *n.* 25. præmiſerat ita ſcribens: *Immò etiamſi talis videatur eſſe caſus in particulari, in quo ſecluſo voto videretur clarum & certum eſſe melius acceptare Epiſcopatum, facto iam voto acceptandus non eſt ſine præcepto: tum quia votum generaliter factum eſt: tum etiam quia nulla eſt neceſſitas aliter faciendi, cùm facile ſit Pontifici præceptum ponere, ſi omnino vtile vt acceptetur.* Sic ille, ita exponendus, ne contrarietas aliqua in eius dictis videatur: vt cùm, voto facto, videretur clarum & certum eſſe melius acceptare Epiſcopatum, nihilominùs obligatio ad acceptationem non ſit, quia non ex eo quod aliquid melius appareat, ſtatim eſt obligatio illud efficiendi

Votum non ambiendi in Societate.

P. Thomas Sancius.

Euerardus.

D. Thom.

Eius dicta circa acceptationem Epiſcopatus conciliantur.

efficiendi aut acceptandi: quando autem Chriſtus manifeſtè obligat, poſt habendum eſt votum, quia præceptum Superioris rationis vrget: quemadmodùm ſi facto voto audiendi Miſſam, occurreret neceſſitas ſubueniendi proximo tempore auditionis, manifeſtiſſimum eſt tunc obligationem voti non vrgere, quia præceptum ſuperius ad Miſſam omittendam adſtringit.

Caſus propoſitus, de quo Aſſertio.

259. Ex quo id, quod in Aſſertione eſt propoſitum potiori ratione conuincitur, quia in Vicariatu non illæ rationes concurrunt, quæ in Epiſcopatu, & ideò faciliùs poteſt pro illius acceptatione obligatio voti ceſſare, & caſus poteſt ita proponi, vt Epiſcopus adſit, ſed impeditus in Diœceſi, cui ſummè oporteat per Eccleſiaſticam prouidentiam ſubueniri, quia Indicæ gentes id præ alijs exigunt; nec ſit in illa qui commodè id præſtare queat, vnde ad Religioſum tali voto ligatum ab Epiſcopo recurrendum: quem dicimus poſſe in tali periſtaſi, annuentibus Prælatis, Vicariatum acceptare. Si dicas inſtante præcepto charitatis, non eſſe neceſſarium recurſum ad Prælatos, id quidem in rigore loquendo admittunt Cardinalis Alexandrinus citato Cap. 13. n. 89. à P. Sancio adductus, & Antonius Cucus ibidem, abſolutè loquendo, vnde id potiùs aſſerendum vrgente præcepto charitatis: quod tunc poſſet ſaltim admitti, quando recurſus ad Prælatum eſſet difficilis, ita vt moraliter videretur impoſſibilis: generaliter tamen loquendo communi Doctorum ſententiæ ſtandum requirentium licentiam Prælati, vt omnes citati tradunt, & ſpecialiter ij, quos adducit Barboſa *n.* 12. & etiam in noſtro caſu; quia cùm peti poſſit, non eſt Religioſa ſubordinatio violanda. Quòd ſi Prælatus renuerit, obſequendum ipſi, cui & erit ſpirituale incommodum, quod ex eo reſultare poterit, imputandum.

Aſſertio 2. *Non obſtante voto poſſe Vicarium ſeruum.*

260. Dico Secundò. Non obſtante voto prædicto poteſt Religioſus in Indijs eſſe Vicarius foraneus, oppidi ſcilicet, aut oppidorum aliquorum. Id probatur, quia Vicariatus huiuſmodi non reputatur dignitas, nec Prælatio, vnde nec tales veniunt nomine Prælatorum; niſi fortè pro illuſtri loco aliquo conſtituantur, vt Vicarius Curiæ Matritentis, in quibus neque id certum; vnde neque Conſeruatores eſſe poſſunt, iuxta Iuris Canonici, & Pontificiorum Decretorum præſcripta. Id quod in caſu, de quo præſertim agimus, manifeſtius apparet, quia Vicariatus talis ſolet Clericis omni auctoritate deſtitutis, & heſterno promotis ſacerdotio committi, quos neque peritio, nec prærogatiua alia commendat. Inde eſt vt Doctores de Vicarijs loquentes, cùm difficultatem circa Religioſos mouent, de Generalibus loquuntur; vti qui de alijs inferioris notæ poſſe Vicariatu potiri proculdubio ſentire videantur, vt videri apud citatos poteſt. Neque ad illum acceptandum neceſſaria eſt ſumma neceſſitas, ſed non leuis conuenientia ſufficiet, iudicio Prælatorum, ſine quorum licentia non acceptandus. Quod amplius roboratur ex differentia inter Vicarium generalem & Foraneum: ille enim ordinaria gaudet iuriſdictione, de quo in *Theſauro dictum Tomo* 2. *Tit.*12.*n.*315.*&* *Tit.*14.*n.*1. pro quo & quamplures Doctores congerit Barboſa *ſuprà n.* 26. alter autem delegata, quia non ratione officij,

Diſcrimen inter Generalem & Foraneum.

& ita nomine Ordinarij non venit, neque aſſiſtere matrimonio poteſt, vt cum Gutierrez & P. Sancio obſeruat Diana *Parte* 11. *Tract.*3. *Reſolut.*25. Nec conſtituitur ratione illius vnum tribunal cum Epiſcopo, ſicut in Vicario generali accidit, & ita ab illo poteſt appellari iuxta plurimos Doctores ab eodem Barboſa adductos n.22. Ex quo fit non eſſe in illis eum excellentiæ gradum, qui ad conſtituendam ſufficiat dignitatem.

Diana.

Ex doctrina P. Suarij circa munera, quæ in Religione Rectoratui inferiora ſunt roborantur.

261. Quod ampliùs etiam illuſtrari poteſt ex eo, quod docet P. Suarez *ſuprà Cap.*7. *n.*13. vbi neque nomine dignitatis, neque Prælationis comprehendi ait ſuperioritatem inferiorem Rectoratu, aut Præpoſitura, qualis eſt in Societate Miniſtrorum, quæ correſpondet Vicariorum in Religionibus alijs qui alium ſuperiorem ſupra ſe habent, de quibus & Lezana *Tomo* 1. *Parte* 12.*Cap.* 10. *n.* 17. Ex quo ad Vicarios foraneos fit argumentum: illi enim Vicario generali ſubſunt, cuius, ſicut nomen ipſum præſefert, generalis eſt iuriſdictio, & ita Vicarij ipſius Vicarij generalis ſunt, quatenus cum Epiſcopo vnum conſtituit tribunal, & ad ipſum appellationes deferuntur, iuxta dicta. Non ergo aut ex paritate nominis, Vicarij, vel ex iuriſdictione argui in præſenti negotio poteſt, ſed ſtandum receptiſſimæ acceptioni, iuxta Cap. *Quamuis*, de verbor. ſignificat vbi ſic habetur: *Quamuis omnes qui præſunt Præpoſiti ritè vocantur, vſus tamen obtinuit eos vocari Præpoſitos, qui quamdam Prioratus curam ſuper alios gerunt.* Sic ibi, vbi Gloſſa ait Prioratum eſſe dignitatem per ſe ſic dictam. Ita ergo de Prælatione in præſenti dicendum, circa quam verſatur votum, & de quo Vrbani Bulla etiam procedit. Quæ quidem ſine dignitate eſſe non poteſt, vt etiam P. Suarius *citato n.* 13. expoſuit ſic dicens: *Non exiſtimo tamen limitari vocem ad hæc duo (Epiſcopatum ſcilicet & Cardinalatum) ſed comprehendere in vniuerſum omnem Prælationem & Dignitatem Eccleſiaſticam, quæcumque illa ſit; ſiue hæc nomina ſignificent res diſtinctas, ſiue tantùm ad maiorem explicationem poſita ſint: omnis enim Prælatio videtur eſſe Dignitas, licet fortaſſe non conuertuntur: Dignitas enim iuriſdictione carens non cenſetur Prælatio.* Sic ille: circa quod P. Pellizarius *Tract.* 8. *Cap.*6.*n.*197. Dignitatem & Prælationem coincidere ait. Id quod etiam inuenimus praxi roboratum; quod & modò oportuit ad ſubmouendos ſcrupulos ampliùs roborari. Pro quo & addendum reſolutionem dictam non ſolùm habere locum in oppidis Indorum, ſed etiam Hiſpanorum, quæ quantùm ad frequentiam & ſplendorem attinet, ſolent in Indijs nihili eſſe multis Indicis meliora, & ſæcularibus ſacerdotibus ad id muneris cum ſatisfactione obeundum frequenter deſtituta.

P. Suarius.

Præpoſiti nomen quid in iure deſignat. Cap. Quamuis.

Dignitas & Prælatio an diſtincta, & quid illa.

P. Pellizar.

262. Claudendum duorum grauium ſcriptorum communiter recepta doctrina, quos adduxi in *Theſauro Tit.*20. *n.*44. vbi ſic Cæſarem Carenam (quod ad præſens attinet) loquentem exhibui: *Hi Vicarij Foranei* (Inquiſitionis ſanctæ Tribunales) *nullam habent præeminentiam Dignitatis prout nec Vicarij Foranei Epiſcoporum, vt notat Barboſa in Summa Bullarij in verb. Vicarius Foraneus. Et in ſuo Tractatu de Officio Epiſcopi. Parte* 3. *Allegat.*54.*n.*140.*&c.* Sed quia circa Vicarios S. Tribunalis, ſeu Commiſſarios, eſſe aliquid poteſt diffi-

Duorum grauium Scriptorum ſuffragium. Cæſar Carena. Barboſa.

difficultatem ingerens, illud est sectione sequenti discutiendum, vbi & id addendum, quod videtur incommodare posse propositæ positioni. Sit ergo

SECTIO XVII.

An esse Commissarij S. Inquisitionis possint, qui votum non procurandæ & acceptandæ Dignitatis & Prælationis nuncuparunt. Addita in Thesauro Tomo 2. Tit. 20. num. 44. & 57.

Vicarij similes Episcopalibus in sancto esse Tribunali posse.

263. Licet id, quod nuper dictum pro affirmatione faciat; sunt tamen qui circa hos hæreant, & verò etiam qui generaliter negant; sed immeritò, quia Commissariorum diuersitatem non videntur attendisse. Et quidem si Commissarius, ita fiat vt qui sic eliguntur, sint ad instar Vicariorum generalium Episcoporum, quod fieri posse ex Cæsare Carena citato dudùm Thesauri loco positum, vbi & Zunerdum adducit: pro quo & Diana *Parte* 4. *Tract.* 8. *Resolut.* 18. adducit Thomam Triuisanum *Lib.* 1. *Decis.* 66. *n.* 4. & multis adductis probat P. Fragosus *Tomo* 2. *Disput.* 13. *n.* 70. dicens de hoc ambigi non posse. Tunc quidem non leue est fundamentum ad affirmandum id esse contra voti obligationem sicut de Vicariatu Episcoporum dictum est: videtur enim illi consimilis, & aliquomodo magis disconueniens, quia ad Tribunal iurisdictionem magis formidabilem exercens, spectat, & supra omnes fere aliàs diuagantem, vnde & supra Vicarios ipsos generales Episcoporum, & quodammodo supra Episcopos, iuxta illa quæ apud Doctores occurrunt. De Commissarijs autem forancis alia est ratio, quia isti meri sunt executores mandatorum S. Tribunalis, vnde ipsi mandata pronuntiare nequeunt, nisi in casibus permissis iuxta eorum Titulos, de quo *Capitulum* 8. *Concordiæ pro Indijs.*

Decretum Vrb. VIII.

264. Ex quo videtur cessare difficultas, quæ oriri poterat ex Decreto Vrbani VIII. *die* 25. *Ianuarij. An.* 1632. qui declarauit & statuit voto Professorum Societatis, sicut & aliorum similiter vouentium, comprehendi Dignitates, seu Prælationes sæculares, *& quæcumque officia, quorum Officiales iurisdictionem Ecclesiasticam vel laicalem, de iure, vsu, vel consuetudine habent, seu quomodolibet extra ipsam Societatem exercent.* Quod Decretum adducit Cardinalis Lugo in *Responsis moralibus Dub.* 36. *Lib.* 4. propter quod id quod de Commissario est dictum cum vera iurisdictione, venit roborandum. Sicut & quod de alijs modò est dictum, quia neque iure, neque vsu, neque consuetudine iurisdictionem aliquam exercent. Iure quidem, quia ratione officij id non habetur, sicut neque vsu & consuetudine; cùm in contrarium vsus & consuetudo sint, Propter casus autem aliquos, in quibus mandatum librare & exequi possunt, non est asserendum iurisdictionem illis competere, quia in eo ipso mandatarij sunt. Vnde in Capitulo dicto non sine peculiari mysterio verbum permittendi appositum: *Sino fuere por causas de la fe en los casos, que les es permitido*, vt indicaretur id non ex iurisdictionis annexæ officio virtute facere, sed ex speciali mandato permissionis vocabulo sapienter designato.

Quinto illud Professi non videri eo ad facit ex vi voti.

Capitulum Concordiæ.

265. Secluso autem Vrbani Decreto non videtur sua probabilitate carere, posse etiam Professum Societatis esse Commissarium cum iurisdictione sibi delegata. Id quod probari potest, quia neque Dignitas, neque Prælatus est. Non primum, quia inter illas, quas Doctores assignant, vt quid sit Dignitas explicent, non inuenitur. Neque ex eo quod de Vicariatu Episcopi dicitur, paritas certa deducitur: immò ex eo argui potest, quia cùm de illo id asseratur, quod vidimus, de hoc tamen non deprehenditur sic accommodata locutio. Et ratio esse potest, quia Vicarius Episcopi ex dispositione Iuris vnum constituit cum eo tribunal, vnde & ordinaria iurisdictione gaudet, vt sæpè, diximus, & ita Ordinarij nomine venit. Hoc autem non habet Vicarius Inquisitionis; vnde nec vocari Ordinarius potest, quod & Inquisitoribus ipsis multi attribuunt, existimantes eorum iurisdictionem tantùm esse delegatam. Quòd autem Prælatus non sit, ex eo ostendi potest: Quia neque apud DD. Inquisitores Prælati nomine veniunt, nec superiorum, cùm de illis Iura agunt, vnde neque posse frui priuilegio *Cap. finalis de pœnit. & remission.* tenent multi, ex quibus Pasqualigus *Decis.* 114. quem adduxi *in Thesauro Tomo* 2. *in Additionib. n.* 137. & omnes illi indicant, qui eos non habere iurisdictionem Ordinariam arbitrantur, sed merè delegatam, quia non adhæret officio, sed merum exercitum importat, vt exponit Barbosa in *Collectaneis ad Cap. Per hos*, de hæreticis *in* 6. *n.* 4. & 5. quod esse satis probabile nequit negari. Accedit id, quod tradit P. Suarez *Tomo* 4. *in* 3. *p. Disput.* 27. *Sect.* 2. *n.* 8. scilicet nomine Prælati eum solùm intelligi, qui iurisdictionem habet proprio iure ac titulo, & non per commissionem: ex quo infert Vicarios Episcoporum, & aliorum Prælatorum non gaudere priuilegio dicti *Cap. finalis*: cùm verè Prælati non sint. Ex quo etiam videtur clarè deduci neque Vicarium generalem Episcopi nomine Prælati venire, & ita non semper iurisdictionem Ordinariam ad hoc sufficere, quia receptius est talium Vicariorum iurisdictionem esse ordinariam, vt aliàs dictum. Hinc est, vt non solùm ex eo fundamento, quo mouetur Pasqualigus Inquisitores Prælati non sint, quia scilicet eorum iurisdictio delegata est, nam etiam si Ordinaria dicatur, non censentur in Iure Prælati, quia reuera delegati sunt, licet eorum iurisdictio priuilegia Ordinariæ, vt aliàs dictum, fortiatur *Tomo* 2. *Thesauri. Tit.* 20. *n.* 15.

Secluso Vrbani Decreto posse Professum Societatis Officium cum inquisitione exercere vt probabile proponitur.

In vi mandati, non videtur expiratum & dubia circa Decretum illum.

Inquisitores Prælati nomine non veniunt.

Bulla Vrbani VIII. circa votum non ambiendi extra Religionem.

Pasqualig.

Non gaudent priuilegio Cap. fin. Barbosa.

P. Suarez.

266. Factum hinc vt ante Decretum Vrbani circa hoc sine vllo scrupulo ageretur, & ita loco ordinarij in Officio S. Inquisitionis Religiosi fuerint Societatis designati, vbi quidem quasi Episcoporum Vicarij, quatenus illi Inquisitores Ordinarij sunt, munus tale obire minimè dubitabant: vnde & ab Inquisitoribus Vicarij etiam aut Commissarij constitui poterant propter eamdem rationem. Quod quidem in Societate aliam etiam habebant peculiarem, renuntiasse inquam illam in Congregat. generali 8. ad instantiam Philippi Secundi

Sicut neque Vicarius Generalis, licet Ordinarij sint.

Ante Decretum Vrbani Religiosus adstrictus licet Ordinarij in S. Tribunali assistebant.

Pro Indijs. validior excusatio.

268. Ex quo pro Indijs excusatio instrui validior potest, ad quas propter immensam distantiam rerum istarum notitia seriùs peruenit, & confusiùs, neque de intimatione ac notificatione cum efficacia tractatur. & licet in libris ex Europa transmissis multa huiusmodi reperiantur, illorum Auctores non semper sunt personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ; & vt quandoque sint, eorum desideratur sigillum, & Notarij publici subscriptio, cuius nequit vices, supplere typographus. Neque ex talibus haberi, aut formari plenus conceptus potest de earum acceptatione aut supplicatione, quando verosimiliter aliquid tale possumus suspicari. Per quæ id saluari potest, quod de Vicarijs diximus *Sect. præced.* si forte illud est præfato Vrbani Decreto comprehensum; non enim intimatum aut notificatum; immò de modo publicationis, vt diximus, dubitatur; vnde eius non videtur vrgere particula, quæ apud citatum extat Cardinalem.

269. Dixi, *Si fortè comprehensum*, quia verosimiliter videtur dici posse non ita esse, scilicet quod Vicarios foraneos concernit, quia illi non exercent iurisdictionem Ecclesiasticam vt Dignitates aut Prælati; quod solùm videtur suo Decreto Vrbanus prohibere voluisse. Et quidem apud illum Dignitas & Prælatio, seu Prælatura, pro eodem vsurpatæ, vt constat ex Constitutione 142. *citata*, in qua cùm sic præmisisset: *Cùm votum, promissionem, siue iuramentum solemniter, siue simpliciter, emittant, aut præstent, de non petenda, nec procuranda, minusve acceptanda aliqua Dignitate, neque aliqua Superioritate extra eorum Religionem* &c. Sic *inferiùs* loquitur: *Prætendere se dicto voto, promissione, siue iuramento, de non petendo, nec obtinendo aliquam Dignitatem, & de illam etiam Motu proprio collatam non acceptendo &c.* de quo & iterùm sic: *Quorumcumq; dignitatum huiusmodi proinde incapaces &c.* Vbi neque de Prælatione aut Prælatura, aut Superioritate verbum additum, quia Dignitatum nomine satis videbantur explicatæ: cùm illæ solum Prælationes, Prælaturæ, & Superioritates voto sint comprehensæ, quæ Dignitates sunt. Cùm ergo hoc ita sit, si declaratio Vrbani tantoperè circa prædicta soliciti & satagentis, componi cum illo possit, non videtur obligatio vltra debitum amplianda.

Ex Vrbano Dignitas & Palatij idem, vnde arguitur.

270. Dici ergo potest tantùm id sibi voluisse Pontificem, vt omnis Dignitas voto debeat comprehensa censeri, quæ iurisdictionem quomodocumq; extra Religionem exercet. Quod quidem necessariò videtur admittendum, quia non solùm de Officijs Pontificia declaratio procedit, quibus Ecclesiastica iurisdictio exercetur, sed etiam laicalis, id est, quæ spirituale negotium non concernat, pro quo ad constringendam conscientiam deueniri possit præceptis & pœnis spiritualibus. Constat autem Rectores Vniuersitatum iurisdictionem aliquam in omnia eiusdem membra exercere posse, quæ quidem extra Religionem sunt: & quamplures esse Vniuersitates, quæ curæ sunt Societatis commendatæ, manifestissimum est. Quòd autem iurisdictionem Rectores habeant, ex definitione ipsius desumitur, quam habet, discussis alijs, P. Molina *Tom* 6. *Tractatu* 5. *Disput.* 2. *nu.* 5. scilicet: *Est facultas seu ius faciendi vnumquemq; circa ea quæ sibi tamquam Superiori subduntur, ea omnia, ad quæ munus suum Superioris se extendit.* Quæ quidem cum omni potest proprietate Rectoribus applicari, quibus in vsu est præcipere sub pœna præstiti iuramenti. Quod cùm ita sit, omni prorsus deposito scru-

Dignitas cum iurisdictione extra Religionem Decreto tantùm comprehensa.

Vniuersitatum Rectores, licet iurisdictionem habeant, non comprehensi.

P. Molina.

Iurisdictio quid.

Qui Generalibus respondent Decreto illius comprehensos.

pulo post Breue præfatum Vrbani in suo est vsu conseruatum, quia in eo prærogatiua Dignitatis non elucet, quæ cum Prælatura in caussa præsenti conuertatur. Iuxta quem explicandi modum boni Doctores tenent, cum Pontifices in suis Bullis aut Decretis aliqua concedunt, addentes,

Interpretatio adhibenda, quæ minùs grauet.

Dummodò non sint contra Concilij Tridentini Decreta, aut sacras Canones, debere intelligi de sacris eiusdem Concilij Canonibus vt exceptio minùs, hac ratione, seruata verborum proprietate grauet priuilegiatos. Cùm ergo id, quod de iurisdictione quomodocumque exercenda extra Religionem, proprietate verborum salua, ita intelligi possit, vt de Prælatione, quæ sit Dignitas, accipiatur, non est cur talis explicationis modus reijciendus sit: dum de mente Pontificis expressius aliquid non habemus. Quod pro Indijs magis opportunè cadit, ob rationes dictas, & Societati nostræ numquàm esse incommodum potest, Sanctæ Inquisitionis Tribunali in ijs, pro quibus vtilis eius iudicatur labor, cura, & industria, subseruire.

SECTIO XVIII.

An decoctores publici, qui scilicet multa accepta pecunia, aut gratis, aut cum lucro, se subducunt, si Familiares S. Inquisitionis sint, eius foro gaudere possint.

Casus propositio.

271. REs in controuersiam deducta est in casus prædicti contingentia; & cùm pro vtraque parte rationes viderentur vrgere, competentia formata est concursu iudicum, iuxta formam in Concordia præscriptam, ea prærogatiua Regiæ Limanæ Cancellariæ seruata, vt quia vacante Proregnatu, gubernatio totius regni ad illam deuoluta est, & antiquior Senator Præsidis dignitate sit clarior, non ipse, sed qui post eum antiquior cum antiquiore in S. Tribunali ad articuli huius determinationem conueniat. Quod quidem pro futuris temporibus hoc loco aduertisse oportuit, & forsitan aliquando legentibus occurrisse iuuabit. Solent namque compugnantiæ istæ, bono vtrimque zelo exertæ, nimium quantùm caussarum expeditionem retardare. Et sancti quidem Tribunalis erga Regiam Maiestatem obseruantia, sicut etiam circa eos, qui eam cum auctoritate Proregia repræsentant, dignissima quidem est, cùm Regum nostrorum verissimè in hoc Catholicorum, effectissima beneuolentia, ad eum sit euectum excellentiæ gradum, vt venerabilius nihil, sicut neque firmidabilius hostibus nominis Christiani. Factum hinc vt in pulcherrimo sacello magnis ad communem admirationem extructo sumptibus in hoc Limano caussarum sublimiorum Prætorio, iuxta ipsam aram Catholicorum Regum Ferdinandi & Isabellæ pulchra fuerint simulacra collocata, vtpotè à quibus illius cœpit maiestas propagari. In quo neutiquam hærendum, quasi aliquod in eo extet Sacris Decretis de non collocandis sanctis in locis imaginibus eorum, pro quibus Apostolicæ Sedis non est indulta facultas. Id namque de ijs accipiendum, quæ eorum sunt, qui titulo sanctitatis in locis huiusmodi collocantur: quod hic non accidit, quandoquidem alio titulo agitur, beneficentiæ inquam singularis, & Christianæ magnificentiæ Regia in sublimitate. Licet autem profanarum personarum imagines in templis locari nequeant, quod est Apostolicæ Sedis cautione præuentum, nec vt par erat obseruatum, id nequit item obstare: reuera enim profanarum personarum imagines dici non possunt, quæ ad testimonium egregiæ pietatis apponuntur. Sic Carolus V. prædictarum Nepos statuam argenteam viri armati genibus nixi, manibus in cælum sublatis, supplici habitu, dedit, dicauitque Virgini Hallensi, vt scribit Iustus Lipsius. Quæ quidem statua & stabit tenerrimi tanti Herois erga mundi Imperatricem *monumentum & pignus amoris*.

Imagines Catholicorũ Regum Ferdinandi & Isabellæ inxta Aram in Sacello S. Inquisitionis vt stare possint.

272. Fundamenta pro vtraque parte esse possunt. Pro negante *Primum* quia decoctores tales sunt latrones, & non vtcumque, sed publici, vt declarauit Pius V. in Bulla edita *An.* 1570. sicut *l. 1. & seqq. nouæ Recopilat. Tit. 19. Lib. 8.* vnde in illos Capitalis sententia vtrobique constituitur. In Bulla etiam Gregorij XIV. sat celebri de immunitate Ecclesiæ publici latrones ab Ecclesiæ beneficio excluduntur. Ergo & à foro S. Inquisitionis, quia non est credibile velle Pontifices huiusmodi Ecclesiæ pestes, contra quos tot damnificatorum clamores ad cælum ascendunt, patrocinio S. Tribunalis frui, quibus Ecclesiæ refugium denegatur, & ita in antiquiore Concordia *die 10. Martij. An. 1552.* statuitur de raptore publico.

Pro parte negante fundamenta.

1. Quia latrones publici.

273. *Secundum* ex Capitulo 5. Concordiæ. *Que los Comissarios, y Familiares de las dichas Inquisitiones, que fueren Mercaderes, Tratantes, ô Encomenderos, no sean exentos de pagar los derechos Reales, y las Iusticias Reales les compelan à ello, y les puedan reconocer sus casas ô mercaderias, y hallando auer cometido algunas fraudes en los Registros, castigarlos conforme las leyes y Ordenanzas Reales, y los Inquisidores no les amparen y defiendan.* Ex quibus apparet crimen defraudationis aliquorum Regalium iurium, in quo species aliqua latrocinij est, ad forum S. Inquisitionis minimè pertinere: ergo neque illud, de quo agimus, quod in comparabiliter maius est: vnde non credendum Reges nostros his velle fauendum, ex quorum enormi facinore adeò grauia incommoda in Rempublicam veniunt, quibus & Regium patrimonium tenuatur.

2. Quia est iuxta Capitulum Concordia 5.

274. *Tertium* ex Capitulo 6. in quo ita dicitur: *Que nombrando la Iusticia Real seglar por depositario de algunos bienes à algun Familiar, la puede compeler à que de quenta de los tales bienes, y castigarle siendo inobediente.* Ex quo similiter argui potest. Nam tale Depositarij crimen genus latrocinij publici est, cui tamen S. Tribunal nequit auxilium impertiri, nec ad forum suum trahere: ergo neque in casu, de quo loquimur, vbi damnum manifestius: non enim in casu Depositarij de eo agitur, qui cum deposito se subtrahit, sed de eo, qui renuit depositi reddere rationem, contra quem est præsumptio suffurationis.

3. Quia iuxta Aliud eiusdem.

4. Quia iuxta Aliud item.

275. *Quartum* ex 19. tenoris sequentis: *Que los Familiares; que tuvieren Oficios publicos, y delinquieren en ellos, sean castigados por las Iusticias Reales, y los Inquisidores no les defiendan y amparen* &c. Constat autem eos, qui in officijs huiusmodi delinquunt, frequentiùs ex eo esse, quòd aliena vsurpent, & peculatus crimen ex illis multi committant; vnde & latrones habendi, grassatoribus viarum non rarò deteriores, quos necessitas ad infanda compellit. Inde ergo pro decoctoribus argumentum, qui velut publici officiales habentur, ad quos fiducialiter promiscua turba concurrit, vti ad securum pecuniarum traditarum asylum.

5. Quia criminaliter agentium, tamen tales esse sine culpa negatur.

276. *Quintum*: quia vt decoctores dicto foro S. Inquisitionis frui queant, debet agi criminaliter contra illos, quia solum in criminalibus hoc est illis, priuilegium ab Apostolica Sede, & Regia Maiestate concessum: Atqui stare potest vt nequeat criminalis caussa contra tales criminaliter agi, quia sine culpa contingit multos in eum statum deuenire, contra quos pœnæ in decoctores latæ non procedunt, vt notat Ioannes de Heuia in *Curia Philippica Tomo 2. Lib. 2. Cap. 11. n. 4. & seqq.* Immò communiter omnes ita sibi contigisse contendunt, ne infamiæ notam crimini huic adnexam incurrant: non ergo potest S. Tribunal eos tamquàm sui fori à laicali abiunctos vindicare.

Vltimo. Quia non inueniuntur excepti apud Scriptores.

277. *Vltimum.* Quia Auctores de hoc agentes, de priuilegiatis inquam circa forum, Familiares in hos crimine exemptos non affirmant, neque de illis agunt, vt ij faciunt, qui de Ecclesiæ immunitate loquuntur: quod quidem ex eo factum videtur, quia de hoc non videntur dubitasse: quandoquidem minora alia crimina in hoc genere bonorum temporalium commissa excepta dignoscebant. Nec dici potest per contrarium posse argumentum efformari, ex eo quòd crimen dictum non videatur exceptum, quia id satis improbatum manet ex dictis, exceptum enim non esse probant alia eiusdem generis non excepta, vnde negatur quod assumitur, scilicet exceptum non inueniri; eadem enim est ratio taciti & expressi, quando tacitum in expresso continetur, vt Textibus & Auctoribus exornat Barbosa *Tractat. de Axiomatibus. Axiom. 218. nu. 1. & 2.* qui nu. 6. illud aliud adducit: *Taciti & coniecturati par est virtus cum expressi.*

Quid pro affirmante. 1. Quia non sunt raptores publici.

Diana. Tancredi.

Vbi arguitur etiam si Constitutio Greg. XIV. in Hispania recepta non sit.

278. Et hæc mihi criminosis dictis aduersa occurrunt, quid iam pro ipsis faciat adijciendum, & illud *Primò* criminosos huiusmodi iuxta Constitutionem Gregorij XIV. non venire nomine raptorum publicorum, & ita eos gaudere immunitate Ecclesiæ tenent multi, quos adducit & sequitur Diana *Parte 1. Tract. 1. Resolut. 32.* & ijs addendus P. Vincentius Tancredi *de Religione Tract. 1. Lib. 4. Disput. 7. n. 1. & 2.* vbi alios allegat. Licet autem in Hispania dicta Constitutio recepta non sit, vt aduertit ipse Diana cum Portel *Tomo 1. verb. Ecclesia immunitas nu. 9.* quod & praxis ipsa confirmat; habemus tamen ex eo sufficiens argumentum pro instituto præsenti, quia S. Inquisitionis Tribunal maximè attendit Pontificias Constitutiones, vt secundùm eas optimum modum procedendi teneat, eas consuetudines non attendens, quæ diuersis in locis circa illarum obseruantiam esse possunt. Cùm ergo inueniat iuxta Constitutionem dictam criminosis talibus Ecclesiam beneficium defensionis impendere, meritò iuxta eumdem spiritum operatur, tales ad suum sinum confugientes admittens, iustitiam creditoribus pro vt facultates iuuerint, minimè negaturum.

2. Quia crimen hoc, exceptum non est.

279. Deinde *Secundò*, & valde fundamentaliter, quia hoc crimen exceptum non est: ergo cum alijs non exceptis venit. Antecedens de non expressione illius est certum, vnde & vrget consequentia. Si dicat, vt dictum est *nu. 277.* licet expresè non sit exceptum, esse tamen tacitè, cum eâdem ad effectum, de quo agitur, efficacia. Contra est, quia ex maioritate criminis non benè arguitur, quando materia odiosa est, quod alibi à me ostensum, & est quamplurium grauiumque Scriptorum valde recepta sententia. Quod ergo de expresso & tacito dicitur, tunc accipiendum quando tacitum includitur in natura expressi, vt explicat Marius Antoninus *Variar. Resolut. Lib. 2. Resolut. 57. n. 72.* Item, in prohibitis non est ratio vtriusque eadem, vt ex Castrensi, & Crauetta habet Barbosa *Supra Axiom. 228. n. 5.* Constat autem crimen, de quo agimus non inesse in natura aliorum, quæ videntur maiora: & hîc de prohibitis agi, quia Inquisitoribus prohibitio incumbit circa delicta illa, de quibus dictum, & in Concordia extant; quare non debet ad non prohibita dispositio extendi.

Taciti & expressi quando ratio eadem.

Marius Antoninus.

3. Quia in dubio S. Tribunali fauendum.

280. Præterea *Tertiò*, quia cùm res ista videatur dubia, sancto est Tribunali fauendum, iuxta communes regulas de fauore religionis, de quo dictum alibi, nec semel, & obuium in multis. Quod vrgeri potest ex eo quòd ex Alfonso de Narbona, alibi datum in *Glossa 19. n. 2. circa leg. Concordiæ*; vbi affirmat crimen ipsum læsæ Maiestatis nequaquàm exceptum in ministris Salariatis. Qui singularis fauor ex affectu illo Principum sic statuentium descendit, quo caussas fidei supra omnes alias prosequuntur. Quid ergo mirum, si pro Familiaribus illud, quod adeò est minoris momenti concedatur? Vnde & argui ex Axiomatibus Iuris potest, quod scilicet, *si plus licet, etiam quod minus est, licebit.* De quo citatus Scriptor *Axiom. 180.* & quòd *maius cui conceditur, etiam minus concessum esse videtur.* De quo *Axiom. 140.* & si quod est aliud his simile, applicanda non personis in particulari, sed S. Tribunali, cui concessum debet intelligi quod est minus, cùm id quod plus est concessum esse comperiatur.

Alfonsus Narbona.

Crimen læsæ Maiestatis non exceptum, ex quo arguitur.

Plus & minus, vt ja inferant.

Barbosa.

4. Quia ex nullo capite apparet denegandum, aliquin facto circa adducta.

281. Item *Quartò*. Quia ex nullo Capite inferri potest hoc esse Tribunali sancto denegandum: si enim ex aliquo, maximè ex ijs, de quibus paulò *superiùs*; quod tamen non ita esse ostenditur. Nam de *Primò* iam dictum, quod ad immunitatem Ecclesiæ spectat. De *Secundo* autem probatur, quia in eo de iuribus Regijs agitur: constat autem ea, quæ ad Regem spectant, esse maximè priuilegiata: nec credibile est voluturam illum vt ex alijs coniectura fiat ad ipsius læsionem. De *Tertio* verò ratio conuenientiæ peculiaris deduci potest ex fidelitate maxima, quæ in Depositario requiritur per auctoritatem publicam designato: eo enim ipso ciues securi redduntur, vt apud ipsum deponere pecunias possint, vnde nullo

De 1. iam dictum.

2 De iuribus Regijs.

3. De depositario.

modo, si fraudem committat, dispendium inde secutum imputari deponentibus debet. Et ita per laicos iudices meritò debet puniri, pœnas talibus assignatas per leges infligendo. Quod non ita accidit quando Mercatores cum multorum damnificatione se subtrahunt, quia deponentes apud eos pecunias, solicitiores circa hoc esse debuerunt, cùm nulla pro ijs publica auctoritate sit constituta securitas. Itaque Depositarij publica auctoritate positi, æquum est vt officium secum illegaliter agentes, publica etiam auctoritate, per quam positi sunt, puniantur: non ita qui aliter pecunias, quas decoquerent, receperunt: vnde circa hos iudicium potest S. Tribunalis conuenienter exerceri, licet à creditoribus plus moræ sit aliquid sustinendum.

4. De habentibus officia publica.

Ex quo pro *Quarto* etiam argui potest, quia illi sicut Depositarij officia publica auctoritate demandata gerunt, vnde ab eadem auctoritate conuenit in eos animaduerti. Quemadmodùm in *Capitulo 14. Concordiæ* statuitur vt lites carceratorum, etiam pro causis fidei, in carceribus S. Tribunalis quæ ante carcerationem apud iudices Ordinarios agebantur, etiam post carcerationem apud eosdem peragantur. Licet autem pro Ministris Salariatis aliter sit dispositum, qui in præfatis foro Inquisitionis gaudent, id non obstat, quia ob speciales rationes ita fieri potuit, non ea seruata proportione, quam in Familiaribus vidimus ad effectum, de quo agimus, suffragari. Quod ad

5. De Criminali agendi modo.

Quintum etiam pertinet, ex eo conuellitur, quia licet creditoribus sufficiat ciuiliter & non criminaliter agere, iudices tamen ex officio possunt procedere contra tales, qui communiter loquendo inueniuntur culpabiles, quando ex fortuitis euentibus infortunium huiusmodi non constat accidisse. Et licet ipsi se aliàs iustificare pergunt, re tamen ipsa criminosos se ostendunt, dum ad forum S. Inquisitionis prouocant, in quo soli criminosi iudicantur.

6. De tacito casu retorquetur.

282. Quod insuper in *Vltimo* fundamento dicebatur de hoc casu à Doctoribus tacito, pro hac parte potiùs facit, quia ideò non locuti de illo quòd existimarent non esse de ipso dubitandum, cùm pro eo addita non fuerit exceptio, & quæ pro alijs adiecta hoc firmare videatur, iuxta vulgarem regulam, *Exceptio firmat regulam in contrarium.* Quo fundamento Narbona, vt vidimus, *n.*280. crimen læsæ Maiestatis ad forum Inquisitionis spectare dixit in prædictis Ministris, quia exceptum non inuenitur, licet id negent Simancas & Paramus, quos adducit & sequitur P. Fragosus *Tomo 2. Disput.*13.§.10.*n.*15. Cùm tamen adeò enorme & horribile sit, & tantoperè Principibus odiosum. Ex quo arguere præterea possumus confirmantes id, quod *n.* 279. dicebamus, scilicet ex maioritate criminis non benè argui pro maiori pœna, aut magis odiosa prohibitione. Crimen enim læsæ Maiestatis maius est crimine corruptarum pecuniarum, & Sodomiæ; nec tamen illi, sicut istis, ignis est pœna constituta, & homicidio maiora alia crimina sunt, nec tamen pœna capitis pro istis, sicut pro illo fulminata; Neque tamen aberrare ab æquitate dicendi sunt legislatores, quia ad sic faciendum bonis sunt ducti rationibus, & proportiones dignæ considerationeseruatæ.

Circa crimen læsæ Maiestatis.

283. Addi insuper potest *Quintò*, Nam si laicale forum non esset declinandum, ratio aliqua, quæ Creditoribus fauorabilis esset, videretur conducere. Et tunc quidem posset id non ægrè S. Tribunal sustinere. Atqui non ita accidit: ergo non est cur debeat declinari. Circa Maiorem non est difficultas, & ita Minorem probo. Nam S. Tribunal non ideo Familiarium causas ad se aduocat, vt Creditores, aut aliàs iniuriam passi, maiores quàm in laicis tribunalibus molestias patiantur, sed potiùs vt minores; quod ex eo patet: Nam cum illius Ministris minori cum dispendio pecuniarum agitur; iudices adiri facilè possunt, & sunt illi pauciores, pro quorum captanda beneuolentia neque munera, neque intercessiones multiplicare oportet. Quibus commodis aliqualis mora in expeditione causarum compensatur. Et quidem quæ ad id genus spectant, de quo agimus, alijs sunt semper moratiores, cùm ea, quæ decoctores relinquunt bona, aut pauca, aut recuperatu difficilia sint, & vt proratæ fiant, multum debeat operæ impendi, faciendæque expectationes (*Esperas* vulgo) aut legitimæ, aut priuilegiatæ. Nullum ergo grauamen notabile creditoribus ingeneratur.

5. Quia nihil fit quod creditoribus officere possit.

284. Tandem, quia Concordia pro Indijs fauorabilior est quàm communis pro alijs regnis Coronæ Hispanicæ: & tamen in ista non inuenitur prædictum crimen exceptum, vbi tamen alia excipiuntur, scilicet crimen læsæ Maiestatis, nefandum contra naturam, & rebellionis, vel seditionis publicæ vt ex Simanca habet P. Fragosus *citato n.* 15. vbi indifferenter loquitur de Familiaribus & Ministris: constat autem in Ministris Salariatis, qui præsertim ad officium sanctum propiùs accedunt, criminum, de quibus loquimur, exceptionem locum non habere. Cæsar Carena citans alios *de Officio S.Inquisit.Titulo* 15. *n.*17. Sed plura alia esse delicta constat ex *l.* 20, *Lib.* 4. *Additionum ad nouam Recopilationem*, de quibus à Nobis *in Thesauro* dictum, quia & illa pro Indijs obseruare iussa est, vt ex Regijs Schedulis testatur D.Solorzanus *Tomo 2.de Iure Indiarum Lib.*3. *Cap.*24. *n.*60. & quidem cum tot crimina inueniantur excepta, decoctorum tamen mentio nulla; ex quo fieri videtur minimè illud exceptum haberi.

6. Quia Concordia Indica fauorabilior est communi, & in hac crimen non inuenitur exceptum.

Cæsar Carena.

D. Solorzanus.

285. Illud tamen difficultatem ingerere aliqualem potest, quod tandem additur: *Y en otros delitos mayores que estos.* Videtur autem crimen prædictum maius aliquibus ex præmissis ibidem, sic enim dicitur post illa, de quibus suprà: *Fuerza de muger, ô robo de ella, y de robador publico, y de que brantamiento de casa, Iglesia, ô Monasterio, en quema de campo, ô de casa, con dolo, y en resistencia y desacato calificado contra las Justicias Reales.* Crimen siquidem decoctorum maius est crimine, quod constuprator violentus committit, cùm in hoc damnum & iniuria ad singularem personam spectet, in alio autem ad multos propagatur. Idem videtur de raptore publico; tales enim magnas non solent pecuniæ summas subripere, sed viatores inualidos spoliare. Sicut & domus præfractor aliquali summa pro necessitatis succursu contentus. Et etiam resistens Regijs ministris iustitiæ, vbi præter irreuerentiam damnum nullum, Quod & de incendiario dici similiter potest, qui inimici

Ex Concordia verba obiectio.

Crimine exemptas quibus cum facta decoctorum criminis comparatio.

inimici campum cum illius tantùm nocumento, ad motoigne, corrupit.

Ex satis singularum criminum recta ratione.

286. Sed certè licet hoc vrgere aliquomodo videatur, non tamen ex eo ratio à nobis adducta conuellitur: quia licet in rigore scholastico loquendo aliqua ex prædictis criminibus minora esse videantur, in ordine tamen ad gubernationem politicam, quæ præcipuè attenditur, alia ratio esse potest, & ita quæ maiora reipsa sunt, possunt non esse excepta, vt non est exceptum homicidium, quod maius est violentia facta mulieri; & ita illud, de quo agimus, reputari potest, & præterea de rigore etiam scholastico loquendo non est ita exploratum id, quod de maioritate dicebatur; nam malitia peccatorum quoad eorum specificam rationem, non desumitur ex actionum extensione, quæ ad circumstantias aggrauantes spectare potest, sed ex peculiari difformitate, iuxta diuersos illam explicandi modos, qui apud Theo-

De furto.

logos occurrunt. Iuxta quod vis illa facta mulieri maius peccatum est furto, licet illud notabile sit: quia hoc contra solam iustitiam est, illud autem & contra iustitiam, dum vis infertur, & contra charitatem, quia scandalum, dum feminam in periculum manifestum grauiter peccandi violenter inducit: & contra castitatem. Quod autem ad

De raptore publico.

raptorem publicum pertinet, iam vidimus *n.*278. quid sit de eo in casu præsenti dicendum. Et maius quidem peccatum esse ex eo conuincitur, quia præter subtractionem bonorum est in eo violentia peculiaris valde iniuriosa cum præparatione animi ad continuandum scelus, & vitę etiam

De præfractione domus.

innocentium insidiandi. Præfractio domus peculiare etiam aliquod habet, propter quod non veniat tale crimen ei, de quo loquimur, exæquandum, quia securitas publica læditur, qua sublata nihil tutum, neque facultates, neque vxores, aut filiæ, neque instrumenta publica, neque vita ipsa.

Incendium segetum.

Incendium segetum inhumanitatem arguit non solùm Christiano homine, sed etiam indignam Pagano: estque bono publico nocentissima, quia id destruitur, quo sustentanda vita est, & licet damnum esse possit respectu tantùm inimici cuiusquam, id non debet patrocinium criminis immanitati præstare, quia si quisque inimici sui campum velit incendere, neque per publicam id auctoritatem vigilantissimè caueatur, cùm tot sint inimicos habentes, & etiam segetes, damnum

Concrematio domus.

inde grauissimum promanabit. Domus etiam conflagratio grauissimum damnum est, quia præter id quod secum affert applicitus ignis, periculum est præsentissimum, vt & vicinæ domus. & magna etiam populi pars, conflagratione dispereat. Et quidem si præfractio domus id habet, quod vidimus, circa incendium ratio est manifestior. Iam quod ad resistentiam attinet facilè perspicitur quàm sit pro illa ratio vrgens: fundamentum namq; politici status subiectio est, quam seruare subditi debent sublimiorum respectu poteſtatum. Non ergo ex prædictorum criminum exceptione legitimè argui potest pro eo, de quo agimus. Iuxta quæ

Resistentia iustitiæ ministri.

287. Dico Primò. Crimen decoctorum, si verè tale sit in Familiaribus, ad Tribunal sanctum spectat. Id probant adductæ nuper rationes.

Assertio 1. Affirmans in crimine verè tali.

Dico Secundò. Si tantùm ciuiliter agatur dicta causa, ad sanctum Tribunal non est aduocanda. Constat, quia pro ciuilibus causis non est fori priuilegium.

Negant si tale dari est.

Dico Tertiò. Si causa ciuiliter cœpta est, & apud iudices Ordinarios illam creditores prosequuntur, aliqui autem eorum criminalem querelam apud maiores iudices intentauerint, causa est ad S. Tribunal pertrahenda: sed quod ad ciuilem prosecutionem attinet, iudicibus est relinquendum, apud quos cœpit agitari. Primum liquet, quia est consequens ad dicta: quòd enim ciuiliter cœpta causa sit, criminalem prosecutionem non tollit, & ita neque priuilegio exemptionis obest. Secundum autem ex eo suadetur, quod habetur in Capitulo 14. Concordiæ, sic enim ibi:

Capitulum Concordiæ.

Que estando presos en la Inquisicion alguna ó algunas personas por algun delito, aunque sea de la fe, los Inquisidores no den mandamientos contra las Iusticias paraque sobresean ó paren en los pleytos, que los tales presos tuuieren ante las tales Iusticias. Hæc ibi: iuxta quæ ciuiles causæ carceratorum iudicibus, apud quos agi sunt cœptæ, relinquendæ sunt. Et quidem in fortioribus terminis dispositio procedit, in causis inquam etiam Fisci, vbi bona, de quibus agitur, apud Ordinarios iudices. Fisco sunt applicanda, & Tribunalis arcis inferenda. In qua Tribunalis erit sancti iuxta merita causæ reum aut damnare, aut absoluere: Ordinariorum autem iudicum (qui in negotio præsenti esse possunt iudices Consulatus mercantilis contractationis) bona non occultata diuidere, iure creditorum attento.

Assertio 3. Distinguens inter causam ciuiliter & criminaliter intentam in diuersis tribunalibus.

288. Dico Quartò. Si criminalis actio intentata sit circa bona aliqua in particulari, quæ dicantur occultata, dolosè accepta, aut fraudulenter alienata, præter cognitionem criminis prædicta bona ab alijs sequestrari possunt, & ad Tribunal sanctum, quod detectum ex ipsis fuerit, adducendum est, & inter creditores prorata, attento eorum iure, & priuilegijs circa debita, distribuendum. Sic factum in casu simili, cùm inter Consulatum & Regios Auditores criminalis fori, iurisdictionis fuisset competentia exorta in causa cuiusdam decoctoris; sequestrata sunt enim bona, de quibus in speciali criminaliter agebatur, vt ea sic criminaliter agentibus, fauentibus probationibus, aut ex integro, aut pro rata traderentur. Ratio est, quia attenta Iuris dispositione, iudicium vbi cœptum est debet terminari. *l. Vbi cœptum est. D. de iurisdiction. omn. iud.* ne scilicet actores apud diuersos iudices causam suam prosequentes duplicatam molestiam patiantur, de quo in Thesauro dictum circa *citatum Capitulum Tit.* 20. *num.*51.

Assertio 4. Circa sequestrum bonorum criminalium faciendum.

l. Vbi cœptum.

289. Dico Quintò. Si post criminalem actionem is, contra quem est intentata, deprehendatur inculpabilis, nō est à Tribunali sancto ad vlteriora procedendum, nec de rata bonorum pro satisfaciendo creditoribus agendū. Id ex eo ostenditur, quia comperto non esse crimen commissum, ciuilis tantùm actio restat, quæ ad S. Tribunal non spectat. Petat ergo sic agens coràm eo, qui aliàs esset, si criminalis non fuisset interpositus strepitus, adeundus, & tam ipse quàm reus, sibi consulant, nihil iam cum S. Tribunali, quod ad causam pertineat, habituri. Pro quo deseruire doctrina potest, quam ex Iomne Moure adducit Diana *Parte* 4. *Tract.*8. *Resolut.* 111. & versatur circa

Assertio 5. Si inculpatus deprehendatur reus, non vltra procedendum.

Elegans probatio ex Cap. Accusatus.

circa explicandam clausulam *Cap. Accusatus*, de hæreticis §. *sanè in 6.* vbi sic dicitur: *Sanè, cùm negotium fidei (quod summè priuilegiatum existit) per occupationes alias non debeat impediri, pestis Inquisitores hæretica à Sede Apostolica deputati, de diuinationibus aut sortilegijs (nisi hæresim saperent manifestè) intromittere se non debent, nec punire talia exercentes, sed eos relinquere suis iudicibus puniendos.* Sic Alexander IV. circa quæ citatus Scriptor à Diana probatus, si de temporibus ante Sixtum V. loquamur, qui sortilegia, etiam cùm non sapiunt manifestè hæresim, ad sacrum Inquisitionis Tribunal voluit pertinere) affirmat ita esse intelligenda, vt si prima facie non appareat in sortilegio manifestus sapor hæresis, non possint DD. Inquisitores cognoscere, sed teneantur relinquere rem intactam alijs iudicibus. Si verò ea qualitas appareat, cognouerunt, præuioque examine inuenerunt non subesse talem saporem, seu suspicionem, tenentur reum dimittere impunitum, quantumuis eis constet de delicto: sicut cùm ob blasphemiam, quæ videbatur hæretica-lis, res examinatur, vel reus capitur, & præuio examine reperitur quidem blasphemasse, sed non hæreticaliter, tenentur reum dimittere; non quidem remittendo eum ad alios iudices vt eum puniant pro tali delicto, sed eum simpliciter relinquendo, iuxta prædictum verbum; *Relinquant*, id est, dimittant, & non impediant. Iudex autem ad quem punitio spectauerit, poterit & tenebitur cognitionem rei præsumere, & constito sibi quod S. Tribunal eum propterea tantùm dimisit, quia delictum non qualificabatur hæresis suspicione, poterit procedere. Sic ille. Ex cuius doctrina id generaliter habetur, vt postquàm S. Tribunal functum est munere suo circa caussæ cognitionem, & eam ad se non pertinere deprehendit, id quod ad illam secundùm se sumptam spectat, ordinarijs debeat iudicibus relinquere, & reos in sua constituere libertate. Quod quidem in casu nostro potiori ratione agendum, in quo nullum supponimus delictum deprehensum: vnde quidquid est reliquum, ciuile est, & ita ciuiliter à proprijs iudicibus dirimendum.

Ioannes Moure.

Ex sortilegiis desumpta, circa quæ praxis.

Caussa conclusio.

290. Et iuxta resolutionem propositam pars S. Tribunalis post hæc scripta tandem obtinuit. Licet enim Regius Auditor, vir quidem doctus, & in Regijs Tribunalibus veteranus, illi fuerit aduersatus ex fundamento legum adductarum, iuxta quas raptores publici foro Inquisitionis non gaudent, cum alias decoctores raptores sint publici declarati in eisdem, ex quo videtur per legitimam consequentiam intentum haberi. Nihilominùs vnus ex Præbendarijs Metropolitanæ Ecclesiæ, iuxta id quod in Concordia Indica dispositum habetur, delectus, discordiam duorum iudicum suo pro Tribunali adhibito suffragio temperauit, reo ad carceres eiusdem adducto, & actis criminaliter contra ipsum cancellatis. Quantam autem vim discursus aduersantis partis habeat, iam vidimus, & modò addendum illud etiam si decoctores vti raptores publici iudicandi sint, id tamen circa eos obseruandum quod de raptoribus publicis graues scriptores affirmant, requiri inquam actuum frequentiam, pro quo Diana *citata Resolut.* 32. ex Peregrino, inde pro immunitate decoctorum arguente P. Gambacurta *de Immunit. Eccles. Lib.* 5. *Cap.* 11. P. Vincentio Tancredi *de Religione Tractatu* 1. *Lib.* 4. *Disput.* 8. *Quæs.* 5. *n.* 7. qui alios adducunt. Qui ergo semel crimen decoctoris commisit, non est publicus raptor reputandus: & talis est, de quo in præsenti. Ex quo habetur regulariter loquendo huiusmodi crimen ad forum S. Tribunalis pertinere, quia aut numquàm, aut rarissimè accidit vt quis illud committat iteratò.

Ex raptoribus arguitur, in quibus requiritur actuum frequentia. Diana. P Gambacarta.

P. Tancredo.

291. Potest autem dici in decoctoribus non esse iteratum delictum expectandum, sicut in raptoribus alijs: quia vnum illud æquialet multis, vt *superiùs* dicebamus. Iuxta quam considerationem sunt qui censeant in raptoribus alijs non esse iteratum delictum expectandum, vt immunitate Ecclesiæ priuentur, quando ingentem rapuerunt quantitatem, vt videri potest apud citatum P. Gambacurtam *adducto. Cap.* 11. Sed licet hoc non videatur sua probabilitate carere, verosimilius est quod citatus Pater tenet de necessitate frequentiæ in crimine raptorum vt Ecclesia eos beneficio immunitatis excludat. Quod probari potest ex criminibus alijs non exceptis, quæ licet circumstantias habeant, ex quibus notabiliter militia eorum accrescat, non ideò alterius fori dicenda sunt, etiam si fortè ratione illarum crimina alia non priuilegiata videantur exæquare, immò & superare. Sic homicida non qualificatus qui vnum occidit, immunitate Ecclesiæ gaudet, nec ex eo quòd plures occiderit, in quo maior esse malitia potest, quàm in vnius proditoria occisione, priuilegium immunitatis amittit. Et fur occultus, cui non negatur Ecclesia, maiorem vsurpans quantitatem quàm publicus raptor, beneficio non est prædicto priuandus. Pro quo & alia possunt exempla glomerari: sed adducta sint satis, vt nos iam ad alia gradum faciamus.

Roboratur contra alios, qui frequentiam non requirunt.

P. Gambacarta.

SECTIO XIX.

Quidam ex voto faciebat quædam in honorem Virginis de Copacauana in Peruuio celebris: quod votum Religionem ingressus noluit expirare, Circa hoc quæstio, & vtilia nonnulla.

292. GEneraliter loquendo expirare affirmat Pasqualigus *Decisione* 435. & probat quia huiusmodi vota extinguuntur ipso iure, vt tenet Glossa *Cap. Monacho. verb. Vouerit* 20. *q.* 4. Abbas *Cap. Peruenit* 2. *n.* 1. de Iure iurando. Paludanus in 4. dict. 38. q. 4. arti. 1. Conclus. 6. & alij quos citat & sequitur P. Thomas Sancius *In opere morali Lib.* 5. *Cap.* 5. *n.* 36. ex quo videtur elici eos sentire id etiam verum habere, licet quis non extincta velit, quia quod ex Iure habetur, nequit ex voluntate priuati cuiusquam infringi. Et instauratur ratio. Quia quando quis emittit Professionem, habet voluntatem efficacem se obligandi per vota Religionis, & consequenter vult etiam totum id quod præstat Professio ex natura sua: vnde cùm ipsa ex natura sua extinguat priora vota, vult etiam

Vota omnia Professione expirant.

Etiam si quis velit eis permanere, iuxta Pasqualigum alios adducentem, ea ratione, quia ex Iure id habetur.

etiam huiusmodi extinctionem: & ita voluntas in oppositum est voluntas frustratoria, quia facto ipso eidem voluntati contradicit, quoniam ipsam reddit irritam. Vt si quis effunderet aquam super ignem, & extingui nollet, frustratoria esset ista volitio, & irrita, quia facto ipso illam irritaret. Si dicatur tunc ratificari vota. Contra est, quia tunc censentur ratificari quando voluntas habet suum effectum, & non redditur irrita & frustratoria ab alia potentiori voluntate, quæ inferat factum contrarium, vt in casu nostro infert: ergo non est ratificatio.

…sentiant …ipsam, …ea di… …ctione …nnulli …atur.

P. Sancius. P. Palaus

293. Contrarium tenent alij, ex quibus citatus Scriptor adducit Syluestrum *verb. Votum* 4. *Quæs.* 7. *Dicto* 3. P. Sancium *Lib.* 9. *de Matrimonio. Disput.* 39. *n.* 45. Portel in *Dubijs Regularium. verb. Votum n.* 1. *in fine.* & Sylueſter quidem, quem omninò sequitur P. Sancius ita id explicat, vt si Nouitius ante Professionem nolit vota relaxari, nihilominùs extinguantur Professione ipsa, in qua talem voluntatem persistentiæ eorum non habuit, quæ omninò necessaria est in ipsa Professione, ita vt præcedens non influat, quia videtur Professioni tota sua relinqui vis, & ita operari illam nullo obstante impedimento: quòd quidem idem Pater docet *Lib.* 4. *Cap.* 15. *n.* 32. quem videtur sequi P. Palaus *Tomo* 3. *Tract.* 15. *Disput.* 1. *Puncto* 16. *n.* 8. vbi eum adducit, & solùm de votis ante Professionem emissis tradit extingui, quia Profitentis consensus immutare non potest solutionem, quæ per Professionem fit cuiuscumq; præcedentis voti in meliùs commutati. Quod quidem de consensu antecedenti Professionem accipiendum iuxta doctrinam P. Sancij, quam escitate debet amplecti, aliàs contrarium eidem affirmabit. Sunt etiam qui censeant vota ante Professionem emissa non extingui, si extingui nolit qui emisit; quia ad hunc extinctionis modum illius consensus requiritur, ex quibus est Bonacina *Tomo* 2. *Disput.* 4. *Quæst.* 2. *Puncto* 5. §. 2. *n.* 9.

Bonacina.

Assertio 1. *Vota non extinguuntur si quis ea non velit extingui in ipsa Professione.*

294. Dico Primò. Vota ante Professionem emissa non extinguuntur stante voluntate Professitis nolentis extingui in ipso Professionis actu, aut post illum. Hæc videtur esse communis omnium sententia, cui aduersatur Pasqualigus, qui pro sua Auctorem adducit nullum: illi enim, quos allegat, tantùm communi adstipulantur sententiæ de extinctione votorum per Professionem ex vi illius: quod quidem intelligendum quando voluntas Professitis contraria non extat; quod illi nequaquàm negant, & componi ritè vtraque sententia potest. Quemadmodum dicunt multi matrimonium inter fideles non esse Sacramentum, si quis tantùm ciuilem velit celebrare contractum: licet enim secundùm, si id habeat attenta institutione; quia tamen ad Sacramenti rationem necessaria est intentio ministri, quæ in casu prædicto deficit, stante eidem contraria, ideò etiam deficit perfectio Sacramenti. Et ita sententiam P. Sancij stantis pro Assertione, & P. Comitoli, qui *Lib.* 2. *Respons. moral. Quæst.* 12. contrarium videtur amplecti, conciliari posse affirmat Portel *suprà in fine.* quod & de similiter loquentibus videtur pariter asserendum. Videantur illi apud P. Comitolum ibidem, & Villalobus *Tract.* 34. *Difficult.* 18. *n.* 11. vbi pro Assertione

P. Sancius. P. Comitolus. Portel. Villalobus.

Probatur ratione fundamentali.

stat. Quam sic probo: Nam in Professionis instanti potest quis se voto adstringere ad aliquod faciendum, quod videtur innegabile: ergo & potest velle perseuerantiam voti emissi: qua voluntate stante, nequit in eodem instanti extingui. Illatio videtur manifesta: Nam velle perseuerantiam voti est de nouo vouere, si non formaliter, saltim æquiualenter: ex vi enim talis voluntatis, si obligatus non esset anteà voto, se obligaret, quia obligationem vult cum Professione stare: est ergo par vtriusque ratio, scilicet volentis de nouo vouere, & volentis emissum ante votum continuare; & quidem si expressè diceret, volo vouere nunc, proculdubio staret obligatio voti anteà emissi: Atqui volens perseuerantiam voti, id ipsum præstat quantùm ad efficaciam volitionis; quia cùm persistere nunc votum velit, nunc etiam intendit voto se obligare: Ad eum modum, quo ratificans Professionem nullam ex defectu consensus, eo ipso quòd ratificare velit, vota tunc emittit, licet non sit necessarium vt expressè formulam proferat Professionis.

Assertio 2. *Idem affirmans etiam si in actu Professionis non adsit specialis voluntas, dum modo præcesserit, nec fuerit retractata.* Richardus.

295. Dico Secundò. Etiam si quis in ipso actu Professionis non habeat expressam, formalem, & positiuam voluntatem circa emissorum votorum perseuerantiam, si illam priùs habuit, nec retractauit, eorum perstat obligatio. Hoc est iuxta eorum mentem, quos *n.* 293. adduximus. & non obscurè traditur à Richardo in 4. *dict.* 38. *q.* 2. *arti.* 3. vbi habitualem sufficere iudicat intentionem. Fundamentum autem, quo moueor, ex eo deducitur, quòd voluntas dicta moraliter perseueret, quæ perseuerantia communiter reputatur necessaria in vsu Sacramentorum, & in rebus alijs, ac etiam in votis ipsis: qui enim voluntatem habuit emittendi illa solemniter, aut sine solemnitate, etiamsi in actu ipso omissionis omninò distractus sit, validè emittit. Et hoc quidem non est onera conscientijs superaddere: cùm enim sic agens circa rem, quam vouet, adeò affectus sit, onus certè leue, & suaue iugum assumit. Quòd si procedente tempore onerosum sentiat, remedium adest præsentissimum, recursus scilicet ad Prælatum, qui votum potest irritare etiam in ipsa Professione emissum, iuxta doctrinam Sylueſtri *suprà*, quam communiter alij sequuntur. Ex quo circa casum in Titulo propositum constat resolutio.

Fundamentum pro ea.

Circa votum simplex Religionis specialius aliquid obseruandum.

296. Circa votum simplex Religionis specialius aliquid obseruandum: Nam P. Sancius *Lib.* 8. *de Matrimonio. Disput.* 9. *n.* 21. docet quòd si electus ab Ordine, dum erat in sæculo, vouerat Religionem, posteà electus Religionem non tenetur intrare, vt satisfaciat voto priori, quia omnia vota simplicia extinguuntur per Professionem: ex quo arguit Portel contra ipsum quasi contraria docentem: nam constat quòd Profitens ille noluit sibi auferri votum simplex illud Religionis, quod fecit. Licet autem scriptor iste id dicat quod vidimus circa conciliationem doctrinæ, oportet explicare quando habens votum simplex Religionis, non obstante Professione maneat eo ligatus: quia non videntur secum ritè cohærere voluntas profitendi, & voluntas persistentiæ voti simplicis circa Religionem. Dum enim quis profitetur, votum simplex Religionis adimplet, &

Tenetur implere electus à Religione, iuxta P. Sancium.

& ita vult obligationem talis voti prorsus extingui: quemadmodùm cùm implet votum ieiunij, consequenter vult obligationem talis voti penitus aboleri. Non ergo apparet quomodo cum voluntate tali stare voluntas permanentiæ voti queat; & ita etiam quomodo, si cijciatur, talis voti vinculo teneatur. Quod euidentiùs constat, si quis non solum ingressum voueat, sed expresè Professionem; ea enim emissa, non est cogitabilis vlterior obligatio circa illam. Est autem eadem ratio, etiam si Professio expresè non voueatur, quia non minùs extinguitur obligatio, quando supra id, quod est promissum, quod est amplius superadditur.

Expedita illa.

297. Nihilominùs dicendum est votum simplex Religionis posse; non obstante Professione, permanere, si Profitens ita velit. Primò quidem si ita vouit, vt omnino voluerit nullo modo viuere in sæculo, vt etsi ab vna Religione deficeret, ad aliam transuolaret. Deinde, quia contingere potest vt Professio nulla sit, quo euentu locum habet simplex votum, si aliunde impedimentum non extet ad repetendum ingressum, si talis fuit vouentis intentio. Præterea vim suam exercere simplex votum potest in electo, vt reditum ad suam Religionem accuret, si ille possibilis sit. Ratione enim Professionis ad hoc non teneri graues scriptores sentiunt, vt videri potest apud Dianam *Parte* 3. *Tract.*2.*Resolut.*60. & ita neque emendationem ex eo fine procurare: quod secus accidet, si voti simplicis obligatio perseueret.

Electum non teneri ad reditum ratione Professionis.

SECTIO XX.

Occasione damnati hæretici nonnulla circa Degradationem peculiaria dubia discutiuntur.

Casus proponitur.

298. SVb hoc ipsum, quo hæc scribo, tempus, in hac Limana Ciuitate Peruuij Metropoli, die scilicet 8. *Octobris Anni* 1667. (sic scribebam, modò excubans die 23. Februarij An. 1669.) in Sanctæ Inquisitionis Sacro Prætorio grande portentum insonuit, dum Caussa lecta est *Nicolai le gras*, alias *Don Cæsaris Vander*, Galli, in qua tot stupendi continebantur errores in Deum, Deiparam, Apostolos, & vniuersam Ecclesiæ œconomiam, obseruantiam, Sacramenta, & quidquid est in illa; immò & in naturæ ipsius ordinatissima dispositione, adeò exorbitantes iniuriæ, cum præteritione aliarum, ob vitandam publicam offensionem, & reuerentiam rebus & personis sacratioribus adserendam; vt stupore grandi sint omnes correpti, qui ad horrendum adeò spectaculum conuenerunt. Et erat hic professione medicus, Doctoratus gradum in ea adeptus facultate, vt Valentinæ Academiæ litteræ, quæ & ipsa inter Gallicanas non ignobilis, attestantur, cùm tamen & Presbyter, ordinatus in eodem regno fuerit, & aliquarum Ecclesiarum Curio, & in Dataria Pontificia nescio quo functus officio, ob peritiam Gallicæ scriptionis. Et maiorem quidem portionem vitæ peregrinationibus obeundis impendit perditissimus Vlysses, *Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes*, noua sciendi auidus, eo quidem profectu, vt perfidissimè concluderet nullum esse Deum præter naturam ipsam, in qua forma deitas, cùm tamen hominis animam mortalem diceret; adeò absurdè philosophatus, vt quod in mundo est nobilissimum, peioris duceret conditionis. *Dixit* ergo *insipiens* iste *in corde suo*: *Non est Deus*: nec tantùm in corde; sed dementissimum phantasiæ suæ partum conatus est alijs persuadere, & abundè impletum in eo, quod apud Regium vatem sequitur: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis.* Psal. 13. v. 1. In studijs sanè suis corruptus est, & abominabilis factus insipiens hic, multorum librorum scriptor, multorum & helluo, Europæ, Asiæ, Africæ, & Americæ peragrator indefessus; hauriendarum nouitatum prurigine, eo fructu, vt antiquam religionem, Catholicam inquam, aduersus quam inferi portæ præualere non possunt, abiuraret. Resipuit tamen, dum in Tribunali fidei illius caussa peragitur, pro quo non leuia exhibuit argumenta, plenissima confessione, adeoque copiosa, vt si omnia quæ de se protulit, publica essent relatione promenda, vnus hic reus, & matutinas, & pomeridianas, ac vespertinas horas occupasset.

Psal. 13. v. 1.

Relaxari potuisse, etsi non relapsum, iuxta sententiam multorum.

299. Et circa illum piè actum ab confessionem dictam, reuerentiam Sacerdotij, & prouectionem ætatis, septimum enim supra sexagesimum annum numerabat. Cùm reuera ad extrema cum illo veniri potuerit, eum relaxando Curiæ sæculari; iuxta grauium scriptorum sententiam affirmantium ad relaxationem dictam non esse incorrigibilitatem necessariam, immò neque relapsum. Pro quo Barbosa *de potestate Episcopi Allegat.* 110. *n.* 12. Vbi ait non esse tutam eorum resolutionem, qui asserunt, quòd conuictus de hæresi tradendus sit Curiæ sæculari quando est incorrigibilis, sed si vult se corrigere & emendare, non poterit degradari, & tradi Curiæ sæculari, sed in Monasterium, vel carcerem detrudendus; nisi esset relapsus in eodem crimine. & ita seruari affirmat Iulius Clarus. Licet ipse teneat contrarium, adductus à Cardinali Tuscho *Tomo* 2. *lit. D. Conclus.* 141. Videndus ille in *Praxi Criminali §. finali Quæst.* 16. *nu.* 36. & 48. *v. contrarium.* vbi & de magis communi testatur. Meritò autem videtur Barbosa sententiam oppositam minimè tutam asseruisse, quia contra praxim est S. Tribunalis, licet negari non possit in casu præsenti damnationem extremam summa cum acceptatione excipiendam: adeò enormitas delictorum exacerbauit publicam pietatem, vt opus fuerit reum ab inuasione turbæ frementis custodire: id præ alijs ægerrimè ferentis, quod contra Virginem immanes fuerint iactatæ blasphemiæ, nec manus sacrilegæ in ea horribili tempestate cessârint.

Barbosa.

Cardinalis Tuschus, Iulius Clarus.

Oppositum non esse tutam.

Verbalis degradatio decretandæque quæritur. 1. An sit propria.

300. Reconciliatus est ergo, sacco benedicto accepto, & verbali degradatione decreta. Circa quam *Primò* inquiri potest an verè degradatio dicenda sit: & licet quæstio videatur esse de nomine, non leuis erit operæ pretium, proprietatem in hoc, quod & in multis alijs accidit, agnoscere locutionis. Et sunt quidem multi, qui sic loquuntur, dum degradationem sine additamento aliquo, in verbalem & actualem, seu realem diuidunt,

Illius diuisio.

uidunt, vt videri poterit apud Syluestrum *verb. Degradatio*, vbi cum multis alijs loquitur, sicut & citati *supra*. Et in hoc quidem nulla videtur esse difficultas, si de verbali degradatione loquamur, vt eam definit Syluester *citato verb. n.* 1. *quæ scilicet propriè importat priuationem executionis legitimæ officiorum & beneficiorum Ecclesiasticorum simpliciter & ex toto, absque spe restitutionis, cum certa solemnitate, & priuatione priuilegij Clericalis. Quod & alij tradunt*, ex quibus plures adducit Barbosa *suprà num.* 1. & talis degradationis verbalis forma habetur in Pontificali Romano. Ex qua diuisione infert cum alijs Syluester, quòd quando in Iure, vel aliqua Constitutione reperitur imposita pœna degradationis, intelligendum est de leuiori; & sic de verbali: quia verbum illud ita simpliciter prolatum sic interpretari debemus, vt de minori pœna, quam sub se etiam comprehendit, vti dispositio odiosa, intelligatur, iuxta Regulam *In pœnis* 49. *in* 6. Nomen erga degradationis propriè etiam significat verbalem, iuxta præfatos, aliàs dispositio pœnalis non esset interpretanda de illa, quia secundùm propriam significationem debent Ecclesiasticæ Constitutiones intelligi, sicut & dispositiones quæcumque, dum nihil occurrit speciale, propter quod verba debeant impropriari.

Degradationis definitio Sylvestri.

Barbosa.

Cum pœna degradationis imponitur, verbalem intelligendam.

Regula Iuris.

Ex quo videtur esse propriè talem.

Oppositum videri certum.

301. Contrarium tamen videtur manifestè statuere Romanum Pontificale *Parte* 3. §. *Degradationis forma*, vbi degradationis nomen solùm tribuit actuali seu reali exauthorationi, & insignium Clericalium detractationi: verbalem autem depositionem vti distinctam proponit, & sic loquitur *vers. & est notandum. Et talis degradatio solemnis depositio dicitur, propriè tamen loquendo quis à dignitatibus & honoribus deponitur, sed ab Ordinibus degradatur.* Sic ibi. Et quidem quod de solemni depositione dicitur, propterea est, quia ab aliquibus talis dicendi modus inuenitur vsurpatus. Et Sylvester *citato* verb. Degradatio num. 6. ita scribit: *Nota etiam quòd Panormitanus in delictis grauissimis nomine depositionis vtitur pro degradatione etiam actuali.* Sic ille. Non est tamen existimandum hoc loco communem Doctorum diuisionem reprobatam, licet nomen degradationis soli reali exauthorationi videatur adhibitum, dum de verbali enim exauthoratione ibidem agitur, nomen degradationis non inuenitur vsurpatum, sed depositionis. Sed verò cùm respectu Ordinum dicatur quisquam degradari, si in depositione etiam ab Ordinum gradibus verbalitas admoueatur, etiam degradatio dici verbalis poterit, quia non est aliqua repugnantia in eo quòd verbo pariter ac legitimo actu talis remotio fieri possit. Id quod & Pontificale ipsum non leuiter innuit, dum sic habet *pag.* 450. *vers. Circa depositionem*, vbi *Dispositionem* positum errore typographi: *Sed in ipsa actuali degradatione &c.* Et paulò inferiùs. *Si post huiusmodi verbalem depositionem secutura fit actualis degradatio.* Et iterum: *Dicta autem sententia depositionis ab Ordine, si intenditur vt post eam sequatur actualis degradatio &c.* Si enim degradatio solùm dicitur de reali exauthoratione per insignium Clericalium subtractionem, non

Pontificale Romanum.

Sylvester.

Sed reuera tale non est, vt efficaciter demonstratur.

Pontificale.

erat cur adderetur terminus *Actualis*, quia degradatio nullam diuisionem patitur, iuxta prædictum dicendi modum. Cùm ergo addatur, signum est locum esse diuisioni, & præter actualem seu realem, verbalem dari. Vbi & obseruandum illud, *Sententia depositionis ab Ordine.* Ergo depositio etiam circa Ordinem versatur: & ita cùm sic accidit, non impropriè potest illi nomen degradationis adaptari.

Amplior comprobatio.

302. Eodem modo loquitur Concilium Tridentinum *Sessione* 13. *Cap.* 4. *de Reformat*, ibi: *Episcopum per se, seu illius Vicarium in spiritualibus generali contra Clericum in sacris etiam Presbyteratus Ordinibus constitutum, etiam ad illius condemnationem, nec non verbalem depositionem, & per se ipsum etiam ad actualem atque solemnem degradationem* &c. Vbi quidem cùm solemnis degradatio dicatur, quæ & dicitur actualis, non ita accipiendum est, quasi ea, quæ verbalis est, omninò careat solemnitate: quandoquidem in Pontificali, *citato nuper loco*, post verba ibidem adducta sic sequitur: *Nomine Episcopi Ordinarij cum præsentia Capituli, siue cum consilio & assensu Episcoporum, vt respectiuè, prout illam requirit in hunc modum, videlicet: Quia nobis euidenter &c.* Plus autem de solemnitate habet restitutio sic verbaliter degradati, vt ex sequentibus liquet, pro quo & Sylvester adductus *nu.* 300. Vocatur ergo solemnis degradatio, quia multa continet ad solemnitatem pertinentia. Quemadmodum Missa solemnis ea dicitur, quæ in Festis solemnioribus cantatur, in qua nihil omittitur, quod solemnitatem indicandam spectat, vt obseruat Gabantus. Gabantus *in Thesauro sacrorum rituum Tomo* 1. *Parte* 2. *Tract.*2. *circa* §. 5. *vers. Ea verò.* & tamen iuxta Rubricas Missalis solemnis dicitur, quæ priuata non est, vt notat idem *vers. anteced.* Vnde & Ordinariæ Conuentuales communiter non censentur solemnes, quia in illis multa, quæ ad solemnitatem faciunt, omittuntur, *vt incensatio &c.* quia licet aliquo modo solemnes sint, solemnitas vera ad peculiarem illam & exactam inuenitur applicata.

Concilium Tridentin.

Solemnis degradatio cur dicatur.

Gabantus.

Missa solemnis quæ dicatur.

Verbalis duplex, & vtriusque ritus.

303. Et quia ex dictis apparet duplicem esse depositionem; vnam scilicet quam secutura est actualis degradatio, ex quo infertur & aliam existere, quam secutura non sit, de hac etiam videtur asserendum nomine verbalis degradationis venire, quia Scriptores indifferenter de verbali degradatione loquuntur, & suam etiam habet solemnitatem, vt videri in Pontificali potest: id enim quod de verbali, quam secutura est actualis, dictum est *n. præc.* ad verbalem etiam, quam non est secutura, extenditur, præter id, quod dicitur de sententia Capituli, & assensu Episcoporum: & ita solemnitas restitutionis ibidem appolita clarissimè ostendit: degradati enim non restituuntur, nisi ex Romani Pontificis dispensatione & statim Curiæ sæculari relinquuntur, vt ibidem statuitur. Pro quo & sic concluditur immediatè ante formam degradationis: *Si Clericus secundùm primam formam sententialiter depositus, incorrigibilis appareat, debet excommunicari: & si postmodùm in profundum malorum veniens contempserit, tunc, vt cùm Ecclesia, non habeat vltra quod faciat, Pontifex debet illum degradare, & Curiæ sæculari relinquere.* Sic ibi:

Pontificale.

Cap. Cum nobis ab homine.

quod est desumptum ex *Cap. Cùm nobis ab homine*,de iudicijs. Ex quo euidenter infertur,quæ ibidem de verbali depositione dicuntur, ad vtramque extendi, de qua loquimur, quæ & degradationis nomine gaudet, vt ostendimus. Et per hoc constat quid dicendum sit circa id,quod *Secundò* inquiri poterat, quotuplex scilicet sit degradatio: diximus esse verbalem & actualem, seu realem: verbalem etiam subdiuidi in eam, quam secutura est actualis, & in eam, quam non est secutura, qualis hæc fuit quæ in reo,de quo præfati sumus, per publicam est sententiam indicta.

2. *Quæstio dè diuisione ex dictis habetur.*

3. *An priuilegium Clericale per illam amittatur: Negatur speciali difficultate ex Pontificali proposita.*

304. Iam *Tertiò* inquiritur, an per verbalem degradationem Clericale priuilegium amittatur? In quo Doctores communiter affirmant quod ad forum attinet minimè immutari, & similiter priuilegium Canonis retineri. Id quod in Iure videtur pressum, & iam vidimus ex *Cap. Cùm nobis*, cui Pontificale innixum. Et ex *Cap. Degradatio* de pœnis *in* 6. alijsque: multa enim debent præcedere vt Clericus sæculari Curiæ relinquatur. Illud tamen videtur difficultatem ingerere, quod in Pontificali habetur, dum forma depositionis ita degradati traditur, sic enim dicitur: *Quia nobis euidenter & legitimè constat te tale crimen aut flagitium commisisse, quod non solùm graue, verum etiam damnabile est & damnosum; Idcirco de (talium) consilio & assensu ab omni Ordine & priuilegio Clerici te sententialiter perpetuò duximus deponendum, & deponimus.* Et in forma restitutionis ita habetur: *Restituo tibi Dilectissimo filio priuilegium Clericale, & executionem Ordinum & graduum &c.* Non videtur autem quale aliud priuilegium Clericale esse queat, nisi fori & Canonis. Et quidem priuilegium dictum ratione primæ Tonsuræ habetur, & ad illam in Pontificali videtur alludi: cùm enim de alijs gradibus mentio specialis fiat in restitutione; primæ Tonsuræ solùm sub eo nomine Clericalis priuilegij ratio habetur, vt constat ex peculiari forma circa gradus omnes, & tandem ex omnimoda, pro qua sic præmittitur: *Executionis autem Presbyteratus, Diaconatus, Subdiaconatus, & minorum Ordinum & priuilegij Clericalis restitutio fit similiter* &c. Et statim ita sequitur: *In nomine Domini. Ego quamuis peccator, tamen Episcopus, per hanc manus impositionem restituo tibi Dilectissimo filio priuilegium Clericale, & executionem Ordinum & graduum Ostioratus &c.* Cùm ergo de priuilegio ratione dicta accepto sermo sit, illud per verbalem degradationem videtur ablatum, quod aliud præter dictum non apparet.

Pontificale.

Dissoluitur ex eodem.

305. Verùm ex adducto tenore circa degradationem & restitutionem in Pontificali proposito verus est intellectus ad præsentis difficultatis enodationem eliciendus. Non enim est aliud Ecclesiæ intentum in illo, nisi manifestare per degradationem verbalem vsum ordinum prohiberi, & etiam Clericatus,qui communiter Prima Tonsura dicitur, & quem priuilegium Clericale compellat, eo quòd per illud incipiat velut de sorte Domini extra vulgarem hominum conditionem haberi beneficio Ecclesiæ eumdem ad suum gremium admittentis. Stat autem Clericatus absque eo quòd tamquàm aliquid ad substantiam eius spectans dictum priuilegium ingrediatur, vnde in eius collatione nulla fit illius mentio, sed in fine sic additur: *Filij charissimi, animaduertere debetis, quod hodie de foro Ecclesiæ facti estis, & priuilegia Clericalia sortiti estis; cauete ergo ne propter culpas vestras illa perdatis &c.* Possunt ergo perdi priuilegia stante substantia Clericatus: vnde & Concilium Tridentinum *Sessione* 23. *Cap.* 6. conditiones opponit, quæ concurrere debent, vt Prima Tonsura initiatus fori priuilegio gaudeat. Quòd vero ad priuilegium Canonis attinet, sine illo stare Clericatus potest, vt multis temporibus accidit. Canon enim, *Si quis suadente* de quo 17. *q.* 4. Innocentij Secundi est, qui post mille & amplius annos fundatæ à Christo Ecclesiæ eam vti illius Vicarius gubernauit. Et quidem si priuilegium dictum ad substantiam pertineret, noua ordinatione opus esset, quod constat dici non posse. Et ita distinguit Pontificale Ordinem à priuilegio in forma degradationis à Prima Tonsura, in qua sic dicitur: *Exuimus te omni Ordine, beneficio, & priuilegio &c.* Ordine quidem quantum ad vsum, beneficio autem & priuilegio absolutè, & hoc quoad tertiam quæstionem.

Pontificale circa Primam Tonsuram.

Priuilegia Clericatus eo stante perdi possunt.

Pontificale.

306. Circa effectus verbalis degradationis sit *Quarta*, quos scilicet habeat? Id quod ex dictis videtur iam compertum, siue eam secutura sit actualis, siue non, id importat, quod ex Syluestro dedimus *nu.* 300. totalem etiam priuationem totius muneris Clericalis quoad Ordines & beneficia Ecclesiastica *sine spe restitutionis*, vt ibidem additur: Quod difficultatem habet: Nam in forma degradationis ita dicitur: *& post talem degradationem (actualem scilicet & realem) iustè & ritè factam, solus Romanus Pontifex cum tali dispensat. Episcopus tamen ante ipsam insignium detractionem, & etiam post sententiæ depositionis probationem, dispensare & restituere solo verbo potest, sicut verbaliter depositus fuit, vt præmissum est.* Sic ibi. Non ergo verbalis degradatio spem restitutionis excludit. Si dicas ijs verbis significari perpetuam priuationem. Contra est id, quod habetur etiam in Pontificali *pag.* 449. vbi de suspensione agitur; sic enim ibi: *Illud autem sciendum est quòd simpliciter, & sine temporis præfinitione ab homine vel à Iure suspensus, perpetuò intelligitur esse suspensus* &c. Supensio autem à depositione & verbali degradatione distinguitur, & ita citatis locis proponitur. Cùm ergo hoc non satisfaciat, aliter videtur exponendum, si dicanus sine spe restitutionis degradari, quia in primis suspensio secundùm se considerata spem non excludit, cùm temporalis esse queat: quando autem simpliciter, & sine temporis præfinitione imponitur, licet perpetua debeat intelligi, id non tam est positiuè accipiendum, quàm negatiuè, hoc est, non habere terminum specialem, sed nihilominùs illius esse capacem, quia perpetuitas non decernitur positiuo decreto, & ita tantùm censetur, esse perpetua modo dicto, quia scilicet terminus præfinitus non est, vnde locus esse illi potest secundum ordinarium procedendi modum: quod tamen in verbali degradatione non ita accidit, pro qua tollenda, & restitutione impendenda opus est dispensatione, & ita Pontificali præscribit, vt vidimus. Quo rem hanc componendi modo opportunior alius non occurrit.

4. *Circa effectus degradationis vbi specialis dubium circa spem restituendi ablatam.*

Forma degradationis.

Suspensio quando perpetua.

Expeditur, illud, & explicatur duratio suspensionis.

Circa hæreticum sibi restitutum nihil statuitur.

307. Quod autem de restitutione dictum est, posse scilicet per restitutionem haberi, non est de hæreticis accipiendum: Episcopus enim degradatum ex sententia S. Tribunalis, in quo & ipse sua sententia concurrit, restituere nequit, præsertim quando verbalis sit cum respectu ad actualem, quia cùm in ea præcipuas partes habeat S. Tribunal, supra facultatem Episcopi est restitutio; immò & videtur supra facultatem dicti S. Tribunalis, quod semel lata sententia, functum est officio suo: quod generaliter statuitur ab Alexandro Tertio Cap. *In litteris*, de officio & potest. iud.deleg. nisi quando moderationem sententiæ suo arbitrio reseruauit,quod numquàm accidit quando in ipsa continetur relaxatio ad Curiam sæcularem, quia cùm sententia dicta à Iure decreta sit *Cap. Excommunicamus* 13. & 15. alibique, nequit circa illud locum habere benignitas, meritis causse id dubio procul postulantibus: immò grauissimè peccarent iudices, & pœnis ab ipso Iure impositis obnoxij remanerent. Circa pœnas autem alias fauet Cap. *Vt commissi*, §. *Nec non*, de hæreticis in 6. *In quo* sic habetur: *& illorum, qui vestris mandatis obedientes* (Inquisitores alloquitur) *humiliter stant propter hæresim in carcere vel muro recluſi; pœnam vna cum Prælatis, quorum iurisdictioni subsunt, mitigandi,vel mutandi,cùm videritis expedire.* Sic Bonifacius VIII. Vbi quidem id, quod de Episcopo dicebamus, compertum habetur, non posse inquam hæreticum verbaliter degradatum solo suo arbitrio restituere, sicut neque Inquisitores sine illo.Fauet autem, vt dixi, quia contra dispositionem Iuris communis mitigandi pœnas concedit facultatem,vt notatum à Glossa *verb.vel mutandi*.Quod licet iuxta dispositionem dictam fieri debeat, *vnà scilicet cum Prælatis*, in quo non solùm Concilium,sed etiam consensus videtur manifestè requisitus: nihilominùs Vrbanus VIII. ad tollendam omnem aliter opinandi licentiam, statuit cumulatiuè debere intelligi, & Consilium expectandum. Quod quidem in Romana Inquisitione locum habet; nam in Hispana mutandi & minorandi potestas soli Generali Inquisitori reseruatur, vt cùm bonis Auctoribus, citatis etiam Instructionibus Hispalensi & Toletana tradit Diana *Parte* 4. *Tract.* 7. *Resolut.* 37. in fine. Id quod intelligendum venit de mutatione aut minoratione considerabili; aliqualis enim,retenta pœnæ substantia, non videtur deneganda, neque enim carcer desinit esse perpetuus, eo quòd aliquando exitus concedatur, & sic in alijs.

Brixia Inquisitoribus fuit data facultas Cap. In litteris.

Cap. Vt commissi.

Quidquid dim circa moderationem pœnarum fuerit, pro Hispania est penitus sublatum.

5. *An Inquisitores possint degradare.*

Resolutio est affirmatiua.

308. Est insuper quæstione dignum, & sit illud *Quintum*, An Inquisitoribus competat degradandi facultas: vt enim iam vidimus ex Tridentino *Sessione* 13. *Cap.* 4. *de Reformat.* actio hæc Episcopo, & eius Vicario competit: neque Inquisitorum mentio vlla. Et quidem de actuali degradatione dubium esse nequit, quia actus Pontificius est, non iurisdictionalis, sed Ordinem concernens, vnde ad verbalem quæstio reuocatur. Circa quam Arnaldus Albertinus in *Cap. Quoniam* de hæreticis in 6. *q.* 7. *in fine*, quam adducit & sequitur Cardinalis Tuschus *Concluſ.* 139. *nu.* 10. affirmat fieri ab Inquisitoribus posse, quod & praxis comprobat. In quo quidem non video solemnitatis quidquam admisceri, sed in publica sententia inter alias pœnas pronuntiari. Et quidem cum sententiæ tales concurrente Episcopi iudicio ferantur, non videtur cur non possit degradatio dicta eidem adscribi. Cui opponi illud potest, scilicet sine solemnitate fieri, quam tamen Pontificale præscribat. Sed certè ipsa iudicialis pronuntiatio, quæ tanta cum auctoritate in S. Tribunali personat, satis videtur solemnitatis habere. Episcopus ergo & Inquisitores ad prædictæ pœnæ inflictionem concurrunt, siue illius Vicarius, iuxta Concilij Tridentini citatum nuper Decretum.

Arnaldus Albertinus

Cardinalis Tuschus.

In Episcopi concursu est,& aliqua solemnitas.

309. In quo quidem peculiaris alia difficultas occurrit, ex eo quòd Concilium non quemcumque Vicarium designet,sed *Vicarium in spiritualibus Generalem*: cùm tamen in S Tribunali non soleat Vicarius Generalis assistere, sed specialis alius eo pro munere designatus. In quo videtur dicendum Concilium agere de verbali degradatione in ordine ad actualem secuturam: quod quidem ex tenore eiusdem apparet. Sic enim ibi: *Cùm verè tam grauia nonnumquàm sint delicta ab Ecclesiasticis commissa personis, vt ob eorum atrocitatem, à Sacris Ordinibus deponenda, & Curia sint tradenda sæculari &c.statuit & decreuit Episcopum per se, seu illius Vicarium in spiritualibus generalem, contra Clericum in sacris etiam Presbyteratus Ordinibus constitutum, etiam ad illius condemnationem, nec non verbalem depositionem, & per seipsum etiam ad actualem atque solemnem degradationem &c.* Iuxta hæc ergo cùm non de huiusmodi degradatione agitur, sed de alia, non erit Vicarius Generalis necessarius in S. Tribunali. Quod & de casibus dicendum alijs, in quibus talis pœna infligenda veniat. Quia verò Inquisitoribus degradatio verbalis conceditur, & id ad nullam in speciali limitatur, poterit illa ab eisdem infligi.etiam cùm secutura est actualis, concurrente Vicario Episcopi etiam non generali: cùm aliàs Episcopus in talibus vt Ordinarius Inquisitor procedat, & consequenter eius Vicarius sub eadem consideratione assistat, vnde & simili prærogatiua potiuntur.

Difficultas peculiaris. eo quòd in S. Tribunali Vicarius Generalis Episcopi non assistat, sed alius.

Concilium Trident.

Illam non esse in omni verbali degradatione, assistentiam necessariam.

Inquisitoribus omnia competit.

SECTIO XXI.

An Proreges Indici communem possint indifferenter accipere.

Vt possint quæ videantur fundamenta.

310. DIctum de hoc in *Thesauro Tit.*4.*Cap.* 4. vbi resolutum non posse, quia id legibus prohibitum, eo quòd Præsides Audientiarum Regalium sint, & circa Præsides absoluta prohibitio procedit: quod quidem non videtur communiter obseruatum. Cui resolutioni videtur obstare posse, Proreges in ijs, in quibus Præsides esse possunt, non habere suffragium, & ita cessare rationem prohibitionis, quæ eò tendat vt violandæ iustitiæ periculum amoueatur. *Exodi* 23. *v.*8. *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum.*

1. *Cessare finem prohibitionis.*

Exodi 23. *v.*8.

Quanta munerum vis

Abulensis.

iustorum. Quæ vltima verba sic exponit Abulensis *Quæst.*8. in citatum Caput: *Dicuntur subuerti, vel mutari verba iustorum, quia verba antè benedicta, postea mutantur in malum: vt si quis iudicet in aliqua causa iustè, & postea aliquis afferat munera (affectat* habet ille, sed videtur error*) mutabit verba retractando sententiam, vel inquirendo aliquem modum, per quem ipse, qui dat munera, debeat magis probare de iure suo, & ita sit color ad retractandam sententiam, tamquam iniquam, vel indebitè latam, non allegato iure partis, vel concluso in causa.* Sic ille. Ex quo apparet, cùm de repellendis muneribus agitur, ad solos iudices prohitionem dirigi, vnde & in Iure vulgaris illa diuisio iudicum Ordinariorum, & delegatorum, circa quos discrimen aliquod in munerum acceptione statuitur, de quo ex professo in *Thesauro Tomo* 1. *Tit.* 3. *nu.* 31. *&* *Tit.* 4. *nu.* 196. De alijs autem qui iudices non sunt, nihil tale statutum, nisi quatenus aliquas in iudicio partes habent, vt sunt Fiscales, qui pari cum Togatis alijs iure censentur; & in ijs, qui pro ministerio stipendium habent publica auctoritate taxatum, vt Tabelliones, Alguacelli Cancellariarum, & sic alij, cùm de stipendij ipsius solutione agitur, secus quando ab eo vacant, & amicabili ratione res agitur.

Iudicum diuisio.

2. Ex Proregum nobiliori conditione.

311. Si dicatur Proreges eo ipsa quòd Præsides sunt, causas litigantium posse magnoperè promouere, quia Auditores eorum ad vnam partem propensionem attendentes, in eam pariter propendebunt, ne eorum incurrant offensionem. Id non videtur vrgere, quia cùm Proreges sint viri principes, & præ nobilitate excelsioris animi, nec non verissimè Christiani, non est credibile propter sordes donariorum, rem apertè contrariam iustitiæ volituros, & extorquendo ab ipsis iniqua suffragia, cum onere restitutionis, vnde ipsis valde quæstuosa sit euasura coactio. Et quidem si Rex adesset, cuius amplissima potestas est, non posset contra illum formari præsumptio talis, cùm primarius iustitiæ patronus sit: & ita videtur etiam de illo sentiendum, quem ipse loco sui cum amplissima destinat potestate, quam exponit pro Indicis religiosissimæ memoriæ Philippus Tertius Rex noster in quadam schedula *die* 19. *Iulij An.* 1614. in qua sic loquitur: *Que los Virreyes como Lugartenientes del Rey pueden hacer y proveer loque la Persona Real, y sean obedecidos como quien tiene sus veces, sin replica, ni interpretacion* &c. Pro quo Dom. Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 4. *Cap.* 10. *nu.* 2. & in *Politica Lib.* 5. *Cap.* 13. §§. *prioribus.* Et licet contingere posset vt aliquando non consonum iustitiæ quidquam patraretur, id quidem cùm rarum æstimari debeat, non debet communem regulam variare. Sic enim Proreges vxores in prouincia suæ gubernationis ducere prohibentur, de quo statim: nec propterea quòd aliqui eorum ita iustitiæ zelatores inueniri possint, vt connubij occasione nihil sint eidem aduersum effecturi, generalis illa debet dispositio circa tales alterari, quia id rarum censeri debet, & ita non curandum.

3. Quia Regis vices gerens, qui accipere potest, & amplissimam confert potestatem.

*Philipp.*3. *schedula, circa Proreges.*

Ex rara turpitudine argui non debere.

4. Quia in legibus prohibentibus non expressi, ùm soleant in aliis.

312. Accedit præterea ratio ex eo desumpta quòd in enumeratione eorum, quibus receptio munerum prohibetur, non sunt expressi Proreges: nam quando illi in alijs dispositionibus comprehensi veniunt, non parcitur eorum titulis, etiamsi de Præsidibus mentio expressa habeatur. Quod quidem videre licet in schedulis de non contrahendo matrimonio intra prouincias gubernationis agentibus, vt est obuium apud citatum Scriptorem *Tomo* 2. *Lib.* 4. *Cap.* 4. *&* *in Politica Lib.* 5. *Cap.* 9. *De casarse los nuestros Virreyes, Presidentes, Oydores &c.* Et inferiùs. *No se pueden casar, ni casan en las dichas nuestras Indias los dichos nuestros Virreyes. Presidentes, y Oydores &c.* quæ sunt verba Philippi Secundi Regis nostri præclarissimæ recordationis, vt alia omittam. Idem videre licet in schedula alia Philippi Tertij *die* 17. *Septemb. An.* 1616. in qua cauetur, *Que los Virreyes y Presidentes se abstengan de llamar à los Oydores à sus casas à horas des accomodadas, è indecentes, si la grauedad de los negocios no obligare à ello.* Et in recentissima quadam Serenissimæ Reginæ nostræ Gubernatricis *die* 30. *Nouemb. An.* 1666. pro colligendo pecuniario subsidio adsumptus in Canonizatione B. Francisci Borgiæ faciendos sic: *Y mando à los Virreyes, Presidentes, y Oydores de las Audiencias Reales* &c. Iuxta hæc ergo, & alia eisdem consona, videtur pars ista non leuiter roborata.

Alia Philippi 2.

Alia Philippi Tertij

Alia Serenissimæ Reginæ Mariæ Annæ.

313. In contrarium tamen sua sunt fundamenta, & quidem non leuia: argui enim potest. *Primò*, quia cùm iudices sint, ad ipsos spectat quidquid de iudicibus supremæ potestati subiectis generaliter in Iure dispositum circa acceptionem munerum inuenitur: pro quo & Textus & Auctores congerit P. Thomas Sancius *Lib.* 3. *Conciliorum Cap. Vnico Dub.* 1. Cùm ergo Hispaniæ Regibus ardens iustitiæ zelus assistat, cui excipiendorum munerum ampla potestas nimis quantùm obsistit, non sunt credendi hac in parte ministris suis velle generaliter indulgere, aut eorum alicui, in quo forsitan maior esse prohibitionis ratio potest, & scandalum pernicioſius: *Secundò* arguere, & quidem non contemnendo discursu possumus, quia Ius Cæsarium prohibitionem huiusmodi statuens, de Proconsulibus, & prouinciarum Præsidibus loquitur iuxta Romani Imperij dispositionem, vt constat ex *l. solent §. finali, de officio Proconsulis, & l. Plebis cito. D. de officio Præsidis.* Obseruant autem graues & eruditi Scriptores Proreges illis respondere, vt videri potest apud Dom. Solorzanum *Tomo* 2. *Lib.* 4. *Cap.* 9. *nu.* 7. vnde videntur eorum iure censendi. *Tertiò*, Quia Præsidibus onus præfatæ prohibitionis incumbit, vt vidimus, in quibus tamen eadem quæ in Proregibus ratio videtur militare, ijs non obstantibus, quæ pro eorum parte sunt à nobis adnotata. Præsides enim Regiorum Conciliorum viri magni constitui solent, & qui Proreges in Regnis præcipuis aut fuerant, aut posteà fuerunt. Sic modo Excellentissimi Comites de Castrillo, & de Peñaranda, quorum prior ex Indiarum Consilio Prorex Neapolitanus constitutus, nunc in supremo Castellæ Consilio præsidet: alter ex Indiarum etiam Consilio in eodem Regno Prorex, ac perfunctus munere ad Indicas curas regressus, officij tanti retenta, dum abiret, proprietate. Marchio Salinarum Dom. Don Ludouicus de Velasco, bis in Noua Hispania, Prorex, in Peruuio semel, Indico Consilio datus Præses, quod & titulo gubernationis moderatus Excellentissimus Dux Metinæ, Turrium Neapo-

In contrarium quæ faciant.

1. Quia iudices, & ita iudicium legibus adstricti.

2. Quia Proconsulibus facta prohibitio, quibus Proreges respondent.

l. Solent. l. Plebis cito.

3. Quia de Præsidibus idem statutum.

Concilij Indiarum qui Præses ex Proceribus, & primaria nobilitate.

Neapolitano potitus Proregnatu, quibus & addi magnus sanè Peres potest Marchio à S. Germano, & de la Hinojora, Indici etiam Senatus Præses, magnis aliàs clarus muneribus, quia erat illi ad magna quæque peragenda promptum & expeditum ingenium; & qui hos præcessit omnes Excellentissimus Dom. D. Petrus de Castro, & Andrade, Comes de Lemus, prius Neapolitano in Regno Prorex, & deinde Indico Consilio Præses designatus. Et quis in viris talibus acceptione munerum periclitaturam iustitiam suspicari possit, sicut & in similibus, qui Consilijs alijs dati Præsides, non equidem minoris abollæ? & tamen legibus munerum acceptionem prohibentibus comprehensi, vt propterea Proreges etiam comprehensos affirmare meritò debeamus.

Stare obligationem eam si eius Cæsarum pro Hispania non vrgere videatur, qua leges in illa structo-ri.

Solent.

314. Quòd si dicatur Ius Cæsareum pro Hispania nullam inducere obligationem suas habente peculiares leges, & in præsenti causa satis manifestas: id non videtur obstare: nam ex legibus Hispaniæ arguimus, quibus Præsides comprehensi, & vt excipi non debent cùm Proreges ita etiam sunt, vt contenditur, ex Cæsareo Iure vrgemus, cui neutiquam verosimile est voluisse Reges nostros contraire, cùm circa hoc generaliter loquendo vrgentiores illas reperiamus, quod apertè demonstrandum. Nam in citata *l. solent* sic habet Vlpianus: *Non verò in totum Xenys abstinere debebit Proconsul, sed modum adjcere: vt neque morosè in totum abstineat; neque auarè modum Xeniorum excedat: quam rem Diuus Seuerus, & Imperator Antoninus elegantissimè Epistola sunt moderati, cuius Epistola verba hæc sunt: Quantùm ad Xenia pertinet audi quid sentimus: Vetus prouerbium est,* οὔτε πᾶσι, οὔτε παντοτε. οὔτε παρὰ πάντων, *(ideſt, Neque omnino, neque semper, neque ab omnibus) Nam valde inhumanum est a nemine acciperez Sed passim, vilissimum est: & omnia, auarissimum. Et quod mandatis continetur, ne donum, vel munus ipse Proconsul, vel qui in alio officio erit, accipiat, ematue quid, nisi victus quotidiani causa, ad Xeniola non pertinet, sed ad ea, quæ edulium excedant vsum. Sed nec Xenia producenda sunt ad munerum qualitatem.* Hæc ibi, iuxta quæ apparet prohibitionem non esse adeò strictam, vt Xeniola accipi nequeant, quæ frequentiùs ad palati solent gustum pertinere. Postrema autem verba interpretatione videntur indigere. Dum dicitur Xenia ad munerum non esse perducenda qualitatem. Circa quæ Glossa qualitatis nomine necessitatem dicit indicatam: pro quo adducit. *l. Scio D. de annuo legato. §.* 1. vbi nihil ad rem. Melius probari potest ex *l. Munus. la.* 2. *D. de Verborum significat.* vbi sic dicitur: *Munus propriè est quod necessario obimus, lege, more, imperiove eius, qui iubendi habet potestatem. Dona autem propriè sunt, quæ nulla necessitate iuris, officij, sed sponte præstantur; quæ si non præstentur, nulla reprehensio est: & si præstentur, plerumque laus est. Sed in summa, in hoc ventum est, vt non quodcumque munus, id & donum accipiatur: at quod donum fuerit, id munus rectè dicatur.* Sic ibi. Xenia ergo non esse producenda ad munerum qualitatem, est dicere, non esse ita extendenda, vt liberalitas in necessitatem adducatur: quod quidem non rarò accidit: & Indis hoc esse malum non semel illatum, à nobis dictum aliàs, non nullorum inclementia, qui in pusillis istis in Chri-

Xenia ad munerum qualitatem producti non debent. Pro quo explicatio.

l. Munus la.

Inter xenia, dona, & munera, quæ discrimen.

stum credentibus volunt facere necessitatem ex virtute, cùm in se ipsis virtutem de necessitate facere debuissent. Potest etiam dici muneris nomine honorarium in supremis Magistratibus designatum, ex diuisione muneris honorarij, & quod puri est oneris, de qua in *l. Munus. cit. Tit.* vt sit sensus Xenia non debere extendi, vt qualitatem talium Magistratuum exæquent, aut illi cum proportione respondeant, vt magnis magna dentur, eximijs eximia, sed quæ decent, & sine rubore possint ab offerentibus præsentari. Addi & illud potest, quod ex discrimine inter Xenium & munus verosimile etiam occurrit, vt Xenia non sint ad qualitatem munerum producenda, vt scilicet non tam Xenia, quàm munera, ideſt, largitiones quæstuosæ videantur.

l. Plebis scito.

315. In *l. Plebis scito.* Sic Modestinus: *Plebis scito continetur, vt ne quis Præsidum munus, donumve caperet, nisi esculentum, poculentumve, quod intra dies proximos prodigatur.* Sic ibi Xeniorum licentia coarctata. Id autem Correctum nouo iure Authenticorum à Iustiniano *Collat.* 2. *Cap.* 14. §. *Scriptum est exemplar huiusmodi.* Vbi sic Imperator Dominico Præfecto Prætoriorum apud Illyricum, post alia: *Sicut enim Curialibus parcere volumus, ita & defensorum castigare & retinere auaritiam Sancimus: & ab eis præsumere accipere à nostris subiectis, nisi secundùm quod eis administrat Respublica; aut si non est aliquod eis publicum salarium, quantùm inculpabilis antiquitas definiuit à Spontaneis ipsis magis, quàm ab inuitis accipiant: & hoc primum, & quantùm eis ad mediocrem sufficit vitæ gubernationem. Sciant enim quia si citra hæc aliquid acceperint, non solùm quadrupli subiacebunt pœnæ, sed etiam exilium habitabunt continuum, priùs eis plagis corporis infligendis.* Sic Imperator. In qua tamen rigida sanctione, neque vxorum, neque filiorum adiuncta mentio, vt ij scilicet Xenia prohibeantur accipere, quod & in præfatis Digestorum legibus licet obseruemus; id tamen à Regibus nostris aliter constitutum, dum & vxores & filij munera accipere prohibentur, etiam quæ ad victum spectant: vt videre est in *l.* 56. *Tit.* 5. *Lib.* 2. *noua Recopilat.* ibi: *Ni dadiua alguna de qualquier valor que sea, ni cosas de comer, ni beber &c. durante sus officios: ni lo pueden recebir mugeres, ni hijos, en poca, ni en mucha cantidad, directè ò indirectè &c.* Ex quo non obscurè conuincitur leges Hispaniæ strictiores esse Cæsareis, & ita non esse admittendum in Proregibus id, quod neque in summæ post Imperialem dignitatis iudicibus permissum inuenitur.

l. Plebis scito.

Authenticum Iustiniani.

Lex Hispaniæ circa munerum acceptionem.

316. Vbi dicet forsan aliquis Iustinianum in suo Authentico de Præfecto Illyrici non locutum, sed de inferioribus iudicibus, seu Curialibus, circa quos vult inuigilare Præfectum, ne id à subiectis recipiant, quod Edicto Imperiali cauetur: Id quod etiam ex pœnæ qualitate colligitur, postremis illis verbis: *Priùs eis plagis corporis infligendis.* Talis enim neutiquàm infligenda Præfecto, quem *Glorioſissimum* vocat, vt videtur manifestum. Sed hoc certè non videtur vrgere; nam cùm Authenticum dictum statuat ius strictius, minimè ex eo arguere licet ad introducendam laxitatem. Præterquàm quòd vigilantia ipsa commendata Præfecto, id ipsum indicat: si enim ille iuberet, & secus faceret, vana esset eius cura,

Iustinianus in Authentico de Præfecto etiam locutus. Vbi vtilis doctrina pro talibus.

quandoquidem vna deſtrueret manu, & quidem validiore, quod alia conſtruxiſſet. Notiſſimum enim eſt quod à Claudiano eleganter dictum:

Claudianus.

Nec ſic inflectere ſenſus
Humanos edicta valent quàm vita regentis.

Adde in rectoribus dictis rationem militare eamdem, ſubmouendæ inquam auaritiæ, quæ malorum omnium radix: & quòd à Republica commodum ſuo ſtatui ſalarium accipiant; quod in Peruuianis Proregibus eſt quam veriſſimum; nullis enim in vniuerſa Hiſpanica Monarchia ſublimioris notæ Magiſtratibus luculentius ſtipendium inuenietur aſſignatum: Quod autem de pœna dicitur, congruum ſuſcipit intellectum, vt ſcilicet cum proportione accommoda accipi debeat iuxta peccantium conditionem, id quod in alijs delictorum generibus conſtat euenire. Ex quibus *Tertiò* argumentari poſſumus, ex obligatione ſcilicet aduigilandi in Proregibus, ne ſubiecti miniſtri munera accipiant, quia id commodè præſtari nequit, ſi ipſi aliter ſe gerant, & quod in alijs punire pergunt, in ſe ipſis amplectuntur.

4. *Ex ſyndicatu.*

317. Argui etiam *Quartò* poteſt. quia in Proregum Syndicatu prædicta munerum acceptio cenſuræ ſubeſt, & ſolerter agitur, ne quis de repetendo eo, quod eſt largitus, tractet: & ſolet ſic petentibus reddi ante iudicialem expoſtulationem, vt nota ex huiuſmodi tractatibus euitetur. Mutantur enim hominum voluntates, & quando neque timent, neque ſperant, aliorum honori non conſulunt, actione vna & vindictam & compendium relaturi. Tandem qui accipiunt ſolicitè curant vt res ſecretò tranſigatur. Et quare hoc? Nam ſi id licitum, quid timent; ſoli enim qui malè agunt, odio habent lucem, luce ipſa mundi Chriſto ſic clamante *Ioan.* 3. Reges certè cùm donaria accipiunt, in publica id eſſe luce non verentur, ſicut & Dynaſtæ, dum à ſubditis id genus obſequij recipiunt; quia licitum cùm ſit, non eſt cur lucis officium reformident. Videtur ergo hoc ſatis veroſimile.

Aſſertio 1. Negans à legibus excipi.

318. Dico Primò. Proreges Indici generaliter loquendo non ſunt à legibus acceptionem munerum prohibentibus exempti. Sic diximus *citato Theſauri loco:* id quod etiam adducta nuper fundamenta videntur euincere.

Aſſertio 2. Indulgens edulia, & poculenta.

Dico Secundò. Quæ ad edulia ſpectant, aut poculenta non videntur cum rigore prohibita. Id ex eo oſtenditur, quia ſic vſu receptum, & vſu quidem non quorumlibet, ſed ipſorum etiam Religioſorum, qui affectum ſuum, quem teſtatum eſſe oportet erga viros tantos, à quibus omnes in multis dependent, ſic ſolent reddere manifeſtum. Et res tales in Indijs non ea ſunt regulanda menſura, quæ in Europa ſolet attendi, quia ſingularis opulentia, ſplendidiùs & copioſiùs exercetur. Pro quo & ſtat communis ſententia ſcriptorum aſſerentium poſſe accipi munera citra mortalem reatum, quando nullum eſt periculum peruerſionis, pro qua P. Fragoſus *Tomo 1. Parte 1. Lib. 3. Diſputat. 9. n. 30.* alios adducens P. Tamburinus *Lib. 9. in Decalogum Cap. 2. n. 7. iunctis ijs, quæ habet n. 6.* P. Molina *Tomo 1. Diſput. 88. §. Illud admonuerim.* Et alij. Atqui in Proregibus nequit cum fundamento dici, ſicut nec timeri, ob receptionem munerum prædictorum peruerſionis periculum incurſuros: ergo ſine grauis culpæ reatu illa poſſunt acceptare. Accedit ſententiam eſſe multorum, non obſtante Authentico citato vim ſuam retinere *l. Solent.* & *l. Plebis cito* admittentes, quas vidimus, largitiones; immò & legibus Hiſpaniæ non eſſe introductas ſunt etiam qui tradant, vt ſignificat P. Palaus *Diſputat. 2. de Iuſtitia, commutatiua Puncto 21. n. 7.* & 13. Quod quidem in Proregibus potiori ratione locum habet, vt nuper dicebamus. Quibus & videtur colenda, ſecundùm ſe loquendo, nullum peccatum eſſe, quia vel legibus non prohibita, vel conſuetudine firmata, & omnis periculo peruerſionis immunis: vnde aliqui ex citatis licitam dicunt, ſic autem & veniale excludunt, quia id quod ſine veniali fieri nequit, licitum non eſt. Dixi *Secundùm ſe loquendo*, quia ex adiunctis circumſtantijs vitiari poteſt, vt ex nimia cupiditate, aliquali ſcandalo, aut gloria vana, dum genus illud quaſi adorationis exoptant. Quamuis & hoc vltimum honeſtari poſſit, ſi non vanæ ſit gloriæ ſtudium, ſed cultus decentis, attenta ſublimi eorum dignitate.

P. Palaus.

Quod ſine peccato vlla ſtare poteſt.

Aſſertio 3. Cum cauſa apud Proteges agitur, negans munera conceſſum.

319. Dico Tertiò. Si cauſſa aliqua apud Progem criminalis aut ciuilis agitur, quodcumque munerum genus eis debet cenſeri prohibitum. Id probo, Quia ſine graui inconuenienti ſtare talis acceptio nequit: non quidem ex eo quòd peruerſionis periculum ſit, vt diximus, ſed quia ſi in fauorem dantis non feratur ſententia, inhumanum videtur rerum illius diſpendium admiſiſſe, & non leuis querelæ occaſionem præbuiſſe. Quòd ſi dicatur munus poſſe accipi antequàm Prorex animum ſuum circa ius litigantium informârit, & ſententiam præconceperit: Non videtur ſatisfacere, quia præconcipere debuit muneris largitorem aduerſa fortuna feriendum, vnde & inhumanè agendi periculo ſe exponit, & grauis querimoniæ. Hoc autem non euenit quando ante cauſſæ, nec de illa in ſpeciali cogitatum, dicta præcurrit acceptio, quia illa non animo alliciendi Proregem in ordine ad lites, & criminales cauſſas videtur diſpoſita, ſed beneuolentiam ſibi conciliandi, quæ omni iudiciali reſpectu circumſcripto exoptabilis eſt, & poteſt obſequijs prædictis obtineri, & ex præfata inſtantia firmatur etiam idem dicendum quando ſententia eſt in fauorem dantis munera præconcepta; quia cùm talia eſſe occulta nequeant, is, contra quem ſententia lata eſt, præ dolore victoriæ, ſi res inter partes agitetur, Proregem muneribus corruptum inclamabit. Et licet falsò, cùm apparenti tamen fundamento, & non ſine boni nominis iactura, cùm debeat ille præ alijs ſatis compertum diuini Spiritus dictamen amplecti: *Curam habe de bono nomine. Eccli. 41. v. 15.* In quo quidem Proreges aliqui ſingulari exemplo præfulſere. Et etiamſi res inter partes non agatur, vnde timeri præfata nequeant, ſemper bonis nominis eſt timenda iactura, quia vt dictum nuper. Secretum pro talibus eſſe nequit, & dantes ipſi ſunt etiam quandôque præcones, qui & exiſtimare poterunt ſuis ſe obtinuiſſe muneribus: & certè dum ad largitiones procedunt, non rectè de ijs iudicant, quos illis flectere nituntur, & ſic ad iudicia procedere, puris manibus non venturos. Et reſolutio præſens, quòd ad illius auctoritatem ſpectat, pro ſe habet Iuris communis leges, & Hiſpaniæ peculiares,

Eccli. 41. v. 15.

P. Fragoſus P. Tambur. P. Molina.

liares, cum auctoribus loquentibus iuxta ipſarum mentem. Neque ſuffragatur quod de conſuetudine *Aſſertione præcedenti* dictum, quia circa hoc illa non extat, & reuera ſi extaret, non eſſet rationabilis & legitimè præſcripta, ſed abuſus, qui etiam circa alia minimè tolerandus, inualuit.

Aſſertio 4. Cera moderationem in præſatu.

320. Dico Quartò. Licet munerum acceptio, de quibus nuper, cum ea ampliatione, quam pro Indijs admitti poſſe ſtatuimus, tolerabilis ſit, non tamen ſi ita excreſcant, vt ſuſtentationi magna ex parte deſeruiant, aut ex illorum venditione copioſa pecunia redigatur. Id facilè oſtenditur attentis legibus adductis, in quibus *Xeniola* dicuntur, vel ſi *Xenia*, cum eà tamen limitatione, vt Xeniola cenſeri debeant, vnde nihil contrarietatis in ipſis. Quòd verò pro Indijs augeri poſſint; prudenti eſt auctione regulandum, non ita tamen exceſſiua, vt locupletior inde reddatur accipiens, & illud impleatur, quod Hiſpano iactatur prouerbio: *Quien te hace el pico, te hace rito.* Ideſt, *Qui tibi præſtat victum, ille & te facit diuitem.* Quomodo ergo Xeniola dici poſſint, quæ tali habentur in pretio, & copioſos in accipientibus ſumptus impediunt, & ita poſſunt reddere locupletes?

Aſſertio 5. Admittens ea, quæ ad Oratorij ornatum ſpectant.

321. Dico Quintò. Acceptio rerum aliquarum Oratoria ſpectantium non videtur damnanda, etiam ſi argenteæ, aut decoratæ, nec leuis pretij ſint. Probari poteſt, quia in hoc nihil apparet turpis cupiditatis execrationem ſapiens: vnde & nonnulli circa receptionem munerum ſcrupuloſi Proreges, circa huius generis donoria non hærent, dicentes illa non tam ſibi, quàm Deo, aut Deiparæ, agnita circa ipſam ſingulari illorum deuotione, conferri. In quo quidem neque ſcandalum eſſe poteſt, quod timendum vereantur: ſi præſertim, & dantium conditio, & tempus, aliæque circumſtantiæ, vt vitetur, expendantur. Ne ſcilicet ab eo, qui pendentem habet cauſſam accipiantur, aut pretium videatur officij, vel pompaticè deferantur. Vbi obſeruandum eſt, quòd licet dicta munera deuotionis tribuantur intuitu, & ſacris miniſterijs applicanda; non ideò accipiens prohibetur quo minùs de ijs poſſit tempore labente diſponere, quia hoc modo interpretanda eſt voluntas largientium, qui Proregum voluerunt obſequi voluntati, & eo vſi ſunt largitionis modo, qui ipſis arbitrati ſunt futurum gratiorem. Vnde aliqua ad vſus etiam non ſacros apta ad illos quandoque adduci poterunt, vt candelabra, phialæ, ſuffumigatoria, & ſic alia.

Aſſertio 6. Item & gratitudinis gratia collata, ſed non in pecunia.

322. Dico Sextò. Munera gratitudinis gratia collata Proregibus, quæ pecunia non conſtant, admitti poſſunt, ſi exorbitantia non ſint. Hoc vſus iam pridem admiſit, & vtinam apud omnes cum limitationibus præfatis. Et eorum, qui vſum probarunt conſcientiarum Proregum directores, ex eo fortè permoti, quòd exiſtimarent generaliter loquendo non eſſe prohibita in illis munerum acceptionem, quia rem iſtam non curarunt penitius inſcrutari, contenti circa venditionem officiorum abſurdum non tolerandum amouere, qui interuenire non videtur, quando ante officij collationem nihil datur, ſed eo finito, aut tendente ad finem: cùm tamen generaliter prohibitio extat, vt benè probat P. Thomas Sancius *citato Cap. 1. n. 18. & 30.* & P. Molina *Diſputat. 88. citata §. Contraria ſententia.* Quo pacto etiam accipiendum id quod tradit P. Fragoſus *nu. 39. §. Quæres.* Vbi cum Marſilio ait poſſe iudices aliquid ampliùs quàm merentur recipere poſt latam ſententiam, quæ tranſiuit in rem iudicatam, ſi nullum de hoc intercedat pactum, & partes ex liberalitate, ſiue ex gratitudine donent, neque ipſi capiant pro pretio, aut ob cauſſam principalem. Accipiendum inquam ſecluſis legibus, vt ſibi conſtet in ijs, quæ habet *nu. 28. & 33.* Erat autem pro eo ſpecialis cautio *l. 2. Tit. 1. Lib. 9. nouæ Recopilationis*, ibi: *Aunque ſean fenecidos los negocios.* Et verò niſi generalis prohibitio, quæ in communi ſorte, & municipalibus extat, hoc modo Iure eſſet intelligenda, corruptioni iuſtitiæ porta latiſſima panderetur, Iudices enim ſpe munerum accipiendorum ditioribus & potentioribus fauerent, & ita pauperes iniquis ſententijs ſubiacerent, & reuera iudicibus, ſi iuſtè iudicent, non eſt debita gratitudo, quia ad id eorum obligatio compellit officij & quando ſic accidit, cùm beneficium non ſit, neque etiam gratitudo debetur. Si verò aliquid gratuitum interuenerit, nec tamen conſtat quo id animo factum ſit, neque beneficium æſtimari debet, atque ita qui in lite vincunt communiter arbitrari ſolent pro ſe iuſtitiam ſtetiſſe; etſi cauſſa cadunt, de iudicibus ſolent conqueri, & violatam ab eis iuſtitiam conclamare. Et vt reuera gratuitum illud beneficij rationem ſubeat, ſicque gratitudinem mereatur, hæc modis alijs exhiberi poteſt, neque eſt ad munera ſolum modò reuocanda: verbalis enim gratiarum actio eſſe poteſt, & vrbanis officijs quandoque vtilibus gratus animus oſtendi. Pro quo ita Seneca Lib. 6. de beneficijs. Cap. 29. *Quam multa ſunt, per quæ quidquid debemus, reddere etiam felicibus poſſumus; fidele conſilium, aſſidua conuerſatio, ſermo comis, & ſine adulatione iucundus, aures, ſi deliberare velit, diligentes; tutæ ſi credere: conuictus familiaris &c.*

P. Fragoſus

Vt poſſint iudices accipere poſt ſententiam latam, niſi leges obſtent.

Lex mora Recopilat.

Obſtare oſtenditur.

Gratitudo quibus modis ſine largitionibus ſtare poſſit.

Seneca.

323. Cùm ergo generalis ratio gratitudinis fundamentum non præbeat Aſſertioni, videndum vnde illa Proregibus ſuffragetur. Et in primis afferri poteſt vſus, de quo dictum; pro quo illis in ſyndicatu lis numquàm intenditur, vnde & Regia indulgentia pro eo videtur aſſiſtere: poſſe enim Reges licentiam pro accipiendis muneribus largiri, videtur compertum, & ita vt certum ſtatuit P. Palaus *citato Puncto 21. §. 3. nu. 1.* Vnde & vtrumque Ius eſculenta, vt vidimus, & poculenta etiam iudicibus circa cauſſarum particularium deciſionem intentis, indulgent. Quod intelligendum quandò neq; ſcandalum, neque periculum peruerſionis imminet. Prædicta autem licentia præſumitur, quia Proreges copioſas Regi ſolent facere largitiones ex Indiarum præcipuis fructibus, auro, ſcilicet & argento; quas & exigi quandoque ſcimus, quas tamen ex ſalario, licet pingue illud, non ea pecuniæ copia ſuperſit, vt largitionibus adeò ſplendidis ſatis eſſe queat, ſi largientibus notabile aliquod ex ſuo ſit labore ſubſidium relinquendum, vt Regia petitio ſupponit, quæ circa moderatam portionem, & non circa præcipuam emolumentorum ſubſtantiam ordinatur. Præterea ipſa Proregalis dignitas ad hoc videtur conducere, quæ valde ad Regium

Proregibus in eo ſuffragatur vſus.

Item & Regum indulgentia, qui dare ad id licentiam poſſunt. P. Palaus.

Ipſa etiam Proregalis dign

accedit ; & vt eruditi Scriptores volunt apud Dom Solorzanum *supra nu.*8. supra Proconsularem,& Præsidentialem eminet, vnde mirum non est, si id genus obsequii admittat, quòd gratitudinis titulo exhibetur ab ijs, qui acceptis officijs, & honorem & emolumenta pretiosa comparārunt.

Cur pecunia non admittatur.

324. Dixi, *Quæ pecunia non constant, si exorbitantia non sint.* Et quod ad pecuniam attinet, ex se apparet indecorum, & rationem solutionis habere, cùm sit illa pro commercijs inuenta, & quidem xeniorum nomine ea, quæ Magistratibus offerri possunt iuxta Cæsareas leges, vt iam vidimus, designantur: xenium autem illud dictum quod dari solebat hospitibus,aut mitti amicis, de quo Grammatici,& Martialis Interpretes *Lib.*13. qui est de xenijs, inter quæ de pecunia nihil. Posset autem mitti & admitti, quando in pecuniâ aliquid speciale esset,propter quod æstimationem sibi peculiarem conciliaret,ratione artificiosæ cusionis, splendoris, nouitatis &c. Et ita non tam commercijs, quàm amicabilibus obsequijs seruitura. Quòd verò ad exorbitantiam spectat per se videtur apertum, & conuincitur præterea ex dictis *Assertione* 4. circa illa, quæ ad victum spectant, nec non ex nuper dictis de proprietate xeniorum, & quidem luculenta adeò munera non sine graui esse nota possunt.Præterquam quòd vt comparari à donaturis queant, quibus & insuper opima est substantia futura, multa agenda sunt minimè iustitiæ consentanea, aut Christianæ pietati: Vnde ianua hæc claudenda à Confessarijs, & conscientiæ Proregum moderatoribus. Quòd si fortè sint qui aperiant, ipsi viderint, directionis suæ rationem iudici omnium reddituri. Sed quid *fortè* dixerim, cum certò sciam fuisse qui dicerent Excellentissimo Proregi iuxta hæc inflexibili, vt quæreret qui accipiendorum munerum vtilia ipsi futura consilia præberet,& viam hinc timoratæ conscientiæ difficilem complanaret. Et præbuisset sanè ille, eo tamen ipso Principi Christiano suspectus,qui non placentia, sed secura conquirit.

Quid xenium.

Exorbitantia munera nunquam tolleranda.

Circa quod Confessariorum conscientia conuenitur.

Assertio 7. Obligationem dictam esse sub mortali.

325. Dico Septimò. Prohibitio munerum,de quibus diximus, obligationem sub reatu culpæ lethalis inducit. Sic citati generaliter loquentes, & alij apud ipsos. Ratio est,quia materia est valde grauis, & violatio legum prohibentium in magnum redundat Reipublicæ detrimentum: ex quo fundamento Doctores complures adducti à nobis *in Thesauro Tomo* 1.*Tit.*2.*n.*3. grauitatem obligationis desumendam affirmant. Pro quo etiam videndus Iosephus Rocafull *in Praxi totius Theologiæ Parte* 3.*Lib.*6.*de legibus.Cap.*8.§. *Sit assertio: ex materia.* Quibus accedit id quod aliqui, pariter adducti, asserunt, tunc scilicet obligationem esse grauem, quando si talis non esset, bono publico non fuisset conuenienti remedio prouisum in rebus momenti magni:quod quidem in casu nostro videtur manifestum, vbi si obligatio sub veniali tantùm sit, vix erit qui illam attendat; quandoquidem sub lethali etiam reatu vrgens, rem magnam fecerit qui illam non violauerit. Et quidem quando scandalum, aut periculum peruersionis incumbit, lethalem transgressionem futuram omnes affirmant; ex quibus prius rarò abesse poterit, & erunt non pauci qui credunt nec posterius : licet enim apud Proreges causæ largientium munera, agitandæ non sint(quamuis & hoc sæpiùs accidere possit) sed apud inferiores iudices, ijs certè,illi tales de se benemeritos commendabunt, ex quo peruersionis periculum constat imminere. Plus enim aliquando indignatio Proregum, quàm Regum ipsorum formidatur, & nullius est qui infensos sibi eos habere non penitus extimescat.

Rocafull.

Quando talis obligatio legum dignoscatur.

326. Dico Octauò. Non desunt Auctores, qui generaliter loquendo censeant acceptionem munerum non esse lethalem. Illorum fundamentum ex multorum sententia desumitur asserentium leges pœnales ciuiles in conscientia non obligare; quod cùm probabile sit, non est cur in casu nostro non possit securè applicari,vbi de non accipiendis muneribus leges pœnas statuunt, vt vidimus *n.*315. pro quibus etiam Authent. *Nouo iure. C. de pœna iudicum, qui malè iudicant.& l.*1. *ad finem. C. Ad l.Iul. repetund.*Sic P. Tamburinus *n.*318. adductus. Cuius sententiam auidè arripuerunt ex ijs aliqui, de quibus agimus, vel potius eorum conscientiæ directores. Vnde cùm à me ex eis quidam (quem omnes vtinam hac in parte, sicut & in alijs Christianis dotibus sequerentur) quid tuta conscientia posset agere in casu generis huiusce requireret, & ego securam, & genio eius consentaneam responsionem præstitissem : mihi sententiam P. Tamburini proposuit, quæ proculdubio ab aliquo eius conscientiæ ductore fuerat instillata. Cui quidem opponi potest leges Hispaniæ, in quibus Proreges videntur comprehensi,pœnas non apponere,licet pro nonnullis alijs iustitiæ ministris adijciant : vt videri potest apud P. Sancium *citato Dubio* 1. & ita pro illis legum pœnalium libertatem à culpa non extare. Sed ad hoc dici poterit reuera pœnales esse, etiam si pœna non exprimatur in eis, quia arbitraria esse potest, quandoquidem iuxta Ius commune tales sunt, cui se conformare iudex residentiæ potest, aut aliter huius generis reum conuictum castigare. Et ita censet Leander à Murcia *in Disquisitionibus moralibus Lib.*2.*Disp.*5. *Resolut.* 34. *n.* 17. ex quo infert *n.* 18. non obligare ad restitutionem, pro eo adducens Dianam *Parte* 6. *Tract.*6. *Resolut.*59. ita sentientem cum P. Fagundez *Tomo* 2.*in Decalogum Lib.*8.*Cap.*26. *n.*32.*&* 33.*in fine*, vbi manifestè contrarium statuit.

Assertio 8. Esse qui censeant non esse mortale, quia leges sunt pœnales.

Tambur.

Guilielmus Herincx.

327. His addi potest id quod tradit Guilielmus Herincx post alios *Tomo seu Parte* 2.*Summæ Theologicæ. Tract.*3. *Disput.*3. *n.*172. scilicet ex consuetudine fieri posse, & frequenter fieri, vt leges quæ appositam habent moderatam saltem pœnam temporalem, non obligent in conscientia, etsi vtuntur verbis præceptiuis. In casu autem nostro ita videtur accidere: licet enim in citatis legibus apponuntur pœnæ, ex consuetudine tamen Proregibus moderatæ tantùm imponuntur, vnde leges consuetudine temperatæ; & quando tales sunt, vt moderatam pœnam imponant, non obligare sub mortali tenent multi, qui pro argumento grauis obligationis impositionem pœnæ grauis accipiunt, vt videri potest apud citatum *num.* 167. & apud Rocafull *supra* §. *Dico* 1. Benè verum est Scriptorem hunc obligationem sub mortali agnoscere, si grauitas materiæ

Leges præditas consuetudine, vt in conscientia non obligent, temperatas.

Rocafull.

riæ subsit, etiam si pœna non adijciatur, vt diximus.

Modum ita tractandi probabilem solido esse fundamento detrahere valde offendit.

Nauarrus.

328. Sed certè modus dicendi prædictus solido videtur fundamento destitutus. Et applicatio sententiæ illius de legibus pœnalibus in conscientia non obligantibus minimè subsistere potest; cùm videamus Auctores pro illa stantes, circa munerum acceptionem aliter pronuntiare, vt videri in Nauarro potest, inter illos præcipuo, qui non solùm acceptionem lethalem censet,sed obligationem restitutionis ex illa resultare multoties asseuerat, vt videri est in *Manuali Cap.*17.§.31. & 33. & in Commentario de datis & promissis Tomo 2. quia iudicat munerum acceptionem esse naturali iure prohibitam, & cùm leges sæculares supra tale aliquid cadunt, licet grauem obligationem non addant, illam tamen roborare. Pro quo *n.*57.*citati Capitis & n.*4.§. *Quare quòd omnia & n.*5. §. *Secundo quod etiam*, citati Commentarij. Neque alia est mens aliorum. Et quidem neque P. Tamburinus videtur de muneribus magni valoris locutus, quia *n.*6.*citato* affirmat,si munera ita accipiantur à iudice, vt ab illis nec moueatur ad iniustitiam,nec periculum graue & proximum sit, vt ad eamdem afficiatur, tunc iure naturæ neque illicita, neque restitutioni esse obnoxia. Et huius generis regulariter esse munuscula ex esculentis, vel ex rebus parui momenti; quia tunc non adest caput nec vllius culpæ, nec vllius pœnæ.Quando autem Assertionem suam statuit circa obligationem per leges ciuiles, id quod ex iure naturæ habetur non excludit, sed loquitur præscindendo ab eo, quod dictum à se fuerat de iure naturæ. Atqui iuxta ipsum solum munuscula accipi possunt: immò & in ipsis periculum esse posse significat, dum ait regulariter ita contingere, vnde & aliquoties periculosa esse possunt. Quidquid ergo de obligatione sit ex legibus sæcularibus orta, quod ad rem moralem spectat, & praxim, quam securam inquirimus, non multum consideratio illa conducere potest, iuxta scriptorem dictum.

P.Tamburinus, non videtur ad mentem.

Sententia dicta in praxi non tuta, vt in plurimum quidquid de vno aut altero casu sit, qui proponuntur.

329. Sit ergo sententia illa metaphysicè probabilis,quoad praxim verò rarò poterit vsui licito deseruire. Apponam autem vnum vel alterum casum in quo vsus non sit penitus damnabilis iudicandus. Prætoris officio functus magnam ex eo pecuniæ summam extraxit, cogitatque in Hispaniam se conferre, & ante nauigationem gratum se Proregi, cui eximium illum fortunæ fructum debere se conspicit, exhibere. Det tunc quod libeat, secluso scandalo, quia cessat iam quidquid obstare poterat licitæ largitioni. Item. Prorex iam finem suæ gubernationis attingens, ab ijs, quos sua beneficentia reddidit locupletes opima dona recipiens, si etiam scandalum absit, non videtur mortalis culpæ reus, quia periculum peruersionis non imminet, suo cùm sit iam officio functurus. Et videbitur forsan alicui idem dici posse,si tunc officium conferat,& grande aliquid titulo gratitudinis ipsi tribuatur. Sed opponi potest in eo palliatam esse venditionem, talis enim accelerata largitio id videtur indicare. Verùm si gratis omnino officium est datum,& accipiens eo se pacto velit gratum demonstrare, licebit illi de suis esse profusum. Quamuis timeri aliunde possit sic dantem, vt id quod dedit suppleat, & aliquid insuper pretij non leuis acquirat, in administranda iustitia non se vt oportet esse gesturum, quod incommodum non semel lamentabilis experientia comprobauit. Si alia his similia eueniant, de illis est similiter iudicandum.

SECTIO XXII.

Circa munerum acceptorum restitutionem. Vbi casus aliquot peculiares.

Vt cesset obligatio restitutionis munera debere esse gratuita.

330. Dixi de illa citato *loco Thesauri*, & tot sunt Scriptores, qui ab eo onere accipientes eximant, vt non videatur sperandum seueriores in hac parte sententias valituras. Benè verum est Doctores fauentes multa requirere, vt restitutionis cesset obligatio, quæ ad vnum illud videntur reuocari, vt scilicet munerum largitio omnino gratuita sit, quod rarò in omnibus iustitiæ ministris accidere, vti valde notandum proponit Leander à Murcia *supra n.* 22. Liberalem ergo futuram statuunt, non quatenus liberalitas etiam gratitudinem excludit, sed vt coactionem importat, & inuoluntaria reputatur, vt accidit quando vexatio redimitur, aut soluitur vsura : & in negotio præsenti quando simile contingit aliquid, vt cùm ob timorem indignationis aliquid datur, vel ne ab officio amoueatur potitus illo, in quo emitur prorogatio, si reuera de amotione tractaretur, esset enim tunc palliata prorogationis emptio & venditio. Vbi Togati cuiusdam consilium minimè probandum occurrit, quod Proregi valde commodum futurum arbitrabatur. Ne scilicet pro officijs quidquam acciperet, vt nundinationis notam declinaret: sed verò si in fine anni, pro quo solent officia concedi, nihil rependeret gratus largitori,eum statim ab officio remoueret,cùm soleant officia pro vno concessa anno, ad alium extendi, nec sine graui possidentium incommodo coarctari. Nam reuera modus hic agendi venditionem sapit: venditur enim prorogatio, gratitudinis titulo subrogato. Vbi tamen obseruare oportet multa inuitè fieri, quibus tamen restitutionis obligatio non succedit, quia cum tali molesto agendi modo stare potest voluntas absolutæ donationis, & ita dominium transferendi. Sic largitio elecmosynæ in suauis est multis, & iniucunda etiam liberalitas, quam pro status conditione conuenit exercere: & multa, dum importunè exigunt, dantur pellicibus, minimè prompta voluntate. Vnde non est exploratu facile quando in ijs, quæ Proregibus conferuntur obligatio restitutionis incumbat,vbi leges illos dominij non reddunt incapaces, quod etiam est difficilis probationis, & quando id non constat, standum esse pro valore actus. erunt qui verosimiliter tueãtur,iuxta *l. Apud Celsum §.Iulianus D.de doli mali,& met.except.*& quia in dubio melior est conditio possidentis, quando scilicet possessio bona fide est inchoata, nec tenetur voluntatem dantis explorare, (sicut nec legislatoris non exactè per leges declaratã) cùm sufficiat persuadere sibi illum non velle accipientis conscientiam onerare grauissimo restitutionis onere,quod nullus ex sic dantibus solet intendere : sed cùm quid-

Id rarò accidere. Murcia.

Non bonum Togati Consilium.

Quando inuita largitio obligationem prædictam non inducat.

In dubio quid.

l. Apud Celsum.

Quid pro praxi notabile.

quidquam Proregibus tribuunt, omnem recuperationis ſpem amittunt: & quandoquidem neque ipſi, neque eorum hæredes id habituri ſint, omninò impertinens intentio ad reſtitutionem directa videretur. Vbi circa bonam fidem diſtinctione opus eſt: nam eſſe illa poteſt circa dominium rei acceptæ, licet circa modum acceptionis talis non ſit, eò quòd ſit contra legem, & accidit in multis, quæ pro actionibus illicitis tribuuntur: cum tranſlatione tamen dominij, iuxta ſatis communem grauium Scriptorum ſententiam, & in hac ipſa, in qua ſumus, materia, docent plures, viderique poteſt P. Sancius *citato Dubio* 1. *nu.*30. & alij adducti. Ex prædicto autem fundamento non iam conſcientiam dubiam, ſed probabilem formare poſſunt accipientes, ex quo ſecuriore via procedetur.

Pretium pro illicitis ſine obligatione dicta.

P. Sancius.

331. Vbi illud non contemnendæ quæſtionis occurrit, de quo illa in caſus contingentia incidit, An ſcilicet Prorex poſſit aliquid magni valoris accipere propter adhibitam ſpecialem diligentiam vt debitum alicui ſoluatur, partem ſcilicet debiti iam ſoluti. Et fuit qui non ſemel, ſed iterùm acceperat, ſine graui remorſu conſcientiæ. Cùm enim in Hiſpania deſignatus iam Prorex de nauigatione ageret, ipſum adiuit quidam, cui debitor in Indijs erat ſexaginta millium argenteorum ponderum, (iuxta vulgarem loquendi modum) ſeu octo regalium, petiuitque vt in vrgenda ſolutione faueret, mediam tantæ quantitatis partem, ſi res feliciter cederet, habiturus. Venit ille, & factum ita, triginta argenteorum ponderum millibus vna diligentia munerata, iudiciali inquam adhibita poteſtate. Iam in Indijs exiſtenti eidem pro æquali recuperanda ſumma decem millia ſunt octo regalium oblata à Religioſa familia, quæ ſolutionem alijs tentatis mediis non valuerat obtinere. Sed eo pro poteſtate agente obtinuit, & ſuam ille ſextam partem imburſauit. Et multi iam tranſierant anni, cùm Chriſtianus Princeps de aſſecuranda conſcientia ſolicitus, & nullum in Hiſpaniam circa viſcoſum iſtud genus ſcrupulum portaturus, quidquid ad id ſpectare poterat, cum doctis, & ſanæ intentionis conſiliarijs tranſigebat. Et cùm omnia iam viderentur finita, & conſcientia in tranquilla eſſet ſtatione compoſita, ab vno ex illis rogatus eſt an aliquid ob adhibitum officium circa ſolutionem debitorum accepiſſet? Reſpondit ex vero id, quod de ſexta illa parte à Religioſis accepta diximus. Et cùm illi circa obligationem reſtitutionis ſtimulus eſſet infixus, reſtitutionem pollicitus eſt. Cumque bonum conſiliarium circa obligationem proloquentem audiret, manu ſellæ brachio percuſſo, En, ait, è manibus modò mihi triginta octoregalium millia elapſa ſunt. Recordatus enim prioris illius ſuæ diligentiæ fructus, quem poſt tot annos reperit non maturum, & ita reſtitutionem animo excelſo deſtinauit.

An Prorex partem debiti poſſit accipere, quod ſolui facit. Vbi caſus peculiaris.

Negatum meritò in illo, quia pro adminiſtratione iuſtitiæ nihil accipi poteſt.

332. Et ratio quidem obligationis dictæ ex communi ſententia, eſt obuia, iuxta quam pro adminiſtratione iuſtitiæ nihil accipi poteſt, niſi cum onere reſtitutionis. Prorex autem interpellatus à creditore, debet iuxta muneris ſui obligationem omnia præſtare quæ ad obtinendam iuſtitiam fuerint neceſſaria. Sic Gloſſa, Couarrubias, Nauarrus, Syluester, & Medina, quos adducit & ſequitur P. Fragoſus *Tomo* 1. *Parte* 1. *Lib.* 4. *Diſputat.* 9. §. 3. *n.*42. & *Lib.*5. *Diſputat.* 13. §. 9. *n.* 220. qui & obligationem reſtitutionis agnoſcunt, ſicut in eo, qui ſupra iuſtum rei pretium aliquid accipit, quia iudex competenti ſalario donatus, iam laboris in cognitione & expeditione cauſſæ adhibiti congruum ſtipendium nactus eſt. Si dicas eum, qui emit, poſſe, ſi velit, ſupra iuſtum pretium dare quod libuerit ex aliquo amicabili reſpectu, & ita etiam poſſe litigantem, etiam ſecluſo intuitu redimendæ vexationis. Contra eſt, quia ſi ſpes ſit conſequendi iuſtitiam, quam iudex tenetur exhibere ſine munerum adiectione, incredibile eſt ingentem pecuniæ ſummam pro aſſecutione offerendam: *Nemo enim ita reſupinus eſt, vt facilè ſuas pecunias iactet, & indebitas effundat*, vt habetur *l. Cùm indebiti de probat.* & ſic cùm offertur, redemptio vexationis interuenit. Sicut incredibile eſt daturum emptorem aliquid, ſupra iuſtum pretium, vt rem, qua indiget, comparet, ſi venditor iuſtè agere velit, paratus ex officio mercatoris; vnde ſi ſupra iuſtum tribuat aut donet aliquis, aut fraus, aut iniuſta negatio extitit, niſi inter valde amicos res agatur, quod in caſibus non accidit, de quibus agimus; ſi enim vera amicitia eſſet, iudex promptiſſimè negotium expediret, & tunc omnis nundinationis ſpecies procul eſſet. Qualis enim amicitia illa vbi adeò eſt conſecutio iuſtitiæ quæſtuoſa? & nihil plus pro amico agitur, quàm pro non amico fieret, immò & pro inimico? Item. Aut iuſtè petenti debitum apud iudicem, iuxta officij ſui obligationem facturus ille vt ſoluatur, aut non, ſi operæ pretium deſit? Si primum, adminiſtratio iuſtitiæ eſt, pro qua illud non debetur. Si poſterius, vexatio eſt, & quod datur, illius redemptio. Si ad amicitiam recurritur, id prorſus infirmum: quia illa in cauſſa eſſe debuit vt ſe ad ſolutionem expediendam ſine aliquo ad pretium reſpectu promptiſſimum offerret. Cumque non ita acciderit, nihil ibi amicitia præſtitit: turpis ergo venditatio iuſtitiæ fuit. Ex quo pro caſu præſenti validum deprehenditur argumentum.

P. Fragoſus

Indebitam largitionem non præmi gratuitam.

l. Cùm indebiti.

Amicitia præextum ablegatur.

333. Quòd ſi dicatur ſpecialem diligentiam adhibitam, ſine qua ſolutio minimè foret obtinenda. In eo quidem ſunt qui faueant Doctores communiter aſſerentes pro ſpeciali aliqua diligentia non debita poſſe iudicem aliquid ſupra ſalarium accipere. Sed in caſu noſtro nulla apparet diligentia adeò ingenti digna pretio præter mandatum ſolutionis ad partis petitionem. Niſi addatur negotium hoc extra iudicialiter fieri poſſe, dum iudex, & maximè Prorex accerſitum debitorem admonet vt ſoluat, timore, ſi reluctetur, iniecto. Sed certè in hoc etiam iudicialis intercedit auctoritas: neque enim ab illa alienum eſt ſic ſolutiones vrgere, vt forenſis ſtrepitus ceſſet: & ita vidimus, & videmus, Proreges hoc agendi modo & debitores ac creditores à multis quæſtuoſis moleſtijs liberare. Et quidem timorem non vt priuata perſona, ſed vt iudiciariam habens poteſtatem infligit, faciendo inquam id contra moroſum debitorem, quod nequit niſi iudiciaria poteſtate præſtare. Præterquam quòd diligentia talis pretio multò minore debuit æſtimari, ſi talis ſit titulus admittendus. Id autem quod *ſuperius* diximus, manifeſtiùs apparet quando debitor

Ex ſpeciali diligentia non recta defenſio.

debitor eſt fiſcus: in eo enim non niſi iuxta Ordinationes Regias procedendum eſt, & res iudicialiter tranſigenda.

Tegetur clatebulamate.

334. Prætereà, ſi creditor dictus coràm Prorege agens peteret vt ille pro recuperando debito ſibi aſſiſteret, & ille denegaret, iniuriam proculdubio petenti inferret: aut ergo cùm dicto modo paciſcitur, illam timet, aut non? ſi primum dicatur; id quod extali timore datur, iniquè accipitur, & cum onere reſtitutionis, vt ex Soto, Cardinali Toleto, P. Leſſio, & P. Rebello ſtatuit P. Fragoſus *ſuprà n.*4. §. *In foro tamen*, datur enim inuoluntariè. Poſterius autem ſi affirmetur, ergo ſpes eſt non dubia de obtinenda ſolutione, & ita incredibile gratis donari. Rogo enim an recuperato integrè debito dabitur ſumma illa excreſſiua nullo præcedente pacto? Quis dandam affirmarit? Neque ſumma dicta, neque ſummæ conſiderabilis portio, cùm videamus neque mutuò facilè dari, & ſæpè ſæpiùs, ſi detur; cum fide iuſſoribus, aut pignoribus. Immoderata quidem donatio numquam præſumitur, vt cum multis obſeruat Muſcardus *Tomo* 1. *de Probationibus Concluſ.* 154. *n.* 13. & 32. Id quod in ſumma illa à Religioſis data cernere licet. Quomodo enim Religioſi adeò exceſſiuas poſſint facere largitiones: Vnde argumento eſt, ſi ab ijs factæ, in voluntarias extitiſſe, & vt iuſtitiam aſſequi poſſent, de qua obtinenda aliter deſperabant.

Deſumi ex timore, iudi ci obligationem reſtitutionis importat.

Donationes immoderatæ non præſumuntur.

335. Vbi & alius ſcrupulus timeri potuit, in quam Conſcientia Gubernatoris impingeret, ſi videlicet ex arcis Regijs pecunia extrahenda eſſet pro ſolutione dicta. Nam eſſe poterant Creditores, qui pro ſe maius ius haberent, & ita alijs præferendi. Propter iſtam autem rationem fauor Gubernatorum inquiri ſolet, & carò haberi: quo euentu manifeſtior eſt iuſtitiæ læſio: nam cùm multi petunt ſibi debita, nec tamen obtineant, ſoluſque opimus largitor quod petit, accipiat, non obſcurè apparet procul iuſtitiæ reſpectum abeſſe; alij enim non accipiunt, quia non tribuunt, & currentium pariter vnus accipit brauium, quia Gubernatoris animum ſua largitione corrupit. Si enim circa omnes iuſtitiæ reſpectus prævalet, cur non accipiunt omnes? Fateantur ergo id, quod iuſtitia teſte nequit ſine veritatis iniuria negari. *Deus enim non irridetur*: & ſe in tuto conſtituant, iuſtitia in integrum reſtituta.

Scrupulus non leuis ex melioriiure concreditorum.

Contrarium vt probari queat ex cauſſidico non obligato ad illam ſimiliter paciſcente.

Lex Hiſpaniæ pro Aduocatis.

336. Poteſt autem alicui videri non in veroſimile contrarium, ex probabili ſententia, quam P. Thomas Sancius amplectitur *Lib.* 3. *Conſilior. Dub.*42. cum P. Henriquez ab eo conſulto, dum affirmat Cauſſidicum, qui pactum init cum cliente de aliquo ſibi dando, ſi victoria in lite obtineatur, quod eſt contra *l.*8. *Tit.*16. *Lib.*2. *nouæ Recopilat.* vbi ſic dicitur: *Mandamos que ningun Abogado pueda hacer partido, ni iguala con la parte, que le dè cierta cantidad, ni otra iguala por razon de la vitoria del pleyto*: Nihilominùs non teneri ad reſtitutionem, quia licet lex prohibeat acceptionem, non tamen inualidat illam, quantùm ad tranſlationem dominij: videtur autem idem in caſu noſtro contingere: Nam ſicut Prorex nequit quidquam pro ſententia accipere, ſicut & quiuis alius iudex, ex eo quòd ſalarium pro iuſtitiæ adminiſtratione recipiat; ita etiam Aduocatus, vnde exceſſus, obtenta victoria, iniquè in pactum deducitur, quia cùm id valde contingens ſit, nec plus laboris, quam is, qui erat debitus, ſupponatur adhibitus, quod abundantius eſt, à malo eſt. Quod autem addi poteſt de inualidatione actus, eo quod in *l.*8. *citata*, in qua ſolum irritatur pactum verbis illis: *Ningun Abogado pueda hacer partido &c.* Id inquam non videtur adeò firmum, vt propterea ſit aliter iudicandum: Nam & quando in legibus habetur *Non poſſit*, non inualidari actum in *Theſauro* oſtendi varijs adductis Textibus: quibus addi modò poteſt in materia, de qua agimus, multorum ſententiam eſſe iudices, alioſque miniſtros, quibus munera conceſſa ſunt animo alliciendi eorum voluntates, vt intra limites iuſtitiæ dantibus quoad fieri poſſit faueant, reſtituere ante ſententiam declaratoriam criminis non teneri, qui attentis etiam legibus Hiſpaniæ loquuntur, vt videri poteſt apud P. Palaum *Diſputat.*2. *de Iuſtitia commutatiua. Puncto* 21. §.2. *n.*2. vbi adducit Patres Molinam, Vaſquium, & Rebellum, & etiam apud Leandrum à Murcia adductum *n.* 324. Pro quo & videntur eſſe Couarrubias, Syluester, Caietanus, Alcocer, Medina, Gutierrez, Palacius, Nauarra, & Trullench, quos allegat P. Mendus *in Bullam Cruciatæ Diſp.* 34. *n.*74. & *in ſtatera opinionum benignarum Diſſertat.*6. *Quæſt.*7. *n.*50. dum generaliter affirmant non eſſe obligationem reſtitutionis, quamuis legibus ſit prohibita acceptio miniſtris iuſtitiæ pro ſuo munere gerendo, & ex modò citatis, vno aut altero exceptis, reliqui tenorem legum Hiſpaniæ non potuerunt ignorare; nec tamen diſtinctionem illam P. Sancij ſubiunxerunt. Iuxta quæ nullum apparet diſcrimen inter Proregem & Aduocatum, quod attinet ad reſtitutionis obligationem.

Data iudicibus ad benuolentiam conciliandam pro obtinenda iuſtitia non eſſe obnoxiare reſtitutioni, iuxta multorum ſententiam.

Aduocati & Proregis amplius ſuæ mate in cauſſa præſenti collatio.

337. Quibus addi poteſt in Prorege iniuſtam videri acceptionem, quia dum ſine illa non pergit ſolutionem vrgere, vt eſt ratione ſui muneris obligatus, petitorem vexat. Vnde quod accipit, redemptio vexationis eſt, & ita inuoluntaria largitio. Quòd ſi iuſtitiam adminiſtraturus, vt debuit, crederetur, nihil ipſi creditor impertiret. Tunc ſic; Aduocatus ratione ſui officij, accepto pro competenti labore pretio, tenetur alicuius cauſſam ſolicitè peragere, vt quid ergo auctarium illud prorſus indebitum, ſi cliens iudicat ſuo illum officio minimè defuturum? Nullus quidem ita ſibi perſuaſus pecunias prodigeret, & indebitas effunderet, vt *n.*332. iuxta Cæſaream legem dicebamus. Cùm ergo auctarium in pactionem venit, officij defectus probabiliter extimetur, vnde inuoluntaria promiſſio eſt, & ita eadem in vtrôque videtur ratio militare. Et nihilominùs ad reſtitutionem non tenetur Aduocatus iuxta probabilem ſententiam, quam ita communem dicit P. Sancius vt nullum ex Auctoribus quæſtionem agitantibus eum ad reſtitutionem damnare pronuntiet: ex quo pro iudice probabiliter etiam videtur pronuntiandum. Dici enim poteſt eum vexationis modum talem non eſſe vt tranſlationi dominij obſtet: quia neque iudex apertè partes officij ſui circa ſolutionem negat, neque Aduocatus debitam induſtriæ portionem: & qui ita agit, ſine ſpe recuperationis procedit, vnde id ſequitur, quod num. 330. dicebamus.

338. Qui-

Concluditur non videri improbabile restitutionis omnes non extare.

338. Quibus videtur euinci obligationem restitutionis in casu dicto non esse adeò certam, vt oppositum improbabile videatur. Et quidem Religiosi, de quibus dictum, qui sextam debiti partem obtulère Proregi, benè docti erant; & licet docti etiam possint redemptionem vexationis licitam iudicare, & accipientem suæ conscientiæ relinquere; satis verosimile est eum in hac parte, aut illos benè erga ipsum affectos, vel aliàs ritè circa materias istas instructos, securum redidisse. Quòd si his non obstantibus docto consulenti in restitutione prompte obsecutus est, id quidem ex eo accidere potuit, quòd conscientiæ suæ maiori securitati consuluit, grandævus ille, & benè dives, ac longæ nauigationi plenæ periculis iam propinquus. Vbi & addere possumus, etsi id promiserit, quid tandem fecerit nos nescire: mutare enim animum potuit, consultoribus alijs adhibitis, aut priorum iudicium amplexus. Id autem quod ex se adeò dissonum apparet, vt summa tantoperè excedens pro diligentia circa solutionem impensa tradatur, ex eo emolliri potest, quòd huius excessus caussa sit distantiæ adeò ingenti tribuenda, ex qua fit vt pluris æstimetur numus vnus in Hispania, quàm duo in Indijs, circa quos ius habeatur: vnde & consequenter pluris decem quàm viginti, & triginta quàm sexaginta, qui per Proregis solicitudinem expectantur. Quod quidem eatenus admittendum, vt non admisceatur tertij alicuius iniuria iuxta dicta *n.* 335. quæ compensanda est iuxta damni illati qualitatem. Et hæc pro casu priore, vt ad casum alium veniamus.

Cur præfatus Princeps consulenti obsecutus.

Quod incredibile in largitione dicta, ratione distantiæ euollitur.

Casus doctrinæ valde peculiaris.

Proponitur ille.

339. PRoregi cuidam misit pretiosa quædam monilia ex auro & Smaragdis Vassallorum vnus, qui prætorio fuerat perfunctus munere quadam in prouincia ante illius in regnum aduentum, scribens amico, per cuius manus voluit ad domini potestatem donaria dicta transire, vt ea offerret dicens suo nomine pro eorum acceptione nullo debere Excellentiam suam scrupulo cohiberi: & quia à Vassallo illa, & finito officio alterius Proregis beneficentia comparato, & quòd de alio obtinendo minimè cogitaret. Sic factum, & dictum. Sed Christianissimus, & excelsissimi animi Princeps, cùm vidisset, & vxori fore gratissima perspexisset, ea noluit admittere: in quo, quod ad conscientiam attinet, nullum videbatur obstaculum: quia in lege maximè vrgente, de qua *n.* 336. sic habetur post alia: *Ni de persona alguna, que tratare, ò verisimilmente se espera, que tratara pleyto ante ellos, durante sus officios.* Et talis donans prædictus videbatur. Quia tamen subditus manebat in regno, & lex alia, scilicet 5. *tit.* 9. *lib.* 3. *nouæ Recop.* de subditis generaliter statuit, rationem reddens verbis illis: *Y todos los subditos, si han de tener pleytos, han de venir à ellos.* Cùm reuera nullus sit, cui lis intentari nequeat, & qui non valeat etiam intentare: Est quod rationi dictæ possit opponi, scilicet in illa de Proregibus non agi, sed de iudicibus inferioribus, vnde si verosimiliter lis mouenda non sit, prioris legis indulgentia frui possunt. Et licet nullus sit, cui lis moueri nequeat, aut qui etiam non possit intentare, non omnes ad Proregum tribunal veniunt, sed ab inferioribus iudicibus dirimuntur. Vnde stare potest verosimilis persuasio de non mouenda apud illos. Nihilominùs famæ suæ consulens in quo & negotium conscientiæ versabatur, quia valde necessaria illa generaliter loquendo, & in statu, in quo regnum versabatur, peculiari quadam ratione: munera illa satis & venusta & pretiosa reiecit, neque inuita vxore, quæ mariti & conscientiam & famam, sicut & suam, thesauris omnibus pretiosiores reputabat. Post hæc autem nuntiatur vassalli illius mors, cùm ante illam de suorum repulsa munerum minimè certus reddi potuisset, vtpote quæ eo iam mortuo acciderat: vnde suborta dubitatio, an rebus sic stantibus possent dona præfata admitti, quorum admissionis inconuenientia cessarunt.

Sed fama & conscientia potior ista fuit.

Mortuo donante subsista quæritur.

340. Et fuerunt quidem qui affirmarent licet non penitus de sua affirmatione securi, pro qua P. Thomæ Sancij sententiam protulerunt, qui *Lib.* 1. *de Matrimonio Disputat.* 6. *n.* 5. absolutè affirmat posse donationem post mortem donatoris acceptari, pro quo adducit Molinam *de Primogenijs Lib.* 4. *Cap.* 4. *n.* 77. addens necessariò dicendum sententiam istam locum habere, quando donans ante mortem nuntium, aut epistolam ad intimandam donationem misisset: Quia cùm illud non sit mandatum donandi, quod morte mandantis finitur, sed donatio perfecta, censetur durare voluntas donantis in nũtio aut epistola, per quam intimanda erat. Quia illa gratia iam erat ex parte facta, & nuntius erat executor, seu intimator illius gratiæ: quando autem gratia facta est, potestas executoris ad illam exequendam, tamquàm accessoria gratiæ non expirat morte concedentis. *Cap. si super gratia*: de officio deleg. *in* 6. vnde si prædicta deficiant, clarum est non posse post mortem acceptari, quia omninò necessaria sint vt acceptatio donationis in absentia factæ quidquàm prosit; etiam viuente donatore, vt habet Auctor idem *n.* 3. ad quem se refert. Videntur autem requisita præfata in casu præsenti concurrere: nam & destinatus nuntius, & epistola ad eum missa, cuius interuentu res erat transfigenda. Neque enim videtur solum mandatum donationis interueniisse, sed propriam donationem transmissione munerum dictorum expressam cum circumstantijs dictis, quæ voluntatem donandi plenissimam arguebant; eo enim ipso quòd dona ab se ablegauit, donare quantùm ex se erat voluisse conuincitur, & solum executionem confidentiario interuentori fuisse commissam. Legendus est autem attentè citatus Scriptor: nam præfato *n.* 5. sic determinat post aliorum adductas sententias: *Verius tamen est absolutè posse acceptari post donantis mortem, & ita tenet Molina &c.* statim, quam vidimus, infert rationem. Cùm autem deinde ait sententiam istam necessariò habere locum nuntio aut epistola concurrentibus, videtur id quasi certius quiddam adijcere, cum tamen reuera aliter concludat, & consequenter ad dicta ab ipso *n.* 3. Debuit ergo ad æquiuocationem tollendam, & suam aperiendam mentem ita dici: *Necessariò tamen dicendum est hanc sententiam tantùm locum habere, quando donans ante mortem, nuntium &c.* sine particula enim *Tantùm*,

Posse acceptari ex communi doctrina.

P. Thomas Sancius.

Molina.

Iurisperitus.

Mandatum donandi cessat, non ipsa donatio per mortem donantis.

P Sancij.

Non congrua resolutio.

Quamcumque notitiam donationis sufficere est probabile iuxta allegatos ab ipso.

341. Illud tamen non prætermittendum, ex eo quòd ita sentire, vt verba præseferunt, dictus Auctor crederetur nihil absurdum in tali assertione credi debuisse: cùm multorum & grauium Scriptorum sententia sit, quos refert ipse *citato nu.* 3. asserentium quamcumque notitiam donationis ad acceptationem sufficere. Id autem quod de donatione in absentia dicitur commune esse donationi post mortem acceptatæ ex eodem habemus, ex quo sic arguere possumus iuxta ea, quæ habet num. 5. vbi sic suam sententiam probat: *& ratio est, quia ante acceptationem donatio ex parte donantis fuit valida & perfecta, quamuis reuocabilis, vt expressè habetur. l. Nec ambigi C. de donat. nec fuit ante acceptationem reuocata: nec heredum donatoris præiudicium in consideratione est*, &c. Tunc sic: Atqui stante valida & perfecta donatione solùm requiritur acceptatio: quæ stare sine nuntio aut epistola potest secundùm probabilem multorum sententiam, quando donatio fit in absentia: ergo & post mortem: Probatur illatio à paritate rationis, quia vtrobique donatio valida & perfecta est, licet reuocabilis, & quòd hoc vel illo modo in notitiam donatarij veniat est valde accidentarium. Ex hac ergo parte ampliùs resolutio prædicta firmatur circa casum, in quo versamur.

Contra illum ex eodem arguitur.

Mandatum donandi non expirare morte mandantis, sententia probabilis.

342. Quæ & firmari vlteriùs potest, si cuiquam non ita exploratum appareat in eo negotio non purum mandatum, sed donationem etiam extitisse, Nam etiam si id demus, dici potest mandatum dictum non expirasse morte mandantis, iuxta id, quod habet P. Sa *verb. Donatio num.* 21. vbi ita scribit: *Mandatum donandi expirare morte mandantis ait Couarrubias. Ego nonnihil dubito, est enim res fauorabilis, & gratia quædam. Vide verb. Mandatum.* Sic ille: qui *citato à se verbo num.* 2. id de quo se nonnihil dubitare dixerat, absolutè pronuntiat ita scribens: *Mandatum re integra finiri morte mandantis dicitur C. Mandati l. Mandatum. Sed casus quidam excipiuntur à Doctoribus; & quidem quòd mandatum per modum Constitutionis non expirat: nec, vt ego puto, quod in gratiam alicuius. Vide supra. Donatio.* Sic doctus Pater, cuius sententiam probabilem affirmat P. Lessius *Lib.* 1. *de iust. & Iure Cap.* 18. *Dubitat.* 6. *in fine.* Præterea ex eo firmari resolutio præfata potest, quia sententiam P. Sancij plures alijs tenent, ex quibus sunt P. Rebellus de *obligationibus Iustitiæ Lib.* 18. *Quæst.* 3. *num.* 7. vbi & puram acceptationem sine nuntio aut epistola videtur admittere, quia de illis verbum nullum P. Lessius *suprà num.* 45. P. Luisius Turrianus *Disput.* 64. *de Iustitia Dubit.* 5. *num.* 6. P. Oñate *Tomo* 2. *Disputat.* 29. *num.* 158. Cardinalis Lugo *Tomo* 2. *de Iust. & Iure Disput.* 23. *num.* 75. Villalobos *Parte* 2. *Tractat.* 20. *Difficult.* 3. *num.* 8. Bassæus *Tomo* 2. *verb. Promissio. num.* 12. Quidquid secus sentiant alij apud Dianam *Parte* 8. *Tractat.* 6. *Resolut.* 95. & P. Palaum *de Iust. commutat. Disputat.* 2. *Puncto* 4. *num.* 11. eos sequentem, sed contrariam sententiam valde esse probabilem

P. Sa.

P. Lessius.

Resolutio præcipua Scriptorum auctoritate firmatur.

affirmantem, cuius fundamenta non vrgent.

343. Arguit enim cum alijs, & ex alijs. Quia ad donationis perfectionem duæ debent concurrere voluntates argumento *Cap. si gratiosè*, de rescriptis *in* 6. mortui autem non est voluntas. Item, acceptatio necessaria est ad essentiam donationis, quæ tamen esse nequit mortuo donaturo, quia non est qui donet, & ita esse nequit locus acceptationi, id enim accipitur quod donatur. Prætereà, sic videtur decisum in *l.* 2. *ff. de donation.* vbi ita habetur: *Sed si quis donaturus mihi pecuniam, dedit alicui, vt ad me perferret, & ante mortuus est, quàm ad me perferret, non fieri pecuniam domini mei constat.* Vbi Glossa *verb. Dominij*, sic addit: *Quamuis mihi dictam pecuniam postea tradat.* Vbi non satisfaciunt dicentes legem prædictam de mandato ad donandum intelligi, quod morte mandantis expirat, quia id ex ipsa lege non colligitur, cum nullius mandati, sed solius donationis mentio facta fuerit.

P. Palij. *Aduersantis fundamenta*

L. 2. *de donationib.*

Glossa.

344. Ad quæ non est operosa responsio. Ad *Primum* enim conceditur pro donatione duas debere coniungi voluntates, & ita in casu præsenti contingere, sed non esse necessariam coniunctionem physicam, sed moralem sufficere, voluntas enim donatoris moraliter perseuerat, sicut & testatoris in legitimo instrumento, aut aliàs expressa. Nec *Cap. Gratiosè* quidquam momenti habet ad intentum, in quo Pontifex statuit gratiam concessam ad beneplacitum Papæ, eo mortuo expirare: secus concessam ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, quia hæc non moritur. sic enim manifesta est voluntas Pontificis circa gratiæ extinctionem, cùm ad eius beneplacitum est concessa, qui beneplacito verè, propriè ac naturaliter in morte deficienti voluit gratiæ durationem alligare. Quod non tollit quo minùs suum beneplacitum ita possit extendere, vt moraliter existens eosdem effectus habeat, quos, si viueret habuisset. Et ita est certa positio gratiam Pontificis non expirare morte concedentis. Nec plus vrget *Secundum*, ad quod similiter respondetur, posse inquam acceptari donationem, quia fuit, qui verè donauit, & modò existit moraliter: Pro quo arguere ad hominem euidenter possumus: Nam citatus Auctor affirmat valere donationem post mortem donatoris, si sit ad causas pias. Sic *num.* 14. cum alijs, quos citat, & est valde recepta sententia. Nec solùm de donatione id asserit, sed etiam de mandato ad illam. Quo euentu non coniunguntur aliter voluntates, quàm modo dicto, & qui acceptat, à non existente rem captat: recurrendum ergo ad moralem voluntatis donationem. Iam quod ad legem citatam attinet, mandati videtur mentio non leuis in illa, dum dicitur: *Sed si quis donaturus.* Ex quo habetur non de præsenti donatione, sed de futura esse sermonem, quæ mandato erit perficienda. Et quia satis probabile est, vt vidimus, *num.* 342. mandatum donandi non expirare morte mandantis, dici vlteriùs potest, intelligendam de mandante, non quidem donationem, sed pecuniæ perlationem, volente domino per se facere donationem, hoc enim designat etiam verbum *Donaturus.*

Ad 1. *duas voluntates coniungi moraliter, sicut in testamento.*

Ad citatum. Cap. Gratiosè *circa beneplacitum, exactè explicatum.*

Ad 2. *dari acceptationem, quia & datur moraliter donans, vt in donationes ad pias causas Auctor admittit.*

Ad legem citatam, in ea de mandato agi responsio est facilis.

Vt tandem suffragetur P. Palaus.

345. Licet autem citatus Scriptor contrarius videatur, id tamen post adductam resolutionem subdit, quod suffragatorem se non obscurum manifestat: nam *num.* 13. sic scribit: *Verùm est, hoc ita sit: permittit satis probabiliter Paulus Layman Lib.3. Sum. Sect.5. Tractat.4. Cap.1. circa finem donatario vt rem sibi post mortem donantis transmissam recipiat & seruet quousque ab heredibus defuncti repetatur, quia censetur ex tacita voluntate defuncti retinere, dum heredes non repetunt.* Sic ille; non quidem ex eo ductus quòd probabilis opposita sententia sit, de hoc enim ita scribit: *Præterquàm quòd adhærere potest contrariæ sententiæ, quæ probabilis est.* Sed ex fundamento illo de tacita voluntate defuncti, quod quidem, si solidum est, vt citatus Auctor insinuat, dum satis probabiliter id assertum esse pronuntiat, donatio talis absolutè valida est, & in vtroque foro, cùm veram dominij translationem importet: vnde licet heredes exigant, negari potest: si autem res iudicialiter agitetur, & in lite vincant, id profectò accidet, quia iudices sententiam oppositam, quæ sua probabilitate gaudet, amplectentur. Et tunc occulto se poterit donatarius foro tueri, quantùm res locum dederint quia iure possidet, & melior est illius condito, à qua nequit penitus exturbari.

Difficultas suborta ex repulsa donariorum ante notitiam mortis.

346. Hæc cùm satis alicui videri possent sufficere ad præfati casus decisionem, re tamen vera peculiaris remanet difficultas ex eo quod monilia dicta non fuerint à Dom. Prorege recepta, sed interuentori reddita, vnde defuit acceptatio, & ita id, quo ad essentiam spectat donationis. Sic autem rebus se habentibus non videtur repetitioni locum esse, quia iam donatio fuit extincta, & ius heredibus acquisitum, qui si adessent, dominium in re sibi vindicare possent, quod ad rem constat habuisse. Nihilominùs dicendum oppositum, pro quo est doctrina satis opportuna Cardinalis Lugo *supra nu.* 76. vbi docte obseruat post assertionem de valore donationis, pro quo est à nobis adductus *nu.*342, totum hoc in rigore pendere ex intentione & voluntate donantis aut promittentis qui potest intendere vel restringere intentionem suam, ita vt post suam etiam mortem perseueret, vel non perseueret, voluntas donandi vel obligandi se, & transferendi validè dominium, etiamsi donatarius post eius mortem acceptet: quod à posteriori colligitur ex eo quòd de facto testator hanc voluntatem habet circa legata, quæ quidem à legatarijs non acceptantur, nec quidem notitiam eorum habent regulariter, nisi post mortem testatoris: & tamen posita nunc acceptatione, transfertur dominium rei legatæ in legatarium ex voluntate præterita testatoris non reuocata. Poterit ergo donator similem voluntatem habere quando donat, vt efficax sit ad transferendum dominium rei donatæ, etiamsi non nisi post suam mortem donatarius sciat & acceptet donationem: non enim apparet differentia de possibili loquendo, cur voluntas testatoris hanc efficaciam habeat, & voluntas donantis non possit eam habere.

Ex citato Cardinali pronuntiata nonnulla.

347. Ex hoc fundamento infert *n.*77. non posse heredes donatoris reuocare illius voluntatem, sicut neque testatoris quoad legata, & *nu.*78. addit regulariter loquendo non ita accidere in mandato donandi, quia illud expirat morte donantis: posse tamen contingere vt non expiret, si mandans ita velit, vt accidit in Procuratore ignorante mandantis mortem, & in mandato ad causas pias, de quo *num.* 80. cum ijs, quos vtroque loco allegat, & nihil præterea addens ad suæ sententiæ probationem, ex præfatis concludens donationis valorem post mortem donatoris. Vbi tamen videri alicui posset in præfato magni Scriptoris discursu aliquid desiderari: cùm enim de possibili extensione voluntatis donatoris arguat, addi oportebat vnde colligendum de facto veniat, existere id, quod esse possibile comprobatur, seu quibus indicijs deprehendi queat extensio huiusmodi voluntatis, quæ mortem transgrediatur. Sed reuera in sua probatione non deficit, dum in ordine ad factum ex voluntate circa legatum arguit, & nullam esse inter legatum & donationem differentiam statuit. In eo autem quod de mandato tradit, illud scilicet posse etiam post mandantis mortem locum habere, cùm id ad procuratorium non restringat, neque ad pias causas, id certè opus erat adijci, quod dictum dicebamus: quibus scilicet indicijs possit talis extensio deprehendi. Vbi quidem ad circumstantias necessariò recurrendum, tales enim esse possunt, vt donantis, & donare mandantis voluntas verosimiliter colligatur, & tales esse, quæ in casu, de quo agimus, occurrunt, satis videtur ex dictis manifestum, vt scilicet non solùm acceptari post mortem donaria illa pretiosa possint, sed etiam reiecta vindicari. Ad hoc enim extendere se voluntas donatoris potuit, vt in legatis accidit, & heredibus hac in parte incommodare, dum ex donatarij postrema & irreuocabili voluntate in pacifica possessione non sunt, peracta dominij translatione: se autem hoc pacto extendisse adducta conuincunt; qui enim donandi dum viueret, adeò luculentum testimonium exhibuit, satis animum suum, si mors obtingeret, testatum voluit, vt scilicet meliori modo, quo possent, in dominium Excellentissimi donatarij peruenirent, & ita, si viueret, esset donatio: si moreretur, legatum.

Vnde colligenda voluntas donatoris.

De qua in præsenti casu.

Eo data illa ex manifestis indicijs voluntatis donantis. Card. Lugo

Notanda pro eo doctrina.

348. Addo quod videtur negotium hoc extra statum ambiguum collocare, quoad articulum, in quo versamur: reiectionem scilicet donariorum ex ignorantia mortis donatoris processisse: ignorantia autem, iuxta receptissimum in Theologia dogma, fuit inuoluntarium: vnde non plus officit id quod cum illa actum est, quàm si minimè præcessisset. Pro quo in materia præsenti occurrit apud Antonium Naldum *verb. Donatio* §. vltimo id, quod eius verbis proponendum, sic enim ille: *Donandam, à me Titio pecuniam mutuaui Seio, qui me mortuo, siue ignoranter, siue scienter, eam Titio vt mandaueram, dedit: verè fecit donatarij, quia licet mandatum morte reuocetur, tamen quia pecunia fuit dantis, mediante nempe contractu mutui, effectus mandati durat post mortem: Sed si tibi mandaui vt des pecuniam meam Titio, cui donare volebam, & me mortuo scienter illi tribuis, non habebis actionem contra heredem meum:* sed sic, *si ignorans me mortuum hoc feceris: propter iustam enim ignorantiam excusaris, licet mandatum sit morte finitum l. hoc iure* §. *quis, de donat.* Hæc ille, Iuxta quæ tributio

In quo firmatur resolutio, quia repulsa ex ignorantia processit, qua facit in voluntarium.

Antonius Naldus. Fauet in simili alio.

tributio ex ignorantia mortis facta pro nulla habet: ergo & reiectio pariter, quia caussa est eadem. Potuit ergo præfatus Princeps monilia pretiosa repetere, disponente Deo vt manuum illius puritas suffragio mortis præmium illud vxoris eius oculis desiderabile, dum minùs id cogitat, obtineret. Pro quibus hæc satis.

DVBIORVM SPECIALIVM.

Decisiones circa acceptationem donationis post mortem donantis in Societate IESV.

Decretum Cong.11.

349. IN Congregatione Generali II. Decretum extat 17. tenoris sequentis *Delato ad Congregationem iudicio Patrum pro Paupertate Deputatorum, de potestate Præpositi Generalis ad admittendam, & ratam habendam, post donantis mortem, vel prosecutionem, donationem à Scholastico Societatis factam certo alicui Collegio: Probauit iudicium Congregatio, suoque Decreto firmatum voluit esse in potestate Generalis admittere & ratas habere donationes huiusmodi, non obstantibus contrarijs rescriptis Præpositorum Generalium.* Pro eodem est *Canon.2.* & circa vtrumque ex dictis paulò superiùs dicendum in primis occurrit: donationes huiusmodi admitti sine vllo scrupulo posse, quia piæ sunt, vt constat, cùm sint factæ Religioni, vnde mirum est circa hoc aliter fuisse dispositum, vt vltimis Decreti verbis indicatur. Circa quod dubia aliqua se offerunt, breuiter discutienda, ex quibus sit.

Admitti generaliter posse, quia sunt pia.

Non tantum ad Scholasticos Decretum pertinet.

550. Primum, An ad Scholasticos solos illud pertineat? & videtur certum non pertinere, vnde etiam ad Coadiutores extendendum, in quibus ratio est eadem, & qui multoties possunt copiosas donationes facere; immò & feciſse constat Societati. Scholasticorum ideò solùm facta mentio, quia in illis frequentiùs id accidit. Poterit autem, vt in alijs contigit, omnis dubitationis occasio subtrahi, aut Scholastici voce sublata, aut eo addito, quod aliorum statum comprehendat.

Scholastici nomine qui veniant.

351. Secundum, Quid Scholastici nomine veniat? Ad quod non est operosa responsio, venire inquam omnes, qui necdum Gradum in Societate sunt adepti, etiam Sacerdotes, qui bonorum dominium retinent, de quibus possint disponere. Id quod licet non sit modo loquendi omnino conforme, qui in Bullis Pontificijs, Constitutionibus, Congregationum Decretis, & alijs Instituti tractatibus reperitur, in quibus Scholastici ij dicuntur, qui in statu studentium sunt, studijs videlicet non absolutis: quia tamen bonorum, quorum dominium permittitur durante studiorum curriculo fieri debet abdicatio, iuxta *Decretum 17. Congreg.7.* §.5. vbi quadriennium ab ingressu in Societatem assignatur, ideò de Scholastico Decretum statuit, regulari procedendi modo pariter indicato, sicut *Dub. præced.* dicebamus. Sicut autem ibi expeditiorem desideraui-mus formam, ita & dicendum modò est ob rationem, quæ non contemnenda forsitan apparebit.

352. Tertium, An admitti possit donatio eius, qui vota Coadiutoris Formati nuncupauit. Ratio dubitandi est, quia in Decreto solius professionis mentio fit, cuius nomine non venit votorum simplicium nuncupatio, sed quæ solemnis est? Licet autem emissio votorum simplicium dici aliquo modo professio possit, & in Societate Professio prima ea quæ post biennium fit, vt loquitur Bordonus *Tomo 5. Cap.1. de Professione Regulari nu.* 98. obseruat tamen in Bulla Gregorij XIII. *Ascendente Domino*, sat celebri pro Instituto Societatis, emissionem simplicium votorum numquam vocari Professionem, quia eo nomine venit solemnis ex vsu Religionum. Sed responsio est facilis ex tenore Canonis sic se habentis: *Donatio Scholastici facta Societati paulò ante mortem, vel vota vltima, potest admitti, seu rata haberi à Præposito Generali, etiam si contingat illum priùs mori, vel vltima vota emittere, quam donatio rata habeatur.* Sic Canon. Ex quo apparet Professionis nomine, aut vltimam votorum emissionem, quæcumque illa sit comprehendere, iuxta dicta *Parte 1. Sect.* 7. aut Professionem tamquam præcipuam, & plus vsu receptam, fuisse positam. Et oportebit sanè vt Canoni Decretum, sublatâ omni dubitationis vmbra, respondeat.

Coadiutoris formati an eadem ratio.

Eorum vota vt dici Professio possint. Bordonus.

Ea non citata à Congreg.

353. Quartum, An donatio facta non certo alicui Collegio, sed Domui Professæ, Probationis, aut Residentiæ, aut iuxta Præpositi Generalis voluntatem, admitti ab eo possit? Ita sanè, quod ex identitate rationis dicendum videbatur: & nihilominùs ad submouendas dubitationum occasionculas in Canone habetur expressum, in quo, vt vidimus, non extat. *Certo alicui Collegio, sed Facta Societati.* Dici autem potest certum Collegium positum, quia illis frequentiùs fieri solitæ donationes. Quod si ratio dicta non videatur exacta, propterea in Canone aut expositum ampliùs, aut emendatum. Extat quidem Decretum 58. Congregat.2. quod post Decretum 23. quasi illius interpretatio visum est apponi, in quo statuitur non esse admittendam à Præposito Generali donationem, quam quispiam de Societate fecerit particulari alicui Societatis loco extra Prouinciam, in qua degit: sed in eo nihil de donationis admissione post mortem, quando neque viuente donatore acceptanda est. Quia verò in Decreto dicto simplex prohibitio est, si admitteretur, valida esset, quod & haberet etiam mortuo donatore. Quemadmodùm in *Congregat. 7. Decreto* 17. §.7. statuitur quod quando iudicio P. Generalis, ob graues causas ante quadriennium prorogata bonorum possessio fuerit, nullo modo ex annuis post Nouitiatum prouentibus quidquam possessionibus eorum possit accrescere, sed ad pias causas Prouincialis iudicio faciendas fructus tales, cum in potestate Nostrorum fuerint, impendi debere. Et nihilominus in *Congreg.11. Decreto* 15. declaratio talis habetur: *Rogata Congregatio vt declaret cuiusmodi sit obligatio ex* §.6. *Decreto* 17. *Congreg.7. expendendi in causas pias fructus bonorum, quorum possessionem Nostri retinent. Declarauit, relicta in suo vigore paupertatis obligatione intuitu subditi bona possidentis, nullum Prouinciali per laudatum Decretum, in materia, votoue paupertatis grauamen imponi, neque valorem actuum elidi, quibus ipse de fructibus illis aliter disponat, aut disponi permittat.* Sic ibi.

Donatio facta contra simplicem prohibitionem non ideò inualida est.

Decretum Congreg. 11.

In expensione fructuum dictorum grauiter peccari si in res non pias expendantur à Prouinciali.

354. Iuxta quæ ſtat ritè actus validitas cum prohibitione ſimplici circa illum : ſimplici inquam tamquàm ad effectum dictum : nam aliàs grauis videtur culpa fructus tales in vſus profanos expendere eum , qui illorum Dominus non eſt ; pro quo neque Religio illi concedit , neque poteſt concedere facultatem,neque ipſe vt Superior eam ſibi arrogare,licet aliàs ob vitanda grauia inconuenientia in repetitione eorum , quæ data ſunt, largitiones tales ſuſtineantur. Non eſſe autem contra votum paupertatis ex eo decernitur , quia in nullo lædimus dominium alterius vtendo re illius tamquàm propria , quia iam illud ad Religioſum , cuius eſt principalis radix , non ſpectat : neque ad Societatem, ad quam tantummodò ſpectat Diſpenſatio,quæ committitur Prouinciali , qui ſi ex rebus Prouinciæ quidquam notabile in vſus non pios expenderet , grauiter peccaret,nec donatio vim vllam haberet,etſi non eſſet exorbitans : eo quòd bona ,quorum adminiſtrator eſt , ad loca ſpectant , in quibus eorum dominium reſidet , vel dominum certè habent, vt neque Patres Minores excipiamus , vt videri poteſt apud P.Suarium *Tomo* 4. *de Relig. Tract.* 8. *Cap.* 26. *nu.* 11. & apud P. Thomam Sancium in *Opere moral. Lib.* 7. *Cap.* 19. *num.* 22. 31. & 32. P. Molinam *Diſput.* 276. *verſ. Illud verò* P. Leſſium *Lib.* 2. *de Iuſt. Cap.* 18. *nu.* 83. de quo & dixerat *Cap.* 4. *nu.* 29. & alios , qui non ſolùm loquuntur de expenſione in vſus turpes & inhoneſtos , ſed etiam Religioſo ſtatui non conformes , vt ditare amicos & conſanguineos , & quidquid ſæcularem modum procedendi ſapit.

Quod & de expenſione taugeneraliter dicendum.

P Suarez.
P.Sancius.
P Molina
P.Leſſius.

Obiectio contra rationem reditam de non læſo dominio cuiuſquam in expenſione dicta.

355. Sed poteſt obijci, Nam ſi ex eo Prouincialis tribuens fructus bonorum dictos non violat votum paupertatis , quia nullius dominium , videtur ex eo fieri non violaturum pariter , ſi quæ ipſi offeruntur vt prolibitu de ijs diſponat, in vſus non pios expendat , quia illorum dominium ipſe non comparat , neque Prouincia in communi, quia illi data non ſunt , neque domus aliqua particularis , ab eamdem rationem , neque omnes; aliàs ſi fructus tales applicarentur vni alicui , alijs fieret iniuria , quod eſt dictu non parùm abſurdum. Sequela autem iſta non videtur vllatenus admittenda , & propterea ratio adducta pro fundamento Decreti violationem voti paupertatis excludentis, minimè exacta & legitima iudicanda. Ad quod reſpondeo Prouincialem dicto in caſu votum paupertatis violare,quia de rebus diſponit ad Prouinciam ſpectantibus : ſicut enim Religioſus acquirit Monaſterio , ſecundùm receptiſſimum iii Theologia dogma,Canonico ſuffragente Iure , ita Prouincialis acquirit Prouinciæ, quæ in communi poteſt bona poſſidere,licet habere redditus nequeat aliquando , vt in Societate accidit. Neque vrget quod dicitur, ea ſcilicet quæ Prouinciali dantur, non dari Prouinciæ, reuera enim dantur , ſicut quæ priuato dantur Religioſo , Domui , cuius eſt habitator tribuuntur , dum aliud in ipſa non exprimitur largitione. Prouincia autem non commune aliquid per rationem eſt , ſed domus cunctæ, in quorum commodum cadere donatio poteſt , iuxta prudentem adminiſtratoris diſpenſationem , ſicut id , quod Religioſo priuato datur, cedere , poteſt in cohabitantium omnium vtilitatem, quorum omnium

Fit ſatis oſtendendo Prouincialem quidquid acquirit Prouinciæ acquirere, & ſic peccare mortaliter non prè expendendo.

eſt, licet nullius in particulari ; nec tamen propterea eſt neceſſarium , vt ad omnes ſe extendat vtilitas , cùm ad vnum aut alterum poſſit dirigi, aut plus indigentem, aut merentem : quamuis & contingere poſſit vt ad omnem Prouinciam perueniat vtilitas , ſi ad negotium aliquod applicetur : ex quo omnes Prouinciæ Socij emolumentum aliquod aſſequantur.Præterquàm quòd proprijs ille ſumptibus applicare poteſt , & ita contributionem , quæ pro ijs à Prouincia fieri debeat, minorare.

356. Id quod non ſolùm in Prouinciali verum habet , ſed etiam in ipſo Generali , ob eamdem rationem , quia ſcilicet non minùs voto paupertatis adſtringitur , & exemplo alijs ratione amplioris magiſterij eſſe debet. Et in Societate noſtra adeò obligatio circa hoc vrget , vt inter caſus, propter quos dimitti Generalis ab ipſa poſſit, ſequens , habeatur : *Ex redditibus Collegiorum aliquid ad proprios ſumptus aſſumere , vel cuiuis extra Societatem donare , vel aliqua ſtabilia bona Domorum aut Collegiorum alienare.* Sic *Parte* 9. *Conſtit. Cap.* 4. §. 7. Vbi Declaratio Lit. D. ſic habet : *Id agitur peculiariter vt non det conſanguineis, vel eis, qui coniunctionem aliquam ſæcularem cum ipſo habent : & non præcluditur oſtium, vt fiat eleemoſyna, vel detur, quod conuenit , ei , cui dari debere ad Dei gloriam Generalis ſentiret.* Sic ibi. Id quod in Superioribus alijs etiam locum habet,vt ſcilicet non ſolùm titulo eleemoſynæ largitiones fieri poſſint, ſed ex honeſtis alijs, tum conſanguineis , aut alias ipſis aut Societati coniunctis. Licet autem de fructibus aut redditibus Collegiorum , & ſtabilibus bonis ipſorum ac Domorum Profeſſarum fiat mentio , idem eſt de alijs proculdubiò dicendum ob paritatem rationis. Vnde P.Suarez *ſuprà* de pecunia in ſpeciali locutus , in cuius vana expenſione Prælatos contra officium peccare affirmat , & eo abuti cum iniuſtitia , & voti paupertatis violatione , dum non ſe vt Religioſos Prælatos , ſed vt dominos in eo gerunt.

Circa Generalem quid ſtatutum in Societate, bona diſſipantem.

357. Quid autem dicendum ſit , quando donans expreſsè proteſtatur nolle ſe ad alios, præter Prælatos, ſuam exporrigi largitionem,communis cum non Prælatis quæſtio eſt , quam Scriptores moderni diſcutiunt , & videri pro ea poteſt P. Thomas Sancius citato *Cap.* 19. *n.* 45. vbi cum alijs affirmat reddendum largienti quod hoc pacto fuerit collatum , apud quem dominium perſeuerat , & aliter in vſu contra votum paupertatis delinqui. Pro alia autem quæſtione an ſi, Religioſus pecuniam, vel quidpiam aliud ad vſum accipiat à ſæculari liberè expendendum , eóque ſine licentia Superioris vtatur, contra votum delinquat paupertatis ? Negant Caramuel & Soſa : affirmat autem Cardinalis Lugo , quem ſequitur Diana conſulendus *Parte* 1. *Tract.* 6. *Reſolut.* 10. & *Parte* 7. *Tract.* 11. *Reſolut.* 18. Ex vtriuſque autem queſtionis reſolutione videtur difficilis reddi illa , quæ in memorato Decreto continetur, iuncta ratione à nobis adducta *n.* 354. ex eo ſcilicet quòd Prouincialis prouentus expendens,nullius dominium lædat: nam in vtroque caſu nuper propoſito nulla dominij alicuius læſio eſt ; & tamen contra votum delinquitur paupertatis. Sed dicendum rationem adductam ſubſiſtere, non obſtante illa, quæ apud præfatos Doctores occurrit.

Quid cùm donans donationem adſtringit ad Prælatos.

P. Thomas Sancius.

Quid etiam cùm accipitur liberè expendendum.

Ex deciſione inſurgit difficultas circa Decretum, ex cuius enodatione doctrina tradita amplius roboratur.

Et

P.Sancius

Verum paupertatis an ſalum conuenat pro priuatis ex aſſertione Cardinalis Lugo,

Et quidem P. Sancius violationem voti ex eo ſtatuit , quia per illud adſtringitur Religioſus ad nihil habendum tamquàm proprium , ideſt , proprio nomine aut voluntate , ſed voluntate & nomine Superioris,vt conſtat ex Cap. *Non ditatis* 12. *q.* 1. & ex Concilio Trident. *Seſsione* 25. *Cap.* 2. *de Regularibus.* & Cardinalis Lugo , cuius verba Diana exſcribit *Tomo* 1. *de Iuſtitia. Diſputat.* 2. *n.* 50. rationem à priori eſſe ait quia votum obligat ſemper iuxta intentionem vouentis : illi autem qui in Religione emittunt hoc votum non ſolùm intendunt abdicare à ſe omne ius,ſed etiam imitari ſtatum pauperum , ita vt careant ijs rebus, quibus indigent ad vitam humanam,nec illis vtantur , niſi ex arbitrio Prælati. In caſu autem, de quo Decretum procedit , nihil tale interuenit, nam Prouincialis , ad donationes prouentuum nullius alterius licentia indiget, vnde proprio nomine & voluntate eas exequi valet,nec propterea quidquam contra ſtatum pauperum committit, quia nihil ſibi vſurpat , ſed alijs tribuit , aliunde ſuæ indigentiæ conſulturus , licet in modo is, quem vidimus , ab eo committatur exceſſus.

De caſu Decreti.

358. Sed quid ſi pro ſuis vſibus quidquam aſſumat ? Vtique ſi decentes illi, nihil in eis damnabile , ſicut neque in donatione facta Societati, quia vſus illi pij ſunt , & in ſubſtantia & in modo nihil diſſonum admiſcetur. Vbi dicendum videtur etiam quadriennij tempore comparatos prouentus poſſe à Prouinciali dicto modo in Societatis vtilitatem impendi , non obſtante prohibitione, de qua in *Decreto illo* 17. §. 7. vbi ita habetur: *Quòd ſi forte ante quadriennium expletum perfectionis ſtudio ducti abdicare ſe in ſolidum ſuis in Noſtrorum vſum voluerint : ſolius Patris Noſtri iudicio committendam hanc abdicationem cenſuit: qui habita perſonarum , locorumque ratione id ſtatuet quod in Domino expedire iudicauerit.* Sic ibi. Nam §. 6. de quo n. 353. *de annuis* poſt Nouitiatum *prouentibus* pronuntiatur id , de quo nobis diſputatio fuit: poterunt ergo Prouinciales de illis diſponere quadriennij tempore , per biennium inquam ſubſequens in fauorem Societatis,nulla expectata Generalis Præpoſiti facultate. Sed certè aliter videtur , & pro certo dicendum : nam §. *citato* 17. poſt adducta verba ſic habetur : *Si tamen quadriennij huius tempore, ſiue de annuo cenſu, ſiue de rerum proprietate , in externas, piaſque cauſſas diſponere vellent , impediendi non eſſent.* Iuxta quæ compertum habetur de prouentibus annuis poſſe à prædictis Religioſis diſponi intra quadriennium, vnde ad Prouincialem huiuſmodi diſpoſitio non pertinet. Quod ergo §. *priore* de prouentibus poſt Nouitiatum dicitur , iuxta dictam limitationem eſt accipiendum , ſi videlicet ante quadriennij implementum non fuerit à potente diſponere diſpoſitio anticipata in externos modo dicto,ijs obſeruatis, quæ circa abdicationes in Societate extant conſtituta. Vbi illud etiam circa Decretum præfatum §. 7. obſeruatione dignum occurrit , videlicet intra quadriennium non omnem largitionem in gratiam Noſtrorum excludi, ſed eum ; quæ abdicationem in ſolidum, ſeu omnimodam , vel totalem importat , non obſtante diſpoſitione §. 3. quia poteſt aſſenſus Prouincialis accedere , & non ſola donantis voluntas operari : Vnde quæ totalis non eſt , poterit à Superiore ſine peculiari P. Generalis facultate admitti , & is ipſum poſteà de illa reddere certiorem. Et hoc quidem in citato Decreto 17. Congreg. 11. videre licet , dum in eo dicitur eſſe in poteſtate Generalis admittere , & ratas habere donationes poſt donantium mortem : ex quo fit multò id potiori iure de viuente acceptationis tempore donatore dicendum : & in vtróque euentu eſt, qui acceptet id, quod Generalis ratum habeat , & eſt immediata Generalis ipſius acceptatio : quod vtróque modo poſſe contingere,tradit in caſu priore P. Rebellus *n.* 342. adductus. Sed circa hoc ſit iam

Decretum Congreg. 7 circa abdicationem bonorum.

Iuxta quæ triennium diſponere non poſſe Prouinciales.

359. Quintum dubium. An poteſtas acceptandi donationes poſt donantium mortem in ſolo Generali ſit. Videtur enim ita inſinuari, dum de illo tantùm deciſio Decreti procedit , nullius alterius facta mentione. Sed certè non eſt poteſtas ad iſta ad illum coarctanda , quia non eſt vnde id vniuerſim poſſit colligi : quia ad donationes generaliter loquendo non eſt Generalis recurſus requirendus : & cum aliunde etiam poſt mortem admitti poſſe receptiſſima ſententia ſit ſine limitationibus alijs præter dictas de nuntio & epiſtola, quæ pluribus placent; non eſt cur in Societate illas confingere debeamus. Id quidem in Societate ſtatutum circa donationes , quod in *Congregat.* 2. *Generali Decreto* 23. aliàs 58. iam ex parte vidimus *n.* 359.& præterea vt in manu Præpoſiti Generalis ſit poteſtas prbandi aut improbandi applicationem bonorum ſuorum alicui Collegio intra Prouinciam deſignato. Quo videtur ſupponi admiſſionem huiuſmodi ad eum ſpectare, ſicut ſpectat ea, de qua difficultas eſſe nequit,cùm ſcilicet quis bona ſua ipſius diſpoſitioni relinquit. Admonentur ibidem Prouinciales & Rectores, vt ijs , qui bona ſua in beneficium Societatis diſtribuere pro ſua deuotione deſiderant , eiſdem repræſentent perfectiùs fore, vt huiuſmodi diſtributionem diſpoſitioni Præpoſiti præfati committant : quibus videtur oſtendi admiſſionem huiuſmodi non ſpectare ad ipſos , ſed ad eum, qui vniuerſalem curam ſuſtinet Societatis. Et hoc pacto diuerſa loca Conſtitutionum conciliantur : in quibus illa eſt *Parte* 9. *Cap.* 3. (per errorem 5. in dicto Decreto) §. 6. vbi cùm Generali ad plenè diſponendum , de bonis Societati relictis poteſtas concedatur, excipiuntur quæ alicui certo Collegio ab eo, qui relinquit determinatè applicata aut annexa fuerint. Ad illum ergo & non ad alios donationum pertinere videtur acceptatio.

Poteſtas acceptandi donationes non eſt limitata ad Generalem in Decreto.

Circa donationes quid ſit generaliter ſtatutum in Societate. Ex quo arguit contra reſolutionem præfatam poteſt.

360. Sed hæc non obſtant , quia licet ita ſint vt proponuntur , nihilominùs per conceſſiones Generalium poſſunt in multis Prouincijs donationes non leuium quantitatum admittere Prouinciales , præſertim in diſſitis , & maximè Indicis regionibus , in quibus etiam ſi conceſſiones peculiares non ſint , ipſa recurſus difficultas ſufficiens ad id meritò poteſt iudicari. Deinde ita videtur vſus habere , cùm donationes tales noſtris Collegijs aut domibus fiunt , certus de illis redditur per ſuperiorum litteras Generalis , vt iuxta donationum valorem ſpiritualia ſuffragia per Prouincias , aut Aſſiſtentias , aut per totam Societatem fieri iubeat, vtpotè pro inſignibus benefactoribus ; quod & ille præſtat , nullam de admiſſione ab illis præſtita mouens quæſtionem.

Sed nihil eſſe quod, obſtet oſtenditur.

Pro eo præxis.

Possunt tamen dominium habentes in fauorem Societatis diſponere, ſi ad non plenè ſe eis abdicando,

Et Prouinciales ipsi intra Prouinciam, vbi primùm donationes sortiuntur effectum, aut de illo sufficiens habetur securitas, suffragia etiam indicunt, in domibus præsertim, quibus factæ sunt donationes: quod grauamen pro re incerta minimè deberet imponi; si videlicet Generalis esset admissio pro eisdem expectanda. Nec solùm Superiores admittunt, sed donata secundùm occurrentes necessitates expendunt, ea, quam Ecclesiasticæ leges circa alienationem bonorum adhibita cautione.

Recursum ad Generalem non esse in vsu, & rem esse consilij, non relinquere bonorum distributionem illius arbitrio.

361. Quod ergo de admonendo Generali dicitur, aut abrogatum consuetudine, nisi in ordine ad suffragia, aut res tantùm Consilij est. Et hoc quidem tum ex Constitutionibus, tum ex Congregationum Decretis fundari potest. In Constitutionibus inquam *Parte* 3. *Cap.* 1. §. 9. tamquam res maioris perfectionis proponitur, si Societatis alumnus circa abdicationem bonorum iudicium Præpositi Generali relinquat; nec Diuus Parens maiorem obligationem circa illud addendum iudicauit. Vnde neque veniale peccatum in eo est, vel ad summum tale, accedente superioris licentia, quæ omnino necessaria est, vt violatio voti paupertatis cuitetur. Iuxta *Decreta* 50. & 59. & *Canonem* 7. *Congregat.* 5. Pro quo præsertim videndus P. Suarez *Tomo* 4. *de Religion. Tract.* 10. *Lib.* 4. *Cap.* 6. *n.* 5. & *seqq.* In Declaratione autem Lit. H. eâdem maiori perfectione proposita sic subditur: *Nihilominùs si in eo propenso animi ad locum vnum potiùs quàm ad alium (quamuis imperfectum id sit) cerneretur, etiamsi iudicio superioris suum submittere vellet, certiorem tamen reddere Præpositum Generalem poterunt &c.* Quòd possint ergo, non quòd teneantur, per talem declarationem habetur. In Decreto *etiam* 23. *Congregat.* 2. *citato* post alia sic dicitur: *Si verò ea alicui Collegio intra Prouinciam assignauerit, sit in manu Præpositi Generalis potestas probandi eam applicationem, vel improbandi.* Sic ibi: vbi nec obligatio inferioribus Prælatis videtur iniuncta, sed supremi omnium potestas stabilita: potestas inquam etiam improbandi, non arbitraria, sed ratione regulata: vnde donationem Societati conuenientem, sine vllo improportionato ipsius instituto grauamine, nequit improbare, iuxta generalem doctrinam à P. Thoma Sancio propositam *citato Cap.* 19. *n.* 75. de Religioso non acceptante donum sine iusta caussa, qui peccat contra charitatem impediens bonum Religionis: quod quidem in supremo Prælato malitiam continet ampliorem, cuius est maior consulendi Religionis commodis obligatio: vnde in eo non solùm contra charitatem, sed etiam contra iustitiam videtur esse delictum, quia ex officio obligatio dicta consurgit. Stante ergo conuenientia donationis particulari loco factæ, eâque inferiori Prælato perspecta, & ita à Præposito Generali neutiquam improbabili, rigorosa recursus ad ipsum pro acceptatione cessat obligatio, quia & cessat potestas in Decreto præfato declarata. Accedit in *Decreto* 17. de quo *supra Congregationis* 7. vbi de abdicatione præfata exquisitiùs pertractatur, de recursu in casu dicto nihil statui.

Decreta Congreg. 5. P. Suarez.

Declaratio Constitutionis,

P. Sancius.

Donationem Collegio factam nequit non admittere ille, si omnino conueniens sit.

362. Sextum, An circa donationes à Sæcularibus factas idem quod de sociorum donationibus sit dicendum. Ratio dubitandi ex tenore Decreti est obuia, de donatione enim à Scholastico facta procedit, & licet ad alios ampliandam dixerimus, ij omnes ad eamdem spectant Societatem. Sed verò ex dictis resolutio est constans, communi doctrina *superiùs*. stabilita eidem applicata: Cur autem de solis Nostrorum donationibus actum fuerit, si quæratur, responderi potest è re nata sumptam occasionem, quia grauis præcurrerat controuersia circa donationem prædij cuiusdam à quodam ex Nostris factam, & R. P. Generali transmissam, cuius tamen acceptatio non est inuenta post annos aliquot, & ob eam caussam lis est à Collegio quodam intentata, quia donator iam solemnem quatuor votorum emisserat Professionem. Et de prædio quidem locuta Constitutio §. *illo* 6. *citato* (sicut & de domo aliqua) non permittit Præposito Generali de illo pro suo arbitratu disponere quando *certo Collegio ab eo, qui relinquit, determinatè applicatum est, vel annexum.* Quod quidem de donatione ab externis facta procedere satis indicat citatum *Decretum* 23. dum de huiusmodi Constitutione loquens, sic ait: *Si quo pacto de nostris fratribus intelligi possunt*, videlicet ea, quæ in ipsa continentur. Quia verò intelligi posse erunt fortè qui contendant, illa ad eum, quem præmiserat, reuocat, intellectum, vt scilicet à Fratribus nostris Societati relicta, vt ea pro suo arbitratu disponat, intra Prouinciam præstare debeat Præpositus Generalis. De exceptione autem illa nihil subdit, vtpotè satis per se manifesta. Idem autem esse de rebus mobilibus, *cuiusmodi sunt pecunia, triticum, & quæuis alia*, vt ibidem exponitur, ex eo ostenditur, quod ante alia præmittitur verbis illis: *De ijs verò, quæ Societati ita relinquuntur, vt ipsa pro suo arbitratu disponat* &c. Atqui pecunia, triticum, & alia mobilia certo Collegio aut loco relicta, non relinquuntur Societati pro arbitratu disponenda: ergo sicut propter eam rationem prædium & domus sunt excepta, mobilia sunt similiter excipienda; aliàs dicendum erit bona huiusmodi posse pro Societatis arbitratu distribui, quod constat quàm sit absurdum. Nec de his plura: quæ autem dicta, eorum libens suppono iudicio, qui de rebus Societatis in ea possunt censorio arbitrio iudicare.

Circa donationes secularium similiter rem sic habere.

Cur de Societatis alumnis tantùm pronuntiatum.

De donatione ab iis facta eodem modo ac de facta ab externis iudicandum.

Decretum Congreg. 2.

De mobilibus idem quod de prædio.

Et his modò scribendi finem facio, plura enim daturus, vt visus sum in exordio recepisse, stare promissis nequeo necessitatis interpellatione coactus; quæ regionibus in istis non rara solet accurrere, & bonis cœptis ac progressibus incommodare. Faxit Deus vt ad necessitatem omnium maximam, (Fatum Christianum) obeundam nihil infaustum intercurrat, & infaustum mihi nihil erit, nisi quod diuinæ displiceat Maiestati, aut eius inquirendæ gloriæ studium possit impedire.

Sit ergo SS. Trinitati Gloria, sit Beatissimæ MARIÆ, sit eius sanctissimo sponso Ioseph, in cuius die festo hæc scribo, sit Diuis Parentibus IGNATIO & Francisco, qui diuinam inquirentes sibi cumulatissimam meruerunt.

INDEX

INDEX
EORVM QVÆ IN HOC
AVCTARIO INDICO
CONTINENTVR.

P. Partem indicat, & numeri sunt marginales.

A.

Absolutio.

Absolui an debeant qui contrariam opinionem Confessarij opinioni sequuntur. P.1. *n.*103. & *seqq.* & *n.*574. & 575. *Vbi & de pœnitente, qui venerit consuetudinem peccandi confiteri.*

Absoluendus reus renuens fateri veritatem quando sit. 572

De absolutione moribundi, & P. Suarij sententia. 643. & *seqq.*

An sit capax absolutionis ignorans mysteria fidei. 630.

Circa absolutionem ab hæresi. P.2. 321. & *seqq.*

Abortus.

An aliquando liceat. P.1.591

Academia.

Louanienses circa opinionem de licita sequela opinionis minùs tutæ. P.1.456. & *circa alia.* 672

Academiæ Rector an habeat iurisdictionem. P. 3. 270

Actus.

Interni quomodo præcipi queant. *Parte* 2. 254. 263

Adulterium.

An sit consentiente coniuge. P.1.593. & *seqq.*

Aduocatus.

Vt queat patrocinari nullum ius habenti. P.1.569

An pacisci queat de parte litis, & sit obligatus ad restitutionem. P.3.336

Amadæus.

Multa circa illum, & contra illum Vincentius Baron, de quibus. P.1. 641. & 683. & *seqq.*

Appellatio.

Ad laica tribunalia prohibita Ecclesiasticis, & quid per viam violentiæ. P.3. *Sect.*6

Quid de Religiosis. 143. & *seqq.*

Approbatio.

Religiosus approbatus an valide absoluat audiens Confessiones sine licentia Prælati, aut eo renitente. P.2. 287. & *seqq.*

Data cum limitatione circa feminas Religiosis an posit reuocari. 289. & *seqq.* *vbi alia circa ipsam.*

Circa semel approbatum quid de vlteriori approbatione dicendum. P.3. *Sectione* 8. *per totam, contra modernos Scriptores.*

De iniustè negata. 210. & *seqq.*

M. Arauxo.

Dianam carpit, qui defenditur. P.1. *n.*1. & *seqq.*

*Defendit consecrationem Episcopi sine Litteris Apostolicis. n.*4. & *seqq.* *Contra quem ibidem, vbi & marginalis Index.*

Assessor.

Multa de illo, P.1.284. & *seqq.* *vbi de Assessore Conseruatoris.*

Auditores Regij.

Quæ salutatio illis in concionibus exhibenda. P.1. 421. & *seqq.*

Axiomata Iuris.

Eius est incommodum cuius est commodum. P. 1. 473.

Quod tibi non vis explicatum. Ibidem.

Dispositio interpretanda prout verba diriguntur: & generalis restringitur ad rationem, & caussam, ac subiectam materiam. P.2. *n.*21

Cui licet plus, licet & minus quomodo intelligendum. P.3.280

Lex debet intelligi, vt non maneat sine affectu. P.2.25

B.

Baptismus.

Circa dubium in illo quid faciendum. P.3. *Sect.*1. *per totam, vbi peculiaris casus circa Nouitiam.*

Priuilegium circa illum. P.3.162

Beatificatio, & Beati.

Quid circa illos liceat, & de Bulla Alexandri VIII. *Parte* 2. *n.*1. & *seqq.*

Quid circa non Beatificatos. 13. & *seqq.*

Bellum.

Priuilegium pro exhortantibus in illo. P.3.166

Beneficium.

Vnde oriatur obligatio conferendi illud digniori. P.1.84

Potest esse sterile, & sine officij obligatione. P. 3. 123.

Bigamia.

De dispensatione circa illam. P.1.357

Bona Ecclesiæ.

Quando alienari possint pro soluendis debitis. P. 1. 307. & *seqq.* & *Sect.* 3. *per totam plura circa illa.*

Bulla Cœnæ.

Quoad recursum per viam violentiæ in Hispania non recepta. P.3.140

Quæ mens Pontificum circa illud. Ibid.

Bulla Cruciatæ.

Pro Regularibus circa casus reseruatos non suffragatur. P.1.103. & *seqq.*

Absolui potest virtute eius excommunicatus, qui non potest satisfacere, P.2.n.70
An possit absolui a casibus reseruatis qui eam non habet, habuit tamen anno transacto. 311. *& seqq. vbi multa vtilia.*

C.

Capellanus.
Circa illorum obligationes aliqua. P.3. 115. *& seqq.*
Casus reseruati.
A reseruatis Episcopis possunt in Indys absoluere Religiosi virtute priuilegiorum. P.3.204. *& seqq. Vbi quid virtute Bullæ & Iubilei.*
Vide, *Bullæ Cruciatæ.*
Censuræ.
V. Irregularitas.
Charitas.
Eius præceptum directè obligare. P.1.582.& 583. *vbi oppositæ sententiæ proscriptio.*
Christus.
Est filius Dei naturalis vt homo, & modus id explicandi defensus contra Moderni Scriptoris censuram. P.1.387. *& seqq.*
Si accepit Eucharistiam in Emmaunte, quid de speciebus. P.3.33. *vbi quid cùm comedit alias post resurrectionem.*
Clericus.
Clericatus quid dicat. P.3.304. *Vbi de illius priuilegijs.*
Communio.
Priuilegium circa illam, vt ante & post Missam conferri possit. P.3.172
In cælo an sit. Vide *Eucharistia.*
Concionator.
Concionatores nequeunt probabilitatem suis figmentis conciliare. P.3.35
Periculosi eorum plausus, qui & argumentum sæpius esse solent pessimè dicentium. 43
Concubinarius.
An teneatur domo pellere sibi vtilem concubinam. P.1.592
Quid de illo electo in Episcopum. P.2.44.*& seqq.*
Confessarius.
An se accommodare debeat opinioni pœnitentis. P.1. 89. *& seqq.*
Circa vsum notitiæ. P.2. *Sect.*12. *per totam.*
Quot præceptis ad sigillum teneatur. 352. *vbi & an præceptum nouam malitiam addat.*
Circa approbationem. Vide *Approbatio.*
Confessio.
Consuetudo peccandi an debeat aperiri. P.1.524. *& 525*
Confessione nulla non fit satis præcepto. 617
De circumstantijs aggrauantibus quid D. Thomas. 652
Non esse obligationem confitendi quod ignorabatur esse mortale. P.2. *Sect.*13. *per totam. Sicut quod probabiliter iudicatur non fuisse commissum.* 379
Circa rusticos fauorabilia. 288
Confirmatio.
Ex certa scientia quam habeat vim. P.3.177
Confirmatio Sacramentum.
Circa balsami defectum numquam dispensatum, sicut neque circa Episcopi benedictionem in chrisma-te. P.1.20
Nec posse iuxta aliquos. 42
Consecratio.
Episcopi sine Litteris Apostolicis dubia ostenditur consecratio. P.1.n.4. *& seqq. contra Modernum Scriptorem.*
Conseruator.
Vide *Episcopus. Et Vicarius generalis.*
Circa recusationem. P.1.268.*& seqq.*
Consilium.
Sub manu quod. P.3.50
Consuetudo.
Circa consuetudinem peccandi. Vide Confessio.
Contractus.
Contractui vt teneatur stare qui probabiliter contraxit. P.1.493
Culpa.
Vide Peccatum.

D.

Damnum.
Qui est illius causa inducens an teneatur ad restitutionem. P.1.610
Decimæ.
Pro illis sententia obtenta ab Ecclesijs Indiarum contra Religiones. P.1.187
Cui se Religiones opposuerunt, & quibus fundamentis. 188.*&* 189
Ex Noualibus an debeantur. 190. *& seqq.*
De hortis & nutrimentis animalium. 206.*& seqq.*
De prædys dotalibus. 214. *& seqq.*
Declaratio.
Declarationes viuæ V. Oraculo. Vide Oracula *viuæ vocis.*
Decretum.
Alexandri VII. circa Beatificatos. P.2. *Sect.*1. *per totam.*
Vrbani VIII. circa non Beatificatos. Sectione 2.
Aliud eiusdem circa eiiciendos a Religione. 67
Clementis VIII. circa notitiam ex Confessione. Sect. 12. *per totam.*
Alia eorumdem & aliorum in opere occurrent, de quibus & Index circa diuersas materias.
DEVS.
Ipsius prouidentiam in sui dispositione non falli quàm meritò dictum. P.1.246. Vide *Fides.*
Dictio.
Debet *quam vim habeat.* P.1.341.
Nullus *patitur limitationem.* P.2.79
Seuerè *in mandatis non arguit obligationem sub peccato.* 256
Penitus *quid dicat.* P.3.184
Dispensatio.
Vide Irregularitas.
In voto castitatis an dispensare Episcopus possit cum non diœcesano eo fine veniente virtute facultatum Iudicarum. Parte 3. *Sect,*3. *per totam: vbi alia circa dispensationem.*
Distantia.
Vbi illa respectu Sedis Apostolicæ, inconuenientibus obuiandum. P.3.240
Distributio bonorum.
Vide Societas Iesv.
Doctrinæ Indorum.
Vide *Religiosus.*

Domi-

Domicilium.
Vide *Religiosus, vbi de habente domicilium, sed non Parochum circa matrimonium contrahendum.*
Donatio.
Donationes immoderatæ præsumuntur. P.3.334
Post mortem donantis vt queant acceptari. 339. *& seqq. vbi vtilia & specialia multa.*
De donatione post mortem donantis, aut Professionem in Societate IESV. 349. *& seqq. Vbi multa scitu digna.*
Dubium.
Quando cum illo contingat peccari mortaliter, aut venialiter. P.1. 61. *& seqq. & magis ex professo.* 178.*& seqq.*
Dubium circa Baptismum. Vide Baptismus.
Circa Matrimonium. Vide Matrimonium, *vbi multa de opinione circa illud.*
Circa fidem. Vide Fides.

E.

Ecclesia.
Circa Indulgentias quæ eo nomine veniant. P.3. 174
Ecclesiastici.
Quæ negotiatio illis prohibita. P.1.410. *& seqq. Vbi specialiter de locatione.*
Eleemosyna.
Ad illas vt teneantur diuites. P.1.627. *& seqq.*
Episcopus.
Auxiliares an pro Indys expediant. P.1.246. *& seqq. vbi prioris laus, & rarus successus.*
An possint esse iudices Conseruatores in causis Religionum ante receptionem Litterarum Apostolicarum. 252. *& seqq.*
*Quæ salutatio illis à concionatoribus exhibenda.*422 *& seqq.*
Vide Concubinarius, Consecratio *& alia.*
Eucharistia.
Amydum an sufficiens materia. P.1.520
An sit, aut futura in cælo. P.3. *Sect.*2. *per totam, vbi multa scitu digna, & varia pro illa elogia.*
Examen.
Vide Approbatio.
Exercitia D. P. Ignatii.
Pro illorum defensione agitur. P.1.718. *& seqq.*
Excommunicatio.
Vide Bulla Cruciatæ.
Exemplum.
Magistratuum quam necessarium. P.3.316
Extrema vnctio.
An sit in præcepto. P.1.652

F.

Fama.
In Gubernatoribus illa est res conscientia. P.3. 339
Famula, Famulus.
De adiuuantibus ad turpia. P.1.589
Festum.
Peculiare dubium circa famulos laborantes per spatia breuia. P.1.587.*& 588*
Fides.
Cum assensu fidei vt stare possit opinio. P.1.39
Dubius in fide quando hæreticus. 168
Vno errore amittitur. 409
Ecclesiæ auctoritatem agnosci vt sit necessarium. 476
*Quomodo necessaria in Sacramento Pœnitentiæ.*483 *& seqq.*
Quando sit obligatio amplectendi illam, & quid de opinionibus circa ipsam. 618. *& seqq.*
Deum æquiuocatione non vti in tradenda notitia mysteriorum fidei. 673
P. Franciscus Suarius.
Illustre illius elogium. P.1.56.*& 61*
Apologia pro ipso. 642. *& quid possit facere opinionem probabilem.*
Collatio cum Mag. Bañez. 701
Eiusdem elogium ex P. Theophilo. 713
Fructus.
Fructus reddituum in ys, qui in Societate I. non renuntiarunt vt expendere debeant Prouinciales. P.3.353. *& seqq.*

G.

Gabella.
Circa illas multa. P.1.439. *Ibi Index marginalis.*
De fraudata cui cedant Principi, an conductori. P.3.221.*& seqq. vbi alia.*
Glossa.
Quanta auctoritatis. P.1.69
Gratia.
Non expirat morte concedentis vt mandatum, pro quo & ratio. P.3.340
Gratitudo.
Quibus modis haberi possit sine largitionibus. P.3. 322
Ratione illius recipere an aliquid Proreges queant. Ibidem. *&* 323.
Gubernator.
Vide Exemplum. Munera.
Gula.
Ex suo genere non est mortale peccatum, & sine veniali esse potest vsus delectabilium, ob solam delectationem. P.1.597. *& 598*

H.

Hæresis, Hæreticus.
Dubius in fide quando hæreticus. P.1.168. *& seqq.*
Suorum dogmatum non habent probabilem opinionem. 475
Neque à Sectarijs illa. 479
Qui censendi sint hæretici materiales. 377
Nequeunt elicere actum amoris Dei, nec valide Sacramenta recipere, & cum fructu. 478.*& seqq.*
Circa matrimonium notatu digna. 480. *& seqq.*
Hæreticus insignis in Peruuio, circa quem multa. P.3. *Sect.*20. *per totam.*
Homicidium.
An liceat occidere proferentem crimen complicis occultum. P.1.570
De militibus puluerem sulphureum incendentibus. 579. *& 580.*
De condemnato vt fame pereat. 581. *Vbi & de se offerente ad supplicium.*

Horæ

Horæ Canonicæ.

Quæ attentio in illis requisita. P.1.559. *& seqq. vbi & de Missa.*

Priuilegium antepositionis. P.3.168. Vide officium.

Horti.

Vide *Decimæ.*

I.

Iciunium.

De apponentibus impedimentum ieiunio vt peccent. P.1.600. *& 601*

Alia circa obligationem multorum. 602. *& seqq.*

Quædam D. Thomæ sententia circa illud. 650

In honorem non declarati Sancti vt liceat. P.2.31

Ignorantia.

Quæ versatur circa mysteria fidei an obstet absolutioni. P.1.630

Quos effectus habeat. P.3.348. *vbi de donatione post mortem donantis.*

Illegitimus.

An possit esse Vicarius Episcopi Religionis talis. P. 3. 254

An Pater & filius illegitimus simul possint in eadem Religione profiteri. P.2.54. *& seqq.*

Immunitas Ecclesiastica.

An sit contra illam prohibitio locandi funebrem apparatum. P.1.410. *& seqq.*

Indi, Indiæ.

Quid nomine Indiarum veniat. Parte 3.167.169

Pro Indijs militant priuilegia distantiæ. 240

Vide *Confessarius, & Confessio circa ignorantiam.*

Indulgentia.

Indulgentia suffragium certius, quàm applicatio fructus specialis. P.1.171

Circa illas non versari reuocationem Oraculorum V. vocis. P.3.173

Quid veniat nomine Ecclesiæ in illis. 174

Plenaria in morte pro Religiosis. Ibidem.

Vbi quòd facultas illam concedendi eodem modo est accipienda, & quid circa prorogationem temporum, & quòd plus videatur esse quàm declaratio. & reuocationem Pauli V. vigere, circa quod censura proscriptionis Alex. VII.

Infidelis.

Cui proponitur fides quomodò ad illam teneatur. P.1. 618. *& seqq.*

Inquisitio, Inquisitores.

Quomodò non incurrant irregularitatem tradentes reos Curiæ sæculari. P.1.338. *& 339*

Quæ salutatio illis à Concionatoribus exhibenda. 422. *& seqq.*

Miraculorum & reuelationum vt possint publicationem prohibere. P.2.22

Non veniunt nomine Prælati, nec gaudent priuilegio Cap. Finalis, *circa electionem Confessarij.* P.2.165

An relaxare Curiæ sæculari possint non relapsum. 299

An degradare. 308. *& 309*

Instructiones.

Instructio circa iustitiæ vsum in Confessione habitæ in Societate. P.2.224

Instrumentum, seu Scriptura.

De Quarentigio, & illius vi. P.1.318. *& seqq.*

Interdictum.

Priuilegia circa illud. P.3.165

Irregularitas.

Quæ in foro interno talis non est, neque etiam est in externo. P.1.90

Quomodò non incurratur ab Inquisitoribus per traditionem reorum Curiæ sæculari, & qualis intercessio futura. 341. *& seqq.*

Peculiaris casus cum peculiari etiam doctrina. Et quis possit in ea dispensare. 344. *& seqq.*

Circa homicidium voluntarium. 348. *& seqq.*

Pœnalis an sit censura. P.3.218. *vbi & quod aliquando venit nomine suspensionis.*

Iudex.

Circa innocentis condemnationem quid. P.1. 89. *& 649.*

Circa recusationem, & illius, causas. 268. *& seqq.*

in opinionum paritate an possit rem vni adiudicare, & pretium pro eo accipere. 633. *&* P.2.93. *& seqq.*

An sequi possit opinionem minùs probabilem. P.1. 697

An teneatur ad restitutionem acceptorum. P. 3. *Sect.* 22.

Iuramentum.

An inducere liceat ad iurandum, quod solus inducens scit esse verum. P.1.571

Et an ad falsum, quod testis verum arbitratur. 671

De iuramento per meam vitam. 570

Cum æquiuocatione vt res liceat. 572.573. 661. *& seqq.*

Iurare sine animo iurandi an licitum. 584. *& seqq. &* P.3.77. *& seqq.*

Iuramentum Mercatorum circa rerum pretia vt sint licita. P.3. *Sect.* 5. *per totam. Vbi circa id vtilia nonnulla.*

Ex defectu iudicij, seu necessitatis tantùm veniale. 131. *&* 132.

Iurisdictio.

Quid sit. P.3.270

Ius & Iustitia.

De iure quæsito in priuilegijs Religiosorum. P.3. 195. *& seqq.*

L.

Labor.

Vide *Festum.*

Legatum.

Annuum censentur plura. P.1.106

Lex.

An actoris, an rei rationem habeat in conscientiæ operatione. P.1.78. *& 79*

De futuris feruntur. P.2.n.2

De qua dubitatur an sit recepta, obligat. 6. *& contrarium probabile quando & dubium tale.* Ibidem.

Supplicatio circa leges Pontificias an suspendat executionem. 8

Legis pœnalis extensio vnde dignoscenda. P. 2. 100

Quæ lex habenda sit pœnalis & odiosa, & è contra. 182. *& seqq.*

Vtens verbis præceptiuis vt obliget. 250. *& 251*

Strictè & arctè mandamus obligationem sub mortali arguere. 358

Non

Non ita, statuimus, & ordinamus. 260

Quando aliàs obligatio sub mortali. P.3.325

Libri.

Liber Moderni, non ideò probatus quoad omnia in eo contenta censeri debet. P.283. *& seqq.*

De Libro vitæ. P.3.83. *& seqq.*

Priuilegium circa libros prohibitos. P.3.181

In Bulla Cœnæ soli hæreticorum prohibiti. Ibidem.

Lis.

Vide Aduocatus.

Litteræ.

Litteræ S. Pœnitentiariæ vt aperiri ex priuilegio, & aliter possint. P.3. *Sect.* 14. *per totam.*

Vide Consecratio.

M.

Malum.

Quomodo ex quocumque defectu. P.1.88

Mandatum.

Quomodo Deus mandata sua iubeat custodiri nimis. P.1.521

An mandatum semper expiret morte mandantis. P.3. 342. *& seqq.*

MARIA Virgo.

Circa Purgatorij animas, vt solicita. P.1.437. *& 438*

Reuelationes pro illius Conceptione non respuendæ. 69. *& seqq. Vbi præsertim de reuelationibus S. Birgittæ.*

Maritus.

Vide Adulterium.

Matthæus Homen.

Singularem viam circa probabilitatem ingressus, contra quem. P.1.25. *& seqq.*

Matrimonium.

In dubio circa illud quid faciendum. P.1.72. *& seqq. & magis ex professo.* 178. *& seqq.*

Posse dispensari in primo gradu transuersali an sit probabile. P.1.324. *& seqq.*

Inter hæreticos, aut cum illis quomodo Sacramentum. 480. *& seqq. vbi specialia quædam.*

Opinans probabiliter circa illius valorem an queat iuxta aliorum opinionem coniugem relinquere. 499. *Vbi & de hereditate filiorum. Item &* 506. *circa valorem, an liceat variare.*

Vsum coniugalem ob solam delectationem sine veniali stare posse. 599

Illius solemnitas in quo consistat. P.3. 141. *& seqq.*

Clandestinum quod dicatur. 151

Pœna Religiosorum solemnizantium. 245. *& seqq. Vbi non nulla alia scitu digna.*

Metus.

Datum ex metu inducit obligationem restitutionis. P.3.334

Missa.

Dari præceptum de audienda illa sub mortali obligans. P.1.612

An illi satis fiat audiendo distinctarum Missarum partes. 613

De audiente simul duas, pro quibus obligatus. Ibidem.

Circa obligationem audiendi illam multa. 614. *& seqq.*

Duplex stipendium accipi non posse ratione applicationis fructus specialis. P.2.145. *& seqq.*

Vbi multa specialia & vtilia.

Vnde vis imperationis in illa. 188. *de qua & alia in seqq. & quod ratione illius nequeat distinctum stipendium accipi.*

Monialis.

An exire possit vt sit Prælata diuersæ Religionis, P.2.131. *& seqq. Vbi an validæ Professiones ab ea admissæ, & alia notabilia.*

Valida est electio non Quadragenariæ, nec habentis octo annos Professionis. 147

Mors.

Mortem alterius desiderare vt bonum proprium an liceat. P.1. 577. *& seqq.*

Donatio post mortem vt admitti queat. P.3.339. *& seqq.*

Munera.

An iudices accipere possint. P.3. *Sect.* 21. *Vbi multa specialia, & scitu digna.*

Mutuum.

Circa illud pro Religiosis multa. P.1.294. *& seqq.*

Ex eo quod præsens pecunia plus valeat, an liceat aliquid supra sortem accipere.

N.

Negotiatio.

An conuenienter stet Clericos puniri vt negotiatores, qui res forma variata diuendunt, quod à quodam factum Episcopo. P.1. 451, *Supposito quòd probabiliter negotiatio non sit.*

Nouitiatus.

Necessarium esse quomodolibet translato, etiam vt sit Prælatus. P.2.133

Et in Professis vbi Constitutiones approbatæ non sunt, cum aliàs legitimè profitentur. 137. *& seqq.*

Cum Nouitiatu probabiliter valido an possit ad Professionem procedi. P.3. *Sect.* 1. *Vbi multa vtilia circa illum.*

O.

Actus formalis obedientiæ nequit præcipi. P.2. 263.

Occasio.

Vide Confessarius, Consuetudo, Scandalum.

Officium.

Officia pro administratione iustitiæ an vendi queant. P.2.32. *& seqq.*

Vide Horæ Canonicæ *circa officium diuinum.*

An pro aliquo tempore ratione probabilium opinionum excuti possit illius obligatio. P.1.567. *& 568*

Opinio.

Defenditur vt conueniens diuersitas opinionum. P. 1.4

Vnde illarum probabilitas. 5

In materia Sacramentorum quid illæ suppleant. 7. *& 8*

Quæ sit opinio probabilis iuxta propriam eius rationem. 26. *& seqq.*

Semper aliqua in ea formido. 28

Opinionem veram & probabilitatem nõ esse sinonima. 29. *& 30*

Duæ contrariæ opiniones vt possint esse probabiles. 31. *& seqq.*

Obiectiua vt stare queat. 36

Vnius Doctoris potest esse probabilis. 40

Notæ improbabilis. 41

Con-

Contraria ei, quam quis sequitur, vt falsa diri queat. 42
Stante iudicio paris probabilitatis, res dubia perstat. 43
Opinionem alienam potest quis amplecti, etiamsi falsam reputet. 46. *& seqq. Et quomodo illa non improbabilis.* 49. *& seqq.*
Assensus circa duas partes probabiles stare nequit. 52. *& 53.*
Vt queat oppositum aliqualiter sustineri. 54
Qualitates Doctoris facere valentis opinionem probabilem. 55
Maior probabilitas cognitu difficilis, vnde & hoc. 62
Obligationem ad illam qui esse censeant. 63. *& 64*
Contrarium statuitur. 65. *& seqq.*
Quando sit obligatio amplecten'i probabilius. 71. *& seqq. Vbi Homen explosus dicendi modus.*
Nullum in eo periculum aut imprudentia. 83
Regula de tuto eligendo quomodo exponenda. 88
Circa Confessarium. 89. *& seqq.*
De certitudine circa licitam sequelam opinionis minùs probabilis, aut omninò tutæ. 137. *& seqq. Vbi de Fagnano, & Caramuele.*
De certitudine iudicij practici. 157. *& seqq. inter PP. Suarium & Vasquium, de quo & 674. & seqq.*
Censura probabiliter imposita an liget. 359. *& seqq.*
An puniri possit probabiliter operans. 362. *& seqq.*
Guilielmi Herincx circa opinionum sequelam assertæ. 456. *& seqq.*
P. Scildere item. 462. *& seqq. Vbi multa specialia & vtilia. Ibi Index.*
Quid circa opiniones ratione horologiorum. 500. *& seqq. & 567. & seqq.*
Circa vnius Doctoris licitam sequelam. 504. *& 509. & quid necessarium in illo.*
Ioannis Baptistæ Goned circa opiniones multa improbanda assertæ habentur. 511. *& seqq. Ibi Index.*
Circa vnius Doctoris auctoritatem. 634. *& seqq.*
Circa idem, & alia multa de probabilitate. 683. *& seqq. Vbi contra Vincentium, Baron. Ibi Index.*
Opinionem de vnius Doctoris auctoritate non esse damnatam ab Alexandro VII. in 27. inter proscriptas, sed potiùs ei fauere in Bulla contra Parisienses. P.2.283, *& 287*
De opinione circa Baptismum, Nouitiatum, & Professionem. Parte 3. *Sect.* 1
Ecclesia non supplet defectum opinionis improbabilis in Sacramento Pœnitentiæ &c. P.3.215

Oratio.
Vide Horæ Canonicæ.

Ordo.
Vide Degradatio.

Oracula V. vocis.
An vigeant non obstante reuocatione. P. 3. *Sect.* 7. *per totam, vbi contra Brunonem Cassaing.*
Pro eisdem. 153. *contra F. Antonium à Spiritu Sancto. & seqq. Vbi & quid circa ea, quæ ad Indias spectant.*

P.

Papa.
CVr illi nomen Sancti & Sanctissimi tribuatur. P.2.26

Parochus.
Nequit non approbato confiteri. P.1.364. *& seqq. Vbi de Clericis alijs circa damnationem Alexandri VII.*
Neque potest non approbatos exponere. 366. 367. *& magis ex professo.* P.2. 196. *& seqq. Vbi peculiaria quædam.*
A quo accipiant iurisdictionem. 204
Quantùm eorum facultas in hoc pateat. 214. *& seqq.*
Imperiti ex necessitate electi an sint eligibiles sicut alij. 223. *& seqq.*
De Parochis Indorum. 226. *& seqq.*

Patronus.
An possit in præsentatione variare. P.2.52

Paupertas.
Vide Eleemosyna.
Paupertatis votum quid propriè importat. P. 3. 357

Peccatum.
Fornicatio an ideò tantùm mala, quia prohibita. P.1. 557.
Idem de mollitie: circa quam & alia. 558. *Vbi & Sodomia ac bestialitate.*

Periculum.
Nullum in opinione opinionis minùs probabilis & tutæ. P.1.85. *& alibi circa probabiles opiniones.*

Præceptum.
Simul affirmatiuum ac negatiuum an detur. P. 1. 81
Quando obliget sub peccato. P.2.259. *& seqq. Vbi quid de Societate I.*

Prædicatio.
Qui excessus Prædicatorum censuræ subiaceant. P.1. 357. *& seqq.*
Vide Concionator.

Prælatus.
An vti possint notitia in Confessione habita. P.2. *Sect.* 12. *per totam.*
Qui veniant nomine Prælati. P.2.165

Præsentatio.
Supprimenda à Proregibus circa Episcopos scandalosos. P.2.47. *& seqq.*

Præsumptio.
Non præsumantur immoderatæ donationes. P. 3. 334

Pretium.
Debet esse valoris certi in contractibus, nec sufficit esse probabilis. P.1.172. *& seqq.*
Pro illicitis acceptum non est obligatio restituendi. P.3.330

Priuilegium.
Non derogatur priuilegio alteri concesso, nisi de illo fiat mentio. P.1.197. *Vbi de priuilegio ad commutanda vota.*
Regula de fauorabili quod sit simpliciter extendendum, quomodò intelligenda. 198
Aliquando priuilegium nihil nouum concedere. P. 3. 179
Priuilegia Regularium an sint iura quæsita, & sic irreuocabilia. 195. *& seqq. Vbi plura circa illa.*

Pro-

Professio.
An propriè talis sit emissio votorum simplicium in Societate I. P.1.167. *& seqq.*
Professio patris, in qua est professus filius illegitimus est valida. P.2. 54. *Pro quo & in seqq. multa.*
Sub conditione aut ratihabitione vt sit valida. 119. *Quod negant multi.* 121. *Sed non sub conditione aut ratihabitione approbationis Constitutionum.* 120. *& seqq.*
In coniuge profitente obligatio remanet circa castitatem. 124. 126. *& 128*
In ratificante Professionem nullam non est necessarius iteratus Nouitiatus. P.3.8
Potest firma esse cum probabilitate circa illum. 11
Posse etiam aliàs fieri cum probabilitate opinionis. Ibidem.

Prorex.
Proreges an munera accipere possint. P. 3. *Sect.* 21. *per totam, vbi & casus peculiares.*

Purgatorium.
Quibus iuuari queant animæ in illo existentes. P.1. 411. *& 412*
Executio piorum operum quomodo illis prodesse possit. 427. *& seqq. Vbi multa scitu vtilia.*

Q.

QAdragesimæ iciunium. Ouæ & lacticinia vt prohibita in illa. P.1.607

P. Quintanadueñas.
Circa reuelationem de Eucharistia in Cælo probatum iudicium. P.3. *Sect.* 2. *circa quod & multa.*

R.

Recusatio.
VIde Conseruator.

Regula.
Vide Religio.
Regula de minimo eligendo. P.3.194
Vide *etiam* Opinio.

Religio Religiosus.
Circa approbationem Confessariorum & Prædicatorum. P.1.353. *& seqq.*
Circa eijciendos iuxta Decretum Vrbani VIII. P.2. 63. *& seqq.*
Religiosum Monasterium sine Constitutionibus à Sede Apostolica approbatis fundari queat, si aliquam ex approbatis regulis amplectatur. P.2.107. *& seqq.*
Mutatio Religionis regulariter damnabilis, & iniuriosa Ordini. P.3.52
Religiosus an esse possit Capellanus. P.3.123
An possint in Indijs assistere vt Parochi matrimonio, & de pœnis circa hoc cum vtilibus multis. 241. *& seqq.*
An esse possint Vicarij Episcoporum. *Sect.* 16. *per totam.*
An Vicarij Inquisitorum voto ligati de non acceptanda dignitate. *Sect.* 17. *per totam,*

Reseruatio.
Vide Casus Reseruati, & Bulla Cruciatæ.

Restitutio.
Non est ad illam obligatio ratione dati consilij, si non constat influxisse. P.1.610
Quid circa parua furta. 611
Iudex quando ad illam teneatur. P.2.105. *& 106. & P.3. Sect.* 22. *per totam.*

Reuelatio.
Reuelationes vulgari prohibentur. P.2.19. *& seqq.*
Reuelatio S. Mechtildis de Eucharistia in Cælo proposita, & expositæ. P.3.22. *& 42*
Reuelationibus quantùm deferri debeat. 54. *& seqq. Vbi de excellentia reuelationum D. Teresiæ.*
De reuelationibus S. Birgittæ Vide MARIA Virgo,

Reus.
Posse negare veritatem vsu æquiuocationum. P.1. 572. 573.
An falsum queat sibi crimen imponere ad vitanda tormenta. Vide *etiam* Iuramentum.

S.

Sacramentum.
VIde Opinio.
Neque in cælo illa, neque in statu innocentiæ.

Scandalum.
De famulis ad turpia iuuantibus. P.1.589. *& seqq.*

S. Scriptura.
Vt vtatur hyperbolis. P.3.65

Sententia.
Vide Opinio, Iudex.

Simonia.
An dispensare Regulares in ea possint inhabilitate, quæ ex illa contrahitur in recipiente Beneficium. P.3.215. *& seqq. Vbi non pauca vtilia.*

Societas IESV.
A doctrina egregiè commendata, ex qua probabilitas opinionibus. P.1.19
Quid in illa circa contractus. Vide Mutuum.
Priuilegia circa dispensationem in irregularitate ex homicidio contracta, & alijs. 347
Emissio votorum post biennium an Professio, & alia circa ipsam. 367. *& seqq.*
Non ex priuilegio, sed ex Instituto Mendicans. 606
Singularis fauor Sedis Apostolicæ circa communicationem cum Monialibus in Belgio. 640
Circa eius Scriptores notanda. 704. *& 705.*
Sua priuilegia meritò defendit. Et quid circa reuocationem. 714. *Vbi de grato animo erga Gregorium XV.*
De communi, & non auctore agendi modo. 725. *& seqq.*
An in ea admitti queant pater & filius illegitimus. P.2.59
Circa dimittendos vt obliget Decretum Vrbani VIII. 60. 72. *& seqq. & præsertim.* 79. *& seqq.*
Circa prohibitionem audiendi Confessiones quid possint superiores. 309. *& 310*
Circa prohibitionem vsus notitiæ per Confessionem habere. Vide Decretum, & Instructiones.

Suspensio.
Quando perpetua. P.3.306.

T.

Tabellio.
QVæ illis dantur, sicut & alijs iustitiæ ministris ad alliciendos eos circa executionem iustitiæ non inducere obligationem restitutionis, sen-

tentia est multorum. P.3.356

D. Teresia.

Illius Epistola, in qua multa pro Societate IESV, circa quam & plurima, quæ & gloriosa Diuæ Matri, & honorifica Societati. P.3.45.*& seqq.*

Territorium.

Quid illud. P.1.203

Testis.

Quid cum paritas in illis. P.1.505

P. Theophilus Raynaudus.

Defensus à calumnijs Vincentij Baron & aliorum. P.1.705.*& seqq.*

V.

Venditio.

De venditore dubio. P.1.183

Venditio legitima rei Ecclesiasticæ sustinetur, etiamsi pretium non sit conuersum in Ecclesiæ vtilitatem. 311

Vicarius Foraneus.

Quis sit, & an Religiosus esse talis possit. P.3.260. *&* 261. *Idem suo modo respectu Inquisitorum.* 263. *Id quo non obstante Decreto Vrbani VIII. de quo ibi.*

Vicarius Generalis.

An possit esse Conseruator in causis Religionum. P.1.252.

Vide Religiosus.

P.Villaroel.

Archiepiscopus laudatus. P.1.11

Viuæ vocis Oracula.

Vide Oracula viuæ v.

Voluntas.

Cur è duabus bonis æqualibus possit vnum eligere, & non idem accidat circa iudicium duarum opinionum æquè probabilium. P.1.44

Voluntatis parentum præsumptio in fauorem filiorum, & illius aliqui effectus recensentur. P.3. 122.

Votum.

Priuilegium ad commutanda vota intelligitur in æquale. P.1.197

Votorum solemnitas vnde proueniat. 375. *& seqq.*

Vide Beatificatio, Dispensatio *circa vota Castitatis & Religionis*, Paupertas Societas IESV. *& Sect.* 16. *&* 17. P. 3. *circa Decreta Vrbani VIII.*

Vsura.

An liceat tradere pecunias vsurario, etiamsi non apertè videatur eis male vsurus, vbi de sententia D.Thomæ. P.1.651

Vxor.

Vide Maritus, Matrimonium.

INDEX
SECTIONVM, PARAGRAPHORVM, DVBIORVM &c.
QVARTÆ PARTIS.

SECTIO I. *Circa licitam sequelam opinionis probabilis corroborata doctrina, de qua* Parte 1. *P. Iulij Mercori impugnationibus infirmatis, vbi & pro rebus Indicis nonnulla.* N.1

§. I. *Institutum & protestatio Auctoris, ex quibus contra eumdem & alios arguitur.* Ibidem.

§. II. *Circa concordiam extremè pugnantium opinionum à* P. *Mercoro propositam & probatam.* 7

§. III. *Sententia de necessaria obligatione amplectendi opinionem fauentem præcepto proponitur, & illius præcipuum fundamentum expenditur.* 11

§. IV. *Quædam apparens demonstratio pro sententia aduersante proponitur, & eneruis demonstratur.* 21

§. V. *Conflictæ alterius demonstrationis debilitas propulsata.* 26

§. VI. *Leuis alterius demonstrationis non leuis enodatio.* 30

§. VII. *Ex peccato primorum parentum argumentum propositum & solutum* 32

§. VIII. *Ex facto Saulis in victoria de Amalecitis argumentum aliud vtili animaduersione discussum.* 37

§. IX. *De Roboami historia, quæ cum præcedentibus contra receptissimam sententiam vrgetur.* 42

§. X. *Circa mentem D.Thomæ.* 45

§. XI. *De mente D.Augustini.* 51

§. XII. *P.Mercorus vt faueat sententiæ, cui tantoperè aduersatur.* 54

§. XIII. *Circa vtriusque sententiæ Patronos.* 60

§. XIV. *De sinistra interpretatione ab Auctore adhibita benignæ sententiæ Patronis.* 69

Conclusio Disceptationis. 73

§. XV. *Resolutiones quædam non admittendæ, de quibus secundùm suum opinandi modum.* 74

Resolutio I. *Circa restitutionem, An stante vtrimque opinione probabili sit totum restituendum, an saltem medietas.* Ibidem.

Resol.II. *Circa obligationem dotandi quam quis importunis permotam precibus deflorauit.* 75

Resol. III. *Circa obligationem pro inflicto vulnere in percussore pecuniæ compensatione.* 76

Resol.IV. *Circa compensationem, vbi est probabilitas circa illam.* 78

Resol.V. *Circa contractus, in quibus de illorum honestate diuersæ sententiæ versantur.*

Resol. VI. *Circa quantitatem sufficientem ad peccatum lethale contra votum paupertatis.* 83

Resol.VII. *Circa quantitatem cibi in refectiuncula dierum Ecclesiastici ieiunij.* 89

Resol. VIII. *Circa paruitatem materiæ in lectione librorum hæreticorum.* 92

Sectio II. *An Beatificati imago circumferri in publica pompa possit pro illo instituta, aut aliàs in supplicationibus. Occasione Beatificationis Beatæ Rosæ Virginis Peruuianæ.* 97

Sectio III. *De Indulto circa Indicos Mercatores Regia prouidentia constituto. Vbi nonnulla vtiliter decernuntur.* 107

Sectio IV. *Circa obligationem recitationis diuini officij Capellano qui congruam pro sustentatione non recipit portionem, difficultas peculiaris ad dicta in* Thesauro Tit.16. nu. 15. & seqq. 115

Sectio V. *An in prouisione Canonici Magistralis & Doctoralis debeat præferri, qui in Ecclesia talis Præbendæ Beneficium habet. Et quid pro Indijs peculiare.* 122

Sectio VI. *Proreges Indici an concedere possint licentiam ædificandi Ecclesiam in loco vbi alia extat, sed in meliorem formam cum ampliatione aliqua intenditur*

ditur transmutari. Ad dicta Tomo 1. Thesauri Tit. 3. n. 154. & seqq. 127
Sectio 7. *An petenti decimas compensatio obijci possit.* Ad dicta nu. 78. & seqq. 135
Dubium incidens circa decimas. An Parochus negare possit Sacramenta eas non soluentibus. 138
De abusu quodam apud Indias eliminando sibi peculiaris difficultas circa compensationem. 140
Sectio VIII. *Circa quædam asserta moderni Scriptoris. Vbi & depulsæ calumniæ in Mexicanæ Prouinciæ Patres Societatis IESV, & vtiles aliquæ pro Indiarum fauore doctrinæ.* 147
Circa linguæ Indicæ peritiam in Parochis, & Confessionem per interpretem. 149
Circa Religiosorum Paræcialem curam. Vbi de illius conuenientia. 157
Circa Regularium examen, & licentiam Episcopi ad audiendas Secularium Confessiones. Vbi de litigiosa controuersia cum Episcopo Angelopolitano. 158
Circa alia ex eodem Scriptore ad prædictam causam pertinentia. 172
Sectio IX. *Vtrum in Indijs possint Regulares virtute priuilegiorum absoluere à peccatis Episcopis reseruatis.* 179
Sectio X. *Damnata Propositio circa permanentiam Priuilegiorum, quæ sunt à Concilio Tridentino reuocata an quidquam contineat Indicis rebus aduersum.* 186
Sectio XI. *De Propositione alia circa approbationem cum limitatione.* 192
Erudita defensio pro Collegio Societatis IESV Prouinciæ Peruuianæ circa solutionem decimarum & executorialem Regij Indiarum Consilij sententiam. Vbi, quòd executioni mandari non debeat; præsertim in prædijs dotalibus, fundamentalibus, & subrogatis, cuius Auctor laudatus. Parte 1. n. 234.
Allegatio iuridica pro Collegio Diui Pauli Societatis IESV in causa mutui accepti ab eius Procuratore, Doctoris D. Gregorij de Roxas, y Azeuedo insignis Aduocati in Regia Limana Cancellaria, & in ciuitatis eiusdem celebri Academia Sacrorum Canonum Professoris, Ex Hispano Latina, nonnullis additis à Patrono aduersæ partis obiectis cum eorumdem dilutione.

PARS

PARS QVARTA.

Erit illa additio ad præcedentes iam prælo transmissas, in qua & circa dicta adijciendum aliquid, & si quid disceptatione peculiari dignum occurrerit, inofficiosè neutiquam omittendum. Sit ergo

SECTIO PRIMA.

Circa licitam sequelam opinionis minùs probabilis corroborata doctrina, de qua Parte 1. *R. P. Iulij Mercorij impugnationibus confutatis.*

§. I.

Institutum & protestatio Auctoris? ex quibus contra eumdem & alios desumptum argumentum.

Num. 1. INstitutum quidem illius est illud ipsum quod & Patris Baron, vnde & Auctorem illa singulari laudatione commendat, quem vtinam temperato agendi modo fuisset imitatus. Graues siquidem Auctores stylo est cruento insectatus, de quibus sic P. Mercorus in Præfatione: *Tamen protestor me in his, non Doctores, quos summè veneror, sed opiniones, quas veritati minùs congruere, aut conscientijs inutiles arbitror, impugnare, quarum nec censorem me esse profiteor, sed seruum; immò catulum fidelissimum Matris Ecclesiæ &c.* Ex quibus contra ipsum licet arguere, cuius in suo Tractatu, seu *Basi totius Theologiæ moralis*, talis enim eius est titulus, vnus est scopus argumentis sibi euidentibus concludere in opinionum probabilium conflictu tutiorem partem seu probabiliorem eligendam. Nam Doctores oppositum sentientes ij sunt, quos ille summa veneratione prosequitur: quod vtique ex eo accidit, quia sunt illi sapientia & probitate præstantes. Atqui virorum sapientia & probitate præstantium iura omnia diuina & humana statuunt posse vt conscientiæ directores assumi: igitur in puncto, de quo agitur, licita & tuta est talis directionis sequela, & consequenter minimè illa damnabilis pronuntianda.

P. Mercorus laudat & reueretur modernos Scriptores, de quibus secus. P. Baron.

Ergo & eorum non damnanda doctrina.

2. Quod vrgeo. Nam si licita & tuta non esset doctrina talis, neutiquam Auctores summa essent digni veneratione. Id constat. Quia in re grauissima, & quæ basis est, vt dicitur, totius moralis Theologiæ, & sapientia & probitas manifestè deficeret: sapientia quidem, dum errorem, quamplurium aliorum originem, amplectuntur; & probitas, quæ errorem amplecti non patitur, vbi ille potest facilè declinari, securioris partis electione, nec se exponendo magnis conscientiæ periculis in totius diuinæ legis obseruantia, circa quam vagatur probabilitas opinionum, alioquin eisdem laqueis implicando. Et quidem æstimatio prædicta in Auctore nostro singularis non est, sed vniuersalis: sunt enim illi in Republica litteraria celebres, & communia oracula, vnde argumenti robur accrescit; nec solùm ab inferioris gradus studiosis & Doctoribus, atque ad iudicandum de hoc genere qualitatum idoneis, fauorabilis censura profluxit; sed ab ipsis Apostolicæ Cathedræ moderatoribus, vt aliàs expendi: sic enim Clemens VIII. circa duos Eminentissimos Cardinales Toletum & Bellarminum, Palus V. erga Eximium Doctorem P. Franciscum Suarium, Vrbanus VIII. erga Cardinalem Lugo, Innocentius VII. erga Cardinalem Sfortiam Pallauicinum, cui & historiam Concilij Tridentini scribendam commisit, multa & magna Religionis Catholicæ dogmata, cum discussione & elucidatione profunda, & accurata continentem. Quam cùm nescio quis Nouatorum de grege suis fuisset cauillatus scriptis, Sacræ Congregationis de Indico Decreto proscripta sunt Romæ in Palatio Apostolico Quirinali *die* 22. *Iunij*. 1665.

Vniuersalis æstimatio, quæ & à Pontificibus.

E Societate insignes aliquos recensui.

3. Ad quod quidem id dici tantùm potest, prædictos Doctores meritò audiendos, nisi in contrarium starent alij, & sapientia & probitate pariter venerabiles, quorum stante auctoritate, id, de quo est controuersia dubium redditur; in dubio autem non libertati, sed legi fauendum pro securitate conscientiæ, vt Canones Sacri determinant. Sed hoc minimè satisfacit: Nam auctoritas Doctorum ob prædictas qualitates sapientiæ & virtutis, non solùm conuincit eos dignos esse vt eorum sententiæ generatim sumptæ sint amplexabiles & tutæ in praxi, sed etiam stante dicta contrarietate. Sic enim absolutè decernunt, & conscientiæ securitatem affirmant; aliàs probabilitas in ordine ad mores esset inutilis, cùm nequeat ad praxim applicari, quandoquidem semper necessariò est operandum iuxta sententiam fauentem præcepto. Probabile est Pictorem posse in die Festo laborare, quia eius ars seruilis non est. Probabile item oppositum; & hoc necessariò amplectendum sub reatu peccati mortalis. Ergo probabilitas adstruens licitam esse pictionem, aut reuera talis non est, aut prorsus inutilis. Quòd si dicatur probabile esse, dum nihil in contrarium occurrit, ex eo fit etiam probabilitatis proprium conceptum euanescere: quia vbi nihil in contrarium obuersetur, non est locus formidini, quæ propriè est opinioni, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 1. *arti.* 4. vnde & fit Doctores summa veneratione dignissimos, quales P. Mercorus sibi aduersantes agnoscit, eo ipso tali veneratione destituit, cùm eorum nequeat auctoritas probabilitatem ad praxim sufficientem constituere, etiamsi

Responsio ex stantibus ex aduerso depulsa.

D. Thom.

Sine cuius securitate non laudo digni.

mille in eadem ſententia conueniant. Quod quàm ſit à ratione alienum ſtatim apparet, vnde & improbabile cenſent doctiſſimi Scriptores. Quomodò autem commune illud effatum de tenendo tuto, relicto incerto, verum habeat, dictum à nobis non ſemel, & præcipuè *Parte 1. num.* 88. quod & aduerſarij debent etiam explicare, qui in varijs caſibus obligationem talem ceſſare, & teneri poſſe minùs tutum arbitrantur.

Ex admiſſis ab Auctore vrgetur ille.

4. Quod ampliùs vrgere iuuat ex præfati Scriptoris doctrina, qui pagina 155. hanc contra ſuum placitum obiectionem proponit, quòd ſcilicet Religioſus laicus magis probabile credat non eſſe licitum laborare per duas horas in die Feſto, & affirmatiua ſit ei minùs probabilis, eidemque Prælatus præcipiat vt per duas horas laboret huiuſmodi die. Statim ex vi ſuæ regulæ obtemperabit (de Societate peculiarem inducit mentionem) conſequenter opinabitur ſibi licere illud; aliter ſi ita opinaretur, ageret contra dictamen conſcientiæ: igitur ex ſolo imperio voluntatis, quæ cœco modo obtemperat ſuo Prælato ille laicus opinabitur de minùs probabili, relicta probabiliori. Ad quam ſic reſpondet pag. 168. *Ad Tertiam. Auctoritas proprij Prælati, cui ſubditus obtemperare tenetur, eſt medium extrinſecum ſuperadditum in fauorem ſententiæ minùs probabilis certificans illum laicum ſibi licitum eſſe laborare per duas horas in die Feſto. Non ergo adhæret huic parti ex puro motiuo minùs probabili, ſeu ex ſola voluntate, ſed ex auctoritate Prælati, de quo præſumitur quod præcipiat tantùm ea, quæ licita ſunt & honeſta. Ex vi ergo præſumptionis credit certò eſſe verum, quod anteà ex motiuo intrinſeco credebat minùs probabile; dubiumque quod manet in eius mente eſt ſolùm ſpeculatiuum. Ita Sanchez lib. 6. dec. cap. 3. num. 2.* Sic ille.

Subditus contra propriam ſententiam obedire tenetur.

Inde validum argumentum contra eumdem.

5. Tunc ſic. Auctoritas Prælati eſt ſufficiens vt Religioſus talis tutò poſſit eius ſententiam præcepto intimatam amplecti, quia præſumitur id ſolùm, quod eſt licitum, præcepturum; ergo & gratium Doctorum auctoritas ſufficiens erit vt eorum ſententiam amplecti poſſit, quiſquis eam ſatis habuerit perſpectam, quia non debet præſumi eos id, quod licitum non iudicant, perdocturos. Conſequentia videtur euidens, quia Prælati præceptum non immutat materiam, circa quam verſari morales actus poſſunt, neque de illicito facere licitum poſſunt in ijs, quæ ab eorum diſpoſitione non veniunt, ſed ab altiori, diuina aut humana poteſtate; vnde in ſola auctoritate vis eſt facienda, qua conſtante, illationis videtur irrefragabilis euidentia. Et Pater quidem Sancius *citato n.* 2. nihil habet, quod præfatæ faueat reſponſioni: immò ex PP. Vaſquio & Salas aliqua proponit, quæ incommodare illi poſſunt. Et quæſtio quidem circa ſubditum agitatur ab illis de licita præcepti materia dubitante, non de probabiliter iudicante eſſe illicitam. In qua ſtatuit *num.* 3. teneri obedire, licet dubium perſeueret, quod tantùm erit ſpeculatiuè tale, ita vt honeſtati operationis non obſtet, dum iudicat ſe teneri hic & nunc obedire, quidquid aliàs dubitet, quo ſtante dubio, & ſecluſo præcepto, eſſet illicitum operari. De ſubdito autem habente opinionem probabilem de illicita operatione affirmat *num.* 6. Similiter teneri contra propriam opinionem, cuius non eſt neceſſarium vt deponat aſſenſum, quia ſpeculatiuum tantùm eſt. Nec fundatur docti Patris aſſertio in eo, quod eidem adſcribitur, ſcilicet ſubditum moueri auctoritate Prælati, quia præſumitur illum tantùm præcipere licita & honeſta, ſecus enim ille ſentit, dum ſic ait: *Nec exiſtimo opus eſſe vt ſubditus iudicet opinionem Superioris eſſe probabilem dicentem rem illam eſſe licitam, nec vt deponat proprium aſſenſum opinatiuum, quo credit rem illam eſſe illicitam. Sed eo aſſenſu perſeuerante, & ignorata probabilitate alterius opinionis, tenetur ſubditus parére, dum non ſibi certa eſt malitia præcepti.* Sic ille. Et quidem iudicare abſolutè rem eſſe illicitam, vt verè iudicat ſubditus, & etiam præſumere licitam & honeſtam, nequit ſtare, vt eſt manifeſtum; quia præſumere nihil aliud eſt quàm iudicare ob veroſimiles coniecturas circa factum alterius. Fundamentum ergo aſſertionis dictæ poſſeſſio ſuperioritatis eſt, circa quod ille doctè diſcurrit, ſed non ſine aduerſantium quorumdam haud leui conflictu; de quo aliàs modò enim ad iſta deſcendimus, vt appareat Doctorem tantum non eſſe fideli citatione prolatum.

Vide P. Vaſquez *in* Opuſculo de Reſtitut. Cap. 6 §. 3. n. 74. P. Sancius. P. Vaſquez. P. Salas.

P. Sancius. *ſimiliter ad. ductus.*

6. Addo & aliud ex eodem *pag.* 92. vbi pro licito vſu probabilitatum rationem illam apud Doctores eiuſdem defenſores inducit, ex eo quòd eſt conformis rationi, & ita certificans conſcientiam de honeſtate operis in ſingulari: Nam cognitio moralis compoſſibilis humanæ capacitati conformatur rectæ rationi, quia ad impoſſibile nemo tenetur: cùm igitur impoſſibile ſit de omnibus agibilibus, quæ occurrunt, habere demonſtrationem, vt certitudinem ſaltem moralem de illis habeamus, ſicuti quotidiana docet experientia, ſequitur cognitionem opinatiuam de illorum honeſtate eſſe conformem imbecillitati humanæ cognitionis, & conſequenter vſum doctrinæ probabilis eſſe ſecundùm rectam rationem. Ad quam ſic ille: *Reſpondetur, quidem non poſſe haberi demonſtrationes directè & ab intrinſeco oſtendentes quodcumque opus, quod occurrit, eſſe honeſtum: tamen facilè poſſunt haberi per media extrinſeca, & huiuſmodi ſunt non pauca, vt auctoritas Doctorum, vſus, conſuetudo, perſcriptio, præſumptio, poſſeſſio, tolerantia, exemplum, & ſimilia multa.* Sic ille. Vbi non omnia prædicta eſſe neceſſaria ad ſecurè procedendum intendit, vt eſt manifeſtum, quia præſcriptio & poſſeſſio, non ſemper occurrunt, vnde ſingula ſufficere vt certum proponit. Tunc ſic. Auctoritas Doctorum ſtat pro ſententia negante obligationem ſequendi partem probabiliorem, aut fauentem præcepto: & ſunt illi, quos Auctor, vt vidimus, ſumma veneratione proſequitur: præterea vſus in Chriſtiana Republica; & Religioſis familijs receptiſſimus: item præſumptio, iuxta id, quod nuper ex Scriptore eòdem datum, ſubditum ſcilicet obedire teneri ex præſumptione circa Prælatum, qui non præciperet niſi quod licitum eſt: ergo ſimiliter de magnis illis Scriptoribus ſentiendum. Tolerantia inſuper, quia ſententia, pro qua agimus, à Sede Apoſtolica toleratur: & cùm contra plures cenſorium fuerit fulmen iaculata, circa illam nihil tale aut factum, aut excogitatum, cùm tamen ad morale negotium, & conſcientiarum ſecuritatem, ſecus factum oporteret, clamantibus aduerſarijs

Inde validum argumentum contra eumdem.

P. Mercorus.

Aliunde Auctor Baſis confutatur.

ſarijs baſim moralis Theologiæ per illam conquaſſari. Exemplum tandem: vſus enim probabilitatum in viris notæ probitatis eſt perfrequens, notæ etiam probitatis & ſapientiæ magiſtros ſequentibus; ergo & licitus, cum ea tamen moderatione, quam ſemel & iterùm à me tantùm probari ſum ingenuè & corditus poteſtatus.

§. II.

Circa concordiam extremè pugnantium ſententiarum à P. Mercoro propoſitam, & probatam.

Antonius Merenda.

7. Conatur illam ſtatuere *Parte 1. Arti. 5.* vbi Antonij Merendæ ſententiam adducit negantis abſolutè licitum eſſe vſum probabilitatum, vt à Modernis ſtatuitur, cùm de operatione agitur, in qua opinio ſtat pro libertate contra præceptum: & ait in aliquo vero ſenſu poſſe admitti vſum probabilitatum iuxta Modernorum ſententiam abſque præiudicio moralis certitudinis, quam omnino neceſſariam Merenda iudicat, & Moderni etiam Scriptores, cui non eſſe contrariam exiſtimant probabilitatum ad praxim conſentaneam applicationem. Obiectum enim opinabile ſecundùm aliquam rationem dici ſimul poteſt certum & probabile: pro quo diuerſos gradus certitudinis, logicæ ſcilicet & phyſicæ præmittit, ſicut & probabilitatis. Et ad moralem cauſſam deueniens ait probabile logicè eſſe, quod vt in pluribus verum eſt, ſed ſecundùm quamdam rationem communem poteſt contingere non verificari: vt ſcriptura Notarij facit fidem, quia Notarius eſt perſona publica & iurata, nec præſumitur mentiri; cùm tamen attenta humana conditione mentiri poſſit certum certitudine morali eſt, quod attentis circumſtantijs, & communiter accidentibus. & proprijs rationibus obiecti, non poteſt aliter ſe habere, & ideò vt in pluribus verificatur, vt in dato exemplo de Scriptura Notarij. Probabile verò morale eſt, quod attentis circumſtantijs & rationibus particularibus ſubiecti, & communiter accidentibus, poteſt aliter ſe habere; ideò aliquando verificatur, & aliquando non, vt depoſitio vnius teſtis iurati in iudicio apud iudicem non facit certitudinem, ſed tantùm probabilitatem, quia attenta ratione ferendi teſtimonium in iudicio, non ſemper compertum eſt vnicum teſtem depoſuiſſe veritatem quando non habet conteſtem. In moralibus ergo, ſicut in phyſicis certitudo prudentialis coincidit cum probabilitate logica, vt in exemplo Scripturæ Notarij: vbi licet aliqualis formido ſit in obiecto operabili moraliter certo, quæ poteſt manere ex eo quòd dignoſcitur non repugnare aliter ſe habere attentis communibus rationibus, nihil derogat obiecto quin non cenſeatur certum, quantùm ſufficit ad honeſtatem operationis, cùm ſit de de periculo remoto, & ita vt leuis contemnenda. Quòd autem id quod eſt certum moraliter, probabile apud Doctores ſoleat appellari probat ex Ariſtotele, D. Thoma, Syluestro, & P. Thoma Sancio in Sum. lib. 6. cap. 3. vbi ſic ait: *Omnimoda certitudo de rebus moralibus haberi nequit, & ad eam Deus non obligauit, ſed ad operandum cum morali certitudine, qualis in opinione probabili reperitur.* Sic ille. Quando ergo Doctores dicunt probabilitatem eſſe tutam regulam noſtræ operationis, & opus eſſe honeſtum, non obſtante formidine de oppoſito, quam ferè ſemper experimur in noſtris operationibus, debent interpretari de probabilitate logica, quæ ſimul ſtat cum certitudine morali, & de formidine remota, quæ eſt paſſio probabilitatis logicæ. Et argumenta Merendæ concludunt de probabilitate morali, quæ repugnat certitudini requiſitæ ad opus prudentiale. Sic doctus Auctor philoſophatur.

Varij gradus certitudinis moralis.

P. Thomas Sancius.

Concordiam non ſtare oſtenditur.

8. Vbi quidem cùm de certitudine morali loquatur iuxta mentem Modernorum etiam Scriptorum, vt expreſsè affirmat, & ex eis adducat P. Sancium ſuis loquentem verbis, ſi conſequenter ad eorum eſt mentem procedendum, proculdubiò dicendum in conflictu probabilium opinionum quamlibet earum eligi poſſe, quia probabilitas eſt regula ſufficiens, licet non immediata honeſtarum operationum iuxta ipſos, & moralem ſecum affert certitudinem. Immò iuxta eoſdem certitudo moralis talis eſt, vt nullam admittat formidinem, nec remotum vereatur periculum. In morali, quod eſt logicè probabile, admittitur aliquando non verificari illud, cùm certum ſit modo explicato, vt in ſcriptura Notarij: at Moderni ſcriptores nihil tale admittunt in amplexu opinionis probabilis, quia numquàm contingere poteſt vt eam amplectens peccet, ſeruatis regulis ab eiſdem traditis, ſeu limitationibus aut exceptionibus, de quibus à nobis dictum. Quod quidem negat P. Mercorus, vnde non videtur quomodo concordia dicta ſtare poſſit. Vult etiam ille in conflictu opinionum partem eligendam eſſe tutiorem, illam ſcilicet, quæ fauet præcepto. Non eſt ergo certitudine probabilitatis logicæ contentus. Patet, quia ſic operantem certiſſimum eſt non peccare, vnde nullus formidini etiam remotæ locus relinquitur. Errare quidem poteſt, dum iudicat opinionem, quæ pro præcepto ſtat, eſſe veram, cùm re ipſa contingere poſſit non eſſe talem: at hic error culpabilis non eſt, quia ad ſic iudicandum probabili eſt ductus fundamento, vt generaliter in opinionum electione accidit.

Quanta ſit in operante probabiliter certitudo.

Quæ probabilitas ſit regula operationis.

9. Item, cùm dicitur probabilitatem eſſe poſſe regulam moralium operationum, aut intelligitur de immediata regula, aut mediata, ita vt præter illam iudicium aliud practicum requiratur dictans hìc & nunc licitam eſſe operationem. Si *Primum*, id Moderni Scriptores non dicunt generaliter loquendo, ſed communiter oppoſitum, de quo à nobis dictum *Parte 1. n. 157. & ſeqq.* Si *Secundum*, in eo, vt dixi, nullam ipſi admittunt formidinem. Quia verò P. Mercorus moralem certitudinem operationis quoad honeſtatem ad opinionis certitudinem reuocandam exiſtimat, eius circa hoc doctrina neque ſuſtineri abſolutè poteſt, neque receptiſſimæ eſt apud omnes doctrinæ conformis. Quando enim conflictus opinionum non eſt inter fauentes præcepto & libertati, ſed vtrimque præceptum vrgere contenditur, moralis certitudo neceſſaria non eſt, vt in exemplo iudicis, cui de innocentia Rei conſtat,

Vbi deſiderat ab Auctore tradita.

contra quem tamen sunt allegata & probata. Debere enim illum condemnare affirmat D. Thomas, negat Scotus, de quo diximus *Parte* etiam 1. *n.* 89. vbi compertum est vtrumque esse probabile, neutrum autem certum moraliter.

Eadem ille, quam alijs obijcit, difficulate implicatur.

10. Iam ex præfatis pro sententia, quæ Modernorum dicitur, & antiquiorem esse ostendimus *Parte* 1. *nu.* 65. *& seqq.* arguo: nam Merenda, & nonnulli alij, id, quod vidimus, affirmant circa obligationem sequendi partem tutiorem, probabilitatibus penitus amandatis. Pro quo & Auctor Præfationis post inductam citati Scriptoris mentionem ita loquitur: *Huic denique sponte concedent quicumque hoc sæculo vehementiùs probabilitates insectati sunt.* Sic ille. His tamen P. Mercorus obsistit, & probabilitates cum morali certitudine certas esse regulas honestæ operationis affirmat. Rogo iam, vnde id hauriat, cùm Merenda innumeris Scripturæ locis iuxta Sanctorum Patrum interpretationem accuratè satis, vt ipse fatetur, impugnet, & omninò damnet vsum probabilitatum, vt à Modernis admittitur? Dicet stare posse Scripturæ, & Sanctorum Patrum interpretationem pro eligenda parte tutiore ad securitatem conscientiæ militantium. Sed contra: Nam Merenda auctoritates huiusmodi pro sua sententia adducit, & vrget, maiorem certitudinem necessariam esse contendens. Vnde ergo logicæ illius certitudinis fundamentum? Addet bonas pro illa esse rationes, & aliquam Scriptorum auctoritatem. Tunc sic. Ergo & sententia, quæ Modernorum Scriptorum, admittenda est, quia & ipsa graues pro se habet rationes, & grauissimos patronos. Et quemadmodum explicatio certitudinis, quæ P. Mercoro placet, vt admissu digna proponitur, ita & eam, quam Moderni exhibent, suo est merito vt secura & plausibilis admittenda. Addo explicationem certitudinis probabilis logicæ non quadrare Auctoris intento: nam illa contingit, cùm res ita communiter accidunt, vnde formido oppositi est de periculo remoto, & ideò non curanda: quod dicitur ita euenire cum opinio probabilior in praxi tenetur, contra eam, quæ fauet præcepto. Atqui quòd hæc sit falsa est non rarò contingens, vt falsitas Scripturæ Notarij publici, sed frequenter: ergo non quadrat explicatio. Minor constat: Nam opinio, quæ mihi est probabilior, potest multis esse minùs probabilis, & probabilior opposita, vt passim euenit, & qui illam amplectitur, debet iuxta ipsam operari. Esset quidem verosimilis doctrina, si opinio, quæ probabilior dicitur, ita omnibus appareret: at cùm non ita sit, regula tradita deficit, nec veritati consulitur, & ita ad vnum illud est recurrendum principium de morali certitudine in qualibet opinione probabili.

Præfationis Scriptor.

Instantia manifesta.

§. III.

Sententia de necessaria obligatione amplectendi opinionem fauentem præcepto proponitur, & illius præcipuum fundamentum expenditur.

Difficultas circa Auctorem.

11. DE illa Auctor *Parte* 2. *Arti.* 8. *&* 9. & in priori quidem statuit peccatum esse operari secundùm opinionem minùs probabilem: in posteriori autem conatur ostendere assertionem huiusmodi comprobari per illam regulam, *In dubijs tutior est pars eligenda.* Quia verò circa hoc statim videtur difficultas occurrere ex eo quòd, vt nuper dicebamus, sententia minùs probabilis potest fauere præcepto, vnde & esse tutior, ex illius peculiari doctrina videtur occurrendum, de qua *Arti.* 7. vbi asserit, & multis conatur suadere opinionem minùs probabilem in concursu probabilioris, si motiuum graue pro illa suppetat, & vt tale ab intellectu apprehendatur, statum dubium in concipiente hoc modo constituere: est enim tunc paruus excessus respectu probabilioris, qui non sufficit ad tollendam dubietatem, exemplo eius qui Rusticum percontatus circa viam, id ex eo audit quod Rustica negat, cuius testimonium licet minoris fidei sit, tale tamen vt merito viator possit de oppositio dubitare. Cùm ergo in dubijs tutior sit pars eligenda, inde est vt opinio quæ minùs probabilis dicitur, & tamen præcepto fauet, reuera probabilior sit. Quòd ex ijs etiam colligitur, quæ habet *Arti.* 9. vbi §. *Pio* intelligentia obseruat opinionem non dici tutiorem quia est probabilior, neque minùs tutam, quia est minùs probabilis; nam potest esse quòd aliqua opinio sit minùs probabilis, & tutior: & alia sit magis probabilis, & minùs tuta. Regula ergo securitatis ex sola carentia periculi offendendi Deum pensanda est. Et post huiusmodi obseruationem subdit §. *sequenti* in hunc modum: *Quamobrem cùm pars probabilior dictans actum non esse licitum careat periculo transgrediendi præceptum; opposita verò asserens actum esse licitum, stante dubio habeat annexum periculum, sequitur probabiliorem asserentem actum non esse licitum, esse tutam; & minùs probabilem asserentem actum esse licitum, non esse tutam: ergo ex vi huius regulæ prudentialis vnusquisque tenetur sequi probabiliorem, & abstinere à minùs probabili.* Sic ille; vbi opinionem carentem periculo probabiliorem agnoscit, licet communiter loquendo minùs probabilis quandoque esse possit secundùm propriam spectata rationem.

vis assertionem ex ipsius principijs expedita.

Probabilior qua & tutior iuxta illum.

P. Mercorus *vt explicet opinionem tutam.*

12. Item quondo opinio probabilior talis est, vt oppositam notabiliter superet, affirmat ille *Arti.* 7. hanc non esse dicendam probabilem, quia signum est carere graui & solido fundamento: si enim illud haberet, statum dubium constitueret, vt nuper dicebatur: impossibile enim est vt motiuum probabile contra aliquam sententiam non causset dubium graue: si ergo non tale est vt dubium ingerat, est sanè leue & ita non curandum: quo fundamento vti circa vexatos scrupulis soliti sumus. Ex quo fit sententiam fauentem præcepto, & iuxta quam illicita est operatio, verè probabilem non esse, si opposita sit probabilior cum excessu dicto. Quod quidem ita dicendum ex adductis Auctoris principijs constat, licet ipse non non ita conformanda curasse videatur asserta, & loquendi modos minimè inter se esse pugnantes demonstrare. Iuxta hæc ergo procedit quæstionis resolutio, & illius assertio, dum ait peccatum esse opinionem minùs probabilem amplecti relicta probabiliori.

Minùs probabilis verò non est talis iuxta ipsum, si ab opposita multùm excedatur, etiam fauens præcepto.

13. Et illius præcipuum fundamentum ex eo desumitur, quòd operans debet esse certus de licita

Fundamentum ex certitudine necessaria licitæ operationis.

licita operatione, quod tamen stare nequit, si quis partem non fauentem præcepto, licet suo aut aliorum iudicio probabilem, amplectatur. Nam regula talis operationis est opinio probabilis, & quasi prior præmissa in discursu ex quo deducitur honestas operationis: Atqui opinio incerta est, & vt aliquid aliud certum admisceatur, conclusio sequitur debiliorem partem, & ita dictamen proximum certum esse non poterit, quo asseritur hîc & nunc licitum esse taliter operari. Ergo erit sic operari peccatum, quia se exponit operans periculo faciendi contra præceptum, & consequenter diuinæ offensæ: hac enim ratione peccat, qui dubius operatur, secundùm receptissimum in Theologia dogma, quia scilicet periculo se violandi præceptum exponit. Sed hoc non vrgere ex dictis *Parte* 1. *in Appendice Sectionis* 1. compertum habetur, ad quod & modò respondeo operantem secundum opinionem probabilem sufficienti certitudine, esse præditum, quia certum est moraliter sic procedentem non peccare, & licet opinio quam amplectitur, certa moraliter non sit, conclusio ex illa potest certa deduci, quia non influit secundùm quòd incerta est, sed secundùm certitudinem eidem conuenientem. Certum enim est illam esse probabilem, & ita discursus est euidens, sic arguendo: Licitum est operari secundùm opinionem probabilem: hæc opinio est talis: ergo licitum est hîc, & nunc iuxta illam operari. Maior est receptum in Theologia principium, vt ostendi aliàs, & constat etiam ex dictis §§. *præcedentibus.* Minoris veritas supponitur, vnde legitima est Consequentia.

Vt faueat aduersa parti demonstratur.

Contra certitudinem responsio dequæ.

14. Vbi dici potest Maiorem quidem esse generaliter veram: circa Minorem autem distinctionem adhibendam sic: Est probabilis sine concursu alterius, conceditur: in concursu, negatur. Quo pacto etiam distingui posset Maior, præcedentis doctrinæ applicatione: Addendumque id quod est certum, à nemine sanè sentiente negari: cùm ergo dogma prædictum à multis negetur secundùm generalitatem, quam argumentum intendit, non esse tale videtur aperte concludi: hac enim ratione opiniones certæ non sunt, quia contra se habent aliter sentientes. Sed verò distinctio illa secundùm sententiam quorumdam est, qui negare nequeunt oppositam esse probabilem, nisi per summam iniuriam, cùm respectu illius abundè concurrat quidquid ad veram probabilitatem fundandam excogitari potest, siue à ratione, siue ab auctoritate: moralis ergo pro illa militat certitudo, quam etsi verbis videantur negare nonnulli, facto ipso confirmant, dum iuxta illam operantes in praxi non audent vt reos peccati condemnare. Pro quo Auctorem nostrum iuuat audiamus, qui *vltimo Operis Articulo* ex quorumdam è suis ingenua confessione difficilem praxim sententiæ præfatæ proponit, dum dicunt: *Si nos volumus limitare hanc regulam de sequenda minùs probabili, vt dictum est, alij Confessarij non limitabunt. Si dicimus ex doctrina probabiliori Titium teneri ad restitutionem, alius Confessarius dicet ex probabili non teneri: si docemus hunc actum esse peccatum, illi negabunt: & ex hac contradictione duo sequuntur incommoda, videlicet illos, qui adhærent laxiori sententiæ, apparere humaniores & doctiores vulgo, atque in doctrinis Recentiorum versatos: nos verò austeros & ineruditos, doctrinisq; iam antiquis solùm imbutos: consequenter pœnitentes à nobis recessuros; cùm tamen eorum eleemosynis victitemus.*

Fauent facto aduersantes.

P. Mercorus.

15. Post hæc ita scribit: *Cuidam Religioso, qui ita causabatur, memini me consuluisse pœnitentem in casu controuerso sic esse alloquendum: Fater mi, in hoc casu, de quo à me petis consilium, sunt duæ sententiæ oppositæ: vna vtique probabilis, quæ dicit te non teneri ad restitutionem: alia probabilior, & dicit te teneri: quando autem occurrunt duæ sententiæ, vna probabilis, & altera probabilior, etiamsi sit rigidior, quia est tutior, eligenda est. Ita suadet ratio, & Doctores præcipui ac primæ Classis benè intellecti communiter docent. Nonne illi, qui in negotijs sæculi videntur prudentes, cùm possunt, semper tutiorem partem remotam à periculis eligunt? Quantò magis id oportet in negotijs animæ? Tu ergo tuæ conscientiæ consule; dixi tibi quod debui ex meo munere, & quod ego agerem in simili casu pro quiete meæ conscientiæ &c.* Sic doctus Pater. Vbi in primis obseruare iuuat, in concursu probabilioris opinionis oppositam dici probabilem, quod tamen ab eo negatum, vt vidimus. Deinde sententiam rigidiorem non proponi vt eligendam sub culpæ reatu, sed per modum consilij, quia dum obligatio sub reatu dicto non exprimitur, quod suadetur solam habet consilij rationem: quod & verba illa indicant *Memini me consuluisse.* Præterea, dum vtraque sententia proponitur, optio eligendi datur, vtriusque probabilitate declarata, aliàs impertinenter se haberet propositio talis. Si enim sentit absolutè peccare eum, qui non restituit, nec vllius opinionis patrocinio ab obligatione tali immunem se posse præstare, quærenti, an teneatur, sine ambagibus vllis dicendum: *Teneris.* Cùm ergo non ita dicatur, manifestum signum est eum, qui ita respondet, existimare non peccaturum illum, qui minùs probabilem sententiam in praxi, quidquid secus de probabilitate alterius sentiat, amplectatur. Id autem quod de Doctoribus præcipuis & primæ Classis benè intellectis, sic communiter sentientibus dicitur, immeritò additum, & contra fidelis consiliarij munus: significatur enim oppositam sententiam non habere pro se præcipuos & primæ Classis patronos, quod est à vero alienum, vt vidimus *n.* 2. & contra Auctorem ipsum, qui *Parte* 2. *Arti.* 21. in principio Magistros Bañez, Medinam; & Sotum vocat Thomistas primæ Classis. Si autem præcipuorum nomine D. Thomam & Scotum intelligat, quos cum nonnullis alijs adducit *Parte* 2. *Arti.* 26. eos benè intellectos ab ipso, & non ab alijs, qui pro contraria eos sententia allegant, aut saltim non aduersantes ostendunt, nequit tamquam certum pronuntiari, neque vt tale consulenti proponi: qui si audiret pro sententia, quæ dicitur minùs probabilis circa opinionum amplexum grauissimos & primæ Classis Doctores extare, qui præcipuos illos aliter intelligunt, probabiliter etiam tantùm locutos, si id verum haberet, & omne circa talem operandi modum conscientiæ periculum remouentes, diuersum circa obligationem suam conceptum efformaret. Iuxta hæc ergo stat sententiam benignam probabilitati fauentem morali esse certitu-

Suo fauet concilio.

Doctores præcipui & prima Clericis immeritò allegati.

dine

dine minimè destitutam. Quod & aduersantes velint nolint constat non audere penitus inficiari. Et quidem difficultas illa in sententię rigidæ executione satis ostendit eos, qui ita docent, frequentissimè in praxi aliter iudicare. Cùm præsertim ad ita procedendum non sit illis dedecori externos Doctores sequi, quandoquidem inter commilites multos habeant grauissimos & sapientissimos, quorum possint magisterio se tueri, & securum in ministerijs sacris habere processum. Videant Catalogum P. Mercori *Arti. 26. citato*, vbi occurrent Aluarez, Bañez, Candidus, Ledesma, Lopez, Martinez, Medina, & Viguarius, quibus addi plures alij possunt, viam illam difficilem exosi, & faciliorem aliam, ac securam pariter demonstrantes.

Sunt ex ad uersis ex Dominicanis Pl. plures.

Certum haberi aliquid potest, & si contradicant aliqui.

16. Vlteriùs, Potest aliquid communiter haberi certum, etiam si aliqui sint certitudinem inficiantes. Catholica quidem fides certissima est, quæ multos tamen patitur aduersarios. Item, attritionem cum Sacramento sufficientem esse ad illius valorem & effectum, certum communiter habetur, licet nonnulli refragentur. Conceptionis Virgineæ puritas ab Ecclesia vt certa celebratur, quidquid aliqui contradixerint, vnde sine formidine in eius celebratione proceditur. Processiones in diuinis esse per intellectum & voluntatem, vt certum dogma habitum in Theologia, quidquid Durandus, & nonnulli alij secus affirmarint. Similiter posse demonstrari Deum esse, & tantùm vnum, obluctantibus quibusdam. Sicut & esse cœlum Empyreum, circa quod Cardinalis Caietanus aut inficiator aut anceps, de quo dixi in Amphitheatro *Parte 1. n.144.* & sic alia multa, quibus veritas, de qua agimus, accensenda.

Demonstratio pro sententia licita sequela opinionis minùs probabilis.

17. Pro qua & stare demonstrationem docti Scriptores non immeritò arbitrantur breui discursu comprehensam, hoc scilicet: Omnis prudenter operans, rationis pondere, & sapientium omni exceptione maiorum auctoritate ductus, licitè operatur: sequens opinionem probabilem sic se habet: ergo licitè operatur. Quæ consequentia adeò est aperta, vt omnem benè affectum intellectum sit nata conuincere, quandoquidem præmissæ sunt euidentes. Maior scilicet, quia sic operans non procedit temerariè, præcipitanter, aut præsumptuosè: ratio enim solida, qua ducitur, rationabiliter operantem ostendit: auctoritas omnem temeritatis, præcipitationis, ac præsumptionis, vitium remouet. Pro quo præstabit D. Thomam consuluisse 2. 2. *q.* 53. *arti.* 3. vbi de præcipitatione ac temeritate agit, & in responsione ad 2. sic habet: *Ad Secundum dicendum, quòd illa dicuntur fieri temerè, quæ ratione non reguntur: quod quidem potest contingere dupliciter. Vno modo ex impetu voluntatis vel passionis: alio modo ex contemptu regulæ dirigentis: & hoc propriè importat temeritas: vnde videtur ex ea radice Superbiæ prouenire, quæ refugit subesse regulæ alienæ: præcipitatio autem se habet ad vtrumque. Vnde temeritas sub præcipitatione continetur, quamuis præcipitatio magis respiciat primum.* Hæc Doctor Sanctus, ex quibus manifestum habetur eum, qui opinionem probabilem secutus, operatur, neque temerè, neque præcipitanter agere, quia neque impetu voluntatis aut passionis ducitur, neque contemnit regulam dirigentem, quandoquidem voluntas eius ita in bono firmata est, vt statuat nullo modo peccare, & sic minimè regulam dirigentem contemnere: vnde si contingeret illicitum esse id, quod probabilis sententia licitum firmat, neutiquam voluntas illud in praxi sustineret. *In Corpore* autem *Articuli*, inter gradus, per quos ordinatè non descenditur, exemplo corporalis præcipitationis, ab eo, qui præcipitanter in moribus agitur, constituitur à S. Doctore *Docilitas, per quam aliquis acquiescit sententijs maiorum*, eorum scilicet, qui non tempore, sed scientia & probitate maiores habentur, comparatione eius, qui eorum inquirit sententias, dum honestè conatur agere, & sine offensione supremæ Maiestatis; quod in negotio, de quo agimus, accidere est manifestum. Iam quod ad præsumptionem attinet, indubitatum est ex ijs, quæ habet idem Doctor Angelicus *ibidem. q.* 130. *arti.* 1. & 2. quibus illa clauditur, vbi præsumptionem dicit esse vitium, quo quis *assumit ad agendum ea, quæ præferuntur suæ virtuti*. Quis autem non videat in operante probabiliter modo dicto nihil tale reperiri?

Quid docilitas.

D.Thom.

Temeritas & præcipitatio quid.

18. Et ex his apparet ita operantem prudenter se gerere: si enim imprudenter, id quidem propter vitia prudentiæ contraria contingeret: Atqui non ita res habet: nam si aliqua vitia, maximè prædicta: hæc autem longè abesse remanet euidenter demonstratum: de illis enim specialiter agit D. Thomas: & de præsumptione, quæ & ipsa manifestè abest, vti de vitio prudentiæ oppositio non disseruit, sed vt oppositio magnanimitati. Nec dici potest alia esse vitia prudentiæ contraria, ex quibus aliquid possit in præfato operandi modo admisceri: nam circa illa discurrenti, vti à D. Thoma *qq.* 54. & 55. proponuntur & exponuntur, nihil tale occurret, ex quo possit assertio huiusmodi verosimiliter comprobari: quia neque negligentia, neque prudentia carnis, neque astutia, neque dolus, neque fraus. Iuxta hæc ergo euidentia discursus adducti videtur irrefragabilis: licet non desint, qui præoccupati spiritu quodam contradictionis, conentur iuxta Prophetam ponere *tenebras lucem, & lucem tenebras*. Isa. 5. v. 20. Vbi & concinit quod habet idem Doctor Sanctus *ibidem q.* 51. *arti.* 3. *ad* 1. vbi ita scribit: *Ad Primum ergo dicendum, quòd rectum iudicium in hoc consistit, quòd vis cognoscitiua apprehendit rem aliquam secundùm quod in se est. Quod quidem prouenit ex recta dispositione virtutis apprehensiuæ, sicut in speculo, si fuerit benè dispositum, imprimuntur formæ corporum secundùm quod sunt. Si verò fuerit speculum malè dispositum, apparent ibi imagines distortæ, & prauè se habent.* Sic ille: qui nonnullis interiectis subdit bonam dispositionem indirectè contingere *ex bona dispositione appetitiuæ virtutis, ex qua sequitur quòd homo benè iudicet de appetibilibus.* Sic Doctor Sanctus: iuxta cuius mentem contingere potest vt id, quod discursu euidenti concluditur, quibusdam non videatur tale, quia mentis speculum ex alicuius affectus interiectu ad recipiendas veritatis formas indispositum habeatur.

Operantem iuxta opinionem dictam prudenter procedere demonstratur.

Isa. 5. v. 20.

D.Thom.

Rectum iudicium ex appetitus inordinatione peruertitur.

19. Neque ad infirmandum huiusmodi discursum quidquam facit, quod de minùs probabili opinione *initio huius §.* ex Auctore, quocum agimus,

Auctoris doctrina circa opinionem minùs probabilem in concursu probabilioris.

agimus, est præmissum, dum opinioni minùs probabili in concursu probabilioris probabilitatem negat, nisi sit leuis probabilitatis excessus, quando enim notabilis est, ea proportione, qua crescit, decrescit opposita, & ita probabilis dici non potest, quod sequenti declarat exemplo. Decem Doctores ex vna parte tenent aquam ex sale esse materiam Baptismi; ex aduerso vnus Doctorum sentit oppositum. Quamuis huius Doctoris auctoritas extra casum controuersiæ sufficeret, vt quis eius sententiæ posset adhærere, tamen in concursu decem Doctorum (ceteris paribus) contradicentium valde diminuitur, intellectusque facilè ipsam posset paruipendere. Et in hoc sensu absque controuersia ait esse intellectum posse opinari de probabiliori. Vnde solum (ait) est difficultas, an quando pars minùs probabilis, concurrente probabiliore, respectu eiusdem intellectus est verè probabilis, vt est quando eius motiuum est graue, vrgetque, quamuis minùs quàm motiuum oppositæ partis magis probabilis, possit intellectus de probabiliori opinari: vt si decem sint Doctores pro vna & pro alia nouem, ceteris paribus. Quod negat ex ratione adducta, quia motiuum minùs probabilis graue esse supponitur, & ita causat dubium graue & formale; in dubio autem huiusmodi, cùm de materia peccati agitur, non licet nisi in præcepti fauorem operari: & etiam si probabilior sententia adsit, idem dicendum ex eo ostenditur, quia etiam illa concurrente, grauitas motiui perstat, & ita eumdem habet effectum.

Non minùs probabilem in concursu probabilioris.

Exemplum ponitur.

Efficaciter confutata.

20. Non inquam ad intentum quidquam facit; facili enim negatione conuellitur, scilicet motiuum graue non tum ita causare dubium, vt volentem operari ad probabiliorem partem adstringat, quandoquidem & iuxta minùs probabilem potest. Cum enim pars quælibet graue motiuum, vnde & probabile etiam habeat, tum à ratione, tum etiam ab auctoritate, prudenter potest quamlibet amplecti, iuxta discursum nuper efformatum & exornatum. Dubium ergo, quo stante operari non licet, est illud, quod motiua non sufficientia ingerat ad præstandum assensum licet aliàs non contemnenda: vnde discretum dicitur, immò & probabile in Cap. *Inquisitioni*, de sent. excommun. ibi: *Ex credulitate probabili & discreta*: sumpto probabili pro habente aliquam verisimilitudinem, & in Theologica proprietate, quia sine assensu, de quo nos *Parte 1. n.* 178. *& seqq.* licet non desit qui secus sentiat quantùm ad intelligentiam Canonis, sed non quantùm ad rem ipsam. Pro quo P. Scildere *Tract. 6. Cap. 7. §. 4. n. 80.*

Cap. Inquisitioni.

P. Scildere.

§. IV.

Quædam apparens demonstratio pro sententia aduersante proponitur, & eneruis demonstratur.

Arguitur ex defectu conformitatis cum regula æterna.

21. HAbet illam Auctor Arti. 8. & est quarta suæ Assertionis ratio, sic arguens: Dictamen rationis, quod fundatur in vsu opinionis minùs probabilis in concursu probabilioris, nequaquam tum ad apparentiam conformatur legi æternæ: Atqui debet conformari: ergo est illicitum iuxta illud operari. Maior est certa, & ita communiter in Theologia recepta, pro qua D. Thomas 1. 2. *q.* 19. *arti.* 3. Maior ostenditur: Nam stante opinionum conflictu, non magis apparet conformari, quàm non conformari; immò magis apparet non conformari, quia pars probabilior suadet magis non conformari: ergo dictamen rationis, quod fundatur in vsu sententiæ minùs probabilis in concursu probabilioris non potest esse regula morum. Quòd si dicatur huiusmodi dictamen, etiam si sit indifferens vt conformetur, vel non conformetur legi æternæ, nihilominùs habere rationem regulæ, iam non lex æterna, sed probabilitas erit prima regula morum, quod dicere omnino erroneum est. Ad hæc ille sic subdit: *Hæc demonstratio ita est euidens, vt nec apparentem responsionem quis fingere possit, nisi subuertat principia Theologiæ moralis.*

D. Thom.

Sed defectum talem non extare ostenditur.

22. Sed verò, vt dixi, in tali discursu apparentia tantùm demonstrationis elucet, non solida basis Theologicæ veritatis, vbi adeò est facilis & aperta responsio. Dico ergo verissimum esse dictamen pro recta operatione debere legi æternæ conformari; nego tamen tale non esse, quod in vsu opinionis minùs probabilis interuenit; & ad probationem respondeo iuxta dicta *n.* 13. Cùm enim dictamen circa probabilitatem certum sit, nihil in eo est, quod obstet, quo minùs legi æternæ possit esse conforme. Falsum est ergo opinionem magis probabilem suadere magis illud non conformari: nam magis probabilis probabilitatem alterius non negat, sed approbat, dum cum formidine ex tali probabilitatis persuasione procedit. Retorqueo ergo discursum, & demonstrationem in hunc modum efformo: Operans iuxta dictamen legi æternæ conforme, rectè operatur: Atqui operans iuxta opinionem minùs probabilem operatur iuxta dictamen legi æternæ conforme: ergo rectè operatur. Maior est certa, & minor est apertè probata *n.* 17. & 18. vnde & est euidens consequentia.

Discursus obijcitur euidens iudicatus ex dispositione diuina prouidentia.

23. Sed pergit, & vt magis euidentiam ostendat, statuit Deum, stante dispositione præsenti suæ ineffabilis prouidentiæ, non posse minùs probabilis vsum concedere, quod sic probat: Nam Deus vult & præcipit nos viuere secundùm virtutem, quod & ab ipso oramus frequenter: cuius ratio est, quia ita viuere est via per se instituta à diuina prouidentia vt homo tendat in suum finem. Cùm ergo nobis ignotum sit quid iubeat lex æterna, Deus debet nobis pro regula, quoad nos, constituere aliquid, ex cuius directione, quandocumque eo vtimur, vt plurimùm saltem, operemur actum virtutis iuxta præscriptum diuinæ legis: At vsus sententiæ minùs probabilis, relicta probabiliori, nos non conducit ad honestum simpliciter, sed fortè magis in errores; cùm ratione sympathiæ obiecti & potentiæ verosimilius sit esse id honestum, à parte rei, quod nobis ita apparet esse; aut saltem opus, quod dictat ratio fundata in vsu opinionis minùs probabilis, est indifferens vt sit honestum, vel non: Ergo si Deus vult nos viuere secundùm veram virtutem, non potest nobis statuere pro regula vsum opinionis minùs probabilis in concursu probabilioris. Hæc etiam ratiocinatio euidens affirmatur.

24. Sed

Enervis penitus comprobatur. Vbi quòmodo velit Deus nos honestè & secundùm virtutem viuere.

24. Sed certè neque admodùm est illa probabilis: In primis si contendat ita Deum velle & præcipere vt secundùm virtutem viuamus, quòd nequeat dari actus, indifferens in indiuiduo, sunt qui id probabiliſſimè negent, & qui contrarium sentiunt, probabilitatem istius sententiæ non negant. Ex hac ergo parte ratiocinatio dicta ab euidentia deficit, vnde esse demonstratio nequit. Deinde iuxta sententiam dictam procedens, & actum in indiuiduo indifferentem admittens, dicere potest ita Deum velle nos secundum virtutem viuere, vt non id circa omnes actus præcipiat, sed tantùm beneplaciti & consilij voluntatem ostendat. Prætereà vt demus sententiam prædictam admitti debere ex ea tantùm sequitur eum qui operatur iuxta opinionem minùs probabilem; ita vsum talem debere moderari, vt honestum finem suæ operationi præstituat: quod quidem stare optimè potest, vt scilicet qui laborat in die festo, & in die ieiunij comedit, aut non restituit, vel officium diuinum omittit, & sic alij, id faciant honestis ducti rationibus, quæ tales esse possunt, vt plus apud Deum mereantur, quàm multi præceptorum exacti obseruatores. Si autem aliter doctrina illa de obligatione viuendi secundùm virtutem procedat, eam ad præceptorum obseruantiam coarctando, id est quod negamus, Deum scilicet ita nos suis præceptis constringere, vt circa illa non liceat opiniones verè probabiles vsurpare. Quid euidens contra hoc? Non equidem illud, quod de erroribus dicitur, nec probatur. Quòd autem opus iuxta opinionem minùs probabilem factum, non sit directè honestum, sed indifferens vt honestum & non honestum sit, & hoc frequentiùs: minimè vrget; quia si de honestate sermo sit, quæ ex eo prouenit, quòd sit conforme præcepto, hoc ipsum est quod sententia nostra complectitur, & aperta conclusio, scilicet nos non teneri ad operandum semper iuxta opinionem fauentem præcepto. Si autem de alia, secundùm dicta de actibus indifferentibus in indiuiduo faciendum satis: Ergo euidentia dicta nihil minus habet quàm id, quod eo nomine designatur

Exemplum pro aduersarijs.

25. Sed vrgetur exemplo, quod apertissimum dicitur, & sic se habet: Dux quidam iubet militibus vrbem obsessam aggredi hora sexta noctis, quia in eo puncto ciues nonnulli daturi sunt manus: & ne errent, horologium, consignat, quod putat motui cæli conformius. Quòd si Dux militibus pro regula constitueret horologium, quod crederetur non minùs indicare horam sextam, quàm decimam, signum esset euidens nolle eum vrbis deditionem, eique nullius esse curæ quòd milites aggrediantur mœnia magis hora sexta, quàm decima. Ita supposito Deum velle & præcipere nos viuere secundùm virtutem, vt præscribit lex æterna: implicat hoc velle, & simul nobis constituere pro regula vsum sententiæ minùs probabilis, per quam indifferenter contingit operari actum virtutis, vel oppositum. Verùm ex his postremis verbis minimè suffragari exemplum ostenditur, quia vsus sententiæ minùs probabilis non est, nec permittitur pro operatione, quæ sit actus virtutis, aut illi oppositus, prauus inquam, cùm constat ex dictis esse honestum posse. Ponamus Ducem pro inuasione vrbis non solùm sextam horam, sed etiam decimam consignare in horologio ritè gubernato, qui & dicat militibus: *Quòd fiat sexta, mihi erit gratius: sed quia nolo vos somni detractione vexare, fiat decima, si vobis ita placet.* Tunc quidem satis ille ostendit velle se deditionem, & milites hora decima aggredientes nullo modo Ducem ipsius indulgentia vtentes offendent. Quo pacto exempli pro sententia nostra aptior succurrit applicatio: licet enim Deo gratior sit vsus probabilioris sententiæ simpliciter loquendo, quia tamen iugum suum graue esse non vult, vsum minùs probabilis opinionis, humanæ fragilitati concedit, salua semper præcepti reuerentia & cura ne offensio eius se ingerat Maiestatis, quod respondet deditioni vrbis certò qualibet hora ex designatis futuræ. Licet dici etiam meritò possit exemplum vt proponitur non congruere, quia ibi est præceptum speciale circa vrbis aggressionem, & tempus pro illa: in casu autem nostro præceptum quidem generale est faciendi ea, quæ necessaria sunt ad vltimi finis consecutionem, in qua generalitate cùm multa occurrere dubia possint, directio circa illa Doctorum magisterio committitur, vnde & locus diuersis sententijs esse potest. Addo, si placet adducti exempli conuenientiam tueri, ex eo fieri satis, si dicamus designatæ horæ respondere dictamen practicum certò indicans operationem esse honestam saltem negatiuè, id est non illicitam, quod in vsu opinionis minùs probabilis euenit. Pro quo hæc satis.

§. V.

Demonstrationis alterius debilitas propulsata.

Arguitur ex iudicio practico, quod debet esse operationi conforme.

26. HAbetur etiam *Arti.8. §. Ex his sic,* & ita procedit: Qui tuta conscientia vult sequi aliquam sententiam in moralibus, oportet vt de ea formet iudicium particulare practicum saltem opinatiuum, & dicat: *Mihi modò licitum est habere plures præbendas*: sed dato quòd sententia de habendis pluribus præbendis sit minùs probabilis quàm opposita, non valet intellectus meus formare hoc iudicium particulare opinatiuum, quòd hic & nunc mihi liceat habere plures præbendas, quando est in concursu suæ probabilioris oppositæ: ergo stante tali concursu neque valebit opinari de particulari. Maior est certa, & Minoris probationem supponit ex *Arti.* 3. in quo probat stantibus duabus probabilibus opinionibus inter se oppositis æquali probabilitate, non posse intellectum, se determinare ad vnam, nec de alterutra ad libitum opinari, quia tunc constituitur in statu dubio, neque est motiuum speciale, per quod se possit ad assensum inclinare: vnde videtur illatio manifesta.

Commoda distinctionis fit satis.

27. Sed manifestam non esse facilè redditur manifestum: concedo enim Maiorem de iudicio particulari practico quoad primam partem, & quoad posteriorem, dum dicitur: *Mihi modò licitum est habere plures præbendas*, distinguo: licitum est per assensum, qui determinatè & directè versetur circa licitam obtentionem, nego: per assensum, qui versetur circa probabilitatem subintellectam, cùm dicitur, *Mihi licet*, concedo. Sub quo intelligendi modo potest etiam Maior absolutè concedi, & sub eodem negari Minor: cuius probatio tantùm euincit prius distinctionis membrum: vnde & nos diximus *Parte 1. num.* 43. stante iudicio paris probabilitatis statum esse dubium, nec posse earum alicui assensum præstari. Sed quidem etsi non præstetur, stante assensu dicto circa probabilitatem, operari iuxta quamlibet potest sic iudicans, sicut & stante inæqualitate; quia licet opinio aliqua magis probabilis sit, non est necessarium vt intellectus eidem assentiatur, quam necessitatem sola potest euidentia conciliare. Quod quidem non heri aut nudiustertius inuentum, sed ante annos plures septuaginta traditum à P. Vasquez *Tomo 1. in 1. 2. Disput. 62. Cap. 4. §. vltimo*, vbi benè ostendit magis expeditum esse hunc procedendi modum, quam sit ille, cum quis partem vnam opinabilem per positiuum assensum amplexus, iuxta aliorum opinionem ipsi placet operari: minus enim est quod obstet, neque circa deponendum proprium iudicium illi est opus laborare. Pro quo & P. Thomas Sancius *Lib. 1. in Decal, Cap. 9. n. 12. & 16.*

P.Vasquez.

P.Sancius.

Pars Bardi exacta responsio.

28. Quia verò in P. Bardi *Lib. 11. Select. moral. num.* 32. solutionem præcedenti conformem reperit, contra illam insurgit Auctor, dum sic ille ait, quòd scilicet opinari de aliqua propositione dupliciter contingit, scilicet modaliter, & secundùm se: Primum accidit, cùm quis dicit: *Probabile est mihi licitum esse habere plures præbendas*: Secundum, cùm ait: *Mihi licitum est habere plures præbendas, cum formidine de opposito.* Posset ergo aliquis respondere (ait Auctor) ad Maiorem rationis factæ sufficere primum iudicium, quia non repugnat intellectum formare hoc iudicium modale opinatiuum de sententia minùs probabili, etiam in concursu probabilioris, quia non ideò definit esse probabilis.

Impugnata ab Auctore.

Insurgit inquam, & suam impugnationem vti euidentissimam proponit, & sic arguit: Iudicium particulare, quod requiritur ad rectitudinem operationis non potest stare cum conscientia dubia, quia hæc non stat cum conscientia recta: sed iudicium opinatiuum modale stat cum conscientia dubia, quia in eodem intellectu sunt duo hæc iudicia: *Probabile est mihi nunc non esse licitum habere plures præbendas, & Probabile est mihi licitum esse habere plures præbendas*, quod statum dubium constituit: tunc enim dubitamus quando ex vtrâque parte contradictionis iudicamus esse rationes graues, consequenter probabiles: ergo iudicium opinatiuum modale non sufficit ad rectitudinem operationis: ergo requiritur iudicium opinatiuum de propositione secundùm se, quod non potest haberi neque in vniuersali, nec in particulari de sententia minùs probabili in concursu probabilioris. Sic ille, concludens sic oportuisse firmam rationem à se adductam demonstrare.

sed clara responsione defensa.

29. Responsio tamen est iuxta dicta satis prompta & dilucida: nego enim iudicium particulare non posse stare cum conscientia dubia circa propositionem secundùm se sumptam, si sub aliqua ratione habeat certitudinem, quam practicum iudicium attingit, & cùm propositiones probabiles certò sint tales, aut saltim probabiliter, vt in quibusdam accidit, quæ & sunt etiam certò probabiliter probabiles, neque circa hoc dubius sit intellectus (vt supponimus) benè illud potest cum conscientia modo dicto dubia componi. Quod ergo à P. Bardi dictum de propositione modali, optimè stare potest, contra quod immeritò dicitur solita æquiuocatione laborare. Quæ enim in hoc æquiuocatio subest? Nisi fortè velit conscientiam dubiam cum probabili conscientia confundi; quod quidem non ita accidit, vtriusque enim ratio delucidè remanet declarata.

§. VI.

Leuis alterius demonstrationis non leuis enodatio.

Ex principijs oppositæ sententiæ arguitur, scilicet ex dictamine rationis.

30. HAbetur etiam *Arti.8.n. 5. ratione*, & desumitur ex eisdem principijs, in terminis quibus oppositæ sententiæ Auctores ad illius probationem vtuntur, & sic procedit: Principale fundamentum dicentium licitum esse sequi opinionem minùs probabilem in concursu probabilioris est, quia Deus nobis instituit pro regula morum dictamen rationis, vt homo id possit licitè agere, quod sibi probabiliter honestum apparet, ita vt formalis ratio rectitudinis humanæ operationis refundatur in ipsam probabilem apparentiam honestatis: Atqui sicut ex præscripto diuinæ regulæ id solùm licitum est operari, quod nobis apparet honestum, ita peccatum est agere id, quod non apparet honestum; sed quando mihi recurrit opinio minùs probabilis simul cum probabiliori oppositа, opus, quod aggredi volo, mihi quidem apparet honestum ex motiuo opinionis minùs probabilis, sed simul mihi magis apparet non honestum ex motiuo probabilioris: ergo attenta ratione apparentiæ, in qua consistit ratio formalis regulæ rectitudinis humanæ operationis, potiùs fugiendum est, quàm prosequendum opus, quod suadet opinio minùs probabilis. Quod suadetur exemplo Regis, qui in expeditione militari præcipit Duci vt in grauioribus negotijs sequatur consilium septem seniorum, quos ei Collaterales constituit. Occurrit hostis, consuliturque an acie sit dimicandum: ex Consiliarijs tres affirmant, reliqui negant. Si Dux tunc nihilominùs vellet præliari, ageret contra præceptum Regis, neque excusaretur dicens: *Rex præcepit mihi agere iuxta consilium Seniorum: sed tres, quorum consilio feci, sunt seniores: ergo pugnando feci iuxta præceptum Regis:* Nam protinus Fiscalis ipsum tamquàm delusorem regij mandati redargueret simili syllogismo: *Immò fecisti contra mandatum Regis, quod erat vt sequereris consilium seniorum: sed quatuor, quorum consilium non es secutus, erant Seniores constituti à Rege: ergo egisti contra mandatum eius.* Ex hoc arguitur: Quia non secus se excusant illimitatè vtentes sententia minùs probabili, dum sic arguunt: *Deus à nobis solùm exigit vt sequamur consilium rationis: dictamen opinionis probabilis est consilium rationis, etiam in concursu probabilioris: ergo non facit contra diuinum mandatum.* At non aduertunt quòd ex aduerso remordet & redarguit synderis, quæ in interiori foro gerit vicem

Exemplo roboratur.

cem vigilantissimi Fiscalis, & ait: *si fateris id solùm esse opus licitum, quod ex consilio rationis apparet honestum: igitur contra diuinum mandatum agis, qui eligis opus, quod tibi suggerit opinio minùs probabilis, cùm ex consilio probabilioris magis non honestum apparet.* Ecce demonstrationem.

Expedita responsio.

31. Sed talem non esse responsio expedita conuincit: Concedo enim quod assumitur de apparenti probabili honestate in opinione minùs probabili, & magis de inhonestate in probabiliori. & distinguo consequens: Potiùs sequendum est hoc quàm illud, ex consilio; transeat (nam & hoc sunt qui negent) ex præcepto, nego. Potest etiam distingui Minor: Magis apparet non honestum, ita vt in tali apparentia quiescat animus, nego: ita vt non quiescat, sed formidet, & suspicetur an sit tale, concedo. Formido ergo ista, quæ fauet opinioni minùs probabili, iuncta probabili apparentiæ honestatis, in causa est vt hanc sequens non sit censendus peccare. Itaque in hac argumentatione nihil est quòd vrgeat, neque nouum quid additur, sed verba replicantur. Fundamentum communis & receptissimæ sententiæ est: operans iuxta opinionem probabilem proponentem honestatem, etiamsi in opposita probabiliùs appareat ratio inhonestatis, rationabiliter, nec temerè aut præcipitanter operatur, vt vidimus *n.* 17. & 18. Arguitur ex aduerso: Opinio probabilior dictat opus esse magis nonhonestum. Quid inde? Hoc est quod dicimus, quod fatemur; & eo non obstante oppositum esse licitum affirmamus. Exemplum autem nihil euincit: in eo enim est manifestum Regis mandatum à Duce violatum: vnde eius excusatio dicto modo proposita esset paralogismus, non ita in eo, qui opinionem minùs probabilem sequitur, cui fauet syllogismus adductus, & cùm vrgetur à Fiscali syndaresi, ex consilio rationis opus, quod proponitur, iuxta opinionem magis probabilem esse magis non honestum. id est leue, quia cum consilium tale non excludat consilium aliud probabile iuxta quod tale opus est honestum, non sequitur sic operantem agere contra rationem. Hoc ergo est speciale in opinionibus, vt duo esse dictamina opposita possint, & tamen conformia rationi.

Exemplum ad rem non facere ostenditur.

§. VII.

Ex peccato primorum parentum argumentum propositum, & solutum.

32. OMitto multa apud Auctorem occurrentia, quia aliqua à nobis sunt in *Appendice discussa Parte* 1, alia parùm vrgent, & nonnulla peculiares casus attingunt inter Doctores communiter controuersos de probabilitate differentes. Quædam etiam Scripturæ loca, & Sanctorum auctoritates, de quibus ibidem à nobis dictũ. Quia verò ex factis nonnullis peculiaris impugnatio construitur, quæ facer exhibet Textus, circa illa iuuat aliquantulùm inhæsisse. Arguit ergo *Par.* 2. *Art.* 19. ex casu primorum parentum, qui ex comestione fructus ligni scientiæ boni & mali potuerunt habere probabilitatem se non esse lethaliter peccaturos. *Primò*, quia lex pœnalis secundùm probabilem sententiam non obligat in conscientia, etiamsi pœna sit capitalis vt docet P. Valentia 1.2. *Disput.* 7. *q.* 5. *puncto* 6. pro qua etiam citatur Nauarrus in *Manuali Cap.* 23. *nu.* 55. & P. Lessius *de Iustitia Lib.* 1 *Cap.* 33. *Dub.* 8. Præceptum autem fuisse pœnale constat ex verbis illis: *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris.* Gen. 2. Quòd si dicatur pœnam mortis ex iure naturæ vitandam: Contra hoc est, saltem Heuam probabiliter existimare potuisse mortem non fore ob vnius pomi esum infligendam: quod significat D. Augustinus eodem loco post alia sic dicens: *Maxima libertate habenas prohibitionis rumpere delectata, probabilius existimans non esse mortem quam timuerant, secuturam.* Sic ille. *Secundò* etiam poterant probabiliter credere se non grauiter peccaturos ex paruitate materiæ: cùm non desint Doctores, qui asserant Deum non posse præcipere aliquid leue sub pœna graui. *Tertiò* Lex pœnalis, & præcipuè quæ exorbitat à iure communi, non debet extendi ad personas in ea non nominatas, vt ex pluribus docet Carena *Tit.* 13. §. 2. *p.* 2. sed præceptum de abstinendo à ligno scientiæ fuit factum soli Adæ antequàm Heua crearetur, his verbis: *& præcepit ei dicens: Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem, scientiæ boni & mali ne comedas.* Et nulla est facta mentio de Heua, aut eius descendentibus in genere. nec in specie. Insuper pœna mortis propter esum vnius pomi videtur satis grauis & exorbitans: ergo Heua potuit probabiliter saltem eo præcepto non ligari. Et tamen eos grauiter peccasse est certum: ergo probabilitas contra Dei præcepta minimè suffragatur. Primos autem parentes circa notitiam probabilitatem satis fuisse instructos probat ex perfecta eorum scientia multò quàm nostra maiori. Et ea nõ vsos ex eo ostenditur, quia ipsi earum vsum in sui excusationem neutiquàm produxerunt.

P. Valentia Nauarrus, P. Lessius. Gen. 2. D. August. Cæsar Carena.

Probabiles rationes pro primis parentibus obiiciuntur.

33. Sed hæc minimè Auctoris possunt caussam promouere. Ad *Primum* dico præceptum Adamo impositum, etsi fuerit pœnale, fuisse absolutè obligatorium, quia in eius adimpletione totius humani generis erat felicitas constituta, vnde eius violatio non potuit grauissimum non esse peccatum, quia teste Apostolo Rom. 5. v. 12. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Vt demus ergo vsum opinionum probabilium iam tunc locum habere potuisse, in casu præsenti id neutiquàm admittendum, quia locum habere nequit quando ex eo graue damnum potest in alios deriuari, vt est cõmunis resolutio Scriptorum, pro qua Auctor *Parte* 2. *Arti.* 11. Ad id, quod de Heua dicitur, non scilicet se moriturum credidisse iuxta D. Augustini expositionem, in primis dico Auctorem non videri sententiam Doctoris Sancti suo in fonte delibasse, neque enim librum, neque Caput citat, *sicut commentatur D. Augustinus eodem loco* dixisse contentus: qui *Lib.* 11. *de Genesi ad litteram Cap.* 30. priora illa verba habet ab Auctore adducta: *& non credens posse inde se mori, arbitror quòd putauerit Deum alicuius significationis caussa dixisse: Si manducaueritis, morte moriemini.* Sic de Heua ille, qui ab Auctore dicitur verba superiùs data inferiùs protulisse, quæ quidem habentur Cap. 31. in quibus de Heua in speciali non locutus, sed de parente vtroque: illa enim Sacri Textus commentabatur verba: *& aperti sunt oculi amborum: cumque cognouissent se esse nudos &c.* Ex eo autem quòd *delectata*

Præceptum Adamo impositum, esse pœnale, obligatorium: & vnde. Rom. 5. v. 12. *Circa Heuam quid D. August. vt non putauerit se moriturum.* Gen. 3.

delectata dicitur, erroris occasio, cùm animaduersum non fuerit verbum præfatum curiositati respondere, sic enim Doctor sanctus: *Vbi enim ad transgrediendum præceptum audax curiositas mota est &c.* Priora ergo tantummodò verba ad Heuam in speciali spectant; quia verò & sequentia simul cum Adamo, dicendum quod à S. Doctore dictum *Probabilius existimans* de verâ non posse probabilitate intelligi, aliàs non peccarent, quia & iuxta Auctorem nostrum, id quod verè est probabilius, tutò quisque amplecti potest: vnde & ipsum necesse est sua vt premat & torqueat obiectio. Iudicarunt ergo, sed temerè, quia ita posse operari prorsus erat improbabile: neque enim pro se solidum apparebat fundamentum, neque alia erat auctoritas nisi serpentis, & quantus ille diuinorum præceptorum interpres? vnde & temeritas & præcipitatio præcipuas in eorum transgressione partes habuerunt: *vbi* (vt loquitur D. Augustinus) *ad transgrediendum præceptum, audax curiositas mota est auida experiri latentia, quidnam tacto vetito sequeretur, & noxia libertate habenas prohibitionis rumpere delectata &c.*

Probabilius quid in re. *Temeraria in illo curiositas.* *Non excusabilis ex paruitate materiæ.*

34. Ad secundum de paruitate materiæ, licet ita esse possit quod dicitur, in casu tamen præsenti locum habere nequit, quia præceptum à Deo impositum vt grauem materiam concernens & grauiter obligans est intimatum: tale enim verè erat, & ita oportuit proponi in illo statu, qui clarum & inoffensum procedendi modum exigebat, ne vllus excusationi locus remaneret: vnde neque illius transgressores redarguti à Deo quidquam tale in sui defensionem protulerunt, cùm illud esset maximè obuium: *Comedimus quia existimauimus rem fuisse leuem, cùm & materia talis esset, & te id, quod tale est, non posse sub reatu lethalis noxæ iubere sumus probabiliter arbitrati.*

35. Ad Tertium, præceptum fuisse etiam Heuæ impositum videtur ex narratione sacrà manifestum Gen. 3. v. 1. *Cur præcepit vobis Deus?* Quæ sunt verba serpentis: nec fuisse falsa, Heuæ responsio manifestat statim v. 3. *De fructu verò ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus ne comederemus &c.* Licet autem ante formationem Heuæ tale præceptum Adamo datum videatur, graues ad id respondent Interpretes, per anticipationem positum à Mose, quod & 70. versio non obscurè indicat, in plurali habens, *Ne comederitis.* Pro quo P. Salianus plures adducit, quibuscùm & sentit *Tomo* 1. *Annalium* circa diem mundi sextum n. 134. Alij secuti narrationis ordinem affirmant Heuam ab Adamo de præcepto instructam; pro quo Diui Ambrosius & Chrysostomus apud eumdem *nu.* 133. quibus addo D. Augustinum *supra Lib.* 8. *Cap.* 17. vbi præmissa expositione iam dicta de narratione per recapitulationem ita subdit: *An sciens* (Deus) *quòd ei facturus erat mulierem, ita præcepit ordinatissimè, vt per virum præceptum Domini ad feminam perueniret? Quam disciplinam & in Ecclesia seruat Apostolus dicens: Si quid autem discere volunt, domi viros suos interrogent* 1. *Cor.* 14. 35. Sic ille, in ea conquiescens sententia, dum nihil eidem opponit, & ea adhibita ad nouam transit quæstionem. Et quidem cùm compertissimum sit Heuam violati præcepti ream fuisse, & propterea à Deo pœnas recepisse commeritas, necessarium prorsus est vt intimatum eidem præceptum asseratur. Vnde non potest non friuola omnino censeri ratio, quæ ad probabilitatem adstruendam, id quod est à veritate penitus alienum assumit. Quomodò item existimare illa potuit pœnam mortis propter esum vnius pomi, eo quòd satis grauis & exorbitans videatur, ad se non spectare, quia eo præcepto non ligata? Intimatum quidem vtrique, & sine aliquo inter eos discrimine: ligata ergo, & ita etiam obnoxia pœnæ.

Præceptum etiam Heuæ impositum. Gen. 3. v. 1. & 3. *Versio. 10.* P. Salianus D. August. 1. Cor. 14. v. 35.

36. Quomodo autem præceptum de re leui non fuerit, licet circa materiam leuem communi iudicio, eo quòd ad finem momenti maximi trahebatur, declarant & exornant Interpretes, estq; communis sensus Theologorum, pro quo videri potest Diana *Parte* 5. *Tract.* 5 *Resolut.* 47. qui tamen in fine ita scribit: *Notandum est etiam hic obiter cum Duvallio in* 2.2. *D. Thomæ Tract. de legibus q.* 5. *arti.* 4. *concluf.* 2. *in fine, solum Deum in leui materia posse ad mortale obligare, vt probabile est fecisse erga Adamum & Heuam, ratione esus fructus vetiti.* Sic ille: cuius mens est, id quod est leue, etiam attentis circumstantijs, posse à Deo præcipi obliganti sub mortali: nam quando ratione circumstantiarum pondus habet, negari id nequit, non solùm Deo, sed Ecclesiasticis Prælatis. Quod verò subditur, probabile esse in præcepto primis parentibus impositio id accidisse, quod soli diuinæ competit potestati, eum videtur habere sensum, præceptum circa rem leuem ratione materiæ & circumstantiarum impositum: id quod neutiquam admittendum, fuit enim materia grauis respectu finis à Deo intenti, quem explicat D. Augustinus *supra Cap.* 13. voluisse inquam Deum obedientiam ab homine sibi præstari, quem in tanto honore condiderat, eo sibi obsequio tamquàm tributo nobili persoluto. Et quidem in præcepto ieiunij Ecclesiastici simile quid videmus accidere; materia enim non adeò magna in eo interuenit, comestio scilicet vltra permissas in prandio, & serotina refectiuncula, cibi modici, iuxta varias Scriptorum sententias. Et modicum quidem est, quod excedit aliquantulum duas vncias, vt videri apud eumdem Dianam potest *Resolut.* 11. & *Parte* 1. *Tractatu de Ieiunio Resolut.* 1. Ponamus ergo præcepisse Deum ne primi parentes pomum comederent duarum vnciarum pondus excedens, materia quidem esset grauis iuxta sententiam dictam: & tamen nimius ille videri posset rigor, vt scilicet propter huiusmodi comestionem, & parum illud quod duabus vncijs accreuit, pœna adeò acerba imponeretur, certissimè præceptum violantibus infligenda. Cúmque reuera non esset talis, idem dicendum de præcepto non comedendi absolutè; quia licet materia esset leuis, si parùm ex pomo vetito sumeretur, id quod de materia est minus, ratione finis grauissimi compensatur. Vbi D. Augustinus audiendus *citato Cap.* 13. sic locutus: *Quare prohibitum est, nisi ut ipsius per se bonum obedientiæ, & ipsius per se malum inobedientiæ monstraretur? Denique à peccante nihil aliud appetitum est, nisi non esse sub dominatione Dei, quando illud admissum est, in quo ne admitteretur sola deberet iussio dominantis attendi.* Sic ille.

Præceptum graue de re leuis esse potest ob finem momenti non leuis. Diana. Duvallius. *Quid circa Deum, & primos parentes.* *Ex præcepto Ieiunij Ecclesiastici illustratu doctrina.* D. August.

§. VIII.

Ex facto Saulis in victoria de Amalecitis argumentum aliud vtili cum animaduersione discussum.

1. Reg. 15. v. 3. 37. HAbet illud Auctor *eodem Arti.* 19. deductum ex. 1. *Reg.* 15. Samuel præcipit Sauli dicens: *Vade, & percute Amalec, & demolire vniuersa eius &c.* Non ita ab eo factum: nam *pepercit Agag, & optimis gregibus ouium & armentorum, & vestibus, & arietibus, & vniuersis, quæ pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea &c.* v. 9. In quo quidem perperàm ab eo factum, vnde & Dei sententia condemnatus: & tamen probabili est vsus opinione: tum quia verbum Hebræum in loco Exodi, iuxta cuius præscriptum Samuelis iussio processit, benignam patitur interpretationem: sic enim Cap. 17. v. 14. *Delebo enim memoriam Amalec sub cælo*: vbi vox respondens *Memoriæ* in Hebræo, scilicet זכר diuersis punctis adiectis, & memoriam & masculum significat, cùm possit legi *Zachar*, quod est *masculus*, & *Zecher*, quod est *memoria*. In Auctore hæc diuersitas, & forsan ex errore typographico, absurdè legitur. Inde ergo Rabbini aliqui factum Saulis excusant, qui præceptum ad solos extendi masculos potuit probabiliter reputare. Item quod ad Agag attinet, ad magnificentiam triumphi fuit propter gloriam populi Dei, post quam poterat occidi, sicut & pecora ad sacrificium reseruari, cùm nihil interesset ea demoliri gladio, aut igne consumere, sicut & alia pretiosa stipendijs militum applicari. *Licet enim* (verba Auctoris sunt) *hoc videatur expresè aduersari verbis dicti præcepti*: Non concupisces ex rebus ipsius aliquid: *Tamen hæc vltima verba, cùm in nostra Vulgata sint expuncta obelo, non habentur in Textu Hebræo.* Sic ille, addens in casu isto ea, quæ præcepto vetabantur, non fuisse mala, & eatenus prohibita, sed è contra, in quibus benigna interpretatio solet frequentiùs admitti. Quòd autem Saul probabili sit vsus fundamento, ex ipsius excusatione constat dicentis: *Immò audiui vocem Domini, & ambulaui in via, per quam misit me Dominus, & adduxi Agag &c.* v. 20.

Verſ. 9.

Vnde Saul appareat excu abilis. Exodi 17. v. 14.

P. Mercorus.

1. Reg. 15. v. 20.

38. Sed hæc nullius momenti sunt. Et in primis, quod ex ambigua voce זכר dicitur posse fundari argumentum, ex eo euidenter reuincitur, quia licet vox dicta secundùm se sumpta dici possit ambigua, ex interpretatione tamen Samuelis adeò expressa, omnis est ambiguitas propulsata, iuxta quam reseruari nihil potuit ob fines illos memoratos. Quòd autem verba illa, *Non concupisces &c.* à Vulgata sint expuncta, vtpote in Hebræo Textu non extantia, nescio quomodo à viro potuerit docto proferri, cùm manifestissimè in illa, sine obelo aliquo, contineantur. Verum quidem est in Hebræo, Textu, qui apud Pagninum, & Arias Montanum exactior, non haberi: sed Vulgatæ auctoritas Textus superemineat omnes, vnde ea à Samuele dicta nequit salua fidei integritate dubitari, stante pro Vulgata, & omnibus in illa contentis Decreto Concilij Tridentini. Et quidem licet præfata verba submoueantur, alia ita sunt aperta & vniuersalia, vt satis esse ad cohibendam Saulis effrænem cupiditatem debuissent: *Demolire vniuersa eius &c.* Quod quidem mandatum non auctoritate propria, sed Dei nomine locutus, intimauit Samuel dicens: *Nunc ergo audi vocem Domini: Hæc dicit Dominus exercituum* n. 1. & 2. Non ergo fuit locus probabili existimationi. Quòd si opinatum libeat dicere, opinionem omninò improbabilem est amplexus Saul, quæ excusationi esse non potuit. Nec vrget illud: *Immò audiui vocem Domini &c.* Sed aliud ex vero prolatum ab ipso: *Peccaui, quia præuaricatus sum sermonem Domini, & verba eius* v. 24.

Hebræa vox perperàm adducta ab Aduersario demonstratur, sicut & alia.

Vulgatæ auctoritas

1. Reg. 15. v. 3.

v. 24.

39. Instat Auctor eos, qui negant Saulem probabiliter processisse, ideò negare quia vident Deum non eum excusasse: si tamen suppresso nomine proponeretur casus in abstracto, absque difficultate vtique Saulis interpretationem ambabus manibus vt probabilem admitterent, quia magis est probabilis, quàm dicere esse veniale vti ouis & lacticinijs in Quadragesima: & dicere licitum esse inducere ad iurandum falsum eum, qui credit iurare verum: aut non teneri ad soluendum legatum pium perpetuum post centum annos legatarium, quia tempus centum annorum moraliter æquiparatur æternitati. Et similia, quæ probabilia euulgentur in libris. Prætereà Saulis interpretatio aliquam apparentiam veritatis habuit: ergo & aliquam probabilitatem, licet minimam: Atqui minimam probabilitatem sufficere ad licitam operationem Recentiorum sententia est, ex quibus Pasqualigus *de electione opinionum Decis.* 20. *n.* 7. & Bressarus *lib.* 3. *de Conscientia. Cap.* 7. *n.* 27.

In grauis Scriptoris depulsa calumnia.

Pasqualig. Bressarus.

40. Sed eneruis est prorsus instantia: nego enim futurum quamquam verè doctum, cui si casus prædictus proponeretur cum omnibus suis circumstantijs, in Saulis fauorem iudicaret. Probatio autem promptam habet facilemque repulsam, negando in opinionibus verè probabilibus, quæ à doctis scriptoribus euulgantur, minùs probabilitatis existere, quia & bonis rationibus, & auctoritate competenti fulciuntur: quod quidem pro Saulis procedendi modo non extitit. Sententia de ouis & lacticinijs, vti à suo est Auctore proposita, in contradictorio iudicio suam est probabilitatem inconcussam in posterùm, fauorabili Decreto consecuta, de quo *Parte* 1. *n.* 607. De inducente ad iurandum modo præfato dictum etiam *nu.* 671. De legato quæstionem mouens Diana *Parte* 5. *Tract* 14. *Resolut.* 84. pro negante deberi adducit P. Gasparem Hurtadum, Viuium, Naldum, Molfesium, qui pro eadem allegat Couarrubiam, Brunum à Sole, Tuschum, Menochium, & Surdum: pro affirmante Bonacinam & Homobonum; & concludit vtramque esse probabilem, & primam in Iure probabiliorem, sed secundam in praxi seruari. Cùm ergo prima in Iure sit probabilior, nec Modernos tantùm pro se habeat Auctores, sed antiquiores & grauissimos, non nisi per apertam iniuriam potest opinioni Saulis adeò absurdæ æquari, immò & postponi. Id quod de alijs dici opinionibus potest, contra quas generalis illa censura prolata.

Saulis factum perperam Recentiorum opinionibus ante Latum.

De ouis & lacticinijs.

De inducente ad iurandum.

Diana.

De legato post centum annos.

41. Nec tamen propterea animus mihi est pro Modernorum defensione solicitus, vt generaliter

Præcipuam probabilitatem non esse vocem absolutè loquendo.

raliter probabiles æstimem, & laudabiliter amplectendas: quod aliàs non semel admonui: vnde neque placet quod de minima probabilitate dicitur: adeò enim exigua esse potest, vt pro nulla haberi debeat; vt nulla verè extitit in Saulis facto: aliàs nulla propositio apud Auctores reperta proscribi à Pontifice potuisset: nulla enim est, pro qua ratio aliqua non adsit, & auctoritate non gaudeat aliquali, quandoquidem à docto est Auctore vulgata. Negari tamen nequit suos in probabilitate gradus esse, sicut in pretijs, in quibus est supremum, medium, infimum. Sic etiam est probabilitas magna, minor, minima, quæ & parua dici solet, quam communiter Doctores vt veram & propriam admittunt, vnde communiter dici solet aliquid parùm probabile. Sed adeò parua esse potest, vt iuxta dicta pro nulla haberi debeat, dum sic communiter reputatur. Sicut in pretijs accidit: dicuntur enim res nullius pretij, quæ valde exiguo dignæ sunt, vt fructus qui venduntur in plateis incumbente nocte, nec commodè seruari in diem sequentem possunt. Quamquàm & hîc obseruare oporteat eam probabilitatem, quæ quibusdam videtur minima, alijs posse non minimam apparere: quo euentu iuxta illam poterit probabiliter operari, quia & probabile est id fieri posse quando sententia aliqua à nonnullis censetur improbabilis, cùm tamen ab alijs probabilis censeatur. Quod ergo vulgari axiomate circumfertur *Parùm pro nihilo reputari*, non est vniuersim verum: quia parùm cibi aut potus ante sacram Communionem sumi non reputatur pro nihilo. Quo ad tempus idem sæpè accidit, vt in ieiunio, Ordinibus, ac multis alijs, in quibus terminus designatus intelligitur de momento ad momentum. Vnde licet axioma dictum habeat fundamentum in Iure, vt videri potest apud Barbosam *Tractatu de Dictionibus. Dict.* 246. vbi & Textus & Doctores adducit, ex Surdo tamen limitat, quando scilicet non datur diuersa ratio. Sic ergo parum probabilis opinio verè probabilis esse potest; cùm etiam adeò exigua esse possit probabilitas, vt pro nulla veniat meritò reputanda.

Parùm pro nihilo reputari vt habeat verum.

Barbosa. Surdus.

§. IX.

De Roboami historia, quæ cum præcedentibus contra receptissimam sententiam infertur.

3. Reg. 12. 42. HAbetur illa 3. *reg.* 12. statim enim ac Roboamus regnare post Salomonem parentem cœpit, rogatus à populo pro tributorum alleuiatione, maluit consilium iuuenum, qui cum eo nutriti fuerant, quàm seniorum amplecti, ex quo rebellio subsecuta, decem tribuum irreparabili defectione: propter quod ab scriptore sacro meritò reprehensus. Ex quo sic arguit Auctor *Arti.* 19. *citato.* Consilium iuuenum habuit aliquam probabilitatem: & tamen reprehenditur Rex ob relictum seniorum consilium circa negotium regni temporalis: ergo dignior reprehensione erit, qui relicta probabiliori eligit minùs probabilem opinionem in negotio animæ, & regni cœlestis. Quod vrgetur, nam licet dicantur iuuenes illi, quorum est Rex consilium amplexus, erant tamen coætanei Regi, qui regnare cœpit, cùm esset annorum 41. vt Lyranus expendit, vnde ad præbendum consilium non inepti, & ita probabiliter loqui potuerunt.

Vnde vis argumenti.

43. Sed nihil in hoc, quod negotium possit facessere communissimam sententiam amplexis. Roboamum grauiter sua in responsione peccasse eruditè ostendit Abulensis *Quæst.* 5. *in citatum Caput.* multa in ea peccata prosecutus, de quo & spiritus sanctus Eccli. 47. v. 26. & 27. *& finem habuit Salomon cum patribus suis, & dereliquit post se de semine suo, gentis stultitiam, & imminutum à prudentia, Roboam, qui auertit gentem consilio suo.* Circa quod eleganter Oliuerius noster sic ait: *Fuit verò consilium illud longè stupidissimum: cùm enim ipse minimè gratia apud populum suum valeret, & ipsius fauorem omnibus modis conciliare opus haberet, responso suo barbaro & tyrannico, & asperitate minarum, grauissimè illum exacerbauit, & ad schisma viam aperuit, seductus scilicet ab inconsultis adolescentibus, spreto Consilio seniorum.* Sic ille. Et quis hîc probabilitatis vmbram deprehendat? Iuuenes consiliarij; immò & adolescentuli dicuntur, licet coætanei Roboamo: iuxta litteram, comparatione seniorum, vt Abulensis exponit *Quæst.* 4. & morali sensu, iuxta eumdem, quia tales prudentia: sic enim vocatur puer centum annorum, quia solum habet prudentiam puerilem, vel desideria puerilia. Sic patet *Isa.* 65. *n.* 20. Eorum ergo consilium illi simile, de quo Vates idem *Cap.* 19. *v.* 11. *Stulti principes Taneos, sapientes consiliarij Pharaonis dederunt consilium insipiens.* Si ergo in sapientibus & principibus stultum esse consilium potest, quando non ex rationis dictamine, sed ex affectuum inordinatione procedit: quid si in iuuenibus Regi adulari conantibus, cuius habebant ingenium satis ex diuturno & familiari conuictu perspectum, vt nihil probabilitatis in eo repertum meritissimò dicere valeamus?

Quæ nulla ostendatur.

Abulensis.

Eccli. 47. v. 26. & 47

Oliuerius Bonarcius.

Isa. 65. v. 20

Cap. 19. v. 11.

44. Et quidem sic arguentes rogo an serio existiment in consilio tali probabilitatem relucere, an secus sentiant? *Si Primum*, contra scripturæ sacræ mentem esse videtur, quæ meram in eo fuisse stultitiam protestatur. *Si Secundum*, ad quid inducitur? Ad id proculdubiò, vt indicetur probabilitates quamplurium sententiarum iuxta hanc formam iudicandas: vt scilicet cùm eorum Auctorum sint, qui antiquiorum comparatione dicuntur Iuniores, & nullo firmo fundamento subsistant, vt blandiantur tantùm nouitatum auidis, & laxitatis studiosis, & quandòque Principibus, procudantur. De quo Auctor *Parte* 2. *Arti.* 27. In quo quidem, vt aliàs dixi, summa est grauium, & sapientia ac probitate insignium scriptorum iniuria, quidquid de nonnullis sit, qui fortè esse possunt, quos non immerito præfata censura perstringat: in qua etiam peccari grauiter potest, dum graue illis peccatum impingitur, qui in scriptis suis bono zelo laborare potuerunt, & ea vulgare, quæ coràm Deo ipsis probabilia, & sine inconuenienti, immò vtiliter posse fieri iuris publici iudicarunt.

Contra sic arguentes validè.

§. X.

Circa mentem Diui Thomæ.

S. Doctoris sinistræ expositiones. Vide Parte 1. n. 513. & seqq.

45. Dictum de illa à nobis in citata Appendice, de qua & Auctor *Parte 2. Arti. 21.* vbi ijs adductis, quæ S. Doctor habet *Quodlibeto. 8. Arti. 13.* ea adeò duris, & minimè textui adaptabilibus expositionibus prosequitur, vt valde dubitem an quisquam futurus sit sincerus veritatis amator, qui illis sit vel leuiter adhæsurus. Legantur illæ, neque enim vacat circa ipsas sine operæ pretio diutiùs immorari. Et vt sententiæ, quam probandam suscipit, & S. Doctoris pergit auctoritate fulcire, firmum in eiusdem assertis nihil possit adsciscí, facit inter alia Doctissimi Arauxo, præstantissimi Thomistæ, non vulgaris auctoritas in *Decisionibus moralibus Disput. 9. de Statu ciuili Casu 3.* vbi ex professo probat neminem peccare agendo contra propriam opinionem, si sequatur aliorum opinionem magis aut æquè probabilem, quod in Confessario, Medico, Iudice, & Aduocato ita verum existimat, vt oppositam sententiam, de Iudice præsertim agens, proculdubio irrationabilem arbitretur *n. 6.* Adducta autem *n. 2.* integra Doctoris Angelici resolutione, ita

Mag. Arauxo.

n. 3. concludit: *Ex quibus planè colligitur de ipsius mente, quòd licitè potest quis agere secundùm vnam opinionem contra alteram etiam propriam, dummodò istæ tres conditiones concurrant: nimirùm quòd non fit contra legem diuinam aut humanam obligantem ad culpam; & quòd non fit contra propriam conscientiam, quæ etiam habet vim obligandi, & quòd determinatum assensum præbeat illi parti, quam opinatur veram, nec ex contrarietate opinionum maneat pendulus neutri parti determinatè assentiens.* Hæc ille: quæ quidem non ideo adduxerim quòd penitus probem; sed vt ostendam mentem D. Thomæ aliam esse iuxta graues Thomistas ab ea, quam Auctor sibi est visus odorari: neque posse illius auctoritate ex præfato loco desumpta contra communem triumphari sententiam, cùm in ea nihil sit, quod fauere verosimiliter videatur.

D. Thom.

46. Quod enim deducitur ex verbis illis: *Ex conscientia enim obligatur aliquis ad peccatum, seu habeat certam fidem de contrario eius, quod agit, siue etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione:* verum quidem est, sed minimè contrarium, exacta adhibita explicatione præter dicta aliàs. Nam qui probabiliter iudicat hoc esse peccatum, reuera peccat, cum eo statu conscientiæ operando: quod secus accidit quando iuxta sententiam aliam probabilem operatur; tunc enim iudicium aliud practicum est, vt sæpiùs dictum. Pergit autem ille, & ex alijs S. Doctoris verbis affirmat notabili confidentia euidenter deduci sentire illum non solùm non licere sequi minùs probabilem opinionem affirmantem actum esse licitum in concursu probabilioris oppositæ, sed etiam peccatum esse sequi magis probabilem asserentem

Idem.

actum esse licitum. Verba S. Doctoris sunt: *Aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem: sed tamen in quamdam dubietatem inducitur ex contrarietate opinionum; & sic, si manente tali dubietate plures præbendas habet, periculo se committit, & proculdubio peccat.* Hæc ille, ex quibus euidenter se putat concludere: Nam ex opinione minùs probabili potest oriri dubitatio: Atqui secundùm D. Thomam peccat qui sequitur sententiam, de qua habet certitudinem, quando ex opposita inducitur in dubietatem; ergo magis peccabit sequendo probabilem, etiam si maiorem probabilitatem habeat, dummodò ex opposita minùs probabili in aliquam dubietatem inducatur.

Textus lectio emendatur.

47. Sed quo minùs euidens ista illatio sit obstat in primis id, quod habet Dom. Arauxo *n. 2. citato*, vbi ait textum prædictum non esse legendum vt proponitur; *Aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem*, sed sic, *Seu certitudinem*; aliter enim difficilem continet doctrinam:

Dom. Arauxo.

vnde Spinula *Disput. 1. Sect. 2.* existimat D. Thomam hoc loco non posse ad litteram exponi, quia

Stephanus Spinula.

incompossibilia docet, nimirùm habentem certitudinem de habendis licitè pluribus præbendis posse in dubitationem induci, cùm dubietas de eodem obiecto repugnat certitudini. Sic ergo cessat vis obiectionis, quæ ex certitudine desumitur, sicut & euidentia dispâret, subiecto circa quod versari poterat, non extante. Sed demus textum esse fidelem, & particulam *Sed* retinendam, nulla inde etiam euidentia sublucet, quandoquidem D. Thomas, stante dubietate, negat licere præbendarum retentionem, quod & nos admittimus, quia in dubio tutior est pars eligenda, iuxta communem Doctorum sententiam cum probabilibus exceptionibus: qui autem iuxta opinionem probabilem eo in casu operaretur, tuta id facere conscientia posset. Certitudo ergo tunc non obiectiua, sed subiectiua ex adhæsione ad sententiam, quia nihil in contrarium, quod vrgeat, occurrit, succedente consideratione de contrarietate opinionum, cessat, dum sic discurrit, qui plures sibi licitas esse præbendas arbitratur: (vt verbis Auctoris loquar) *Quomodò euidenter ego agnosco hanc veritatem, quam tot viri docti non perceperunt? Si vera esset ista mea sententia affirmatiua, quam ego credo veram, non videtur verisimile tot viros doctos latuisse: fortasse ego decipior deducendo ipsam ex suis principijs.* Ex opinatiuo ergo statu in dubium est ex consideratione huiusmodi deuolutus. Hi enim actus stare nullo modo possunt simul: Hoc certò, immò & euidenter vt vult Auctor) *scio ita esse: &, Fortasse ita non est, & ego fallor.*

Vtcumque sit lectio, non contrarium

D. Thom.

48. Sed respondet P. Mercorus ex doctrina P. Sancij in *Sum. lib. 1. Cap. 9.* scientiam, certitudinem, opinionem, dubium, probabilitatem dici & speculatiuè & practicè, & ita in mente Clerici habentis per medium intrinsecum certitudinem quòd licitum sit habere plures præbendas, durante tali certitudine speculatiua, potest oriri dubietas practica ex motiuo extrinseco, scilicet auctoritate Magistrorum, quòd non sit licitum habere plures præbendas. Quæ quidem doctrina summè difficilis est caussæ præsenti applicata, pro qua P. Sancij sententia *n. 3. & 4.* minimè suffragatur. Quod enim aliquis habens firmum assensum possit contra illum licitè operari quod erat illicitum iudicatum, aduenientе aliquo, propter quod iudicium variari possit, vt idem Pater cum alijs censet. Sit quidem ita; quod tamen multi negant: At quòd stante iudicio certo & euidenti

Responsio summè difficilis de simultate certitudinis speculatiuæ cum practico dubio, qua & refellitur.

P. Sancius.

euidenti de re aliqua, possit subire dubitatio, & cum certitudine componi iuxta modum dictum, & pro casu positione ex eôdem adducta, impossibile prorsus apparet. Nam cùm dico, *Fortasse fallor*, de assensu illo speculatiuo loquor, quia alium non habeo, qui dubitationem præcedat, & ita est apertè affirmare assensum illum speculatiuum posse esse falsum. Item, certitudo dicta talis asseritur ab intrinseco, & deducta ex principijs sententiæ, cui quis assentitur: & tamen dubitans inducitur: ita loquens: *Fortasse ego decipior, deducendo eam ex suis principijs.* Ergo etiam circa motiuum intrinsecum vt speculatiuè propositum versatur dubitatio, & ita etiam ex ea parte deficit omnimoda certitudo: hi enim assensus maximè pugnantes inter se sunt: *Ego ab intrinseco censeo rem istam esse veram, &, ego ab intrinseco censeo forsitan non esse veram.* Non ita accidit cùm quis sentiens aliquid esse illicitum probabiliter, secundùm oppositam sententiam operatur: quia assensus ille non est certus, sed cum formidine, & ita ritè cum alio potest componi, quo dicat: *Fortasse fallor*: id enim secum affert formido: vnde & in communi agendi modo, sic accidit, & ita frequenter loquuntur: *Yo assi lo siento; mas bien puede ser que me engañe. Ego ita sentio; Sed benè stare potest vt fallar.* Hoc nimis quantum videtur apertum.

D. Thom. alia auctoritas.

49. Adducit præterea vt claram contra sententiam sibi aduersam, auctoritatem S. Doctoris ex *Opusculo. 9. Arti. 15.* de qua & nos aliàs. Et sic habet: *Omnis quæstio vbi de peccato mortali agitur, nisi expressa veritas habetur, periculosè determinatur, quia error, quòd non creditur esse peccatum mortale, quod est peccatum mortale conscientiam non excusat à toto, licet fortè à tanto: præcipuè autem periculosum est vbi veritas ambigua est: quod in hac quæstione accidit, quia Theologi Theologis, & Iuristæ Iuristis inueniuntur contraria sentire.* Sic ille: ex quo sic

Inde arguitur.

arguit: secundùm S. Thomam error non excusat à toto quando est ambiguitas opinionum: sed quando occurrit mihi probabilis in concursu probabilioris, tunc est ambiguitas opinionum, ergo si contingat errare, & facere contra præceptum sequendo minùs probabilem asserentem actum esse licitum relicta probabiliori opposita, secundum S. Thomam conscientia non excusabit à toto. Quid clarius? Sic Auctor. Ex cuius discursu clarissimè deducitur secundum S. Thomam neque magis probabilem opinionem posse quempiam sequi, cùm de mortali peccato agitur. Patet: quia accidere potest esse peccatum mortale, quod non creditur esse tale: ergo conscientia non excusabit à toto, licet fortè à tanto. Quid clarius? Doctrina quidem S. Doctoris valde difficilis est: quidquid autem de illa sit, de quo dictum aliàs, nihil certè ad præsentem caussam conducit, vt ex illa possit quidquam contra communem sententiam inferri, cùm etiam aduersantes debeant eidem respondere. Addo sententiam pro licita sequela æqualiter aut minùs probabilis opinionis stantem, iuxta D. Thomam posse legitimo discursu fundari, sic videlicet: si propter aliquam rationem non posset, maximè ob periculum erroris: Atqui idem est in probabiliori, vt videmus; ergo si eo non obstante licet, licebit & illud. Quid ad hæc? Nihil certè, quod facere satis queat,

Sed redargutione confutatur argumentum.

Argumentum aliud retorsione à spectum.

50. Sed concludit Auctor sic arguens: Si quando occurrunt duæ opiniones ambæ probabiles, licitum esset quamlibet sequi iuxta D. Thomam, facile ille potuisset absque periculo determinare hanc quæstionem, & dicere, ex hoc quòd opinio tam affirmatiua, quàm negatiua de habendis pluribus præbendis est probabilis, dum vtraque habet Theologos & Iuristas, vt testatur ipse, vtraque tutò potest sequi; sicuti ita absque scrupulo recentes Scriptores casuum conscientiæ determinant morales quæstiones. Iste ergo modus determinandi quæstiones ambiguas ob contrarietatem opinionum, admittendo vsum sententiæ probabilis vel minùs probabilis, asserentis actum esse licitum, relicta probabili, vel probabiliori opposita, nullo modo potest congruere menti & doctrinæ Doctoris Angelici. Ad quod quidem respondeo retorsione argumenti: quia si S. Doctor censuit opinionem magis probabilem, & præcepto fauentem, esse tenendam, facilè id potuit, & sine periculo incidendi in lethalem errorem asserere: cùm ergo id non fecerit, non est iuxta illius mentem & doctrinam talis modus determinandi morales quæstiones.

§. XI.

De mente Diui Augustini.

51. Ex ijs, quæ S. Doctor habet *Lib. 2. de doctrina Christiana Cap. 8.* & referuntur in *Cap. In Canonicis 19. dist.* arguit Auctor; cùm tamen ex illis P. Bardi in Selectis lib. 11. §. 2. pro sua sententia, & nostra illum adducat. Sic ergo ibi: *In Canonicis Scripturis Ecclesiarum Catholicarum quam plurimũ* Cap. *In Canonicis* habet *Quamplurimùm*, sicut & Auctor) *auctoritatem sequatur: inter quas sanè illæ sunt, quæ Apostolicas Sedes habere, & Epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, vt eas quæ accipiuntur ab omnibus Ecclesijs Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt. In eis verò quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures grauioresque accipiunt, eis quas pauciores minoriſque auctoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem aliàs inuenerit à pluribus, alias à grauioribus haberi (quamquàm hoc inuenire non possit) æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto.* Hæc ille. Circa verba inclusa parenthesi alia lectio habet. *Inueniri non pòssit.* Et Caput citatum, *Vix possit.* Et rationem postremæ sententiæ reddit Glossa, quia *Dignitas personarum compensatur cum numero.* Ex quo ait Auctor expressè haberi eius assertionem. Supposito enim quòd Scripturæ Ecclesiarum minoris auctoritatis suam habeant probabilitatem: non enim dixit Augustinus esse contemnendas, vt ex Turrecremata obseruauit P. Bardi, consequenter Scripturæ Ecclesiarum maioris auctoritatis maiorem habebunt probabilitatem in suis sententijs. Dicit ergo S. Doctor: In casu, quo contingat vti dictis Scripturis, sequendas esse eas, quæ sunt maioris auctoritatis, consequenter maioris probabilitatis, relictis alijs minoris probabilitatis.

Cap. In Canonicis. P. Bardi. P. August. Glossa.

52. Responsio citati Patris satis congrua est, agi scilicet de vsu Canonicarum Scripturarum in ijs, quæ spectant ad fidem, & non de ijs, quæ concernunt mores, & consequenter hanc auctoritatem

Responsio P. Bardi satis congruens, defenditur.

ritatem non esse ad rem pro hac controuersia. Sic cùm proponat P. Mercorus, insurgit auctoritate eiusdem S. Doctoris *Cap.* 9. in quo manifestè mo-
D. August. res exprimit verbis illis: *In his enim quæ aperte in Scriptura posita sunt, inueniuntur illa omnia, quæ continent fidem, moresque viuendi.* Verùm in re-
Eccl. 32. *v.* 28. & 35. *v.* 3. sponsione dicta hoc non est, nec dici potuit absolutè negatum: nam & morum præcepta ad fidem spectant, illa enim susc ipimus credentes à Deo data. Vnde est illud Eccli. 32. v. 28. *Qui credit Deo, attendit mandatis.* & 35. v. 3. *Homo sensatus credit legi.* Dicendum ergo, cùm de fide agatur, & consequentur de fundamentis æternæ salutis, & hæc à Deo in Scripturis tradantur, in eis illa quærenda, & consequenter eas, quæ maioris sunt auctoritatis. Quod verò ad opiniones spectat, in quibus diuersimodè salua fidei veritate, & diuinæ legis necessaria obseruatione, possunt
Circa Scripturas Canonicas tam omnis cessat quæstio. sentire Doctores, nihil Doctor Sanctus. Et hoc quidem eo tempore locum habuit, quo sacrarum scripturarum Canon quoad omnes illas non erat penitus Ecclesiæ auctoritate firmatus, vt modò est Concilij Tridentini irrefragabili definitione omnes illos libros continens, quos D. Augustinus citato Capite 8. vti Canonicos est amplexus; licet vnus aut alter inter Canonicos à quibusdam Ecclesijs, & Doctoribus, inter quos D. Hieronymus, non fuerit numeratus, de quo aliàs.

D. August. *auctoritas validissimè urgetur.* 53. Quia verò pauciorum Ecclesiarum auctoritatem non esse contemnendam D. Augustinus censuit, vt ex illius loquendi modo conijciunt Archidiaconus & Turrecremata, inde pro sententia, quam P. Mercorus impugnat, argui non immeritò potest: licet enim minoris auctoritatis sententiam sequerentur, minimè Doctor Sanctus eas censuit contemnendas & quidem de re agebatur momenti dicti, & tamen sua vt opinione vti possent Ecclesiæ, eisdem ab eodem conceditur, neque litem pro eo eisdem intendit. Ad quod quidem respondet Auctor concedens non esse tales scripturas contemnendas, tamen quando concurrunt cum alijs, quæ à pluribus Ecclesijs recipiuntur, debere postponi: & esse idem quòd dicere minus probabilem opinionem non esse contemnendam, quia habet suam probabilitatem, ad differentiam sententiæ temerariæ: tamen considerata in concursu probabilioris, esse postponendam: nec propter hoc dicendum esse contemni: sicut quando duo concurrunt ad beneficium, & minùs dignus postponitur, non dicitur contemni. Sic ille discurrit. Iuxta quem habemus opinionem, de qua agimus, non esse contemnendam: ergo honore digna est: ergo immeritò contra illam tot machinæ instruuntur, vtpotè contra eam, quæ non expedit saluti animarum, cuius vsus omnem legem successu temporis possit subuertere, honestatem Tribunalium inscitia atque auaritia fœdare: quæ moralem Theologiam contemptibilem reddat. & sub qua lateat ars communis hostis ad fouendam nostram concupiscentiam, quæ incrementis fidei, & immunitati Ecclesiasticæ aduersetur, pro quibus priora Capita *Partis* 3. Quæ enim talis reuera sit, non solùm contemni, sed ab Ecclesia eliminari, vt exitialis pestis debet, & contra eam Doctores Sacri armis potentioribus instrui, & censurarum fulminibus detonare. Si dicat de illimitato tantùm
Sententia Auctoris contrariaquàm immeritò fugilletur, cum non cõtemnenda asseratur.

probabilitatum vsu prædicta procedere vt tituli præseferunt; dicatur ingenuè moderatum vsum sententiæ de minùs probabili in concursu probabilioris non esse damnabilem, & in condemnatione illimitati vsus nos eisdem fautores libentissimi & defensores pariter accedemus. Absit ergo iniuriosus agendi modus, dum non contemnenda meritò contemnendis & profligandis implicantur. Addo D. Augustinum, cùm Ecclesiæ æqualis
Eadem inflantia. sunt auctoritatis, liberam relinquere fidelibus electionem. Quod euidenter militat contra Auctoris doctrinam, de qua §. 3. dum contendit non solùm æqualem, sed neque vtcumque probabiliorem posse, ob statum dubium, amplecti. Atqui in casu. de quo S. Doctor, erat æqualitas, & consequenter status dubius, & tamen liberam electionem relinquit: ergo apertè militat contra ipsum.

§. XII.

P. Mercorus vt faueat sententiæ, cui tantoperè aduersatur.

54. VIderi circa hoc possunt dicta à nobis *n.* 4. *& seqq.* quibus addo *Primò* id quod habet *Parte* 2. *Arti.* 14. vbi statuit directorem conscientiæ teneri consulere pœnitenti vt in materijs moralibus operetur iuxta sententiam tutam, quæ fauet præcepto. Quod tamen non absolutè pronuntiat, sed dicens peccare Confessarium contra charitatem, qui pœnitenti consuleret opinionem minùs probabilem relicta probabiliori in quacumque materia. Si ergo non in quacumque materia, sed moderatè, & in vtilitatem pœnitentis, iuxta eumdem non peccabit mortaliter contra charitatem. Casus autem possunt frequenter occurrere, in restitutione, ieiunio, & Festorum obseruatione, dum ex minùs probabilis opinionis vsu futuris aliàs peccatis contraitur: vnde tantùm abest vt tunc contra charitatem vllo modo delinquat, vt potiùs in oppositio agendi modo contra illam faciat, & fortè contra iustitiam, quia contra officij obligationem, præsertim si Parochus, aut Prælatus: pro quo faciunt quæ habet Auctor *Arti.* 15. vbi Confessarium probat esse Medicum animarum, inde propriam conatus deducere positionem.
Vsus minùs probabilis sententiæ vt queat consuli.

55. Item *Arti.* 28. *pag.* 457. cùm sibi obiecisset sententiam de vsu sententiæ minùs probabilis toleratam ab Ecclesia, quod quidem, si verè probabilis non esset, minimè contingeret, cùm videamus à Pontificibus sententias alias proscriptas, quæ periculosæ sunt ab eisdem iudicatæ. Respondet. Ecclesiam non solitam damnare opiniones in materia morum, nisi sint apertè falsæ & temerariæ: hæc autem de sectanda minùs probabili, habet adhuc aliquam apparentiam veritatis, cùm possit ad bonum sensum trahi, de quo se dicturum *infra* pollicetur. Tunc sic. Apparentia veritatis ex non leuibus fundamentis, & insigni auctoritate constituit probabilitatem, præsertim vbi compertum est, fatentibus aduersarijs, abesse temeritatem: ergo cùm in casu nostro ita accidat, irrefragabilis est in eo probabilitas admittenda.
Illim probabilitas ex Ecclesia tolerantia vt veniat comprobanda.

56. Bonum

Sensus quidam vti bonus propositus, sed incongruus.

56. Bonum autem sensum, ad quem trahi potest, proponit *Parte* 3. *Arti.* 6. dicens *Primo* id habere verum, si nomine partis probabilis intelligatur tuta, & nomine partis probabilioris, tutior. Tutam autem partem affirmat, quæ prudenter eligi potest: tutiorem autem eam, quam si quis eligeret, esset magis prudens. Exemplum apponit in sententia modò communi, iuxta quam non est obligatio recitandi Matutinum ante celebrationem Missæ, quæ eligi prudenter potest, quia tuta, non quia probabilior, cùm contingere possit probabiliorem non esse tutam. Qui autem contrariam amplecteretur, prudentiùs ageret, quia vitaret quemcumque scrupulum etiam imaginabilem in hoc genere. In hoc ergo sensu concedi potest licitum esse vsum sententiæ minùs probabilis, quatenus idem est ac licere sequi partem tutam relicta tutiore, quæ iuxta ipsum improbabilis est. Omnem ergo sententiam, quam prudenter quis sequi potest, licet non faueat præcepto, sed libertati, censet tutam & probabiliorem reipsa; licet quia minùs tuta, possit aliquomodo dici minùs probabilis. In quo quidem dicendi modo fauet illud, quod asseritur tutam esse opinionem, quam prudenter sequi possumus: Atqui minùs probabilem, propriè sumpta minori probabilitate, prudenter sequi possumus: ergo est tuta. Cùm autem iuxta sensum ab eo intentum hic dicendi modus non attingat mentem aduersantium & pugnantium pro licita sequela opinionis minùs probabilis, eorum sententia hoc pacto nequit ad bonum sensum trahi, vt debeat probabilis iudicari. Terminis enim abutitur, dum minùs tutum pro minùs probabili vsurpat, & quod comparatione minùs probabilis in eo sensu est probabilius, absolutè vocat improbabile. Et hoc quidem eo ipso quòd minùs probabile possit quis prudenter amplecti, quæ videntur paradoxa scholis insalutata.

Sensus alter, ex quo vrgetur Auctor.

57. Secundus sensus. Si vtraque pars habet suam probabilitatem ex motiuo intrinseco, potest dari casus, in quo liceat minùs probabilem sequi: quando scilicet minùs probabilis per extrinsecum motiuum redditur certa moraliter. Exemplum ei simile; de quo *n.* 4. in eo, qui censet non licere in die festo laborare per horam: qui potest secus operari, quia videt personas Religiosas, doctas & timoratas, suos famulos citra necessitatem facere horis duabus laborare. Quo euentu quia motiuum intrinsecum tantùm arguitiuè resoluitur, ideò assensus probabilior speculatiuè retinetur; cùm tamen pars opposita sit practicè certa & quia plura sunt motiua extrinseca, ideò sæpiùs posse accidere affirmat, vt admitti in praxi vsus opinionis minùs probabilis possit fauentis libertati. Recenset autem motiua talia, addens nonnulla ijs, de quibus *n.* 6. & dicens esse auctoritatem Doctorum, exempla Maiorum, præsumptiones, titulos possessionis, legitimam consuetudinem, tolerantiam approbatiuam superiorum in lege humana, regulam ab inconuenienti vitando, vel pro maiori bono in his, quæ mala sunt quia prohibita, & similia. Post hæc concludit numquàm licitum esse extra duos casus dictos operari iuxta opinionem minùs probabilem, nisi in casu necessitatis. Iuxta quæ summa conceditur amplitudo pro talis opinionis vsu, cùm motiua ex-
Motiua quæ iuuant.

trinseca esse possint quamplurima, & frequentissimæ operandi taliter occasiones. Quòd autem de necessitate dicitur, ad motiua etiam extrinseca spectat, vnde sub præfata regula debebat intelligi, licet non noceat expressio.

58. Cùm ergo in necessitate locus sit opinioni minùs probabili, inde notanda venit rigidissima Auctoris resolutio *Parte* 3. *Arti.* 1. vbi ait in casu, quo quis vltimo laboraret morbo, nec posset disponi à Confessario ad restitutionem, ad quam teneretur ex sententia probabiliori, vt impœnitentem dimittendum, ita vt nequeat illi sententia minùs probabilis suffragari: Atqui tunc interuenit summa necessitas pro illius vsu: ergo non est dimittendus pœnitens vt impœnitens, & æternæ damnationi mactandus. Durum ille agnoscit sermonem hunc, sed nihil eum durities ista moratur, dum se audire ait Discipulos dicentes Ioan. 6. *Durus est hic sermo*: nec tamen propterea Christum à veritate tradenda desistentem auscultatur, sed dicentem: *Numquid & vos vultis abire?* Ad quæ sic Cardinalis Toletus: *Veritas ad salutem necessaria non est dissimulanda propter incredulorum scandalum, exemplo Domini.* Huic Maiori statim Minorem istam addit: *Firma est veritas in concursu opinionum tutiorem sententiam eligendam esse*; ergo non dissimulanda propter vnius pœnitentis scandalum. Vbi quidem Cardinalis doctissimus, qui Maiorem exhibuit, Minorem negabit, censens illam esse falsam, vt suo loco diximus; scilicet *Parte* 1. *n.* 65. & nos consequenter ad doctrinam Auctoris respondentes distinguemus: Est firma veritas, cùm non instat necessitas, transeat; quando instat, negamus. Sed transeamus ad alia.
Rigidissima Auctoris resolutio. *Ioan. 6.* Card. Toletus.

59. *Citato Arti.* 28. circa finem sibi obijcit posse dari bellum iustum ex vtrâque parte: & tamen cùm vna sit veritas à parte rei, non potest saluari quod vtrimque sit iustum, nisi ratione probabilitatum, & ita vsus minùs probabilis contra probabiliorem erit licitus. Ad quod respondet admittens quod assumitur, & negando illationem: vtrimque enim bellum potest esse iustum, non ex vsu probabilitatum, sed quia vterque Rex facit certum iudicium se sectari iustitiam, & hostem iniustitiam, & consequenter vterque sequitur iudicium certum; licet necesse sit quòd vnus eorum decipiatur in suo iudicio, quia vna tantùm est veritas. Tunc sic, iudicium certum non potest aliam habere certitudinem præter eam, quam confert probabilitas: ergo Rex vterque secundùm probabilitatem operatur. Antecedens probo: quia iudicium illud non est ex conscientia erronea, sed iuxta consilium sapientium: Atqui sapientes solam probabilitatem iustitiæ deprehendunt in tali bello, nec certius quidquam deprehendere possunt: ergo & Reges, qui eorum consilium amplectuntur. Deinde, Rex potest certum formare iudicium de iustitia belli: ergo & quiuis alius de licito amplexu opinionis minùs probabilis. Consequentiam probo: Quia ius, quod Rex sibi adesse iudicat, potest esse minùs probabile, vt frequentiùs accidere necesse est, quia vix possunt circa talia opiniones esse æquè probabiles: ergo sicut eo non obstante licita est belligeratio, ita & minùs probabilis opinionis sequela in quouis alio. Illatio est clara: Quia Re-
Ex bello vtrimque insto efficax argumentum.

ges

ges non habent priuilegium aliquod peculiare ad operandum in ijs, quæ ad mores spectant, aliter quàm priuati, sicut neque aliam legem. Quòd si aliqua admittenda diuersitas, id quidem in fauorem priuatorum cedit, quorum operationes non ita exitiales esse possunt, cùm tamen bellum innumera & inferentibus & sustinentibus afferat nocumenta. Fauet ergo prædicta Auctoris doctrina, quidquid ille contendat non fauere.

§. XIII.

Circa vtriusque sententiæ defensores.

Catalogus Auctorum apud P. Mercorum

60. HAbet Auctor *Parte 2. Arti. 26.* fauentium vtrimque Catalogum, & pro sententia suæ opposita multò plures refert. Vt autem eorum numerum, qui pro se faciunt, ad augeat, illis adnectit D. Augustinum, & D. Ioannem Chrysostomum; poteratque etiam D. Bernardum, quem cur omiserit nescio, de quo toto *Articulo præcedenti*, & de quo nos *Parte 1.n.529.* D. Thomam, & nonnullos alios, de quorum mente non constat; quibus sublatis perpauci, nec auctoritatis præcellentis remanebunt. Et tamen decretoriè resoluit plures & grauiores sibi suffragari, omnes inquam sæculorum antecedentium Scriptores ab ipso Ecclesiæ exordio ex magisterio Apostolorum. Oportuit enim doctrinam circa opinionum probabilitatem, in quibus moralis Theologiæ negotium principale versatur, ab illis tradi: traditum autem de illicita minùs probabilis sententiæ sequela ex eo probat, quia duabus vltimis sæculis elapsis S. Thomas, Scotus, S. Antoninus, Gorgon, Ioannes Maior, Adrianus, & alij, ita docuerunt. Quæ quidem si noua esset sententia, contra illam, & eius Auctores insurrexissent plurimi, vt in talibus videmus accidere; quod tamen non ita accidisse constat, cùm nihil huiusmodi à quoquam ex antiquioribus scriptum inueniamus. Probat deinde *Arti.27.* antiquiores Recentioribus, & si plures sint isti, præferendos, contra quos in causa præsenti ex eo arguit quòd vniformes in sua assertione non sint, sed varijs eam exceptionibus & limitationibus temperandam arbitrentur, quod ijsdem, & earum Auctoribus adductis ostendit, concludens Sexaginta pro illa præallegatos, pro vna & vniuoca sententia citari non posse, qui, si essent vniformes, maiori auctoritate loquerentur.

Plures sibi suffragari vt probet.

Ad Apostolicam traditionem spectare vsum probabilitatum: quod tamen non prorsus necessarium.

61. In quo discursu, si vti proponitur res haberet, multùm equidem esset momenti, sed nihil minùs. Concedo quod & à me dictum *Parte 1. n.153.* posse ad Apostolorum traditionem referri Theologicum dogma de probabilitatum vsu licito, quando opiniones verè probabiles sunt: licet hoc necessarium non sit, cùm sufficiant naturalia principia, quibus humanus intellectus instruitur, vt non debeat illi citum censeri, quando res explorata non est, id quod bono fundamento, & sapientium consilio agitur. Vnde & dici potest nullam peculiarem circa hoc apud Apostolos habitam quæstionem. Vt verò habita sit, dubitantibus fidelibus quid essent acturi quando dubitatio circa mandatorum obligationem accideret, dicere possumus respondisse ad eam formam, quæ *Exodi. 24. v. 14.* habetur, loquente ad populum

Exodi 24. v.14.

Mose: *Habetis Aaron & Hur vobiscum: si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos.* Ita & Apostoli ad fideles: *Habetis Doctores & Magistros: si quid circa mandatorum obligationem occurrerit illos consulite, & iuxta eorum directionem agite: Deus enim ipsos vt vos securè posint dirigere, diriget, edocebit, illustrabit. Scitis quid sit dictum a Christo Domino Iudæis, vnde & potius vobis similiter operandum: Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: Omnia ergo quæ dixerint vobis, seruate & facite.* Matth. 23. v. 14. Sicut autem Aaron & Hur nulla à Mose tradita legitur regula iudicandi, & natas decidendi quæstiones, sed eorum prudentiæ & maturo iudicio relictum; ita in Ecclesiæ factum regimine verosimiliter poterit, immò & debet æstimari. Cumque probabilis sententia, & si minùs quàm alia probabilis, prudenter ad vsum adsciscì queat, non est credendum talem operandi modum in Ecclesia non fuisse: licet credi etiam possit aliquos aliter censuisse, & scripto mandasse, quorum, sicut & aliorum opera perierunt, quandoquidem, vt testatur P. Possevinus *Lib. 3. Bibliothecæ Cap. 22.* à P. Mercoro adductus, plusquàm sexaginta, quos enumerat, ex antiquis casuum conscientiæ summas ediderunt.

Quo id modo dispositum.

Matth.23. v.14.

P. Possevinus.

62. Ex quibus habemus antiquiorum agmen, quod vti certum pro assertione præfata producitur, esse imaginarium. Et duo illi, qui præcipui dicuntur duces, D. Thomas & Scotus, nihil equidem quod conferre ad intentum possit, impendunt, vt nuper de priori vidimus, §.10. & de alio *Parte 1. n.519. & 520.* Pro quo est non leue argumentum ex eo desumptum, quòd neque Thomistæ, qui iurati illius doctrinam sequuntur, sententiam istam, pro qua adducuntur, generaliter tueantur, sed multi & grauissimi contrariam, vt in Catalogo ab Auctore adducto videre licet, de quo & diximus *n. 15.* Neque Scotum Scotistæ, ex quibus in Catalogo eodem Portelus, & Rodericius, quibus addendi ij, quos dedimus etiam *Parte 1.n.703.* scilicet Angles, Pelbartus, Villalobos, Ioannes Poncius egregius Commentator Hauzeur, Bassæus, Coriolanus, Caspensis, Gesualdus, omnes Franciscani. Alij autem, & si ita sentire videantur, vt dicitur, pauci profectò sunt, vt dixi, & eorum numerus multitudine aduersantium obruitur, de quibus *citato n.703. & 65.* quibus obstare nequit antiquitatis defectus, pro quo ita Syluester *V. Opinio citato* circa finem: *& si Doctores contraria opinantes sint antiqui & moderni, præponuntur antiqui, quia temporis diuturnitas videtur aliquam auctoritatem attulisse; nisi ex nouis rationibus & causis aliud sentiatur; quia aliquando intellectus Iunioris est perspicacior l. Gallus. ff. de liber. & posthum. Dist.63. §. Verùm.* Sic ille. Ex quo illatio est pro nostra positione comperta.

Imaginarium agmen quod opponitur, demonstratur.

Iunioribus deferendum.

63. Addendum id, ex quo euidenter illa firmatur, iuxta regulam ab Auctore præscriptam *Parte 2. Arti.27.* vbi postquàm ostendit qua sinceritate debeant Scriptores in opinionum suarum euulgatione procedere, ob cuius defectum videntur Recentiores multi ab eodem fugillari, de quo *n.44.* ita subdit: *Ad hoc autem vt huius sinceritatis sufficiens notitia de Auctorum scriptis in materia casuum conscientiæ habeatur, præcipuè vbi agitur*

Pro quorum sententia stat antiquitas ab Aduersantibus requisita.

P. Mercorius.

tur de introducenda noua regula morũ contra communem sensum Doctorum antiquorum, non sufficit applausus viginti aut triginta annorum, quo aliqua volumina de his materijs solent aliquando recipi: sed vera approbatio sinceræ doctrinæ longè diuturnius exigit tempus, quia sicuti variantur affectus, mutantur mores, varia suscitantur ingenia, si quæ Doctorum placita ita diutiùs ventilata steterint ad supplicium, tamquàm aurum in fornace, vt ait Leuitæ in Sylua, *postmodùm si communiter recipiuntur, veluti ad lydium lapidem comprobata censebuntur.* Hæc ille. Stemus ergo dictis, & iuxta hanc regulam id, quod diximus, adstruamus. Et in primis hic non agitur de introducenda noua morum regula (quamuis Caramuel non reformidet dicere nouam esse Theologiam moralem) quam nuper ostendimus, esse vetustam, licet à Recentioribus subtiliùs, profundiùs, & exactiùs ventilatam. Si viginti aut triginta anni ad recipiendam non sufficiunt eam sententiam, quæ cum plausu vt primùm edita in lucem excepta est, sed diuturnius spatium, & delicatum examen est insuper necessarium. Ecce non iam vicennariam aut tricennariam damus, sed centenariam. Docuit eam Bartholomæus Medina centenarius Professor, & quidem Primarius in Salmanticensi Academia, antequam iam erat in Scholis recepta, vt testatur P. Vasquez *Tomo 1. in 1.2. Disput.62.n.14. Iamque in scholis & multò ante communis fuit.* Verba illius sunt, & testis quidem omni exceptione maioris & illis vicini temporibus. De examine autem aut ventilatione quis dubitet, cùm toties in scholis prælecta, nullius fuerit censura perstricta, & in luce Ecclesiæ, annuentibus maioribus eius luminibus, approbata.

Sua ex regula euidenter impugnatus.

P. Vasquez.

Defectus vniformitatis non tollit, obijcitur, qui & in aduersantibus.

64. Iam quod de vniformitatis defectu dicitur, nullius momenti apparet, quandoquidem in absoluta assertione conueniunt omnes, & quidem limitationes aut exceptiones adductę tantùm abest vt resolutioni incommodent, quòd ex ea parte veniat potius illa ampliùs approbanda. Id patet: nam sic ad sententiam oppositam aliqualiter accedunt, pro qua Auctor militat, dum liberum vsum non penitus admittunt. Ponamus omnes ita locutos, vt absolutè & sine limitatione aliqua vsum sententiæ de minùs probabili opinione licitum esse pronuntiarint. Tunc quia maiori vniformitate loquerentur, essentne magis audiendi ab ijs, qui vsum talem illicitum prorsus arbitrantur? Quis hoc credat, cùm ea agendi ratione magis constet aduersari? Dum ergo limitationes addunt, libentiùs audiendi, cùm dicere P. Mercorius possit quod alias Regius vates: *Quoniam in multis erant mecum*, iuxta versionem, quam D. Augustinus amplexus, vbi Vulgata habet: *Quoniam inter multos erant mecum.* Psal. 54. v.19. Possunt ergo omnes sexaginta, aut ferè omnes adducti pro sententia, quam tuentur, adduci, quatenus suis exceptionibus, cùm aliàs in contrario asserto conueniant, ad partes aduersantium accedunt, vno aut altero renuente, vt qui neque de consilio debere tutiorem amplecti partem affirmant: qui ex eo iuxta sensum P. Mercori videntur alias præferendi, quia magis ex aduerso pugnant. Siue ergo limitent, siue non, id affirmant omnes, quod aduersarij negant: sunt ergo in sua affirmatione conformes, & meritò eatenus audiendi. Et verò sententiam probabiliorem sequendam arbitrantes, multas limitationes apponunt, vt in P. Mercoro videre licet ex dictis §. 12. & in alijs apud P. Vasquez *supra Cap. 1. & 2.* Sylueſtro, & alijs. Si ergo in eis vniformis opinandi modus auctoritati resolutionis incommodat, non est cur debeant nobis obijci terribiles vt castrorum acies ordinata.

Defectus vniformitatis non tollit.

Psal. 54. v.19.

P. Mercor. *suis limitationibus vsus non admodum ab aduersarijs diffare.*

65. Et Auctor quidem noster suis illis limitationibus adeò sententiam, rigidissimam aliàs, emolliit, vt nonnullis visum sit eum à Recentioribus, quos impugnat, nihil admodùm discrepare, cùm asserat licere opinionem minùs probabilem sequi, quando videlicet minùs probabilis ex motiuo intrinseco, per motiuum extrinsecum redditur certa moraliter; vt testatur Præfationis auctor dicens eos non esse mentem docti Scriptoris assecutos: *Rectissimè enim ille licere statuit* (verba Præfantis sunt) *minùs probabilem amplecti sententiam, cùm aduentitia auctoritate fit certa moraliter. Tunc enim non iam minùs probabilis, sed probabilior, immò certa supponitur: nec minùs probabilis probabiliori, sed contrà certa minùs probabili præfertur.* Hæc ille & alia, quæ præstat omittere, nimis enim licenter aduersus sententiam à P. Mercoro impugnatam, & eiusdem Sectatores excurrit, parùm in eo docti & modesti Scriptoris, quem defendendum suscepit, temperantiam æmulatus. Rogo tamen vnde talis certitudo in opinione illa, quæ contra proprium sensum circa alterius maiorem probabilitatem operaturi mentem præoccupauerat? Remanet ne in statu opinionis, an non? Si *Primum*, deficit certitudo, quia opinio certa non est, sed tunc accidit, quando intellectus eo quòd motiuum non conuincat, voluntaria electione in vnam partem cum formidine declinat, vt docet D. Thomas 2.2.*q.1. arti.* 4. Et licet aliquando contingat formidinem sopiri, excitari tamen potest, & id frequentiùs accidit; vnde moralis certitudo non datur perseuerante tali statu, & nihil adueniente eidem contrario. Si *Secundum*, extra casum quæstionis sumus, dum de opinionibus agimus, & pugna inter illas.

Præfationis Auctor.

Euidens impugnatio.

D. Thom.

Præoccupata responsio.

66. Dicetur esse opinionem posse certam moraliter, quia prudenter se gerit operans iuxta illam, quando esse aliquid peccatum existimat, sed aduentitia auctoritate moralem de honestate operationis certitudinem deprehendit. Sed hoc est in eâdem hærere salebra: hoc enim est quod inquiro, vnde, cùm perseueret status opinionis, cum aduentitia auctoritate, quo euentu sunt qui negent licere operari, sed tutiorem censent partem eligendam, certitudo moralis habeatur? Recurrendum est profectò ad principium aliquod generale, ex quo talis certitudo, & omnimoda securitas deducatur: neque aliud esse potest, nisi irrefragabile illud, certum esse moraliter non peccare eum, qui opinionem probabilem amplectitur solida probabilitate gaudentem. Quod quidem à Sylueſtro *v. Opinio* Quæs. 1. benè & dictum, & probatum, ad operandum scilicet honestè sufficere moralem certitudinem quæ in operante probabiliter inuenitur.

Euidens pro benigna sententia conclusio.

67. Prætereà, Tunc aliquis cum certitudine morali honestatis operatur, quando operationem attentis circumstantijs aduentitiarum auctoritatum

tum

tum iudicat probabiliorem, & sincero iudicio certam, licet se teneat ex parte libertatis, vt Præfationis auctor affirmat P. Mercori mentem elucidans. Tunc sic. Opinio, quam quisque tenet, P. Vasquez est ipsi probabilior, vt benè P. Vasquez *citata Disput.62.n.8.* ergo potest eam certam arbitrari, si sincero iudicio ducatur; immò quia probabilior, certa videtur, stando principijs citati Scriptoris. Tunc vltra. Tenens sententiam de vsu licito opinionis minùs probabilis, eam iudicat eo ipso probabiliorem: ergo potest iuxta illam operari. Et quidem certus moraliter de licito vsu; eam enim certam iudicat, quia principio irrefragabili vtitur. De sincero autem iudicio dubitari nequit, cùm sit illa iuxta mentem doctissimorum, & non solùm exploratæ, sed eximiæ etiam probitatis. Sicut autem illi in ea docenda sincero, & sibi certo iudicio processerunt, ita & de eosdem sequentibus, & ad vsum eam aduocantibus, nisi quis temerariè velit obstrepere, iudicandum.

Ex Auctoris iterata doctrinâ roborata.

68. Pro quo & facit id quod Auctor habet *Parte 2. Arti.28.* vbi obijciens sibi plurimas opiniones minùs probabiles tradi in Scholis, & scribi in libris; & tamen Doctores & Scriptores minimè censeri temerarios, respondet sic: *Respondetur huiusmodi opiniones doceri & scribi non ab illis, qui eas putant minùs probabiles, sed ab illis, qui easdem putant certas: quod enim tibi minùs probabile apparet, alteri probabilius, immò certum, potest existimari.* Sic ille. Cùm ergo Doctores & Scriptores præclarissimi doceant & scribant opinionem minùs probabilem posse licitè probabilioris in concursu teneri, manifestum est apud illos probabiliorem haberi, immò & certam, vt ipsi clamant. Possunt ergo & eos, qui volunt, sequi, & ita operantes iuxta mentem Auctoris nostri procedent. Qui & *eodem Articulo. pag.432.* ita scribit: *Ad Quartum dico me non docere semper inuestigandam esse sententiam probabiliorem, quia hoc fortasse esset nimis operosum: sed doceo, quando probabilis dicit actum esse licitum, & probabilior negat, sequendam esse probabiliorem. Hoc autem non est inuestigare probabiliorem, sed inuestigatam supponere.* Hæc ille: iuxta quæ eadem illatio ineluctabili euidentia deducenda: sententia enim de qua agimus, vt probabilior post illius inuestigatam probabilitatem occurrit: licita est ergo illius sequela. Apparet autem in responsione dicta contradictorium aliquid; quòd scilicet operosum sit probabiliorem opinionem inuestigare, ex quo obligatio inuestigationis talis amouetur; & aliôqui inuestigatam debere supponi: vnde & consequenter supponitur operosum in tali inuestigatione negotium. Amplectamur prius, & minimè docto Scriptori contrarij dicamus quamlibet verè probabilem sententiam ad securitatem conscientiæ sufficere, cùm adeò operosum sit gradus probabilitatis explorare.

§. XIV.

De sinistra interpretatione ab Auctore adhibita magnis Doctoribus benignæ sententiæ patronis.

69. HAbet illam *Parte 2. Arti. 21. pag. 384.* vbi post adductos initio Articuli Magistros Bañez, Medinam, & Sotum, vti primæ Classis Thomistas sibi aduersantes, circa Priorem ait 2. 2.q. 10.*arti.*1. non asseruisse licitum esse minùs probabilis opinionis vsum, vti qui eum doceret, sed gratis admisisse, ne videretur vim argumenti declinare, ea in parte, vbi non erat locus opportunus agendi de hac materia. Vbi quis non videat friuolam esse responsionem? Asserit, concedit, affirmat esse verum *Dub.5. Conclus.4.* & tamen non docet. Et quo alio modo docendum est, nisi affirmando, & dictorum reddita ratione? quod à Mag. Bañez præstitum: & loco quidem valde opportuno, vbi quæstio erat de obligatione amplectendi fidem Catholicam probabiliter propositam Infidelibus, & ita diuersitas circa illam, & operationes alias debuit conuenienter ostendi, quod à tanto Magistro factum, affirmante prius, & posterius negante, de quo nos *Parte 1. n.701. & 702.*

Mag. Bañez incommoda interpretatio refella.

& similis Mag. Medinæ.

70. Circa Mag. Bartholomæum Medinam fatetur hanc tractasse quæstionem 1. 2.q.19.*arti.* 6. Et quidem ex professo: *Ac si benè obseruetur* (verba illius sunt) *loquitur hypotheticè, & docet licitum esse sequi minùs probabilem* (opinionem) *relictâ probabiliori; si minùs probabilis in concursu probabilioris est probabilis: quæ conditionalis posset admitti pro vera, sicut admittitur, si lapis haberet oculos, videret; ibi tamen Auctor iste nullum habet verbum de principali difficultate huius materiæ, an scilicet minùs probabilis in concursu probabilioris verè sit probabilis? & hoc est quod affirmant Auctores probabilitatum, & quod falsum sit ostensum Arti.*8. Sic ille, qui huius suæ interpretationis videtur immemor, dum *Arti.*28. Auctorem dictum vt primarium sententiæ oppositæ patronum inducit, & eius propositis rationibus, pergit eisdem responsurus, sic auspicatur: *Medina 1. 2. q. 19. art. 6. tenet quòd non sit peccatum sequi minùs probabilem, & sex rationibus &c.* Non ergo hypotheticè, sed absolutè affirmat, vt & rationes eius ostendunt. Quòd autem expresè teneat minùs probabilem in concursu probabilioris esse probabilem, ex eo apertè conuincitur quod asserat & probet sine peccato illam, comparatione facta ad probabiliorem, teneri & ad vsum aduocari posse. Et dum minùs probabilis dicitur, comparatio est clara, vnde & concursus, cùm de operatione agitur. Si autem amplecti eam volenti operari licet: ergo quia probabilis: nam improbabilem, quis ita delipiat, vt licitam eius sequelam arbitretur?

Ex Confessario deducta ratio à Medina eius readit mentem magisfestam.

71. Accedit ratio eiusdem inter alias ex Confessario desumpta, qui iuxta ipsum tenetur pœnitentis opinionem amplecti in ordine ad Sacramenti vsum, licet minùs sit illa probabilis. Ecce vtriusque concursum & casum frequentissimum: ergo non hypotheticè locutus de casu impossibili: si videlicet minùs probabilis in concursu probabilioris sit probabilis. Cùm enim iuxta P. Mercorum impossibile sit esse probabilem, sicut & oculos habere lapidem, doctrina pro Confessarijs tradita esset ridicula. Clariora sunt hæc, quam vt in eis reijciendis tempus inutiliter terere debeamus. Ad rationem autem ex Confessario desumptam respondet Auctor resolutissima negatione. Sed cur non inter motiua extrinseca hoc locum habere non possit? Est sanè illud momenti non

non exigui, & maioris quàm alia ex ijs, quæ admittantur, vt vidimus *n.4. & 57.* ius scilicet pœnitentis, qui in sacro Tribunali est reus, & iuxta receptissimas Iuris vtriusque regulas non debet, nisi claræ contra ipsum probationes adsint, condemnari, obligarique ad iteratam Confessionem, si eius opinioni nolit se Confessarius cunformare. Addo id, quod ex eodem Auctore positum *n.* 68. id quod vni est minùs probabile, alteri posse probabilius, immò & certum existimari. Ergo cùm pœnitens vnus ex his esse possit, & eo ipso quòd se ita existimare asserat, sententiam suam vt probabiliorē amplectatur, nequit à Confessario ad operandum iuxta oppositam obligari, etiam stante rigida illa sententia, quam P. Mercorus conatur tantopere persuadere, & paruo quidem aut nullo fructu, vt credo quoad hanc partem, licet P. Baron aliter ominetur.

Fuidens inflantia.

Mag. Sotî expressa mens, nec aduersantis, sed fauentis.

72. Iam circa magnum Sotum, qui *Libro 3. de Iust. & Iure q.6. arti.5. ad 4.* vti non obscurus fautor allegatur, sic ait: *Quamuis à Doctoribus citatus, ipsum tenere Iudicem quando opiniones sunt pariles licitè posse modò secundùm vnam, modò secundùm alteram. ferre sententiam; tamen hoc ipse non absolutè asserit, sed dicit: Si Iudex ita faceret, non esset apertum scelus: ergo secundùm hunc Auctorem, si Iudex ita faceret, esset Scelus, sed non apertum.* Sic ille. Qui certè explicare debuisset quod sit scelus non apertum, & nihilominùs habeat veram sceleris rationem. Mens quidem Doctoris citati aperta est, & propriam sceleris rationem negasse ex ijs, quę statim addit, compertum habetur; sic enim ille: *Sed vix carere potest scandalo*: ergo nullam malitiæ rationem in eo nisi scandali recognoscit, quando illud potest rationabiliter vitari. Si autem non ita accidat, sine peccato stare poterit. Non est autem prædicta sententia ex diametro pugnās cum sententia de vsu illicito sententiæ minùs probabilis, sed contra Auctoris sentiendi modum; & quorumdam aliorum dicentium stante æqualitate opinionum statum dubium constitui, & ita tutiorem partem eligendam. Et Sotum quidem ita apertè sensisse, vt diximus, affirmat Mag. Medina *suprà Concl.* 2. dicens rem esse euidentem, & non solùm in Iudice, sed in alijs iuxta diuersas materias operantibus, & cùm euidens illud videatur Doctori tanto, primæ profectò Classis vt vidimus, & ex Thomisticæ doctrinæ Mystis, vult P. Mercorus discursum suum omninò oppositum esse euidentem, & ita prævalidum ad sententiam receptissimam rationibus & auctoritate egregiè communitam, penitus demoliendam. Addo Magistrum Sotum pro ea videri non obscurè stare *citato loco*, vbi docens Iudici & Medico obligationem incumbere sectandi sententiam probabiliorem, subdit id magis, immò & maximè curandum *Theologo in rebus fidei.* Ergo cùm exceptio firmet regulam in contrarium, in rebus alijs licebit iuxta sententiam quamcumque verè probabilem operari.

Bat. Medina.

Illustres Scriptores sibi aduersantes, vt contra Auctor ad proprium sibi sensum retorqueat.

73. Sic cùm præmisisset circa tres dictos Mag. citato Arti. difficiliorem posteà prouinciam assumit *Parte 3. Arti.*8. & doctores magis conspicuos huius sæculi, vt ille loquitur, secundùm limitationes à se propositas *Arti.* 7. tantùm locutus fuisse prosequitur, de quibus *suprà n.56. & 57.* scilicet cùm minùs probabilis opinionis nomine intelligitur tuta, & nomine probabilioris tutior, & cùm accedunt motiua extrinseca adductis Mag. Ioanne à S. Thoma, Mag. Marco Serra, Thoma Vilar, & iterùm Mag. Bartholomæo Medina, Ioanne Ildefonso Baptista, P. Vasquio, P. Turiano, P. Thoma Sancio, Cardinali Lugo, P. Layman, Bonacina, & P. Escobar: quod quàm sit à sinceritate interpretationis alienum, ne plus aliquid dicam, quam dictus & doctus Auctor profitetur, Scriptorum talium sola lectione constabit. Et vt de Mag. Ioanne à S. Thoma in speciali loquar, quam ille celeberrimum Doctorem appellat, videantur dicta *Par. 1. n.688.689.696. & 697.* vbi eius verba dedimus. Citat autem ille pro se eos, qui clarissimi sunt sententiæ, quam insectatur Auctor, defensores, vnde in eodem illam sensu accipit & tuetur: quod & in alijs accidit, sicut contra se allegant eos, quos P. Mercorus vt apertos patronos adducit. Et quidem *citato Arti.*28. ita in principio scribit: *Afferam duorum Doctorum principaliores* (rationes) *præsertim qui præsumantur primò scripsisse in defensionem huius sententiæ, à quibus ceteri posteà rescripserunt.* Sic ipse. Sunt autem duo illi Mag. Bartholomæus Medina, & P. Thomas Sancius. Cùm ergo illi manifesti defensores sint, & qui post eos scripserunt, iuxta eorum sint mentem locuti, ijsdem allegatis, velle illos in contrarium sensum pertrahere, & contradicere sibi est suis in assertis, & clarissimæ iniuria veritatis.

§. XV.

Resolutiones quædam non admittendæ, quæ apud Auctorem extant, suntque iuxta illius peculiarem opinandi modum.

RESOLVTIO PRIMA.

Circa restitutionem. An stante vtrimque opinione probabili sit totum restituendum, aut sufficiat dimidium.

Ratio pro mediocritate.

74. DE hoc ille *Parte 3. Arti.*11. ait, quando facta diligentia, apud Theologos quæstio manet indecisa, & vtraque opinio videtur alicui probabilis, restituendam medietatem. Probat ratione sibi euidenti: Quia eatenus in dubijs opinionum tenemur sequi tutiorem partem, vt vitemus periculum lædendi proximum: at non minùs tenemur cauere periculum lædendi proximum in id, quod est sui iuris, quàm nos in iure nostro. Si ergo nihil restituis, potest esse quòd defraudes proximum in toto, quia opinio affirmans potest esse vera à parte rei: at si totum restituis, est periculum defraudandi te ipsum in toto, quia non minùs opinio negans potest esse vera: ergo de duobus malis minus est eligendum, vt scilicet restitutio fiat pro medietate, sic enim æqualitas periculi & vtilis correspondebit æqualitati iurium vtriusque partis. Sic ille iuxta principium illud suum de statu dubio, stante opinionum æqualitate. Sed dicendum posse sic dubitantem operari iuxta opinionem sibi fauorabilem, nihil restituendo: immò etiamsi opinio minùs probabilis sit. Quod quidem iuxta principia procedit superiùs stabilita & ad id, quod de periculo defraudandi alium in toto dici potest, occurrendum etiam extare periculum defraudandi se ipsum, & in pari causa sibi potiùs quisque quàm alteri potest consulere, dum id pro-

Reijcitur, & contrarium statuitur.

babili valet,& consequenter prudenti acquista ratione præstare. Hac ratione dubitans circa rem, quam possidet non tenetur illam alteri tradere, iuxta vulgarem regulam, quòd in dubio melior est conditio possidentis: & tamen contingere potest rem talem esse alienam,& ita periculum consequenter instat defraudandi illum ipsa,quantumuis pretiosa sit. Videatur P.Vasquez *Opusculo de Restitutione Cap.6.§.3.n.80. & 84.* P.Vasquez.

RESOLVTIO II.

Circa obligationem dotandi illam,quam quis importunis precibus defloravit.

75. DE hoc etiam *citato Articulo* vbi ait circa hoc affirmare Medinam, Bañez, Caietanum,Nauarrum & Toletum: probabiliter autem negare Lessium,Molinam,Vasquez,Sotum,Azorium,quos colligit Ioannes de Lugo *Disp.12.Sect.* 1. & post hæc sic decernit : *Stante igitur probabilitate vtriusque partis stuprator tuta conscientia satisfacit, si solum medietatem dotis soluat.* Sic ille. Et quidem benè: quia cùm talis possit neque medietatem soluere iuxta opinionem probabilem, quod insuper præstat, superabundans satisfacto est. Quia verò aliud videtur sibi velle suis innixus principijs scilicet pro eo obligationem vrgere, id negandum,vt absolutè negant citati, & alij, quibuscum Eligius Bassæus *verb. stuprum n.* 3. dicens sententiam hanc esse probabiliorem, & cui adhærendum, adductis insuper P.Thoma Sancio *Lib.4. de Matrimonio Disput.10. & Syro in Claui regia Lib.* 11. *Cap.2. n.28.*

Pro medietate Auctor. — *Qui improbatus.* — Bassæus. — P. Sancius. Sayrus.

RESOLVTIO III.

Circa obligationem pro inflicto vulnere in percussore, pecuniæ compensatione.

76. DE hoc item *loco eodem*,vbi affirmantes adducit Sylvestrum,Caietanum,Armillam, Sotum,quos refert P.Vasquez *de Restitutione Cap.* 2. §. 3. & fauere videtur D.Thomas 2. 2. *q.* 62. *arti.*1. *ad* 1. & negantes Albericum,Panormitanum, Azorium, Patrem Nauarram, Victoriam, Bañez,& Sanchez, apud Ioannem de Lugo *Disp.* 11.*Sect.* 1. & statim sic determinat : *Durante igitur probabilitate opinionum percussor pro vulnere soluat medietatem eius,quod soluere teneretur, si ei certa esset sententia affirmans.* Sic ille. Circa quod similiter dicendum, ad nihil videlicet soluendum teneri,si velit probabilem &sibi fauentem opinionem amplecti. De quo & nos in *Thesauro Parte.*

Qui affirment & negent obligationem. — *Auctor stat pro medietate.*

Addit Auctor post resolutionem præfatam sic: *Hanc regulam dedi ei ex Magistro Ioanne à S.Thoma 1.2. Disp.12. arti.3. vbi tradit regulam deponendi conscientiam dubiam, & quando res est ambigua,nec constat cui possessio magis faueat, res est diuidenda. Constat autem in dubijs opinionum possessionem neutri parti fauere,vt optimè docuit Ioannes de Lugo loco citato, quia in huiusmodi dubijs possessio nullam facit præsumptionem de opposito.* Hæc ille.Sed verò Mag. Ioannes à S.Thoma,licet in dubijs id tradat,quando status omnino dubius est : in opinionibus aliter existimat rem habere, de quo dictum *nu.*73. Sicut & Cardinalem Lugo, qui nihil penitus citato loco habet *Disputatione* inquam 11. *Sect.* 1. neque commodus ille erat ad huiusmodi tractationem. *Disputatione* autem 17. *Sectione* 4. vbi de obligatione restituendi agit in dubiæ fidei possessore,debere restituere ait,si post exactam diligentiam dubium perseueret,plus minusve secundùm quantitatem dubij : si autem cessat dubium,posse rem integram retinere. Sic *nu.*81. *qui & nu.*94. cum communi Recentiorum sententia affirmat, quòd si possessor bonæ fidei incipiat posteà dubitare an res sit aliena,& facta diligentia perseuerat dubium, magisque inclinat & propendeat quòd res sit aliena, non debet propter maiorem illam inclinationem aliquid restituere. Quod videtur iuxta eiusdem doctrinam difficile : nam si pro quantitate dubij restitutio facienda est,& vbi talis inclinatio extat, quantitas dubij crescit, aliquid certè ratione illius videtur adijciendum.

Mag Ioan. à S.Thoma perperam adductus. — *Sicut & Card.Lugo*

77. Sed quidquid de hoc sit,quod ad opiniones attinet, valde ab eius mente & doctrina alienum est in dubijs opinionum neutri fauere possessionem. Vnde §. *vltimo Sectionis citatæ* sic ait : *Illud quod dicitur in pari causa meliorem esse causam possidentis, sic debet intelligi, vt dum neutra pars sufficienter probatur, possessoris pars debeat sustineri. Hoc autem debet intelligi iuxta id, quod paulò ante diximus : quòd si assensus probabilis sit contra possessionem : sit tamen etiam pro eius iure aliquis alius assensus probabilis : si enim stante iudicio probabili contra ipsius ius, nullũ esset fundamentum probabile pro ipso, iam deberet condemnari. Ad hoc autem deseruit possessio,vt facilius generetur talis assensus probabilis pro ipso,dum contraria pars prædicto modo non probatur.* Hæc ille: iuxta quæ manifestum est quid circa probabilitatem opinionum sentiat, cùm de possessore agitur. Id autem quod à se paulò antè dictum asserit,ad id videtur referendum quod habet *n.*88. §.*dices ergo:* vbi affirmat quòd licet quis cum opinione probabili possit retinere rem,quam opinatur esse alienam, non tamen opinionem talem sufficere ad spoliandum bonæ fidei possessorem: pro quo citat P.Thomam Sancium *Lib.2.de Matrimonio Disp.44.n.1.& 5.* Quod sic debet intelligi,vt pro possessore bonæ fidei fundamentum probabile adsit, si enim desit, nihil illi bonæ fidei possessio proderit, nisi vt assensus probabilis facilius in eo generetur. Stat præterea pro Cardinali vniuersalior assertio de opinionum electione, etiam stante inæqualitate, de quo *Parte 1.n.65.* & etiam *Resolut. sequenti.* Vnde sine fundamento vllo pro resolutione sua ab Auctore nostro volens est nolensque protrusus.

Illius verba contra Auctorem male vsa. — Card Lugo. — P. Molina. — P.Vasquez. — P.Suarez. — P.San-

RESOLVTIO IV.

Circa compensationem, vbi est probabilitas erga illam.

78. DE hoc *Arti.*12. vbi adducit Cardinalem Lugo *Disp.16.Sect.5.* affirmantem quòd si detur probabilitas proxima de licita compensatione,etiamsi alij oppositum sentiant,probabile sit licitam esse illam. Et addit: Nota,quòd non dicit licitam esse compensationem, sed modaliter,Probabile est licitam esse compensationem.Hæc ille: post quæ pro contraria sententia allegat P. Molinam, *Disp.*691. P.Vasquez *Opusculo de Restitutione Cap.6. Dub.5.* P. Suarium *Lib. 5. de legibus,*

P.Sancius. — *Qua contra compensationem obijcit Auctor eluuntur.*

P.Sancium *Lib.* 6. in Decalogum vbi cum non citentur exactè loca in præfatis Auctoribus, videntur illi non lecti, vel certè deproperato transcursu, quod circa illos, qui parùm sunt grati legentibus,solet accidere,nec tamen propterea hoc loco tale aliquid velim suspicari. Ergo P. Molina in sentit *citata Disput.n.1.* P.Vasquez *Cap.6. §.3. Dub.5.nu.*84. de dubio loquitur, non de opinione. P.Sancius *Cap.3.n.7.* P.Suarez *Cap.18.n.20.* Pergit Auctor, & *Primò* asserit in dubijs opinionum compensationem non esse licitam: quod probat inprimis ex eo quòd si creditor dubius id possit : ergo & posteà debitor, quia æqualem habet probabilitatem, & sic deinceps creditor vsque in infinitum. Quæ ratio militat etiam contra bellum iustum ex vtrâque parte, iuxta id quod multi admittunt, inter quos Auctor, vt vidimus *n.*59. vbi potiùs de infinitate suspicio esse posset, nam regnorum iura in Regum semper memoria viuunt, cùm in priuatis, quæ ad hoc spectant genus, morte extinguantur. Deinde arguit,quia sic in vtroque est ius integrum, quod implicat, quia ius actiuum supponit passiuum : ergo & in debitore est ius passiuum reddendi rem : ergo non est ius habendi rem per nouam compensationem, sit hoc ita : ergo contra arguentem ex infinitate. Distinguo item : Est ius passiuum,certum nego : probabile concedo : cum eo autem potest esse etiam probabile actiuum, cui in creditore iam compensato passiuum respondeat. Tandem vrget: Quia si in vtroque est ius habendi rem : ergo est illa vtrique communis, & vnicuique propria, quia vterque de ea sine alterutro potest disponere.Nec dici potest esse per accidens ratione obscuritatis: nam contradictoria neque peraccidens possunt verificari de eodem.Ad quod dicendum rem non esse communem reipsa, quia ex opinionibus vna tantùm est vera, vnde cessat contradictio : ratione autem probabilitatis potest vterque eam sibi propriam asserere, sed vnus fallitur inculpatè,quod in dubijs circa factum passim accidit.

Et quomodo apertè faueat.

Qui eam admittant. — Card. Lugo *comprobatii iudicium.*

79. Hinc est vt compensationem seruatis conditionibus, de quibus Doctores adducti, & alij, multi vt probabilem admittant,& in casibus quibusdam etiam qui generaliter negant, vt videri potest apud Cardinalem Lugo, & apud Dianam *Parte 7. Tract.10.Resolut.16. & Parte 9. Tractatu 9. Resolut.44. l. 2.* duæ enim sunt eiusdem numeri. Et quidem citatus Cardinalis licet probabile admittat, & probet compensationem esse licitam, quando in compensante ita fauet probabilis opinio, vt sperari possit iudicem, si coràm eo res petatur, eam ipsi adiudicaturum ; quando tamen minùs probabilis est opinio, non ita determinat, quia nec iudicem posse sententiam ferre secutum minùs probabilem opinionem censet, pro quo *Disput.* 37. *Sect.* 10. ait verò, quia Doctores aliter sentientes circa iudicem extant,consequenter idem dicere debere in casu præsenti: nec defuturum, qui licet id neget iudici, pro compensante affirmet, congrua reddita ratione: quamuis concludat abstinere se ab vltimo iudicio circa dicta à se de compensatione : *quia licet in casibus particularibus Auctores videantur id admittere, in communi tamen, & dum quæstionem in proprijs terminis tractant, videntur id communiter ne-*

Quid genuinè ille.

Auctoris sententia pro mediatate.

Vti in vero simili refutata.

gare,à quibus non est in practica facilè discedendum, quia fortasse aliquid occurrebat, quo argumenta nostra supra posita possent dissoluere. Quæ sunt illius verba, temperatum illud & maturum iudicium in prægrandi ingenio, & diuturno magisterio,satis demonstantia. Quæ tamen præmissis non obstant, & prolato ab ipso de probabilitate iudicio: quod etiam in eo casu dicendum, in quo opinio minùs probabilis pro compensante adsit, quia & quod de iudice dicitur est valde probabile, & ab ipso Cardinali in multis casibus admittitur, pro quo *Conclusio illius tertia.*Iuxta quæ etiam procedit generalis illius assertio *Sect.5. nu.* 97. vbi ita scribit: *Possum autem semper in qualibet operatione amplecti opinionem probabilem, quæ dicit me hîc & nunc omnibus pensatis licitè operari. Quotiescumque ergo probabilitas versaretur circa ipsam compensationem, possum licitè compensare occultè debitum, sequendo opinionem aliquam probabilem,quæ dicat non solùm rem esse meam, sed me posse licitè vti compensatione: & quoad hoc omnes debemus conuenire.* Hæc ille : iuxta quæ id, quod diximus, manet sufficienter expeditum, Doctoris tanti, & omnium eorum, qui circa electionem opinionum cum eo sentiunt, assensu suffragante.

80. Iam ad Auctorem, qui *Secundò* dicit in dubijs opinionum pro qualitate dubij licitam esse compensationem, seruatis alijs conditionibus. Ex. g. sunt opiniones probabiles an testamentum factum tempore pestis cum minori numero testium sit validum. Heres habet probabilitatem non teneri soluere legatum, etiam legatarius habet probabilitatem pro se, si ergo facta diligentia existimat vtramque opinionem esse probabilem,poterit occultè sibi compensare de medietate legati. Ratio est, quia iura non minùs stant pro herede quàm pro legatario: ergo vterque in illa portione relicta pro legato debet habere partem. Vlteriùs, legatarius accipiendo partem non facit iniuriam heredi, cui pro sua parte iurium relinquit partem legati. Demùm hæc partitio videtur magis sapere æquitatem, & magis consonans rationi, cùm vterque participet de re, ad quam vnusquisque habet ius. Sic ille philosophatur,ex cuius discursu non solùm sequitur legatarium ita compensare posse, sed hæredem etiam teneri legati soluere medietatem ; quod tamen non asseritur : ergo sicut heres totum legatum retinere potest, ita & legatarius compensare. Quod quidem cùm opinio valde probabilis statuat, iuxta illam omnino securè, sicut & heredi, ita & legatario licet operari, nihil in contrarium vrgentibus, quæ in contrarium adducuntur: Iura enim vtrique fauent, sed vt totum singuli habere queant, vt ex Textibus, qui pro vtraque parte inducuntur, apparet. Sicut autem legatarius non facit iniuriam medietate sublata, ita neque integro legato,quia vtitur iure suo, licet probabili. Et quamuis consona pietati appareat illa agendi ratio, non omnes tales in conscientia obligant, & ideò lites passim insurgunt, dum quisque ius suum prosequitur, cùm tamen magis esset expediens, vt partes inter se remotis altercationibus conuenirent. Sic etiam cessarent bella, quæ tamen iustè, licet magna cum regnorum concussione & conquassatione, geruntur.

RESOLVTIO V.

Circa contractus, quos aliqui licitos negant, alij probabiliter licitos arbitrantur.

Distinctio Auctoris & resolutio iuxta illam.

81. DE hoc *Arti.* 13. vbi distinctione vtitur: Nam vel dubius de honestate contractus habet necessitatem contrahendi, vt si Mercator ad præseus non habeat occasionem, nec in proximo esset spes exponendi solitam pecuniam ad lucrum in alio negotio; quia ratione probabilitatis videtur habere aliquod ius ad lucrum, quod potest sperari per huiusmodi contractum dubium: nec Mercator tenetur magis consulere indemnitati proximi, quàm proprium cauere detrimentum: quo euentu arbitratur licitè posse contrahere cum medietate illius lucri, quod totum sibi competeret, si opinio, quæ asserit actum esse licitum, esset moraliter certa. Exemplum apponit in Cambio recursæ pro Mercatoribus, & generalius aliud in venditore rei fructiferæ cum reseruatione fructuum, donec emptor soluerit pecuniam: quos contractus sunt qui illicitos censeant, alijs eos probabiliter approbantibus. Aut necessitas deest in Mercatore, & venditore prædicto potentibus applicare pecuniam negotio alteri, aut venditionem cum indemnitate differre. Et tunc à contractibus abstinendum, quia non sine proximi læsione contingunt, quæ vitari sub reatu culpæ debet, quando pro contrario agendi modo non vrget proprij detrimenti euitatio, quæ est indemnitati alterius præferenda.

Vt minimè solida reprobatur.

82. Sed certè modus hic dicendi solido est fundamento destitutus: stante enim probabilitate sententiæ fauentis ipsi, totum quod resultare commodum ex illo potest, procurare & reportare licet contrahenti, in quo sensu prædicta sententia procedit. Nec est considerationis alicuius debita attentio ad vitandum alterius detrimentum: si enim illud verè extat, valde voluntarium est, dum quis ita vult contrahere, & detrimento aliquali negotium agit suum, dum ab eo ad commodum alias habendum ordinatur: nemo enim contrahit, nisi commodi alicuius intuitu. Prætereà qui contractus dictos damnant, propterea id faciunt, quòd in illis aliquid admisceatur, cui medietas etiam dicta repugnet: & ita absolutè pronuntiant non licere, & esse lethale peccatum in eo: ergo etiam stante cõmodo aliquo non est iuxta prædictam sententiam operandum: stante insuper Auctoris inuiolabili dogmate de parte amplectenda tutiore. Antecedens patet, & consequentia probatur: quia commodum temporale non excusat operantem id, in quo est periculum peccati, iuxta celebrem doctrinam D. Thomæ *Quodlibeto* 8. *Arti.* 13. sic dicentis: *Si manente tali dubietate plures præbendas habet, periculo se committit, & proculdubio peccat; vtpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem.* Sic ille: de quo & Auctor *Parte* 2. *Arti.* 21. qui & *Arti. vltimo* ita tenaciter adhærendum contendit opinioni suæ, vt propter nullum temporale commodum ab eius vsu declinandum admittat. Quòd si conniueat, & respectum talem posse locum habere concedat, dogma equidem de illicito vsu opinionis non tutæ iam nutat, & omnia pariter firmamenta pro eodem adducta subsidunt, quibus legis diuinę stabiliri obseruantia prætenditur, nullo ad concupiscentiam carnis & oculorum, admisso respectu, videantur dicta.

D. Thom.

RESOLVTIO VI.

Circa quantitatem sufficientem ad peccatum lethale in Religioso contra votum paupertatis, vbi pro Indijs notanda doctrina.

Diuersa circa illam opiniones.

83. DE illa *Arti.* 24. vbi eius regulæ, quam secutus in præcedentibus fuerat de medietate in dubijs opinionum, exceptionem exhibet, & circa alia, de quibus *inferius*. Ait ergo circa ipsam diuersas opiniones existere: nam Rebellius 1. *p. Lib.* 3. *q.* 5. *Sect.* 3. & Azor *Lib.* 12. *Cap.* 12. (Adde in priori *nu.* 22. & in altero *Tomum* seu *Partem*, scilicet 1. & *quæs.* 6. recognoscens dicta *nu.* 78.) statuunt quantitatem, quæ apud sæculares facit furtum lethale, communiterque est valor trium Iuliorum, violare votum paupertatis. Alia opinio extrema est Rodriguez in *Summa Parte* 4. (pro *Tomo* 4.) *Cap.* 118. docentis Religiosum non esse reum furti lethalis, dummodo summa non excedat valorem duorum aureorum. Vbi pro. *Non ascendat ad summam*, repositum *Non excedat*: videndus *nu.* 27. vbi sententiam docti Iurisconsulti proponit, & probat, & 29. vbi iuxta propriam locutus mentem. Et vulgari, quo scriptit, sermone. *LLegando à lacantidad* &c. Et de Ducatis id protulit, qui & vulgares, & simplices aurei dici solent, vt habet Couarrubias in Collatione de Moneta veteri *Cap.* 3. §. 2. *n.* 7. *Vers. Percussi.* Et vndecim regalibus constant. Nec fidelior citatio præcedentium: P. Rebellus non ita generaliter locutus de furto apud sæculares, sed comparatione cum filijs facta, in quibus *nu.* 16. ait debere quatuor aut saltim tres argenteos excedere. P. Azor licet ita proferat, non tamen ibi determinat quæ apud sæculares quantitas ad mortale peccatum furto sublata sit ad lerhale necessaria, sed pro eo remittit se ad dicenda circa septimum Decalogi præceptum, de quo Parte 3. in cuius *Lib.* 5. *Cap.* 13. *Quæs.* 2. asserit quantitatem non posse generaliter determinari, quia pro diuersitate prouinciarum & locorum pecuniæ est æstimatio diuersa, sicut & rerum pretia.

Non legalis citationes.

Rodericius

Couarrub.

P. Rebellus

P. Azor.

Auctoris iudicium.

84. Progreditur iam Auctor, & ait nullam determinatam opinionem probabilem in hac re posse designari; & consequenter, sicut extremæ opiniones non sunt probabiles, ita neque mediæ dici possunt tutæ. Ratio est nuper adducta de diuersitate æstimationis pecuniæ & rerum, pro diuersitate locorum, quæ & esse potest ratione personæ, vel status: nam quantitas, quæ sufficit ad violandum votum in Religionibus strictioris regulæ, non sufficit in Religione opulentiori. Igitur in huiusmodi casibus, consulenda est praxis Mirandæ in Manuali Prælatorum *Quæst.* 28. *arti.* 17. (Adde *Tomo* 1. & *in fine Articuli*) dicentis quantitatem notabilem in furtis Religiosorum determinandam esse in particulari pro temporum, locorum, Religionum personarum, & aliarum circumstantiarum, differentia, iudicio & auctoritate boni viri. Sic ille mirabili confidentia & potestate locutus, dum doctissimorum Theologorum & Iuristarum determinatam quantitatem assignantium sententiã improbabilitatis censura traducit. Et quidem si inter illas, ea pro qua P. Azorium adducit, numeranda veniat, improbabilitatis etiam nota eius sententia laborabit: nam dictus Pater, vt vidimus, eodem modo philosophatur. Et vtinam Mirandæ temperatum agendi modum vnà cum sententia pariter admisisset sua magnis Scriptoribus veneratione delata: sic enim ille §. *vltimo* post adductos eorum plures: *Ego autem in hac tantorum Doctorum diuersitate quid sentiam, quid sanè dicam, nescio.* Addit statim materiam debere esse *alicuius magnæ quantitatis* & momenti, & pro illa determinanda modo præfato concludit. Non ergo improbabiles aliorum sententias censuit, ne & ipse improbabiliter loqueretur.

Miranda.

Illum in loquendo moderatio

Ordinatio pro Societate.

85. Et quidem in Societate nostra Ordinatio extat in eorum libro Cap. 4. tenoris sequentis: *Intelligant omnes eam quantitatem, quæ furto sublata satis esset ad constituendum peccatum mortale contra Septimum præceptum, sufficere vt peccasse aduersus votum paupertatis iudicetur, si quis è Nostris rem vt propriam vel vsurpet, vel alienet, absque Superioris facultate.* Sic Ordinatio, de quo agens P. Molina *Tomo* 3. *Disput.* 687. *n.* 2. affirmat eam à R. P. Generali dispositam iuxta sententiam Patrum, qui *anno* 1594. Congregationi Generali Romæ interfuerunt: & fuit illa eo anno finita, cùm tamen anno præcedenti 1593. die 3. Nouembris fuisset inchoata; & fuit Quinta, cui R. P. Claudius Aquauiua præfuit, qui Ordinationis tunc missæ Prouincijs initio sic profatus: *Curauimus ea de re inter Doctores nostros diligenter inquiri ac disceptari, Omnium verò sententia fuit &c.* Quis autem nisi valde temerè affirmare ausit id quod tanto est consilio à viris doctissimis & grauissimis iudicatum, improbabilitatis vitio laborare? Ne autem tale quippiam in mentem alicuius ex Nostris veniat, obseruandum est tali facta declaratione eum vsum in Societate vigere, & ab omnibus admitti vt inuiolabilem; quod necessariò ita fieri debet: nam votum paupertatis iuxta vsum talem emittitur: & indubitabile est ita fieri posse, vt scilicet quis ita voueat, & obligatio sub lethali reatu constringat. Pro quo vlteriori obseruatione dignum occurrit venerabilem P. Claudium in prædicta Ordinatione statuisse vt omnes in Societate opinionem huiusmodi sequerentur, vt videri in eius tenore potest apud P. Molinam: id tamen in Ordinatione, quæ inter alias habetur, & à nobis est integro tenore proposita, non extat: visum enim est Societati valde expediens illud auferre, ne quisquam rem esse iam apud Nostros opinabilem reputaret, aut aliquam circa ipsum moueri posse quæstionem.

Venr. P. Claudius.

Obseruatio peculiaris.

Auctor in sententiam à se impugnatam relabitur.

86. Et verò dictus Auctor, quidquid tergiversari libeat, in id relabitur, quod in alijs vt improbabile refutauit: ait enim rem hanc non posse generaliter signata quantitate definiri, sed iudicio boni viri reseruandam. Tunc sic. Determinantes quantitatem & boni & doctissimi viri fuerunt: ergo eorum iudicijs potest conuenienter stari. Nec verò cùm P. Thomas Sancius *Lib.* 7. *in Decal. Cap.* 20. *n.* 3. & 6. quatuor argenteos sufficientem materiam esse ait, quam opinionem tenent alij, & probabiliorem reliquis affirmat Diana *Parte* 1. *Tract.* 6. *Resolut.* 36. de omnibus mundi plagis est locutus, sed de ea, in qua scribebat, & similibus. Quòd si verum est id quod P. Mercorus ait, vnum aureum Matriti vel Parisijs, vbi abundant pecuniæ, quantùm ad existimationem furti æquipollere valori trium Iuliorum vbi abundant res, & non abundant pecuniæ; iuxta hoc venit accipienda P. Sancij sententia, vt vbi æquipollentia valoris est, iuxta illam, & non iuxta numorum numerum, debeat, cùm de materia furti agitur, iudicari. Et quia in opulentioribus Indiarum prouincijs duo octo regales, seu patacones (quod nomen vsitatissimum est in illis, & iam apud Scriptores inuenio) æquipollere possunt quatuor argenteis, regalibus, aut Iulijs in Europa, ideò quantitas sufficiens pro furto à pluribus æstimatur; quamquàm fortè non desint qui plus aliquid censeant adijciendum. Si autem alicubi quatuor argentei vnius aurei æstimationem adæquent, iuxta id erit iudicium ferendum, & plures quatuor regales imaginatione formandi boni viri iudicio, qui in vno quolibet multiplicentur, & ita minor summa pro furto constituendo sufficiet: quod quidem iuxta sententiam dictam *vir bonus & sapiens* adaptabit: ad quam aduocari aliquo modo Nauarrus potest, qui in *Cap. fin.* 14. *q.* 6. quod est de *furto & rapina*, affirmat quantitatem vnius argentei esse ad effectum dictum notabilem quantitatem: quod & tenet Corduba *in Summa de Casibus quæst.* 109. *puncto* 2. iuxta id enim, quod in locis, in quibus degebant, res habebat, verosimiliter iudicarunt.

P. Sancius.

Diana.

Nauarrus.

Corduba.

87. Pro eo autem, quod de Indijs dicebamus id iuuat expendere, quod esse in vsu circa stipendia Missarum est certum. In his enim Prouincijs Peruuianis frequentius est octoregalis; cùm tamen in nonnullis dimidio sit maius, & in alijs Duplò: & quædam etiam sint, in quibus quatuor argentei pro communi taxa habeantur. In Europa autem maius stipendium duobus argenteis adimpletur. Collatione ergo facta, vbi octoregalis stipendium est, duobus in Europa respondet argenteis. Et ita duo octoregales argenteis quatuor. Iuxta quod in Indijs, vbi stipendium vnius octoregalis est, duo ex his sufficiens materia lethalis peccati in furto erunt. Vbi autem stipendium maius, pro quantitate excessus erit iudicium proportione adhibita faciendum. Sicuti iuxta diminutionem vsque ad argenteos quatuor: ibi enim vnus octoregalis reputandus sufficiens ad lethalem prolapsionem, & ita quidem boni viri consulere possint, nec poterit P. Mercoro displicere, qui nihil plus exigit: Si autem neque ille, neque alij quipiam probent, dicant ipsi certius aliquid, & quantitatem determinent; quod dum non præstant, aut velint rem hanc indeterminabilem futuram, quod graue inconueniens est, carere scilicet circa hoc luce doctrinæ ad conscientiarum directionem; aut verosimiliter loquentibus acquiescant.

Pro Indijs notanda doctrina ex Missarum stipendijs.

Medias sententias esse posse probabiles, licet extremæ tales non sint.

88. Iam id quod Auctor ait, quòd sicut extremæ sententiæ non sunt probabiles in hac re, ita nec mediæ possunt esse tutæ, non videtur conuenienter dictum; quia non apparet cur existentibus extremis sententijs improbabilibus, non possit media aliqua esse probabilis: id quod ex eiusdem venit exemplo comprobandum, qui sententiam Merendæ & aliorum neutiquam vt probabilem admittit, neque extremè oppositam de vsu probabilitatum, sed mediam amplectitur *superiùs* explicatam: quod & in multis alijs accidere potest, & est valde rationi conforme, vt extremis vitatis medium æquitati consonum teneatur. Sic media sententia circa attentionem in horis Canonicis pluribus placet, quod scilicet aliqua necessaria sit vitatis extremis de nulla, aut summa: de qua Auctor *pag.* 554. vbi ait sufficere virtualem, cùm in principio sit satis mentem eleuare ad Deum, vt si posteà contingat inuoluntariè mentem euagari, etiam vsque ad finem, sit satisfactum officio: videndus etiam *pag.* 656. & *seqq.* qui & *pag.* 650. ex D. Antonino ponit fuisse aliquos, qui nimis rigidè contendebant ex præcepto Ecclesiæ in recitandis horis necessariam esse continuam actualem attentionem. Erat ergo illorum extrema sententia, sed improbabilis, qualis etiam videtur illa, quæ necessitatem omnem attentionis à præcepti obligatione submouet, contra quam acriter pugnat toto Articulo 23. Pro quo hæc satis.

RESOLVTIO VII.

Circa quantitatem vespertinæ refectiunculæ in diebus Ecclesiastici Ieiunij.

Duæ extremæ sententiæ circa Collationem.

89. PRo illa Arti. 14. pariter iudiciali censura dicturus, præmittit esse nonnullorum opinionem asserentium octo vncias cibi non frangere ieiunium; aliorum item extremam, qui contendunt non esse excedendam trium vnciarum quantitatem: & concludit vtramque esse improbabilem, neque tertiam eligi posse, quæ probabilis sit, eo quòd designet medietatem, neque tuta: sed iuxta vniuscuiusque complexionem fortem vel debilem, aut alijs circumstantijs designandum esse ad arbitrium Confessarij. Approbata enim est talis consuetudo non solùm vt olim ratione potus, sed ad qualitercumque reficiendas vires. Cùm igitur diuersis complexionibus hominum diuersæ correspondeant indigentiæ, non potest vniuersaliter designari aliqua determinata quantitas pro omnibus. In quo dicendi modo illud in primis non probandum, opinionem scilicet doctissimis Scriptoribus probatam, & congruis fundamentis stabilitam, sicut & frequentissimo vsu, improbabilem compellari, de quantitate scilicet octo vnciarum. Videndi illi apud Dianam *Parte* 1. *Tract.* 9. *Resolut.* 1. & *Parte* 9. *Tract.* 6. *Resolut.* 8. qui in fine sic ait: *Vnde refellendus venit Homobonus, qui in Respons. casuum conscient. volum.* 1. *parte* 2. *respon.* 59. *parùm modestè asseruit supradictos viros doctos nimis laxè & licenter locutos fuisse.* Sic ille. Deinde praxim iniungit impossibilem, quod scilicet Confessarij debeant pœnitentium omnium complexiones agnoscere, & iuxta eas vncias cibi sumendi taxare, vt & Medicos etiam esse oporteat. Quod cùm reuera ita sit, obligatio ad praxim huiusmodi meritò videbitur ritè sentientibus improbanda, ex quo & improbabilis. Præterea stat contra illam Religiosorum, omnibus enim determinata quantitas apponitur; cùm tamen verosimile, immò & certum sit non omnibus eamdem pro reficiendis viribus esse necessariam, neque cuiquam ea de caussa scrupulus injicitur: & ridiculum haberetur, si facto complexionum delicato scrutinio, vuæ passæ, amygdalæ, auellanæ & similia ad exactam trutinam penderentur.

Quæ octo concedit vncias defenditur.

Diana.

Homobon.

Et multiplicitèr probatur.

90. Est equidem certum refectiunculæ serotinæ vsum ad reparandas aliquomodò vires iam diu licuisse, & circa hoc diuersis complexionibus plus cibi minusve fore sufficiens: & quoad debiliores octo vncias sufficere videtur Auctor admittere, cùm extremam per excessum sententiam dicat, & ita id concedentem, quod summum esse potest. Inter illos autem gradus debilitatis internoscere valde difficile est, vnde pro debilibus talis quantitas assignari potest, quia ad arbitrium prudentis Confessarij pro aliquibus potest illa iudicari sufficiens, vnde & ad alios idem arbitrium extendi. Tunc vltra. Ergo & pro robustis designari illa poterit. Patet Consequentia. *Primò*, quia vsus refectionis talis pro omnibus est generaliter introductus, & non vt priuilegium debiliorum. *Secundò*, quia in præcepto ieiunij, & vnica comestione permissa, nullum est discrimen attentum in ordine ad præfata, vt plus concederetur delicatis, & debilioribus, quàm robustis, dummodò implere præceptum possint; vnde stare potest sine violatione præcepti, vt robusti, & ad sustinendam abstinentiam validiores, plus comedant quàm debiles, vt non rarò accidit. *Tertio*, quia in robustis non omnes sunt æquales dies, & aliqui superuenire possunt, in quibus debilitas aliqua sentiatur: esset autem onus intolerabile, si iuxta inæqualitatem dictam refectio deberet variari, & ea de caussa adeundus esset Confessarius. Tandem, etiamsi robusti minùs videantur indigere, id quidem non est penitus exploratum: licet enim statim non persentiscant defectum, poterunt deinceps, præsertim longo Quadragesimæ ieiunio. Et natura quidem etiam per insensilia detrimenta extenuatur, sicut insensilibus crescit augmentis. Solent etiam laborare ampliùs, vnde & plus alimenti in fine diei eis videtur indulgendum.

Pro Indijs amplus aliquid indulgendum.

91. Vbi circa Indias occurrere dubitatio potest; an videlicet in illis plus aliquid concedendum sit, quia alimenta minùs videntur habere substantiæ, sicut & corpora virium, lautioribus eatenus assueta: vnde sub earum nati cœlo non ita ad ardua exprompti sunt, vt eorum progenitores, quorum egregia facinora magnam & illustrem Indicis Annalibus materiam præbuerunt. In quo quidem affirmare possumus, & duarum vnciarum adiectione caussam istam terminare. Pro quo deseruit multorum sententia apud Dianam *suprà* asserentium decem cibi vncias in Collatione sumere, tantùm esse veniale peccatum, quia octo licent, & duæ ex se parua materia sunt, in quarum sumptione quolibet diei tempore

Pro decem vnciis fundamenta, Diana.

tempore tantùm venialiter delinquitur: pro quo & ille *Parte* 5. *Tract.* 5. *Resolut.* 11. Ergo etiam si alijs octo permissis, sumantur, peccatum non erit maius. Tunc sic. Ergo stante rationabili caussa, nec malitia erit venialis. Probatur illatio: quia sic accidit in diuersis materijs iuxta probatas Doctorum sententias, vt in anticipatione, postpositione, aut transmutatione aliqua Officij diuini: circa seruilia opera in diebus festis: & in ieiunio ipso, si circa horam aliquid antepositionis accidat, aut collationis & prandij tempora inuertantur: si priuilegiatus ad concedendas carnes, piscium aliquid sumat, &c. de quibus Diana *Tract.* 5. *citato* Atqui vt ita fieri in Indijs queat ratio prædicta succurrit: ergo non erit in eo venialis culpa. Dices: Ergo sumere duodecim vncias non erit peccatum mortale: quia decem licent, & in duabus culpa tantùm venialis est, iuxta dicta. Videtur concedendum consequentia doctrinæ. Et quidem cùm negotium hoc ad arbitrium Confessarij prudentis deferatur, nihil est in præfata resolutione damnabile, sic enim Confessarij prudentes in Indijs iudicabunt, desiderantes vt omnes ritu prædicto ieiunarent, sic enim non ita facilè præceptum adeò graue & vtile, vtpotè *corporibus animisque curandis salubriter institutum*, à pluribus frangeretur. Vnde & in ieiunantibus; & bona fide lautius aliquid pro collatione sumentibus, dissimulandum illud prudenter, ne grauis lapsus ex rigida admonitione præbeatur occasio, iuxta doctrinam, de qua aliàs, quæ & multorum.

RESOLVTIO VIII.

Circa paruitatem materiæ in lectione librorum hæreticorum.

Diuersæ circa paruitatem sententiæ.

92. EXtat illa *eôdem Articulo*, vbi statuit opinari aliquos in lectione talium non ligari excommunicatione Bullæ Cœnæ, qui vnam paginam legeret. Ita Sanchez *in Sum. Lib.* 2. *Cap.* 10. At nec vnam lineam posse legi absque tali pœna docuisse Toletum Lib. 1. Cap. 19. & Vgolinum in Expos. 1. *Can. Bullæ eiusdem.* Quibus præli-

P. Mercor. quid de illa sentiat, & de suo addat.

batis ita decernit dirimens quæstionem: *Ad Quæsitum igitur in forma dico, si quis putat probabilem opinionem Toleti vel Azorij afferentium paruitatem materiæ in hoc genere esse pauca verba legere, seu quando non est multarum linearum lectio, vt docet Suarez de fide Disput.* 20. *Sect.* 2. *Quamuis etiam probabilem existimaret opinionem Thomæ Sanchez, quòd vna pagina sit parua materia, non potest tertiam opinionem eligere in praxi afferentem medietatem paginæ posse bona conscientia legi. Et vna semper est ratio: quia opinio quæ fauet legi, cùm sit probabilis, potest esse vera, & ita qui oppositam eligeret, exponeret se periculo transgrediendi legem.* Hæc ille, suo illo innixus principio de obligatione sequendi partem tutiorem, quo reiecto non currit assertio, & oppositum posset aliquis probabiliter opinari. Sicut Auctor ipse ait eum, qui legeret quartam partem paginæ in illis locis, in quibus certò sciret hæreses aut alios errores non contineri, non peccare mortaliter, cùm in huiusmodi breui lectione non possit præsumi Auctorem libri honorari, quem honorem auertere Ecclesia intendit, cùm lectionem prohibet in illis etiam locis, vbi errores non contineri fuerit manifestum. Ex quo & argui contra ipsum potest: Nam sententia stans pro lege potest esse vera, quòd scilicet etiam parua illa lectio sit prohibita: ergo sic legens exponit se periculo transgrediendi illam. Vbi quod datum responsum fuerit, argumento poterit applicari.

Ex quo redarguitur.

Cardin. Toleto falsò adscriptæ sententiæ, cuius propria defenditur.

93. Sed fortè dicet opinionem Cardinalis Toleti & Vgolini priùs citati, quem posteà cum P. Azorio videtur confundere, qui *Tomo* 1. *Lib.* 8. *Cap.* 16. *Quæs.* 3. vnum vel alterum versiculum, eo quòd venialis culpa tantùm in eo sit, solùm pro excusanda pœna permittit: est autem versiculus linea, sicut & versus ex Plinio Lib. 4. Epist. Si inquam dicat opinionem non esse probabilem, si de lectione modo dicto explicata loquantur, quod videtur significare verbis illis: *Si quis putet probabilem opinionem.* In quo quidem neutiquam audiendus, maioris enim auctoritatis Doctor in Ecclesia Dei censetur Cardinalis Toletus, quam & secuti alij, quam Modernus nihil adducens quod momenti alicuius sit ad illius sententiam improbabilitatis stigmate deturpandam. Vbi & addendum falsò attribui dicto Cardinali sententiam asserentem neque vnam lineam posse legi absque censuræ incursione: quem errorem hausit Auctor ex Diana, ex quo solitus cursim desumere citationis locis non exactè designatis: ille enim Tract. 5. citato Resolut. 42. ex eodem, & Vgolino refert in hac re non dari paruitatem materiæ, quamuis vnam vel alteram lineas quis legat, in quo & P. Thomas Sancius dux etiam erroris *n.* 31. cùm tamen de paruitate materiæ nihil apud eum habeatur, neque ille verborum tenor, sed qui sequitur: *Præterea siue paucæ lineæ, siue multæ legantur, incidunt legentes in Canonem hunc, dummodò tamen scienter legatur &c.* Vna autem vel altera linea, non sunt paucæ, immò neque pauciss imæ vix dici possunt, vnde illæ non videntur tanto cum rigore damnatæ. Dauidi dictum ab Eliab fratre: *Quare dereliquisti pauculas oues illas?* 1. reg. 17. v. 28. quæ tamen duarum numerum valde superabant; & tamen pauculæ, vt conijciamus hinc, cùm paucæ dicuntur lineæ, minimè ad vnam vel alteram numerum coarctandum. Nec P. Suarez à sententia dicti Cardinalis videtur discrepare, dum *loco citato n.* 20. exigit ad vitandam pœnam, vt *breuis sit lectio, & non multarum linearum*: non multæ enim paucæ sunt. Vnde non video cur sententia illius adducta, vt probabiliorem opponat eam, cui ipse subscribere videtur, reiecta tantùm sententia P. Sancij, quam ait se nullo modo probare. Quod cùm ait, & probabiliorem sententiam, quæ talis in rigore sit, sententiæ priori antefert, manifestè eam probabilem agnoscit, cuius iudicio standum potius, quàm sine fundamento neganti, & sententiam P. Suarij suo illo iudicio pariter inuoluenti.

Illius verba.

1 Reg. 17. v. 28.

Eadem P. Suarij sententia. P. Sancio. aduersantis.

94. Eodem autem modo videtur sentire de sententia P. Sancij vnam concedentis paginam etiam voluminis magni, quia eôdem modo de illa loquitur, cui fauet, vt vidimus, P. Suarius, quamuis probabilitatem non fuerit inficiatus, pro quo & Diana ita scribit: *Ex quo fit non esse audiendum P. Layman Lib.* 2. *Theol. moral. Tractat.* 1. *Cap.* 15.

Circa cuius probabilitatem excursio.

n.5. dum ait posse Confessarium absoluere eum, qui vnam paginam libri hæretici legerit, quia præsumere potest eum non incurrisse excommunicationem Bullæ iuxta opinionem Sanchez supra relatam. Sed manifestè fallitur, quia opinio Sanchez parùm probabilitatis habet, tum quia magis communiter reijcitur: tum etiam quia Vivaldus, & Emmanuel Sa, qui eam asserebant, expurgati fuerunt, & per consequens saltem est valde dubium an legens vnam paginam libri sit excommunicatus, & hoc sufficit vt absolui non possit propter rationem dictam. Et ita docet Merolla Tomo 1. Disput. 1. Cap. 2. Coroll. 7. Difficult. 3. nu. 344. Quod magis probatur dum videmus hanc opinionem in Vivaldo & Sa emendatis à R.mo Mag. S. Palatij amplius non inueniri. Sic ille, qui dum absolutionem dubij casus negat ob rationem dictam, ad Decretum Clementis VIII. à se præmissum adludit eam prohibentis. Sed in primis probabilitatem ille non abnuit, licet paruam tantummodò fateatur: quod autem parùm probabile est, absolutè est probabile, vt vidimus *nu.* 41. Deinde quod ad Decretum Clementis spectat, per illud casus dubius exprimitur, non est autem talis, quando pro illo est opinio probabilis, vt communis est resolutio. Præterquam quod Decretum dictum pro Italia tantùm extra Vrbem vim habere constat ex eòdem, vt & Diana recognoscit, qui & *Parte* 10. *Tract.* 14. *Resolut.* 8. affirmat Decretum prædictum per posterius aliud moderatum, in quo de casibus dubijs nihil idem Pontifex statuit, pro quo adducit P. Pellizarium, & Carolum Bauium cum doctissimis alijs à se consultis probabiliter decernentes. Iam

Diana *acer impugnator.*

Decretum Clem 8. *ab eo obiectum non vrgere.*

95. Iam quod de emendatione in præfatis Auctoribus dicitur, parùm vrget, & argumentum per oppositum vrgeo: nam P. Sa sic correctus circa assertionem dictam, & plures alias, eòdem modo sine illis currit ac anteà: & vna propositione de absolutione absentis excepta, circa reliquas nihil Sanctum Inquisitionis Tribunal habuit proscriptionis sententia damnandum. Quod & in Vivaldo est cernere, vt eius, sine extinctione alicuius luminis aureum luceat Candelabrum. In quo tamen iuxta iudicium Mag. S. P. emendato, sicut & in P. Sa clarum est non inueniendam proportionem dictam, quandoquidem sine illa impressionem fieri curatum est. Quod quidem antiquioribus editionibus non incommodat, & alijs iuxta ipsas, pro quibus prohibitio nulla. Hinc P. Bussembaum in *Medulla Theol. mor. Lib. 7. Cap. 3. Arti. 5. nu. 5.* ita scribit: *Non sufficit vna altera ve linea; immo secundùm Sanchez, Rodriguez, & Sa, nec integra pagina, etiam magni voluminis; quod tamen Bonacina & Layman locis citatis non concedunt: licet hic fateatur Confessario id posse ad hoc seruire, vt non continuò damnet peccati mortalis & excommunicationis eum, qui bono fine, vel etiam ex curiositate, vnam paginam legit.* Sic ille, non improbans sententiam dictam, & P. Sa pro ipsa adducens, vti eum qui inter primarios rerum moralium magistros numerari debeat, neque circa sententiam dictam alicuius legitimi Tribunalis iudicio pœnali mulctatus. Et quod ad Rodericium attinet, & ego sententiam præfatam in eo non

Neque correctionem Magistri S. P. circa Vivaldum & P. Sa.

P Bussembaum.

inuenio; pro cuius tamen probabilitate stat etiam P. Tamburinus *Lib. 2. in Decalogum Cap. 1. §. 16. nu. 34.* qui illam etiam attribuit Patri Layman simul cum P. Sancio, sed non verè, quia solam ille probabilitatem agnoscit, vt vidimus. Nec de Resolutionibus plura.

Conclusio Disceptationis.

96. PRo illa hæc ex Auctore *Parte* 2. in fine: *Has, quæ maiorem vim & apparentiam habent, rationes collegi prò opposita sententia, quas vnà cum solutionibus ad ipsas, & rationes à me suprà explicatas pro sententia affirmatiua, in sinceritatis trutina perpendat doctus lector, iudicet veritatem, & det gloriam Deo.* Sic ille: quæ licet ad me non videantur directa, vti ad eum, qui inter doctos non veniam percensendus; pro eo tamen, quod erga præfata studium non indiligenter adhibui, & honore, quem sum inter illos, licet immeritus, consecutus, dans gloriam Deo, & in eius conspectu serius & sincerus affirmo opus P. Iulij Mercori eruditum quidem esse, & ingenio non præferuido, sed alijs pro eadem causa depugnantibus maturiore constructum. Et quod attinet ad illimitatum opinandi modum eliminandum, percommodum, meritoque propterea à P. Hieronymo Placentia Societatis nostræ in Academia Parmensi Theologiæ Professore laudatum: quoad sententiam verò de illicito vsu opinionis minùs probabilis, non tantùm habere momenti, vt propter rationes ab eo adductas sententia opposita vllum sit suæ probabilitatis detrimentum subitura. Quatenus verò non solùm minùs probabilem, sed etiam in ea parem, simili assertione conuoluit, minùs multò esse probabilem: vt verò & probabiliorem, penitus reijciendam. Et consequentiam, quam in eo tenendam statuit *Parte* 3. *Arti.* 6. pauci profectò vti legitimam admittent, de quo ita scribit: *Respondeo Doctores tenentes opinionem minùs probabilem fauentem libertati non posse eligi in moralibus concurrente probabiliori opposita, quæ fauet præcepto, debere consequenter docere, nec æquè probabilem, neque probabiliorem in concursu oppositæ habentis æqualem, vel etiam minorem probabilitatem: fauentisque præcepto, eligi posse.* Sic ille: sed locutus cum paucis, & à paucis, siue etiam ab illis, audiendus. Et vbi iam tantopere iactata venerabilis antiquitatis auctoritas, & ab ipso magisterio Apostolico deriuata? P. Ioannes Baptista Goned *in Dissertatione de Probabilitate Arti.* 2. sic ait: *Secundò, certum est hominem non teneri semper sequi tutiorem sententiam, sed posse sequi minùs tutam, si illa appareat probabilior, seu veritati conformior.* Hæc ille alias data: & vnus est ex nuperis Scriptoribus, qui contra probabilitatum sectatores acerrimè digladiatur. Et quòd ille certum affirmat, & quidem non immeritò, vult P. Mercorus nec certum esse, neque consequenter dictum. Et assertioni suæ, quam talibus fundamentis stabilire satagit, tamquàm dogmati prorsus irrefragabili obsequendum, non dignatus oppositum probabilitatis honore. Ergo quod scripsi, scripsi, ad Dei gloriam, fidelium vtilitatem, & veritatis sinceriſſimam defensionem.

P. Mercorus.

Pro illius opere iudicium.

Eiusdem verba parùm verosimilia.

Cui & aduersatur P. Goned *commilito.*

SECTIO

SECTIO SECVNDA.

An Beatificati imago circumferri in publica pompa queat pro illo instituta, aut aliàs in supplicationibus. Occasione Beatæ Rosæ Virginis Peruuianæ eo nuper condecoratæ honore à SS. Domino.

CLEMENTE IX.

B. Rosæ *patria, professio, nomen.*

97. ESt illa Peruuiani viridarij inter Ecclesiæ delicias non postremi, primæuus sanctitatis Flos sacris honoribus decoratus, Domini canæ culturæ inter Tertij Ordinis Beatas pretiosum germen, & plenissimæ laudis argumentum, (cui & suam curam Societas nostra per eximiæ probitatis viros adhibuit, quatuor enim ex illa habuit Confessarios, vt historiæ testatur Scriptor) *quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & (quod sanctè etiam dicere liceat) manus nostræ contrectauerunt* 1. Ioan. 1. v. 1. Limana Virgo nomine & omine Rosa, immò & numine, cùm proprium illius nomen fuerit Isabella. Quod licet & Virgineum sit, quia Diuam Elisabetham habemus Virginem Schonaugiensem satis celebrem, de qua Martyrologium Romanum die 28. Septembris, cuius vita prodigijs plena extat inter Lilia Cistercij, à me iam pridem eo in opere cum admiratione perlecta: quia tamen & aliarum est sanctarum non Virginum, Matris scilicet Sanctissimæ Præcursoris, & Hungariæ Regis filiæ, de qua plurima & admiranda exhibet Laurentius Beyerlinck in Theatro, quæ dabit Index *verb. Elisabetha Regis Hungariæ filia*: nec non celeberrimæ Aragonensium Regum prolis Lusitaniæ Reginæ; ideò à Deo singulari est prouidentia dispositum, vt Isabellæ suppresso nomine Rosæ illud prævaleret, quod solis ex sanctarum choris datum constat esse Virginibus, vt & nomine Virgo esset, eoque odorem puritatis cælestis inhalaret. Et ne Diui Francisci Religio hac in parte se doleat esse Minorem, Rosam habet honori suo olim cumulatissimè militantem, de qua sic Pater Cornelius à Lapide scribit ad Cap. 12. Actuum Apostol. v. 13. §. Similis ei. *S. Rosa Virgo Franciscana, quæ velut rosa inter spinas resplenduit virginitate, virtutibus, & miraculis, migrauitque ad Dominum anno* 1254. *Viterbij prope Romam, vbi etiam nunc eius Virgineum corpus non tantùm integrum, sed & flexile (quod proinde vestiri se finit) ostenditur: quæ proinde in Martyrologio Romano Sanctis adscripta legatur die* 4. *Septembris.* Sic ille. Meminit etiam citatus Theatri auctor Rosæ alterius, cuius Sanctum Corpus Roma delatum in Collegio Gandauensi Societatis IESV asseruatur, & proculdubio est Viterbiensi antiquior. Sicut & S. Rosalia, Sicula, cuius luculentum elogium habet idem P. Cornelius *in Commentario ad Cap.* 24. *Ecclesiastici v.* 18. §. *Talis, Siculæ.* Quod legatur dignissimum. Est & omnium antiquissima Rosa Deipara, hoc nomine vt proprio salutari solita ab Hermanno Iosepho Religioso Præmonstratensi, vt in eius vita refert P. Laurentius Surius *Tomo* 7. *die* 7. *Aprilis*, stupenda Matris pulchræ dilectionis beneficia continente. Vide *Cap.* 22. Has ergo voluit Dominus Peruuianam æmulari Rosam: vt virgineo nomini cetera egregia decora, & prodigia responderent.

B Rosæ *Viterbiensis.*

P. Cornel.

Gandani Alia.

Præstantissima Deipara eo nomine salutata à B. Herman. Surius.

98. Scripti pro illis libri eleganti stylo, in quibus peruidenda; ego enim panegyristam non ago, sed Indicarum conscientiarum, & aliarum insuper directorem: vnde vna ero consideratione & obseruatione contentus, collatione facta Rosarum, quæ ex India Orientali & occidentali per idem tempus Romam sunt, diuersa quidem ratione, sed mystica assimilatione delatæ. Pro Orientali P. Cornelius ad citatum locum Ecclesiastici §. in quo ad marginem *Rosa Chinensis*, post eius narratam exportationem. Ita scribit: *Mirum est, quod de ea hoc anno (Iubilei* 1625.*) in lucem edidit noster P. Baptista Ferrarius Senensis Hebraicæ linguæ in Collegio Romano Professor, qui primus semen eius è China acceptum Romæ seuit, educauit, arborescens, florensque hoc anno effecit, vt oculatus sum testis: illam enim cubiculo meo oppositam immò appositam quotidie spectо. Sic ergo ipse: Ætas floreæ* Rosam Chinensem *pingit. Videas frondibus, magnitudine ac forma, pampinos imitantibus conuestitam, ex smaragdino debiscentis calicis conclaui, multiplici foliorum syrmate regaliter explicato, in publicam lucem prodire, lucis ipsius formosa discrimina quotidie sic æmulantem, vt initio quidem candidam, deinde ex candida rubentem, postremò saturo colore purpuream: hoc est, simul aliam, simul eamdem admireris, & quotidiani miraculi nouitate fateri cogaris, ad florum reginam, quæ tamquàm sol alter vario fuco lucis diem colorat, colorum principes vicissim accedere tributarios.* Sic illi, vt in ore duorum omni maiorum exceptione testium stet hoc mirabile, & Dei potentiam, sapientiam, & pulchritudinem enarrans verbum. Quibus addendus & tertius, fidelis & ipse in Poëtica venustate, P. Ioannes Baptista Bargiocchus *Lib. Epigrammatum* 2. *Epigram.* 160. tenoris sequentis.

Rosa Chinensis *Romam delata, admirabilis.* P. Cornel.

P Ferrar.

ROSA SINENSIS.

QVàm benè formosos variat natura colores,
Dum Rosa Sinensis, quæ rubet, alba fuit.
Scilicet hæc primùm diues candore niuali,
Vulsa solo sensim tincta rubore nitet.
Seu citò sit lymphis grauido superaddita vitro,
Seu iaceat ficco fortè relicta solo.
Disce hinc Virginitas quàm sit vicina pudori,
Quando hæc tam facilè purpurat alba Rosa.

99. Huic Orientali rosæ Occidentalis alia, mirabilior sanè respondit. Mortua est Peruuiana Rosa *anno* 1617. *die* 26. *Augusti.* Et non multò post,

Chinensi vt Peruuiana respondeat.

poſt, ſi non corpus, ſanctitatis tamen fama, & miraculoſi ſucceſſus ad vrbem ſanctam peruenerunt. *Roſa recens à longinquo olet, ſi ea propriùs.* Ita Plinius *Lib.21. Cap.7.* & Peruuiana quidem in morte recens, quia felix ſanctorum eſt in morte natiuitas, & ideò tunc & recens, à Peruuio, longinquo adeò, vt pluſquam trium mille leucarum à Roma ſit interiectu diſcretum, odorem ſuum, odorem ſcilicet miræ ſanctitatis, nouæ Catharinæ Senenſis, effuderit, ſimul eadem, ſimul alia diebus ſingulis, principibus coloribus, tamquàm ſol alter, ſol inquam iuſtitiæ, Angelis & hominibus admiranda. Priùs candida, dum matutina in contemplatione candore lucis æternæ abundè perfruita, eodem illuſtrata viſebatur. Deinde rubens, cùm Miſſæ ſacrificio aſſiſtens, & ſponſum in communione ſacra candidum & rubicundum accipiens, ex eo etiam & animo & corpore ſimul cum candore rubebat. Purpurea inſuper, dum proprij effuſione ſanguinis purpuraſceret, corona ferreis acuminibus adpreſſa capiti, & multiplici flagrorum apparatu, *ſponſum ſanguinum* imitata. Exodi. 4. v. 25. Laudem illam ſponſæ habemus Cantic.7.v.5. *Caput tuum vt Carmelus, & comæ capitis tui, ſicut purpura regis vincta canalibus.* vbi effuſi à Chriſto ſanguinis myſtica deſignatio. Quia enim Carmelus idem eſt ac *ſcientia circumciſionis*, ideò caput ſponſæ eidem ſimile perhibetur, iuxta Guilielmum: cuius & illud: *Purpura regis eſt proprio rubens ſanguine caro Redemptoris. Sed tempore paſſionis in regalem purpuram hominibus & Angelis adorandam, in proprio ſanguine tincta eſt &c.* Iuxta quæ B. Roſæ caput vt Carmelus, & regia purpura, quia Chriſti in præfatis myſterijs effuſum ſanguinem, alta conſideratione perpendens, & coronam eius ſpineam ferreæ tormento coronæ, & dira verberatione, Regem eſt regum, & dominantium Dominum, iuſtitiæque ſolem ſuo in occaſu purpureum æmulata. Quæ quidem per otium poterit qui voluerit ampliare. Illud addam reuelatum ipſi breui morituræ honorandum eius corpus, & ſupra illud ſtramentum holoſericum purpureum expandendum. Quod quidem ex ore incorruptiſſimi teſtis audiui, cui illud ipſa fuerat ingenuè proteſtata. Fuit is P. Ioannes de Villalobos, cuius memoria in benedictione huius Prouinciæ eſt.

Cant 7.v.5. Guilielm. *Peculiaris reuelatio.*

100. Hanc ergo Roſam SS.Dom.Clemens IX. Beatificationis honore condecorans, eius feſtum voluit ritibus ſupra ordinarios conceſſis honorari apud Peruuianos, & Limanos præcipuè conciues: & inter alia eius Reliquias corporis publicæ veneration exponendas indulſit, addens tamen, *ſed non circumferantur.* Vnde orta quæſtio, an eius poſſet circumferri imago; circa quod plures annuerunt; immò aliquibus nec dubium ſubiuit id certiſſimum arbitratis. Et ratio quidem ex eo videbatur aperta, quod minimè vetitum videbatur, ſola Reliquiarum circumlatione prohibita, quæ cùm exceptio ſit, ex ea intentum apparebat certum, ex vulgari axiomate, quòd *exceptio firmat regulam in contrarium*, ab Illuſtriſſimo Barboſa multis & Textibus, & Doctoribus exornatum in *Tractatu de Axiomatibus Iuris Axiom.* 85. Aliunde tamen prohibitio Alexandri VII. videbatur obſtare, de qua dictum *Parte 2. Sect. 1.* & huius partis erant ſolidiſſima profectò fundamenta.

Pro licita Reliquiarum portatione quid faciat. Barboſa.

101. Primum, ex dicta Alexandri prohibitione, quam ſuam circa hoc retinere vim non videtur poſſe dubitati, dum nihil in contrarium affertur, quod eam poſſit infirmare. Et quod de exceptione firmante regulam in contrarium eſt dictum, minimè fauet, illud enim non currit quando diſpoſitio poteſt aliter rationabiliter explicari, neque ad ampliationem trahi, quod diuerſam materiam reſpicit, & ita ſeparabile prorſus inuenitur. Pro quo citatus Barboſa, vbi plures adducit præfati Axiomatis limitationes, quæ præſenti caſui poſſunt adaptari. Et quidem exceptio generalem diſpoſitionem reſpicit, cuius limitatio ſit. Tunc ſic. Quando Pontifex concedit Reliquiarum cultum, quænam generalis diſpoſitio eſt, vt per exceptionem circumlationis earum ad imaginis circumlationem veniat conceſſio proroganda? Nulla equidem. Non ergo exceptio eſt communis regulæ, ſed ſingularis conceſſionis limitatio; ex qua ad ſummum argui poteſt argumento à ſimili deducto, ſiue à maiori ad minus, quod erit diuerſum fundamentum, de quo inferiùs. Et quidem conceſſio in hunc modum poterat procedere: *Concedo vt B.Roſæ cultus publicus deferatur, ſed eius Reliquiæ non circumferantur.* Tunc quidem ad imaginis deportationem in ſacra pompa magnum eſſet fundamentum, quia reſpectu cultus publici exceptio eſt vnica conſtituta. In noſtro autem caſu aliter res habet, quia cultus publicus non eſt abſolutè conceſſus, ſed aliqua ad illum ſpectantia, ex quibus ad alia fieri illatio nequit, niſi errante conſequentia.

Primum vt non liceat fundamentum ex prohibitione Alex.7.

102. Secundum. Quia ſtante prohibitione Alexandri VII. & anteriore alia Innocentij X. imago Beati ſine ſpeciali conceſſione nequit in publica ſupplicatione portari: Atqui pro caſu noſtro nulla eſt ſpecialis conceſſio: non ergo licet. Dici poteſt à maiori ad minus deduci argumentum poſſe: nam præterquàm quòd Miſſa & Officium conceditur, alia non ſolita pro Beatis concedi liberaliter indulgentur, ſcilicet vt Feſtum extra proprium obitus diem celebrari poſſit, Indulgentiæ &c. Accedit diſpenſatio circa tempus, in quo non erat de publici cultus impartitione tractandum, annorum ſcilicet quinquaginta ab Vrbano VIII. conſtitutum. Sed quidem prædicta minimi videntur eſſe momenti. Primum enim de Miſſa & Officio nimium probat; ex eo enim fieret Beatis nihil ad cultum ſpectans poſſe negari; quantumcumque enim illud fuerit, minus ſacroſancto Miſſæ ſacrificio eſt: & tamen videmus à Pontificibus illud concedentibus, circa cultum multa moderari, vt ſolemni Canonizationi illa reſeruentur. Quod & in Canonizatis etiam eſt cernere, quorum eſt cultus inæqualis, nec poteſt ob præfatam rationem ad libitum cuiuſquam extendi. Alia autem, quæ peculiaria ſunt, pro peculiari hoc, de quo agimus, non vrgent, quia cùm inter peculiaria illa hoc potuerit exprimi, expreſſum tamen non eſt. Conceſſionum autem huiuſmodi non excedendus tenor, vt eſt mens aperta ipſorum Auctorum. *Cap.Porrò* de Priuilegijs, & alibi. Et in materia, de qua agimus extat generale Decretum Vrbani VIII. quod in Miſſali, & Breuiario Romanis poſt eiuſdem Bullam apponitur, cuius illa ſunt verba: *De Beatis nondum Canonizatis nihil propria auctoritate conſti-*

Secundum, quia nihil adducitur, quo infirmetur diſpoſitio. *Cap.*Porrò. *Decretum* Vrbani 8.

conſtituatur, ſed omnino conſulatur Sacra Rituum Congregatio.

Tertium, quia res ſine exemplo.

103. Tertium ex eo venit, quod res ſine exemplo ſit: numquàm enim à Sede Apoſtolica conceditur vt Beatorum imagines, cùm Beatificationis feſtum agitur (quod & eiſdem in Decreto Alexandri negatur) in publica poſſint pompa portari, neque circa B. Roſam ſcimus alibi ſecus fuiſſe peractum. Neque adduci iam poſſunt vetuſtiora exempla, quæ & ego vidi, & quibus interfui: nam in primis dici poteſt non ſatis conſultò talia perpetrata: ſicut & multa alia, quæ in Decretis Pontificum ſunt abuſus manifeſti, condemnata, ob conceſſionum exceſſum. Deinde in aliquibus ex prædictis quorumdam Scriptorum eſt auctoritas ſuffragata, quæ tamen iam in patrocinium nequit aduocari, quia contra eos, vtpotè non veros Pontificiæ mentis interpretes ſacra Edicta prodierunt. Beati Andreæ Inquiſitoris Martyris nupera Beatificatio extat: circa quã cùm ſupremum Inquiſitionis Tribunal formam tenendam Tribunali Limano tranſmiſerit, de ſupplicatione publica additum nihil, vtpotè quæ in vſu non ſit, minimè circa hoc Sede Apoſtolica conniuente. Vnde ſine circumlatione publica ſacræ ſtatuæ, illius eſt feſtum in templo D. Dominici aſſiſtentibus Dominis & Miniſtris ſolemniter celebratum.

Vltimum ex negata Reliquijs circumlatione, quæ honorabiliores.

104. Tandem, ſacri corporis Reliquiæ circumferri prohibitæ: ergo & imago, dum generalis conceſſio non habetur, de qua *n.*101. Conſequentia videtur vrgere, quia Sanctorum Reliquijs magis peculiaris honor, quàm eorum imaginibus iuxta vſum Eccleſiæ debetur, ſi de ijs præſertim loquamur, quæ partes corporum ſunt, vt obſeruat D. Thomas 3. *p. q.25.arti.4.in Corp.* vnde imagines, ſi iam vetuſtate detritæ ſint, & publico indecoræ conſpectui, aut diſijciuntur, aut ad obſcuriora conclauia deportantur. Quod quidem cum Reliquijs neque fit, neque fieri, niſi irreligioſiſſimè, poteſt, ſed vaſis pretioſis incluſæ pro fouenda fidelium deuotione publicitùs proponuntur. Hinc etiam habetur, vt cùm imagines quibuſuis in locis non indecentibus locari poſſint; Reliquias tamen non niſi locis decentiſſimis haberi liceat, nec paſſim contractari. Vnde Innocentius Tertius in *Cap.Cùm eo* de Reliquijs & venerat. Sanctorum præcipit eas rarò oſtendi & quod *extra capſam nullatenus oſtendantur.* Vult ergo eiſdem peculiarem venerationem adhiberi; quam quidem erga imagines non ita debere impendi, niſi aliàs valde miraculoſæ ſint, eſt ſine aliqua dubitatione compertum.

D.Thom. *Cap* Cùm eo.

Secus factũ, & quid circa illud.

105. Ex quibus videtur ita fieri debuiſſe; ſed non ita factum, & bona quidem fide, annuente pijſſimo Archipræſule, & pompam ritu Pontificio cohoneſtante, quo fuerat Sacra Officia à primis Veſperis executus: pro cujus adaugenda maieſtate multa ſunt & decori & ornatui commodiſſima, & magnificentiæ pleniſſima, cumulata; omnia promouente Excellentiſſimo Prorege Comite de Lemus, cuius pietati nullam hucuſque Peruuium vidit æqualem: & quidem iuxta Apoſtolum, ad omnia vtilem 1. *Tim.*4.*v.*8. omnia enim piæ eius induſtriæ beneficio feliciorem ſunt ſtatum conſecuta, vt exclamare cum Poëtarum maximo liceat: *Heu pietas! Heu priſca fides!* Aneid. 6. *Heu* inquam, quæ dolentis vox eſt, dum id, quod ſumma eſt æſtimatione digniſſimum, non deſunt qui pergant maledicentiæ nebulis obſcurare. Sed *Dij meliora pijs; errorem-que hoſtibus illum.* Idem 3. Georg. vbi *Ardorem* alij, & hic vtrumque. Quod Chriſtianè & religioſe ſit dictum, vt & is, de quo eſt ſermo, deſiderat.

Excellentiſſ. Prorex Comes Lemnius laudatus. Virgilius.

106. Et ego quidem vbi debui, quod ſentiebam dixi, remq; Ordinarij diſpoſitioni relinquendam, cui, & non alijs, executiò Decreti Alexandri VII. eſt commiſſa. Sed cui commiſſa, non miſſa illius authentica copia, vnde & veroſimile aliquid ſublucere potuit iuxta Scriptorum quorumdam laxiorem ſenſum, quo potuit functio, de qua agimus, honeſtari. Et Decretum quidem in Hiſpania non admiſſum; ſeu de illo ſupplicatum, neſcio quo, multos ante dies, fundamento in nonnullos rumor confuſus emanauit, de quo nihil ad nos ſcriptum, ad quos tamen Decretum Alexandri tranſmiſſum. Ea enim eſt Procuratoris pro vniuerſa Societate Romæ agentis diligentia, vt quidquid huiuſmodi à Romana Sede prodeat, in Prouincias etiam remotiſſimas traſumptis authenticis dirigatur. Quod equidem ſi erga Epiſcopos fieret, magnum ea diligentia momentum haberet, & eſt illa eiuſdem S. Sedis zelo digniſſima. Poſſetque ſaltim circa Metropolitanos ita diſponi, vt ex ipſis ad ſuffraganeos notitia flueret legaliter intimata. Cùm autem Decretum tale nihil pro Indijs ſpeciale contineat, non debet credi executionem ea de cauſſa ſuſpenſam: & cum aliàs pro ſuſpenſione leuiſſimum fundamentum ſubſit, non debet in illis eatenus ſuſpenſio tolerari. Nec de his plura.

De Auctoris iudicio. *De ſupplicatione pro Decreti executione.* *Pro tranſmiſſione tamquam Romæ cura adſit, & deſideratur.*

SECTIO III.

De Indulto circa Indicos Mercatores Regis noſtri prouidentia conſtituto. Vbi nonnulla vtiliter decernuntur.

Indulti forma & vtilitas.

107. Est illud Regia pariter & Indicorum inſtitorum vtilitate diſpoſitum, vt & Rex pro Claſſium ſumptibus neceſſaria ſubſidia comparet, & illi cum omni ſecuritate, & expenſis moderatis, ſuas poſſint in Hiſpaniam copioſas auri & argenti tranſducere facultates: neque opus habeant Hiſpali pro extrahendis illis ex domo Contractationis, eas moleſtias pati, quas & moræ, & nouæ expenſæ, & ſuper omnia timor eas non integras recipiendi, ſi pro Regijs neceſſitatibus mutuum aliquid, tardè ſoluendum, & cum non leuibus mutuantium iacturis, ſolent importare. Ideò eiſdem certa ducatorum ſumma imponitur, ex quibus Peruuiani 350. millia ſoluunt, & eorum curæ quidquid ad aueriam ſpectat relinquitur; vt ipſi regiſtro facto in Callaenſi portu, pro quo vnus ex commercij primoribus deſignatur, & Panamæ alij, qui in loco, per quem neceſſarius eſt futurus tranſitus ad Portumbellum, excubias agant, ne quid ſine regiſtro præuolet. Quia enim ante ordinariam Peruuiani theſauri tranſmiſſionem magna ſolet argenti

argenti copia Panamensem in portum transuehi registrio deuitato, ideò nouæ pro eo cura ibidem est adhibenda, quæ & in Portubello non omittenda, quia eò etiam solent ingentes copiæ præferri: cui incommodo non videtur suus occursus defuturus. Quòd si ex manifestatis summa soluenda integrari nequeat, imaginaria distributio fit, de qua diximus in *Thesauro Tit. 5. num. 113.* Circa quæ

Assertio 1.

108. Dico Primò. Id quod in Thesauro dictum *Titulo 5. Cap. 17.* de Aueria, stante Indulto prædicto pariter obseruandum, quia Rex ius omne suum circa illam in Commercium transfundit, & ita eadem est circa ipsam obligatio modo ibidem explicato.

Assertio 2. Administros Indulti, sicut & Regios ad restitutionem damni teneri ex gabellarum defraudatione. P. Leander à Murcia. Doctor Ioannes Machadus

Dico Secundò. Commissarij circa executionem Indulti eodem modo grauare conscientias possunt, quo Regij administri, de quibus ibidem dictum. Pro quo & stat P. Leander à Murcia *in Disquisitionibus moralibus Lib. 2. Resolut. 21.* vbi statuit teneri illos ad restitutionem damni illati, licet non ad pœnas, de quibus *leg. 3. 4. 8. & 9. Tit. 24. Lib. 1. & leg. 10. Tit. 30. & leg. 1. Tit. 32. Lib. 5. Recopilat.* Sic *n. 4. & 5.* vbi adducit Doctorem Ioannem Machadum *Tomo 2. perfecti Confessarij Lib. 6. Parte 8. Tract. 3. Documento 14.* dicens se illius non probare sententiam (quam in ordine ad restitutionem damni affirmat verissimam) quatenus asserit ad gabellarum restitutionem teneri. Nam gabellæ debentur ex lege pœnali, quæ non obligat in conscientia; quod quidem in materia, de qua agimus, asseruerat *n. 2.* ergo ante sententiam non tenentur ad earum solutionem. Id ergo solum ex iustitia debent, quod ex secura transuectione Regi est debitum, sicut deberetur cuicumque nauigij domino quod ad negotium huiusmodi deseruiret.

Non bene à P. Leandro id negatum ostenditur discursu claro.

109. Sed cùm de Regijs ministris resolutio illius procedat, de qua agit, à n. 3. non videtur accommodata doctrina: nam tales tenentur ad restitutionem damni illati, quidquid de Mercatoribus sit: Atqui damnum illatum est in defraudatione gabellarum, cuius ipsi fuerunt caussæ: ergo illud restituere tenentur. Maior est receptissima doctrina, quæ & admittitur ab Auctore citato; & Minor est euidens; vnde & est legitima consequentia. Nec dici potest ministros tales teneri tantùm ex lege pœnali, quandoquidem leges eam eisdem assignant, quia in hoc est aperta deceptio: non enim tenentur tantùm ex legę pœnali, sed ex contractu, ex quo obligatio oritur iustitiæ commutatiuæ: Rex enim cum talibus paciscitur, & sub conditione onerosa ex equendi suum munus illis competens salarium assignat. Pro quo Auctores à me dati in *Thesauro Tit. 3. n. 18. Tit. 4. n. 67. & seqq. & Tit. 5. n. 5. 8. 12. 13. 16. 18. 19. & 24.* quibus addo Patrem Vasquez Opusculo de Restitutione *Cap. 7. n. 61.* vbi alios adducit, & de legibus pœnalibus loquitur. De quo & *Cap. 6. §. 3. Dub. 2.* vbi de gabellarum obligatione ex professo disserit. Prætereà, gabellæ, de quibus agimus, debentur titulo transuectionis rerum cum earum securitate: ergo ex earum defraudatione obligatio restitutionis in Officialibus oritur. Antecedens constat ex dictis, de Aueria *citato in Capite* & Consequentia patet: Nam P. Leander fatetur deberi ex eo titulo, & ita id, quod negat, ex eo, quod admittit, cogitur confiteri.

P. Vasquez.

110. Dico Tertiò. Qui simul administri aut Commissarij sunt, & etiam Mercatores, indubitatum videtur non posse Aueriam defraudare, attributa sibi abutentes potestate: neque enim in damnum eorum conuertenda est, qui nullo ex capite tenentur id suis ex facultatibus supplere, quod ad integrandam summam Regi exhibendam est necessarium: nisi fortè ex illorum consensu inde ipsis stipendium laboris obueniat; in quo quidem & laboris ipsius ratio, & facultatum pariter est habenda.

Assertio 3. Circa Administros qui & Mercatores.

111. Dico Quartò. Prædicti Commissarij ob gratificandum amicis nequeunt dissimulatione vti in notabili quantitate. Probatur ratione nuper adducta, quia scilicet id in aliorum cedit notabile detrimentum. Dixi *in notabili quantitate*, quia si talis non sit, attentis opulentiæ circumstantijs, cùm tamen aliàs talis esset, non videtur in eo graue esse peccatum, quia in rebus istis non solet ita delicatum examen adhiberi: estque id iuxta Mercatorum ipsorum voluntatem, ex quorum opibus summa extrahenda est: nullus enim vult secum ita delicatè agi: vnde neque circa alios eum agendi modum condemnabilem arbitrantur.

Assertio 4. Dissimulatio in illis est lethalis. Et qualis toleranda.

112. Dico Quintò. Gubernatores etiam supremi, si contractare velint, & ea de caussa argentum mittere, debent communem alijs legem obseruare. Et quidem videtur in illis vrgentior ratio obligationis: nam vt Mercatores suam debent ad constitutæ summæ implementum portionem inferre; aliàs id accidet, quod nuper diximus, aliorum scilicet detrimentum. Deinde ratione Officij debent exemplo præire, & scandalum amouere, ne eorum imitatione alij huiusmodi fraudibus assuescant. Nisi fortè Mercatores velint circa hoc sponte gratificari, quod respectu omnium difficile apparet, quod est tamen conscientiæ conniuentium relinquendum.

Assertio 5. Circa Gubernatores supremos.

113. Dico Sextò. Mercatores tenentur ad Auerię solutionem sub reatu lethalis peccati, & cum onere restitutionis. Id probo, quia circa hoc nulla esse excusatio potest ex ijs, quæ apud Scriptores occurrunt de gabellarum obligatione tractantium, & legibus pœnalibus circa illas: Nam in casu nostro res aliter se habet: est enim contractus reciprocam pariens obligationem, innominatus quidem, *do vt facias*, vel, *do* vt *des*, securam scilicet nauigationem & alia, de quibus dictum *n. 107.* Quando autem ita accidit, obligatio in foro animæ resultat. Pro quo iuuat id, quod habet P. Fagundez *de Iustitia & Iure Lib. 5. Cap. 5. num. 5.* vbi ait Henricum Cardinalem Regis Sebastiani tutorem, vt finem molestijs populorum in exactione gabellarum, & clamoribus propter illas imponeret, cum populis totius regni contractum inijsse transactionis, & amicabilis compositionis, ea conditione ex parte populorum, vt in posterùm integras gabellas soluerent eo modo, quo eas tunc temporis soluebant; & quòd incapitarentur in populis, in singulis districtis, & Concilijs: ea verò ex parte Regis, vt nullo vnquàm tempore augerentur, nec illarum incapitatio mutaretur. Iuxta quem procedendi modum manifestum est gabellas in foro conscientiæ deberi ad

Assertio 6. Obligationi Aueriæ esse sub reatu lethali.

P. Fagund.

Exemplum aptum ex incapitatione.

ad summam enim constitutam omnes debent concurrere, & ita aliorum damna quisque vitare, quæ ex defraudatione necessariò sequerentur.

Assertio 7. Reddendum quod ex collecta superfuerit.

114. Dico Septimò. Si supra id, quod pro summa Regi reddenda necessarium est, plus aliquid facto registro supersit, pro rata est ijs, qui concurrerunt ad illam, redhibendum. Id constat, quia solùm ad summam dictam tenentur: ergo quod supereſt ad conferentes spectat, non ad Regem, qui taxata est summa contentus, non ad Commissarios omni iure carentes. Ad quos ergo? Potest etiam contingere vt ante finitum registrum habeatur iam summa Regi tribuenda: non tamen propterea qui reliqui sunt Mercatores à registro immunes dimittendi, sed vsque ad vltimum in ea est diligentia procedendum, vt sic ex illis, quæ supersunt, ijs, qui priores fuerunt suæ proportionatæ cedant portiones. Vnde si remissius cum postremis agatur, quod accidere potest ad vitandum laborem, & suis rebus consulturis, in eo grauiter, & cum restitutionis obligatione, peccabunt. Quòd si quidquam pro tali detur incuria non erit obligatio restitutionis, quod & in ministris alijs communis sententia firmat, pro qua P. Leander *supra in fine* adducit Patres Lessium & Sancium, & Villalobos, Bonacinam ac Machadum, quos & sequitur. His addendus P. Vasquez Opusculo de *Restitutione Cap. 7. nu. 60. & 61.* vbi ait leges Hispaniæ nullum facere incapacem ad recipienda munera, licet in eo grauiter peccare contingat, nisi vbi pro actione aliqua Officio propria est taxatum stipendium, & in Secretarijs, quam solam legem se vidisse affirmat *Lib. 2. Recopilat. Tit. 18. l. 1.* (pro *libro*, in quo error) quæ & ad pœnæ solutionem obligent, in quo tamen non esse receptam attestaturos.

Obseruatio notanda.

Pro malè accepto à Commissarijs non esse obligationem restitutionis. P. Leander P. Vasquez

In quibus illa.

Si tenuis an obliget ad officium.

SECTIO IV.

Circa obligationem diuini Officij in Capellano, qui integram pro sustentatione non recipit portionem. Difficultas peculiaris ad dicta in Thesauro Tit. 16. n. 15. & seqq.

Capellania collatiua est Beneficium.

115. QVia circa illa casus non contemnendus, & Indias etiam concernens, occurrit, hoc loco vtiliter discutiendus. Capellaniam quis habet Collatiuam: & tales Beneficij Ecclesiastici rationem habere communis sententia est, pro qua videndus P. Vasquez in *Opusculo de Beneficijs Cap. 4. §. 1. Arti. 1. Dub. 3.* vbi suppresso nomine refert aliquos, qui id sunt inficiati. Sed quia ætatem pro Sacerdotio non habet, Missas per alium dicit iuxta fundatoris voluntatem, in quo pars redditus maior impenditur, proprietario, quod est reliquum, & *superauit* vulgò dicitur, reseruato. At illud tale non est vt sustentationi etiam valdè moderatæ, sufficiat, licet pro bona illius parte sufficiens videatur. Quæsitum ergo an ad officij diuini recitationem teneretur, & teneri quidem sententia grauium Scriptorum est, qui tenue quantumuis Beneficium pro eo sufficiens arbitrantur, ex quibus plures adducit P. Vasquez *supra Dub. 5.* eos secutus sicut & P. Palaus *Tomo 2. Disp. 2. de Oratione Punct. 1. §. 2. num. 9.* Contrarium tamen tenent plures, vt visum *citato n. 15. Thesauri*, vbi & sententiam hanc probabiliorem esse ex P. Thoma Sancio indicauimus. Verùm licet ita sentiant multi, cùm ad tenuitatem explicandam accedunt, non eam censent plures talem, quando Beneficij redditus ad bonam partem sustentationis sufficiunt, vt dictum etiam in *Thesauro nu. 16.* vbi ex eodem Patre, qui varios dicendi modos circa designationem huius partis adducit, etiã dictum id esse prudentis arbitrio relinquendum. In casu autẽ nostro sufficiens apparet, cùm ad centum & triginta octo regales, vulgo *Patacones*, ascendat, quæ summa aliquantulùm maior est dimidia eorum parte, qui pro alimentis solent annuatim in Seminarijs Scholasticorum bene instructis, & decentem victum exhibentibus, impertiri: vnde & pro Beneficio videri posset sola sufficiens, & in casu præsenti ad officij obligationem, stante aliàs illius proprietate.

P. Palaus. P. Sancius.

P. Lessij *sentiant.*

116. Et casum quidem magis in speciali proponens P. Lessius Lib. 2. *de Iust. & Iure Cap. 34. nu. 172.* ait non videri excusandos, qui habent Altaria vel Capellas, & cùm non sint Sacerdotes, expendunt maiorem partem prouentuum in substitutum, qui sacra faciat: *est enim* (ait ille) *nonnullus abusus merito reformandus, quod talia Beneficia dentur adolescentibus: vnde non potest censeri mens Ecclesiæ vt excusentur.* Deinde illa Beneficia per se sufficiunt ad bonam partem sustentationis, quòd autem illi maiorem partem prouentuum cogantur alijs dare, est ex eo quòd ipsi sunt inepti ad primariam Beneficij functionem, quod non debet eos excusare. Addit autem sic: *Quia tamen posim est consuetudo, vt talia dentur adolescentibus, senserit aliquis non condemnandum, si quis cum illis aliqua moderatione vtendum putet. Supposita enim illa consuetudine non plus censetur Beneficium suo possessori valere, quàm, quod deducto stipendio Sacerdotis supereſt. Sed hæc res non est amplianda, nec putarim faciendum absque expresso vel tacito Pontificis consensu.* Sic ille: qui dum moderatione vtendum vult, iuxta id videtur accipiendus, quod habet, *nu. 189. in fine*, ita scribens: *Sentio tamen omnes qui aliquid percipiunt, aliquoties teneri per annum. v. g. festis & Dominicis, pro vt ratio dictauerit: non enim par est vt fructus aliquos percipiant, & numquàm Officium recitent: neque etiam vt ob tam exiguos fructus obligentur quotidie, sed vtendum Epikeia, & moderandum iuxta piam Ecclesiæ mentem.* Sic ille. Quod & videtur probare Victorellus *in Additionibus ad Caput. 12. Lib. 2. Cardinalis Toleti §. Qui Beneficium & circa Cap. 14. §. Contrarium tamen.* Vbi in eo videtur deceptus, quòd existimet P. Lessium tenue asserere Beneficium, quod pro tenui sustentatione tantùm habet 15. aut 16. aureos, sicut & P. Tamburinus *Lib. 2. in Decalogum Cap. 5. nu. 24.* verba illius sunt: *Vnde mihi videtur probabile eum non teneri ad quotidianum pensum precum Canonicarum, cuius Beneficium est adeò tenue, vt non suppeditet bonam partem tenuis* sustẽ-

Victorellus

P. Tambur.

P. Lessius.

Quod censeatur tenue Beneficium.

sustentationis. v.g. 15. *aut* 16. *aureos.* Sic ille: iuxta quem, Beneficium quod non suppeditat 15. aut 16. aureos, tenue est ad effectum dictum: vnde à contrario quod suppeditat illos tenue non est, aliàs non benè quota illa fuisset assignata. Multa huiusmodi accidunt in Auctorum citatione, quia cursim leguntur. Verum quidem est nonnullos, quos suppresso nomine refert P. Thomas Sancius *Lib.* 2. *Consil. Cap.* 2. *Dub.* 67. *nu.* 5. quos & sequitur, laudatis pro eo P. Henriquez, & Dominico Soto, censere sexdecim aureos non esse summam competentem his temporibus in Hispania ob pretia rerum adaucta: quo non obstante P. Lessius in Belgio scribens, vbi commodiora illa, ita existimare potuisse, sicut & Thomistas aliquos, de quibus idem P. Sancius *nu.* 3. qui tamen cum P. Lessio in eo conueniunt, quod si valet Beneficium 12. aut 10. aut 15. numos aureos ad partem tantùm arbitrio boni teneantur: si minùs, ad nihil, in quo aliter censet P. Lessius, de quo *inferius* redibit sermo.

P. Sancius.

1. Assertio pro verosimili obligatione.

117. Dico Primò. Valde verosimile apparet Beneficiatum dictum ad aliquod sacrum officium teneri. Probatur: quia Scriptorum de hoc agentium mente non apparet sat solidum in eorum assertis fundamentum ad obligationem penitus remouendam. Constat ex dictis, quia aut omnino obligant, licet tenue Beneficium sit; aut si admirtunt, id in eo casu est, in quo redditus non sufficiunt ab bonam partem sustentationis, quæ tamen in casu nostro videtur stare, vt vidimus, considerabili illa quantitate. Vnde si qui inueniuntur Recentiores Thomistæ absolutè decernentes, iuxta præfatam doctrinam sunt accipiendi, vel reijciendi penitus, vt qui omnino inuerosimiliter opinentur.

2. Assertio pro verosimili P. Lessij *sententia.*

118. Dico Secundò. Sententia P. Lessij de obligationis moderatione circa Horas Canonicas est valde probabilis. Id probo, quia Auctorem habet sapientia & probitate percelebrem, & doctos Thomistas, vt vidimus, nec contemnendam rationem, quia Beneficium datur propter officium, & non titulo eleemosynæ ab Ecclesia confertur, estque contra omnem æquitatem, vt cùm ad recitationem obliget quando tenue non est, in illis, in quibus prouentus sunt minores, non debeat proportionata obligatio respondere, id quod minimè iuxta Ecclesiæ mentem esse videtur, vt nullo ministerio se Beneficiarium esse testetur, sicut etiam est valde alienum à fundatorum voluntate, vt nullum ex liberalitate sua fructum reportent, cùm non ingens aliquid, sed moderatum tantùm obsequium ab eisdem requiratur. Iuxta quæ non videtur conuenienter dictum à P. Thoma Sancio prædictum dicendi modum fundamento carere. Et quidem Thomistæ præfati cum minori rigore locuti, quia si Beneficium sit tantùm quinque ducatorum, ad nihil teneri Beneficiarium asseruerunt: cùm tamen P. Lessius generaliter pronuntiauit. Quamquàm aliàs illi ad Horarum partem obligatum dixerint, cùm redditus sunt maiores iuxta summam prædictam: & P. Lessius ad dies tantùm aliquos obligationem censeat limitandam, quod verosimilius apparet, quàm quotidianam Horarum partitionem iniungi, & quòd circa partem Horarum esse aliquando obligatio possit tenet idem P. Sancius *Ibidem Lib.* 7. *Cap.* 2. *Dubitat.* 43.

3. Assertio probabiliter exonerans Beneficiarium.

119. Dico Tertiò. Præfatus Beneficiarius probabiliter potest à recitatione Horarum Canonicarum excusari. Probatur ex doctrina P. Lessij *superiùs* adducta, stante eo quòd diximus de sufficienti quantitate ad bonam partem sustentationis, quia aut tertia est, aut maior, cùm graues Scriptores solam quartam ad excusationem censeant sufficientem: pro quo P. Sancius *Dubio* 67. *citato nu.* 4. cum alijs, & ante illum P. Suarez *Tomo* 2. *de Religione Lib.* 4. *de Horis Canonicis, Cap.* 21. *nu.* 10. Probatur inquam ex illius doctrina quatenus admittit causa studiorum cum talibus aliqua moderatione vtendum. Rogo iam quænam moderatio futura ista sit? Nam si prouentus ad bonam sustentationis partem non sufficiunt, iam ipse moderationem adhibuerat, de qua dictum, obligationem scilicet ad dies festos & Dominicos adstringendo. Ergo ratione studiorum nihil conceditur, cùm tamen ipse concedendum censeat, vel saltem vt verosimile admittat. Habebit ergo locum cùm tertia tantùm pars, aut plus aliquid, quod etiam Auctores præfati dicunt, sufficiens esset ad bonam partem sustentationis. Quia verò dictus Pater sola moderatione vtendum dicit, nec totalem patitur excusationem, iuxta illius philosophandi modum dici posset teneri diebus aliquibus ad recitationem, festiuis scilicet, aut Quintis ferijs, in quibus non adeuntur scholæ. Quibus tamen videtur obstare id, quod de consensu Pontificis adijcit: quod si ita sit, nihil est quod reuera concedit, nam cum consensu tali omnis cessat difficultas, & non tantùm moderatione vtendum, sed obligatio potest penitus aboleri.

P. Sancius.

P Suarez. P. Lessius.

Pro Indijs consensus Pontificius.

120. Est tamen aliquid vnde consensus possit verosimiliter coniectari. *Primò*, quia in Indijs impossibilis moraliter est recursus: dum enim de eo agitur, Capellanus ad ætatem perueniet, in qua Ordinem sacrum possit suscipere, cum quo certa recitandi veniet obligatio. Ergo ad arbitrium prudentis Consiliarij est id deferendum, sicut circa alia ex prædictis Doctores affirmant. Et ita non est à Pontificis alienum voluntate. Præterea coniectura satis valida ex eo deduci potest, quòd prouentus prædicti rationem pensionis habeant, licet non cum omni rigore talis sit, quia illis Beneficiarius ipse fruitur habens Beneficij possessionem & proprietatem: quod quidem in re fauorabili potest conuenienter admitti, cum reuera portio tantùm Beneficij sit studiorum causa à fundatore dispositа, & quidem vt pensio, quia fundatores non solent de huiusmodi subtilitatibus cogitare. Atqui pensionem titulo Clericali habentes ad solum officium paruum B. Virginis obligantur: & ita præfatus Beneficiarius illius recitatione poterit satisfacere, & licet non defuerint qui dicerent, Motum proprium Pij V. ita statuentis quoad hoc non esse vsu receptum, vt videri potest apud P. Vasquez *citato Arti.* 1. *n.* 20. ipse tamen id refellit, sicut & P. Sancius *supra Dub.*

Officio parui Virginis posse satisfieri, vt pensionarij.

Est in Hispania receptus motus proprius Pij V.

Dubit. 63. *num.* 4. cum multis, & præsertim cum P. Suario *suprà Cap.* 22. *num.* 5. vbi vti de re sibi certa in Hispania testatur, quod & alij communiter attestantur. Affirmat autem ibidem idem Pater pensiones à Pontificibus sæpè concedi *ad iuuandos iuuenes in studijs litterarum*: quod in casu nostro suffragatur.

17 quæ aliter obligatio cessare queant necessarijs sumptibus pro sustentatione.

121. Et hæc quidem verosimiliter, & mihi probabiliter dicta sint, si reuera redditus dicti ad tertiam partem sustentationis sufficiant: quia verò præter illa quæ ad victum spectant, sunt insuper plures faciendi sumptus in vestibus, habitatione, famulitio, infirmitatibus, & ceteris, quæ ad decentem statum pertinent, & in ipsis litterarijs actibus: dici fortè poterit tertiam partem non attingere. Quod si ita sit, expeditior prodibit resolutio. Et quidem ij, qui in Hispaniam filios suos mittunt vt Salmanticæ studia prosequantur, si quingentos octo regales, demptis pro transuectione expensis conferendos destinent, nullum in eo excessum recognoscunt. Quid ergo in Indijs? & licet contingere possit Beneficiarium talem aliunde pro sustentatione non tenuia habere subsidia, id est per accidens, sicut in stipendio pro Missis Doctores obseruant. Ex quo maius onus præfato Beneficiario imponi, recitatione scilicet officij dicti, quàm sit illud, quod P. Lessius illis arbitratur incumbere, recitatione maioris Officij diebus festiuis, quando redditus ad bonam sustentationis partem non sufficiunt, videtur compertum: ex eo enim quod quotidianum sit, non leue profectò est: licet id P. Suarez, de obligatione etiam maioris Officij locuto leue videatur, qui ex suo alios spiritu metiebatur, quo vtinam omnes prophetarent.

Officij parui quotidiana non leuis obligatio.

P Suarez.

SECTIO V.

An in electione Canonici Magistralis & Doctoralis debeat præferri qui in Ecclesia, in qua tales Præbendæ sunt, Beneficium habet. Vbi quid pro Indijs peculiare. Ad dicta in Thesauro Tit. 18. n. 80. & seqq.

Casus propositus.

122. Disceptatum circa hoc occasione nuperæ oppositionis ad Magistralem Canonicatum Limanę Ecclesię Metropolitanæ: fuit enim ex oppositoribus vnus qui inter tredecim hac prærogatiua singulariter excellebat, quia Portionarius integræ portionis, cum competentibus alijs qualitatibus ad prouisionem huiusmodi requisitis. Et pro eo videbatur stare Motus proprius Sixti IV. quem adducit Nicolaus Garcia *Tomo* 1. *de Beneficijs Parte* 5. *Cap.* 4. *nu.* 169. Pontifex enim erectionem dictarum Præbendarum faciens inter alia sic habet: *Qui si in eadem Ecclesia (Beneficiati, iuxta tenorem relatum in Motu proprio Leonis X. de quo statim) & alias sic qualificati reperiantur, alijs præferantur, sicque perpetuis futuris temporibus obseruetur* &c. Quod quidem à Leone X. approbatum prædictum Motum proprium confirmante suo alio, cuius & litteram ex integro inducit citatus Scriptor *ibidem*, quatenus tenore præfati Motus proprij adducto, & illa, quam retulimus,

Nicolaus Garcia.

Sixtus 4. & Leo 10. vt faueant.

clausula, ita profatur: *Litteras Sixti, & Innocentij* (VIII. scilicet, qui simultatem dictarum Præbendarum cum alijs prohibuerat &c.) *prædecessorum huiusmodi, cum omnibus & singulis in eis contentis clausulis auctoritate Apostolica approbamus & c.* Sic in cedula motus proprij: in ipsis autem litteris prout plenariè expeditis apud eumdem sic habetur: *Singulas Sixti & Innocentij prædecessorum Litteras huiusmodi cum omnibus & singulis in eis contentis, ex certa scientia nostra, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, & innouamus, ac perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inuiolabiliter obseruari debere decernimus.* Sic ille. Iuxta quæ Beneficiarij dictarum Ecclesiarum videntur præferendi. Quod & iuri est communi conforme, iuxta Textus à nobis adductos in *Thesauri Additionibus n.* 28. *Tomo* 1. vt scilicet *habeat vnusquisque suæ fructum militiæ in propria Ecclesia.* Circa quod.

Sicut & ius commune.

Assertio 1. Absolutè affirmans, si in eo sit excessus.

123. Dico Primò. Stante paritate qualitatum generaliter loquendo, Beneficiatus in propria Ecclesia, ratione talis qualitatis excedens, est proculdubio præferendus. Constat: ex aperta Pontificum decisione; non enim verba illa inutiliter posita sunt: & cùm sit grauis materia in materia iustitiæ, non videntur Electores à reatu lethalis criminis excusandi.

Assertio 2. negans vbi exceditur qualitas dicta.

Dico Secundò. Non est obligatio eligendi talem, si dicta qualitas alijs superatur. Id probo ex ipsa Pontificia dispositione, sic enim Sixtus. *Elapso tempore Edicti &c. ad illam procedere valeant, & in huiusmodi electionibus ipsi Electores iuramentum de eligendo magis idoneum, habito respectu ad vtilitatem Ecclesiæ, & mores personæ eligendæ, præstare teneantur &c.* Iuxta hæc ergo idoneitas multiplici ex capite sumenda est, vnde si Beneficiatus in Ecclesia, minus habens in alijs qualitatibus inueniatur, non est alijs in eis præstantibus præferendus. Quod quidem & Leo probat prædicta clausula adducta, & eam cum alijs approbans, innouans, & robore perpetuo confirmans. In qua quidem Assertio proposita satis indicata verbis illis: *& alias sic qualificati reperiantur.* Supponit enim posse non ita qualificatos inueniri, quibus Beneficiaria prærogatiua nihil sit alijs deficientibus, aut parùm eminentibus, valitura.

Sixtus IV.

Innocent. *Electorum.*

Leo X.

Assertio 3. idem statuens, si sit æqualitas.

124. Dico Tertiò. Si prædicta qualitas alijs adiuncta cum qualitatibus alterius paritatem constituat, ita vt excessus per illam compensetur, videtur talis iuxta mentem Pontificum præferendus. Id ostendo: Nam illi statuunt talem præferendum, vt vidimus. Rogo iam, quando talis dispositio sit locum habitura? Non quidem stante excessu iuxta præcedentem Assertionem: neque è contra quando excessum illa constituit iuxta primam Assertionem, quia sic non esset dispositio peculiaris, quandoquidem iuxta ius commune talis debet prælatio fieri, iuxta Textus, de quibus *nu.* 122. qui pro parte isti etiam apertè militant, dum præferendos statuunt, & præmium suæ militiæ spiritualis tali in prælatione habere determinant. Videantur ibidem dicta, hoc enim videntur euincere: ex quo fit Pontificiam decisionem ad casum Assertionis præsentis pertinere. Vbi etsi aliqualis sit excessus ex parte oppositoris, videtur similiter asserendum, quia parùm pro nihilo reputatur.

125. Dico Quartò. Casus potest occurrere,

SECTIO VI.

Proreges Indici an concedere licentiam possint ædificandi Ecclesiam in loco vbi alia extabat, sed in ampliorem ambitum commutata. Ad dicta Tomo 1. Thesauri Tit. 3. nu. 154. & seqq.

127. VT non liceat, videtur facere prohibitio, de qua *citato num.* 154. quæ iuxta concessionem Iulij Secundi procedit. Ecclesia de nouo ædificata verè noua Ecclesia est, nec quidem parua. Quòd si ex loco publico pro ampliatione quidquam assumatur, ea obstant quæ in Iure habentur de noui operis nuntiatione, quæ competit omnibus aduersus ædificantem in loco publico, & ijs præsertim, qui ex eo incommodum aliquod patiuntur, vt ex Baldo *Consil.* 464. habet Cardinalis Tuschus *Tomo* 5. *lit. N. Conclus.* 122. Quod & in Ecclesiarum ædificatione locum habet, quæ ædificari nequeunt, quando ex earum ædificatione magnum aliquod incommodum respectu alicuius sequeretur: immo nec ampliari, ex adductis ab Illustrissimo Barbosa *in Votis decisiuis & consultiuis Tomo* 2. *voto* 102. *n.* 46. *& seqq.* Quòd si damnum ratione publici loci sit, quia vel platea, vel via, aut quid aliud ad decorem aut commodum ciuium spectans, & etiam ratione alicuius priuati, id videtur manifestius. Et Proregem non posse pro eo licentiam concedere, quia numquam illis in præiudicium tertij potestas videtur concedi, vt ex Rebuffo & Auendaño tradit Dominus Solorzanus *Tomo* 2. *Lib.* 4. *Cap.* 10. *num.* 74. Id quod maiorem videtur difficultatem habere si Ecclesia talis sit Religiosa, adnexa scilicet Religiosorum habitationi, quia pro eo speciales prohibitiones extant, de quibus dictum *citato Thesauri loco.*

Concessio Iulij 2.

Prohibitio ædificandi loco publico, & cum alterius incommodo. Baldus. Tuschus.

Barbosa.

128. Dico Primò. Noua Ecclesia intra ambitum, in quo vetus Ecclesia erat, absolutè loquendo ædificari potest sine noua ad id necessaria facultate. Id constat, quia pro eo nulla apparet prohibitio: & sicut domum suam potest quisque in meliorem formam redigere, erigere, & ampliare, vbi nullum bono publico nocumentum infertur, etiamsi respectu priuatorum esse contingat, dum vtitur iure suo, pro quo Doctores apud P. Thomam Sancium *Tomo* 1. *Consil. moral. Lib* 1. *Cap.* 5. *Dub.* 9. *& apud Barbosam supra n.* 52. ita etiam de Ecclesia, & potiori quidem ratione dicendum.

Assertio 1. *Nouam Ecclesiam pro vetteri in eodem loco posse ædificari.*

P. Thomas Sancius. Barbosa.

129. Dico Secundò. Intra idem oppidum licita est Religiosæ Ecclesiæ mutatio pro maiori vtilitate, & necessitate, etiam sine peculiari Proregis, aut Episcopi licentia. Ita de solis Episcopis mentione inducta Diana *Parte* 2 *Tract.* 2. *Resolut. vltima.* adducens Mirandam, Portel, & Hieronymum Rodriquez. Lezana *Tomo* 1. *Parte* 1. *Cap.* 9. *num.* 35. cum Laurentio de Peyrinis *de priuileg. Minimorum circa Constitut.* 6. *Gregorij XV.* P. Pelli-

Assertio 2. *Idem statuens in eodem oppido.*

Diana.

Lezana.

Assertio 5. *Pro Indijs.*

126. Dico Quintò. Etiamsi in Indijs electio non spectet ad Capitulum cum Prælatis, quandoquidem præsentatio Regi reseruatur vt Patrono, idem quod circa electionem à nobis dictum, videtur obseruandum. Probatur, Quia Rex vt in plurimùm solet se maiori votorum parti conformare: vnde etiam si electio formaliter (vt sic loquar) ad Capitulares non spectet, radicaliter tamen videtur spectare. Deinde cùm ratione tituli dicti non leuis habeatur excessus, etiam est maior dignitas, vnde sine iniuria stare nequit illam non attendere, iuxta receptissimam sententiam, de quo in *Thesauro Tomo* 1. *Tit.* 1. *nu.* 68. *& seqq.* Quando autem est paritas, de qua *Assertione* 3. pro ea faciunt ibidem adducta. Et nolle quidem talem eligere, non nisi ex deprauato aliquo affectu solet prouenire. Neque iuramentum obstat de eligendo magis idoneo, ex quo videtur pro æquè idoneo non esse obligationem: nam magis idoneus iudicatur à Pontifice, qui in eadem Ecclesia militauit, sicut & à Iure communi vt vidimus: sicut & magis nobilis, non quòd melius credatur seruiturus, sed quia ad decorem Ecclesiæ pertinet tales habere ministros.

Sortibus quando vtendum

Iuramentum Electorum vt non obstet paritati.

Assertio 4. *pro casu peculiari, in quo Beneficiati qualitas non attenditur.* Nicolaus Garcia

P. Pellizarius *Tomo* 2. *Tract.* 8. *Sect.* 7. *num.* 91. qui & videndus *Cap.* 5. *num.* 64. vbi specialiter de Ecclesiæ Patrono cum Barbosa. Fundamentum desumi potest tum ex priuilegijs, tum ex ratione, quia mutatione tali nihil fit, quod Reipublicæ incommodare possit ob multiplicatas eleemosynas; aut Religiosis alijs ob eamdem rationem; nisi fortè ratione minoris distantiæ, quod tamen non curandum stantibus pro eo priuilegijs. Quæ quidem ostendunt, neque respectu Proregis necessariam esse licentiam: quamuis expediat ad vitandas controuersias & illum & Episcopum de mutationibus talibus admonere.

Assertio 3. *Circa Ecclesiam de iurisdictione Episcopi.*

130. Dico Tertiò. Si Ecclesia ad iurisdictionem Episcopi pertineat, non est circa illam quidquam notabile ab eo, qui ipsam proximè administrat, sine ipsius beneplacito disponendum. Res videtur extra dubium, quia administrator præcipuus est Episcopus: & sicut in profano ædificio nihil tale fieri potest administratore præcipuo non præmonito, ita & in Sacro, in quo plures sunt attendendæ rationes.

Assertio 4. *Proregem posse licentiam concedere cum quibusdam limitationibus.*

131. Dico Quartò Prorex potest licentiam concedere pro nouo ædificio cum aliqua amplificatione, etiamsi pro ea sit quidquam de publico assumendum, in quo notabile non recognoscatur incommodum, sicut & priuati alicuius, quando pro ædificatione magna resultat in publicum bonum vtilitas. Probatur. Quia nullibi hoc prohibitum reperitur: licet enim prohibitio extet circa ædificationem in loco publico: sed quòd pro aliquali ædificatione id nequeat concedere, nullibi prohibitum inuenietur. Et quidem prohibitio dicta ex eo habetur quòd talibus fabricis commoditas vsus publici, & oppidorum venustas impediatur: Atqui in casu nostro nihil tale accidit, quia quod ex loco publico desumitur, non est notabile, & ita neque commoditas neque decor possunt pati detrimentum: quod quidem & si aliquale sit, aliunde compensatur, vtilitate inquam magna spirituali, & præterea ædificij maiestate. Pro quo Illustrissimum Barbosam audijsse iuuabit *supra num.* 42. *& seqq.* sic loquentem: *Ita etiam pro erectione Campanilis poterit Ecclesia cogere vicinos ad vicinam domum vendendam, stante quod illud dicitur pars Ecclesiæ: & argumentum à toto ad partem validum est. l. Quæ de tota. ff. de rei vendicat. Euerardus in Topicis legalibus loco* 80. *cum alijs per me citatis in locis communium argument. iuris. loco* 114. *Ex quibus ita in terminis resoluit Ioannes Maria Nouarius qq. forens. par.* 2. *q.* 1. *num.* 6. *&* 11. *& rationem præstat ibi n.* 16. *quia campanile in Ecclesia ædificare respicit publicam vtilitatem, vt benè ait Carolus Maranta Controuersiarum iuris vtriusque, responsionum parte* 2. *responsi.* 22. *n.* 17. *Campanariæ Sacræ hæ turres in Ecclesijs vt fiant non parùm interest Reipublicæ Christianæ. Ergò à fortiori nullus vicinus poterit turris huiusmodi ædificationem impedire, etiam si ex aliqua parte incommoditatem reciperet peculiarem, cui publica præferri debet commoditas. Cap. Bona* 3. *vbi Glossa de postulat. Prælat. Cap. licet* 18. *de Regular. l. vtilitas. C. de primipilis lib.* 12. *Franciscus Antonius Costa Consilio* 28. *num.* 5. *&* 6. *volum* 1. *Tum quia fauor dilatationis, & augmentum cultus diuini, etiam in præiudicium antiquioris Ecclesiæ & vicinorum iuxta habitantium præualere debet, ad tx.*

Dom. Barbosam.

Etiam cum aliquali detractione loci publici id fiare.

132. Et licet de loco publico non videantur dicta procedere, iam ex dictis constat pro eo ratio, quia parùm pro nihilo reputatur: constat etiam ex fundamento à Doctoribus præfatis adducto de publica vtilitate, quæ præferenda est, quando agitur de caussa pietatis: non ergo contra bonum publicum tenditur, quando sic agitur, sed pro eo potiùs militatur, dum parùm vtile in aliud commutatur vtilius & excellentius, tum ratione boni spiritualis, tum etiam politici: quandoquidem Ecclesiarum decoræ fabricæ ad splendorem conferunt ciuitatum. Vnde dubitari nequit, cùm res sic se habent posse Proregem licentiam concedere, iuxta omnium allegatorum mentem, qui Magistratum posse officium impartire suum affirmant: quod cum magno grano salis faciendum admonet Stephanus Gratianus *Discept. forensium Tomo* 4. *Cap.* 741. *num.* 26. ne scilicet magnum præiudicium ratione exiguæ necessitatis in Ecclesia se opponentibus inferatur.

Stephanus Gratianus.

133. Quòd si contingat ex Senatus sententia post agitatam caussam inter partes, prohibitam fuisse ædificationem, vt in casu, de quo Dom. Solorzanus *supra num.* 77. id quidem nihil obstat: nam semel fundata Ecclesia, vt reuera fundata est, facultate concessa ab Excellentissimo Dom. Comite de Chinchon Peruuiano Prorege, & à multis retro annis in pacifica est erectionis suæ possessione; iam circa illam doctrinæ præfatæ procedunt. Immò ex fabrica tali validum potest argumentum desumi: Nam si Prorex dictus facultatem dictam præbens id non esse bono publico aut priuato contrarium iudicauit, aut si aliquale erat, abundè vtilitate maioris momenti compensari (& erat ille maturi ac meditati iudicij, atque ad omnia prudentium solitus adhibere consilium) multò id potiùs in paruo additamento dicendum, arguendo de toto ad partem, sicut ex Euerardo vidimus argui posse, & Barbosa, qui cum plurimis locuti.

Excellentissimus Comes de Chinchon laudatus.

134. Neque obstare debet, Ecclesiæ huiusmodi fabricam eò videri tendere, vt iuxta illam Religiosa domus erigatur: quod quidem fieri sine Regia licentia nequit: nam quidquid de Scopo tali sit, de quo, cùm occultum sit, Ecclesia non iudicat, sicut neque ciuilia tribunalia, ex eo fabrica impediri nequit; nam in illa, etiamsi domus Religiosa, quæ peculiarem familiam cum suo Prælato contineat, non habeat annexam, possunt multa ad diuinum cultum spectantia, & singularem ciuium in Christiana obseruantia profectum, exerceri, vt exercentur modò; vnde stare sine domo Religiosa potest, quæ formam prædictam habeat: licet pauci quidam ibi habitent quasi custodes celeberrimi Virginis sanctuarij, superiori domus primariæ subiecti: idque annuente Illustrissimo Archipræsule, & Excellentissimis Proregibus non conniuentibus modò, sed & fauentibus ac fouentibus, immò & postulantibus ardentissima pietate. A diuersis ergo non benè ar-

Obiectio depulsa de Religiosa domo Ecclesiæ adnexa.

I. Interstipulationem. Stephanus Gratianus. Barbosa.

guitur, & diuersonum *diuersum debet esse iudicium. l. Inter stipulationem §. Sacram. ff. de verbor. obligat.* Stephanus Gratianus *Marchiæ Decis. 32. num. 8. & Decis. 42. num. 10.* & Barbosa *Tractatu de locis commun. argumentor. iuris. loco 37.* Iuxta hæc ergo, quæ initio adducta sunt, non vrgere constat, & rem hanc adeò esse perspicuam vt non videatur circa illam posse rationabiliter dubitari. Vnde in casus contingentia modò occurrentis appellatio interposita contra sententiam Proregis vt friuola reiecta est, re ad Regium Consilium auocata, interim pergente Ecclesiæ fabrica.

SECTIO VII.

An petenti Decimæ compensatio obijci queat. Ad dicta num. 78. & seqq.

D. Didacus Aluarez Faria vt *negat.*

135. NEgat eruditus Licentiatus D. Didacus Ibañez Faria in *Additionibus & Notis ad librum 1. variarum Illustrissimi Couarrubiæ Cap. 17. num. 36.* vbi pro certo id videtur statuere, pro quo & adducit Rebuffum *quæst. finali num. 19.* Abbatem *in Cap. Tua nobis, num. 10. de decimis.* Ceballos cum alijs apud eumdem *quæst. 437. in fine.* Sed assertio talis non caret difficultate. Et in primis, non petentem defraudari posse, aut eidem posse minus reddi, non videtur cur negari debeat, stante doctrina apud Doctores receptissima circa compensationem: non est enim priuilegium aliquod speciale respectu illarum, sicut neque respectu Regij fisci; non obstante titulo spirituali, ex quo debentur: quia ius compensationis fundatur in ratione vniuersali, quæ ad Sacra etiam ratione alicuius respectus spiritualis se extendit, vt ad redditus ex Beneficio, & stipendia Missarum, quæ secundùm se ipsa profana sunt. Et sicut ex illis tenetur debitor soluere, si alia non suppetant; ita & circa illa compensatio potest exerceri. Rationem autem, quam vniuersalem dixi, benè explicat P. Vasquez *Opusculo de Restitutione Cap. 5. §. 1. Dub. 8.* ex eo quòd ius accipiendi de alieno, non est iniuriam vindicandi, quia iniuriæ vindicatio in hoc tantùm consistit quòd alicui tantùm inferatur malum, quantum ille intulit: Sed est ius defensionis: cui enim non restituitur debitum, continuà fit iniuria, ac si de nouo immineret. Sicut ergo à principio potest quis defendere se, ne patiatur damnum in re familiari destruendo rem illius; ita etiam postquàm res ab illo ablata est, & non restituitur, potest hoc ius tueri suum, accipiendo rem debitoris, quando alio modo non potest se indemnem seruare. Ex hac ergo generali ratione habemus quòd quemadmodùm potest quis rem suam defendere ab inuasore quolibet, etiamsi persona sacra sit, ita & indefensione progredi, quia & continuatur iniuria, & rem subtrahere iustissima compensatione.

P. Vasquez. *Ius compensationis explicatum.*

Vt stare queat assertio Scriptoris citati.

136. Stare autem prædicta assertio potest si dicamus, quòd petenti non possit obijci compensatio iudicialiter agenti, quia proculdubio ad solutionem, qui obiecerit, compelletur, neque curabitur de exceptione debiti, quia pro illo agere aliàs poterit: etsi probare non potuerit, cum reuera tale sit, patienter sustinendum, & occasio alia ad compensationem feliciùs exequendam, expectanda. Quòd si excommunicatio contra non soluentes decimas proferatur, illa non ligabitur qui iusta est vsus compensatione, iuxta multorum doctrinam, quos secutus P. Vasquez *supra Dub. 9.* affirmat non ligari generaliter, qui in compensatione nullum commisit excessum: etiamsi in excommunicationis forma fiat mentio compensationis expressa; intelligendum enim ait de accipientibus nimium prætextu illius, vel saltim quando dubium erat debitum.

P. Vasquez. *Excommunicatio vt liget compensantes.*

137. Sed quid si tantùm erat probabile? Nihil certè hìc specialiter dicendum occurrit præter dicta *Resolut. 4. citato nu. 78.* & insuper P. Vasquium in ea esse sententia vt compensatione vti liceat, stante opinione probabili: quod quidem in defraudatione gabellarum probat, quando pro illarum solutione certa obligatio est: asserit enim posse tunc non solui ei, cui Rex earum colligendarum per locationem fecerit potestatem, in compensationem debeti, quo Rex illi est obligatus. Quod quidem non vt certum, sed vt probabile tradit, vt ipse concludit in *fine Dubij 4. Cap. 6. §. 3. & hæc maximè probabilia mihi videntur, & ratione efficaci id probari*, quæ sunt illius verba. Vbi accommodanda ratio ex ipso adducta *num. 135.* de iniuria continuata, à qua se quis defendere potest probabili vsus opinione. Licet autem dici possit eum loqui in casu certi debiti, & aliud esse certam iniuriam probabili opinione depellere, aliud eam, quæ certa non est, in quo maior esse videtur difficultas: Id quidem non officit resolutioni propositæ: Nam licet verum sit Regem certo fuisse obligatum debito; at non est certum respectu publicani Regium ius ad gabellas ementis, sed tantùm est probabile illum esse debitorem: currit ergo in eo stabilita doctrina cum sua probabilitate.

Quid quando est opinio probabilis deobligans ad solutionem.

Ex P. Vasquez sententia circa gabellas confirmatio.

DVBIVM INCIDENS

CIRCA DECIMAS.

An parochus negare Sacramenta possit eas non soluentibus.

TEtigit hanc quæstionem citatus Scriptor *ibidem nu. 49.* vbi ita scribit: *An possit Parochus negare Sacramenta non soluentibus decimas? tractat Suarez. Cap. 38. n. 2. Nauarrus Consilio 2. de decimis Bonacina dicta Quæst. 5. Puncta 3. n. 2. Vers. Vtrum verò, vbi multi* (corrige *nu. 5.* vers. *An autem*) *qui affirmat. aduersus duos præallegatos &c.* Sed in primis Bonacina citato loco nihil resoluit, sed se refert ad *Disput. 5. de Sacramentis Tomo 1. Quæst. 7. Puncto 4. §. 2. nu. 20.* vbi statuit Parochum posse & debere, non tanquàm iudicem, sed tanquàm ministrum Sacramentorum, qui ea indignis nequit ministrare, si cognoscat eos animo paratos esse ad non soluendum data opportunitate. Addit tamen Parochum, cui competit ius decimarum, vt euitet scandalum, vsurpatæ sibi alienæ potestatis, debere coràm alijs protestari pœnitentem

Licentiatus Faria non benè pro negatiua sententia Auctores allegat.

P. Suarez & Nauarro non aduersatur Bonacinæ.

tem repelli à Sacramentis, non quia deneget quod sibi debetur, sed quia non vult suæ conscientiæ consulere, seque ad dignè suscipienda Sacramenta præparare. Vnde si pœnitens paratus sit ad decimas data opportunitate præstandas, Parochus non potest ei Sacramenta denegare.

P. Suarij *mens.*

139. Deinde cùm sic sentiat prædictus Scriptor, minimè aduersantem sibi habet P. Suarium loco citato ex Tractatu 2. de Religione Tomo 1. Lib. 1. qui absolutè fatetur Parochum posse Sacramenta denegare in casu dicto, si videlicet indubitabile delictum, aut publicũ euidentia facti. Hoc autem ipsum est quod Bonacina tradit: cùm enim asserat Parochum debere coràm alijs potestari caussam, ob quam pœnitentem dictum à Sacramentorum participatione repellat, manifestum est illius publicum esse peccatum: si enim tale non esset, minimè posset ita cum eo agere, vt est communis Doctorum sensus, pro quo Auctor idem multis adductis *Disputat. 1. de Sacramentis, Quæst. 6. Puncto 4. nu. 4. & seqq.* Neque alia est mens Nauarri *Consilio citato*, & casus quidem vix apparet moraliter possibilis: quòd scilicet habens voluntatem non soluendi decimas, quas scit se debere, ad Parochum, cui illæ debentur, Sacramenta recepturus accedat. Nam si de Sacramento Pœnitentiæ agitur, satis compertum est accessurum neminem cum voluntate tali Parocho manifestanda, cum qua constat non esse locum Sacramento. Si autem de Sacramento Eucharistiæ, cùm iam pœnitens, de sua sit indignitate in Confessione prærnonitus, & de Parochi circa illam negandam voluntate, quis accessurum credat?

Decimæ nequeunt vi extorqueri à priuatis, & eius ratio. P. Suarez.

Bonacina. *sententia.*

Concilium Trident.

De abusu quodam apud Indias eliminando. Vbi peculiaris difficultas circa compensationem in Decimis, ratione iniustæ earum vsurpationis.

140. EX prædictorum Scriptorum doctrina habetur non posse Parochum per vim accipere decimas propria auctoritate, etiamsi subditus iniustè detineat, vel solutionem differat. Quod doctè probat P. Suarez de Parocho loquens; cius autem ratio ad alios etiam ius habentes ad illas extenditur: quia fidelis quisque est in legitima possessione suorum fructuum: ergo non potest per vim priuari illa auctoritate priuata, etiamsi sit debitor illorum: quia hæc vis est contra pacem Reipublicæ, & esse potest origo plurium iniuriarum & scandalorum. Et ideò omnia Iura dicunt per publicam potestatem cogendos esse soluere decimas, qui eas debent. Sic ille. Publica autem potestas est in iudice Ecclesiastico, qui armis est proportionatis vsurus, spiritualibus inquam, quod præsertim tradit Concilium Tridentinum *Sessione 25. Cap. 12. de Reformat.* vbi excommunicationem adhibendam statuit: quæ si non sufficiat, commune extat perfugium ad brachium sæculare,

Abusus explicatus.

141. Quid ergo dicemus de illis, qui cùm alicuius pagi decimas conduxerint (quod in Clericis passim euenit) accepturi eas veniunt ab ijs, qui vt non soluant, ius aliquod prætendunt, vt in Colonis terrarum priuilegiatarum, vel aliud pro dilatione, aut quota fundamentum; quibus non obstantibus, per vim quidquid deberi sibi tumultuariè iudicant, arripiunt? Dicemus equidem iniustissimè illos agere, & contra mentem piæ Matris Ecclesiæ, quæ moderationem hoc in negotio seruandam non vno in loco commendauit: vnde P. Suario licuit meritò dicere omnia Iura faciendum hoc per publicam potestatem affirmare. Cùm ergo in eo manifesta fiat iniuria, non solùm quia plus vsurpatur, aut absolutè melius, vt frequenter accidit, sed etiam ratione violentæ aggressionis, erga eum qui res suas pacificè possidet: videtur ratione illius restitutio aliqua facienda, quia omnis iustitiæ violatio (vt de distributiua modò non agamus) illius obligationem importat. Quod quidem ex D. Thomæ doctrina colligitur *2. 2. q. 66. arti. 5. ad 3.* vbi ait eum, qui furtim accipit rem suam apud alium iniustè detentam, non teneri ad restitutionem, eo quòd ipsum non grauet: sed solùm communem iustitiam violari, dum ipse sibi vsurpat suæ rei iudicium, iuris ordine prætermisso. Atqui in casu nostro grauatur decimarum debitor, quia præter earum acceptionem, pro qua tenetur, vim patitur, qua possessione & vsu priuatur, & ita molestum grauamen sustinet, pretio æstimabile, & consequenter obnoxium compensationi, arbitrio prudentis faciendæ.

D. Thom. *Obligatio restitutionis ex illo.*

142. Et hoc est, gratis indulgendo quòd non teneatur ad decimarum restitutionem, quod videtur absolutè asserendum: quia iniustè spoliatus debet ante omnia restitui ex notis Iuribus, *Cap. In litteris Cap. Conquerente.* cum similibus, de restitut. spoliat. & ita significat P. Suarez *citato num. 2.* & in pœnam posset amissio decimarum imponi, essetque illa maximè proportionata delicto. Sed si non imponatur, accipiet quidem illas decenti & iuridica via, de qua citato Cap. *Conquerente.* Quòd si ratione violentiæ mulcta aliqua ei soluenda, qui illam est passus, decernatur; non erit locus occultæ compensationi, quia mulcta pro compensando est grauamine constituta; id quod erat per occultam compensationem obtinendum. Et cùm illud ad arbitrium debeat viri prudentis constitui, pro tali certè arbitrium est iudicis æstimandum. *Sed quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua?* Ego iniurias vidi, & querelis interfui. Sed mulctam nullam vidi, nec ad meas vnquàm aures illa peruenit. In promptu caussa est, (dicet aliquis) res in eo iudicum agitur. Nihil ego tale: ipsi viderint, ei, qui cùm acceperit tempus, ipse iustitias iudicabit, rationem exactissimam reddituri.

Spoliatus ante omnia restituendus.

143. Et quidem genus hoc violentiæ adeò est à ratione alienum, vt neque ad recuperandam rem furto ablatam licitum videatur, & ita nullo modo tolerandum; nisi vt ait Dominicus Sotus *Lib. 5. de Iustitia. Quæst. 3. Arti. 3. ad 1.* adeò esset perturbata Respublica, quòd nullus posset ius suum obtinere; tunc enim cum aliquali iniuria liceret rem suam recuperare. Quod non admittit P. Vasquez, quia hoc est bellum indicere, quod priuatæ personæ non licet: quamuis tandem affirmet, id posse probabiliter sustineri, vt videri potest *citato Opusculo de Restitutione Cap. 5. §. 1. num. 43.*

Violentia etiam pro furto ablata non iustè nenda. Sotus.

P. Vasquez.

Inde arguitur pro decimis.

num.43. & 44. Videant ergo qui hoc in Republica Christiana permittunt, quàm eius statum dedeceat, vbi non iam de recuperandis rebus furto sublatis agitur, sed de auferendis ijs, in quarum quis est pacifica possessione.

Ecclesiam dominium in decimis habere absolutè qui sentiant.

144. Circa quod scio esse aliquos, qui sentiant Ecclesiam habere dominium decimarum antequàm separentur ab alijs fructibus. Sic enim Panormitanus, Innocentius, Hostiensis, & Ioannes Andreas apud P. Suarium *suprà Cap. 36. num.2.* pro quo & Benacina statim allegandus adducit

P.Azor. P. Azorium *Parte 1. Lib.7. Cap.34. Quæs.9.* vbi nihil habet ad intentum; benè tamen *Cap. 23. Quæs. 9.* vbi hanc sententiam suo iudicio tenendam ait, & magis sibi probari. Quam & tenet

Trullenck Trullenck *Lib.3. in Decalogum. Cap.3.n.5.* Leander à

Leander à SS Sacram. *Sacramento, de præceptis Ecclesiæ Tract. 6. Disput.2. Quæst.10.* in quam etiam tamquàm valde probabilem, & magis piam erga Ecclesiam ait

P. Fagund P. Fagundez suum animum inclinare *Lib. 1. de Quinto Ecclesiæ præcepto. Cap.6.num.3.* Dum autem valde probabilem ait, non ideò id asserit quòd probabiliorem existimet, sed quòd cùm opposita valde probabilis sit, quod fuerat ipse protestatus *num. 2.* etiam illam valde probabilem arbitretur. Sed contrariam tenet Bonacina *suprà*

Qui omnino negent Bonacina. *Puncto 1. num.5.* adductis pro ea Rebuffo, Moneta, & Frederico de Senis, dominium absolutè negantibus. Pro quo & Glossa in *Cap. Tua nobis*, de decimis. verb. *Tributa.* & Glossa etiam in Cap.

Glossa. *Moderamine 16.q.1.* & ita etiam negant actionem

Et actionem realem. realem, quæ dicitur rei vendicationis, vtpotè erga rem propriam ab alio possessam & detentam.

L. Officium *Qui vtile tantùm concedant.* P Suarez. P.Lessius. *l. Officium. ff. de rei vendicat.* Sed P. Suarez *num.8. & seqq.* dominium quidem directum negans, vtile concedit, quale in vsu fructuario, secundum quem dicendi modum rem explicat P. Lessius *Lib. 2. de Iust. Cap.39. num.15.* licet eum pro sua sententia P. Leander adducat, sicut & Patrem Fagundez, qui vt vidimus est locutus; sed reuera ille *num. 4.* cum P. Suario quæstionem tandem dirimit: quem & absolutè sequuntur P. Palaus

P.Palaus. P.Layman. P.Filliuc. P.Tancred *Tomo 2. Disputatione de Decimis Puncto 2.* P. Layman *Lib. 4. Tract. 6. Cap.2. num.5.* P. Filliucius *Tomo 2. Tract.27. Parte 2. num.240.* P. Vincentius Tancredi *de Religione Tract. 1. Lib. 2. Disput. 11. num.19. & 20.* vbi inter aliquos ex citatis adducit Trullenck *suprà*, qui tamen vt suprà vidimus reuera videtur opinari: & alij. Cùm ergo sententia absolutè negans dominium valde probabilis sit, & quæ directum negat & plenum, adeò cum ea conueniat; & pro vtraque quoad negationem dictam, maior proculdubio sit Doctorum numerus, iure optimo iuxta illam cum P. Suario loqui licuit, & violentam vsurpationem eo ex

Illatio ad intentum ex vtraque negante sententia. fundamento damnare, quòd fructuum legitimus possessor, proprio ipsorum vsu priuetur; præter rationem aliam ex Pontificia dispositione desumptam, Ecclesiam scilicet in hoc negotio suis proprijs armis vsuram; quòd si alijs, *in neuacula* conducta Isaiæ 7.v.20. implorato scilicet, si opus sit, auxilio brachij sæcularis.

Notanda resolutio iuxta illum, de obligatione integræ restitutionu.

145. Et ex prædicta sententia satis notanda resolutio venit, de qua P. Suarez *suprà num.11.* & ex ipso P. Palaus *num.5.* dicens eum qui Parochiani fructus iniquè possidet, non decimatos, debere illos restituere ipsi in integrùm, quia sunt eius præcipuè & principaliter: neque posse decimam detrahere, & Ecclesiæ restituere, nisi cùm constaret dominum negligentem esse. Nam si Parochus non potest propria auctoritate fructus vindicare, multò minùs poterit alter ex bonis ipsius rapere. Et Pater quidem Suarez, qui sub dubio videtur locutus, reuera ita sentit. Illius verba sunt: *Immò fortasse non rectè faceret reddendo nouem partes domino, & decimam Ecclesiæ.* Immediatè autem ante ista sic habet: *Primus modus habet locum in eo, qui omnes fructus indecimatos furatur, & tunc clarum est teneri ad restituendos omnes fructus.* Si ergo clarum; omnis iuxta eius sententiam cessat dubitatio. Id quod & ratio eiusdem ostendit, dum *inferiùs* ita subdit: *Quia non potest ipse sua auctoritate decimam ab alio debitam ex illius bonis soluere &c. vnde in eo casu non videtur Ecclesia habere immediatam actionem contra furem, nisi quando dominus esset negligens, & Ecclesia ea de causa pateretur.* Hæc ille: iuxta quæ non dicendum fortasse malè facturum, qui decimam solueret Ecclesiæ, & nouem partes domino redderet, sed absolutè ita iuxta eius mentem pronuntiandum. Tunc ergo consequenter videtur dicendum eum, qui decimam soluit, debere integrè fructus reddere; non quidem in specie, quandoquidem decima pars detracta est, & alia similis forsitan non facilè inuenietur, sed in valore: quo euentu illos accipiens, non tenebitur ad decimæ solutionem, quia iam soluta est, & numquàm bis est soluenda, vt Canones Sacri disponunt, quod Textibus & Doctoribus exornat Barbosa *De Officio Parochi Par.3. Cap.28.n.44. & 45.* Habebit ergo illud suæ iniuriæ compendium, & raptor pœnam suæ iniquæ dispoliationi commeritam.

P.Palaus.

P.Suarez.

Circa apprehensionem per actionem realem, quomodò procedendum.

Duplex actio iuridica.

L.In rem.

146. Et hæc quidem ad firmandam superiorem resolutionem spectant, de illicita & iniusta decimarum apprehensione per violentam inuasionem. Vnde ad commodum sensum trahendum id quod habet P. Lessius *suprà* vers. *Ex his patet* vbi ita scribit: *Ex his patet Ecclesiam duplici actione posse decimas collectis fructibus petere, vt docet Panormitanus suprà. Primo Condictione ex Canone, ideſt quia per Canonem impositum est laicis onus & debitum illas soluendi. Secundò, rei vindicatione, quæ est actio in rem, & conceditur domino l.In rem x. de rei vindicatione. Prior est actio personalis, eâque priùs vti debet, tum ne debitores turbentur, si res apprehendatur antequàm ipsi conuenti fuerint: tum quia diuisio est per debitorem facienda. Si tamen hac via non procedat, potest rem apprehendere, & sibi inde decimam separare.* Sic ille, cuius verba Trullenck transcripsit, & ille habet *suprà num. 6.* ex quo P. Leander *Quæst. 11.* qui profectò potuit, & ingenuè debuit primarium laudare pro ipsis auctorem: qui de apprehensione non violenta intelligendus, truculenta, & tumultuaria, sed Iuris ordine seruato armis Ecclesiæ applicitis, & laica, si opus sit, adiecta potestate: numquàm enim modus alius in Concilijs, Sacris Canonibus, aut Doctoribus inuenietur. Pro quo & faciunt valdè practici Scriptores, Burgos de Paz, Morla, & Ceballos, quos adducit & sequitur D. Didacus Ibañez de Faria Regij Senatus Aduocatus, de quo *num.137. & 138. in Addition. num.36.* solam enim actionem confessoriam, admittunt,

P.Leander.

Realem qui vlteriùs negent, vnde & arguitur.

P.Didacus Ibañez de Faria,

mittunt, aut condictionem ex Canone. Quid sit autem actio confessoria explicat Cardinalis Tuschus *Tomo 1. Litt. C. Conclus. 111.* & P. Azor *citata Quæst. 9.* & est illa, qua agitur contra eum, qui in re, cuius est dominus, habet seruitutem, ratione cuius est alteri obligata. Et talem pro decimis agnoscunt etiam ex antiquioribus Profredus & Iason apud P. Azor, qui eos inter negantes dominium adlegat. Condictio etiam ex lege cum dominio stare nequit, pro quo Cardinalis Tuschus *suprà Conclus. 116. ex* Ægidio Bellamera: licet *Conclus.103. nu.13.* asserat aliquando actionem Confessoriam posse esse realem ex Castro. *Consilio 336.*

Cardinalis Tuschus. P.Azor.

INDEX
PARTIS QVARTÆ
AVCTARII INDICI

Numeri sunt marginales.

A.

Actio.

Vridica duplex, & vtraque pro decimis vt competat Ecclesiæ. 144. & 146. *Vbi & de Confessario.*

Adamus.

Non peccauit eo quòd secutus fuerit opinionem probabilem. 32. & *seqq. Vbi alia de illius peccato.*

Ædificium.

Ecclesia vt queat ampliari in Indijs sine Regis licentia, vbi & de alijs: & quòd sola Proregis sufficiat. 127. & *seqq.*

Aueria.

Vt obliget in conscientia Vide verb. Indultum.

D. Augustinus.

De illius mente circa opinionum sequelam. 51. & *seq.*

B.

Beatificatio, Beatus.

An imagines Beatorum deferri in pompa queant. 100. & *seqq.*

Bellum.

Vt esse iustum ex vtraque parte possit. 59

Beneficium.

Ex tenui an obligatio ad Officium diuinum. 115
Quod dicatur tenue. 116
Verosimilis P. Lessij sententia. 116. & 118
Iuxta eam resolutio. 119
Consensus Pontificiu ex obligatione ad Officium paruum per Motum proprium Pij V. deducitur, quod receptum, præsertim in Hispania. 120
Fauorabilis resolutio ex multiplicitate fructuum. 121

C.

Canonicus.

De Magistralis, & Doctoralis prouisione. Vide v. Præbenda.

Capellanus.

Capellania collatiua est Beneficium. 114. Vide *alia verb.* Beneficium.

Compensatio.

Vt liceat cum opinione probabili. 78. & *seqq. Circa decimas. Sect.7. Circa gabellas.* 137

An Ecclesia habeat in illis dominium. 144. & *seqq.*

Conscientia.

Dubia quomodo deponenda. 76. *Vbi quod malè confunditur cum probabili, de quo Vide* Verb. opinio.

Contractus.

Vt iniri possint, cum stat opinio, iuxta quam sunt illiciti. 81. & 82

D.

Decretum.

Clementis VIII. circa absolutionem à casibus Bullæ cœnæ, casus etiam dubios prohibentis. 94

E.

Ecclesia.

Vide verb. Ædificium.

F.

Furtum.

Quæ quantitas in illo faciat mortale peccatum generaliter, & in Religiosis. 86. & 87. *Vbi speciale pro Indijs.*

G.

Gabella.

Incapitatæ absque dubio obligant in conscientia. 111. Vide *etiam V. Compensatio.*

H.

Heua.

An peccauerit secuta opinionem probabilem, & alia circa ipsius peccatum. 33. & *seqq.*

I.

Ieiunium.

De quantitate refectiunculæ in Ecclesiastico. 89. & 90
Quid pro Indijs. 91

Indultum.

Mercatorum pro Indijs Occidentalibus. 107. & *seqq. Vbi vtilia multa.*

L.

Libri.

De paruitate materiæ in lectione librorum, hæreticorum. 92. & *seqq.*

M. Mune-

M.

Munera.

ILlorum receptio quando inducat obligationem restitutionis. 114

N.

Nobilitas.

QVando sit obligatio prælationis in Beneficijs ratione illius. 125

O.

Opinio.

QVid iuxta D.Thomam. 3
Eius probabilitas vnde possit agnosci. 6
Extremè pugnantes circa obligationem sequendi partem tutiorem; & de concordia circa illam P.Mercori. 7. & seqq. Vbi minimè illam stare ostenditur, & quomodo opinio dici certa possit.
Quanta certitudo sit in operante probabiliter. 8
Quæ probabilitas sit regula operationis. 9
Circa certitudinis probabilis logicæ fundamentum. Ibidem.
Magis tutæ, & magis probabilis discrimen & quomodo à P.Mercoro explicentur. 11. *& seqq.*
Operantem iuxta opinionem probabilem sufficientem habere certitudinem. 13. & seqq.vbi quòd aduersantes facto ipso probant quod negant. Et quinam Doctores primæ Classis, præsertim ex PP. Dominicanis.
Quomodo stet esse certum aliquid, cùm sint qui contradicant. 16
Demonstratio pro licita sequela opinionis minùs probabilis. 17. & seqq.
Cum dubio quomodo stare queat recta operatio. 20
Neque ex defectu conformitatis cum æterna regula, neque ex præsenti Dei prouidentia quidquam esse quod obstat. 21. & seqq.
Neque ex contrarietate in iudicijs practicis. 26. & seqq.
Ex eo quòd oppositum magis appareat malum, leuis demonstratio. 30. & seqq.
Minima probabilitas vt esse tuta queat. 41
Minùs probabilis vt possit consuli. 54
Quid ex Ecclesiæ tolerantia circa opinionem de licita minùs probabilis sequela habeatur. 55
In necessitate ad illam obligatur Confessarius, pro quo casus specialis. 57. *& 58*
Plures Auctores pro illa stare ostenditur.60. & seqq.
Satis illam antiquitatis habere. 63
Defectus vniformitatis obiectus retorquetur. 64. *& 65*
Euidens pro illa conclusio. 67. *& 68*
Mediam sententiam esse probabilem posse, etiamsi extremæ sint improbabiles. 88

P.

Parochus.

VIde V. Sacramenta.

Paupertas.

De paruitate materiæ circa illam in Religiosis. 85. *& seqq.*
Ordinatio in Societate circa illam. 85

Præbenda.

De Magistrali & Doctorali, vbi specialiter an præferendus habens Beneficium in Ecclesia illarum. 122. *& seqq.*

Præceptum.

De re leui an grauiter obligans esse possit. 36. Vbi de Ieiunio Ecclesiastico.

Prorex.

Excellentissimus Comes de Lemus Peruuianus Prorex laudatus. 105

R.

Reliquiæ.

MAior illis honor quam imaginibus eorumdem Sanctorum debitus. 104

Restitutio.

Stante opinione probabili potest retineri totum, nec est obligatio ad dimidium. 74
Idem de obligatione dotandi stupro violatam per importunas preces. 75
Sicut & in vulnerante ratione vulneris. 76
Ministri Regij an teneantur ad illam cooperantes defraudationi Gabellarum. 108. *& seqq.*
De quibus non sit obligatio. 112

Roboam.

An peccauerit ex opinione minùs probabili. 42. *& seqq.*

Beata Rosa.

Laudata, Virgo Peruuiana. 97. & seqq. Vbi de Rosa Chinensi, naturæ miraculo. Et specialis difficultas circa imaginis exportationem in pompa festi.

S.

Sacramenta.

AN liceat negare Parocho non soluentibus decimas. 138. *& 139*

Saul.

An peccauerit in prælio contra Amalec secutus opinionem minùs probabilem. 37. *& seqq.*

Scriptores.

Vide *verb.* Opinio.
Qui laudantur, sequendi, aut eorum non condemnanda sequela. 1. & 2. Vbi de vniuersali æstimatione Scriptorum Societatis, etiam apud Pontifices.
Non est illis neganda auctoritas, eo quòd sint contraria circa multa sentientes. 3
De sinistra interpretatione fauentium benignæ opinioni. 69. *& seqq.*

Societas IESV.

Vide *v.* Paupertas.

Spoliatus.

Ante omnia restituendus. 142

Subditus.

Vt se debeat Prælati præcepto conformare contra propriam sententiam. n.4. *& seqq.*

T.

D.Thomas Aquinas.

DE illius mente circa sequelam opinionis minùs probabilis. 45. & seqq. Vbi eidem fauere non obscurè ostenditur.

Toletus Cardinalis.

Illius explicata sententia circa paruitatem materiæ in lectione librorum hæreticorum. 93

Traditio.

Vt stet pro sacra sequela opinionis probabilis. 61

V.

Violentia.

IN vsurpandis decimis damnata ab Ecclesia, & de illius abusu in Indijs, & fortè alibi. 140. *& seqq. cum generali circa illam doctrina.*

SECTIO

SECTIO VIII.

Circa quædam Asserta moderni Scriptoris. Vbi & depulsæ calumniæ in Mexicanos Patres Societatis IESV, & vtiles aliquæ pro Indiarum fauore doctrinæ.

Thomæ Hurtadi *scriptionis modus.*

147. P. Thomas Hurtadus *lib. 5. de Congrua, Digressione 2.* hunc illi titulum præfigit : *Digressio 2. de Congrua Rectorum, tam regularium, quàm sæcularium Doctrinarum noui Orbis.* Vbi tamen de Congrua verbum nullum ; neque de illa acturo congruum erat digressionis nomen : non enim digreditur, qui de particulari subiecto agit sub generali titulo comprehenso: & protestatus cùm fuerit se nullius iniuriam intendere, eamque futuram non solùm præter, sed contra intentionem suam, an promissis steterit, sincero lectori videndum, pro quo & examen ille iam seuerius expertus, vtinam ab eo ita euasisse contigerit, vt æterna in pace conquiescat.

Notata in illo.

148. Pergit ille, & congrua pro ministris Euangelicis Hortamenta congeminat, in quibus cùm nihil sit, quod quæstionem patiatur vllam, non video cur Resolutioni primæ eum præponat titulum : *Resolutio primi dubij.* Id autem quod habet *num. 460. & 461.* circa lites non suscitandas aduersus Prælatos, nisi quando luce clarior fuerit iniustitia, quo vergat, non est erga res Indicas vel mediocriter instructis obscurum. Sed non equidem præteritis euentibus adaptatum : qui enim lites, de quibus *inferiùs*, intentarunt, non erant Rectores Doctrinarum, circa quos eius instructio, & multiplex doctrina procedit. Et ego quidem circa euitandas lites cum Prælatis pariter sentio, de quo in *Thesauro Tomo 2. Tit. 17. n. 53.* Quòd autem ad illas intentandas iniustitia esse debeat luce clarior, non omnes admittent, cùm verosimiliter talis sufficere videatur : & præsertim stantibus priuilegijs, in quibus tales satis esse iniurias statuitur, vt iudicialem indaginem requirant, de quo dictum etiam *Tomo 1. Tit.4.n.60. & seqq.* & pro quo videri potest Ioannes de la Cruz *Lib. 2. de statu Religionis Cap. 10. Dub. 5. §. Ad hoc dico.* Aliud ergo est ius ad conseruatorem eligendum, aliud conuenientia, qua attenta solet iuris rigori non annui, sed ad media recurri alia, vel ad patientiam, & Dei iustissimum Tribunal prouocari.

Pro Conseruatorum electione qualis sit iniuria futura.

Circa linguæ Indicæ peritiam in Parochis, & Confessione per interpretem.

Asserta illius circa peritiam linguæ Indicæ.

149. DE hoc *Resolut. 2.* in qua hæc asserta præponit. *Primum*, si quis imperitus linguæ, animo illam addiscendi intra annum, & cum effectu eam addiscere incipiens, suæ electioni consentiat, non peccare mortaliter. *Secundum*, si aliquis sit vir doctus, & bonis moribus, ac Ecclesiasticæ disciplinæ, atque animarum zelo ardens, & habeat Sacerdotem coadiutorem peritum, qui confessiones excipiat, & concionem habeat ad populum, ac instructiones Rectoris exequatur, posse illi Rectoriam conferri. *Tertium* Quidquid sit de Papa si Episcopus prouideat Beneficium curatum prorsus illitterato & imperito linguæ Indicæ, prouisionem esse ipso facto nullam, nec facere fructus suos. Pro quo cum Patres Azorium & Palaum adducat, ex hoc priorem secuto addit ei, qui creditur paruo tempore futurus peritus linguæ Indicæ, ac litteras acquisiturus sufficientes, Beneficium ab Episcopo posse conferri ; quia pro tempore aliquo potest in obligatione aliqua Beneficio annexa dispensare, & ita poterit illo tempore coadiutorem peritum linguæ Indicæ constituere; sed rarò hoc faciendum, quia *turpius eijcitur, quàm non admittitur hospes.*

Auctorum sinistra inductio.

Verum Auctores dicti de peritia linguæ non loquuntur, sed de penitus illitterato. Et Patet quidem Azor *Parte 2. Lib.6. Cap.6. Quæs.5.* de Beneficio simplici, & promotione ad minores Ordines tantùm loquitur : & quod ad Beneficium attinet, ex doctrina Innocentij, Archidiaconi, Hostiensis, Ioannis Andreæ, & Panormitani deducit, qui id de minoribus Ordinibus asseruerunt, & P. Palaus *Tomo 2. Disput.4. de Beneficijs Puncto 6.num.12.* absolutè id asserens de Beneficio, non benè pro eo P. Azorium adducit, qui cum ea, quam vidimus, est limitatione locutus. Iam de Auctoris Assertis.

P. Azor.

P. Palaus.

Linguæ Indicæ defectus in summa tantum necessitate toleratur.

150. Circa *Primum*, dictum à nobis *Tomo 1. Tit. 13. Cap.6. num. 4. & Tit. 16. Cap. 1. num.2.* vbi solum casum necessitatis admisimus : & est ille iuxta modum prouisionis à Regibus nostris cum beneplacito Sedis Apostolicæ stabilitum minimè tolerandus, quia prouisio per concursum facienda, & pro sufficientia Indici idiomatis examen adhibendum, & illius est approbatio penitus necessaria, vnde sine illa electus electionem admittens mortaliter peccabit, & etiamsi approbetur (vt non rarò accidit) examinatorum infidelitate defectum obumbrante. Quod cùm euenit, damnum est maius: tunc enim non est qui curet, vt lingua intra annum addiscatur, cùm absoluta fuerit approbatio, & ita id sequitur quod *citato num. 4. ex Tit. 13.* magisterio experientiæ comprobatum.

Alius peccat mortaliter admittens electionem.

Per Socium nequit supplori.

151. *Secundum* penitus refellendum, de quo etiam à nobis dictum *Tit. 17. num. 36.* pro quo & Regiæ cautiones extant, & nupera quædam, qua statuitur, vt futurus in Doctrinis Prælatus, Prior scilicet, Guardianus &c. aliquarum illarum, in quibus subditi sunt, sit etiam Parochus, & ita omnia requisita habeat, quæ pro Indorum sunt Parochis necessaria. Vbi difficilis visa quæstio incidit: cùm enim Prouincialis tres debeat assignare, & vnus illorum Prior futurus, Guardianus &c. is, quem ille nominauerit, videtur à Patrono præsentandus; quod aliàs non videtur admittendum, quia Patroni non debent ligari manus, quo minùs is, qui magis sibi idoneus videbitur, possit ab eo præsentari, & talis esse poterit ex tribus alius ad Prælaturam non designatus. Quæ ratio est euidens ; & ita dicendum designationem sic faciendam, vt Prouincialis quidem ex tribus vnum possit primo loco constituere futurum Prælatum, addens tamen, quòd si electio alterius Patrono

trono placeat, is sit futurus Prælatus, cui paratus sit titulum suo Officio competentem exhibere. Videant ergo illi quos proponant, ni velint aut repulsam habere molestam, aut in Officio eum, quem minùs aptum ad illud iudicant, cum conscientiæ remorsu tolerare.

Neque paruo tempore.

152. *Tertium*, sicut & duo præcedentia, habere locum nequit, stante prouisionis modo iam dicto, quod & prætereà suppositionem impossibilem continet, eum scilicet qui penitus illitteratus est, & Indici Idiomatis ignarus, breui tempore posse idoneum reddi. Et quidem Patres Azorius & Palaus de vtrôque illo defectu non locuti, cum Idiomatis necessarij non meminerint, & prior de simplici tantum Beneficio locutus. Pro vtrôque autem quantum sit temporis necessarium nemo est qui non videat, cum Grammatica Latina ipsos etiam pueros, facilis memoriæ, cum magistrorum cura ac timore pro addiscendo solicitos, vnique illi functioni addictos, annis aliquot in Scholis detineat: & peregrina ac barbara lingua hominem exigat penitus eidem adfixum, quod in adultioribus est difficile, vnde & moraliter impossibile defectum vtrumq; breui posse tempore superare.

Confessionem per interpretem Indis non esse imponendam.

P. Acosta.

153. Præmiserat initio Resolutionis Auctor ex P. Acosta *Lib. 6. de procur. Indor. salute Cap. 13.* Indorum Confessiones non esse per interpretem excipiendas ad id ipsos obligando, quia nullus ad id cogi potest, iuxta communem Theologorum sensum: quod & specialiter fuerat à Concilio Limensi prohibitum *Canone* 49. vt ipse Pater ad notarat: qui tamen addit posse illos id sponte facere, quod minimè Concilium censuit prohibendum. Est tamen circa hoc non leuis difficultas: nam sententia est multorum ac grauium Theologorum asserentium eum, qui in mortis articulo non sibi probabiliter persuadet se esse contritum, teneri ad Confessionem per interpretem, si aliàs confiteri nequeat, pro quo P. Palaus *Parte* 4. *Tract.* 23. *Puncto* 8. *num.* 13. citatis Patribus Suario, Vasquio, & Layman, & Doctor D. Petrus Aingo de Ezpeleta *in Selectis Disputationib. de casibus tempore mortis occurrentibus Tract.* 5. *Resol.* 16. alijs adductis. Indis autem valde difficilis est contritio, vnde videntur ad Confessionem per interpretem obligandi, ita vt obligatio talis medio interprete eisdem manifestetur. Id quod videtur fieri practicabile posse, si eisdem manifestetur non teneri se omnia confiteri peccata, sed eorum aliquod, quia ratione huius impedimenti, communiter affirmant Theologi posse Confessionis integritatem omitti. Et de casu præsenti ita docet citatus Scriptor, (P. Palaus) ante quem P. Suarez *Tomo* 4. *in* 3. *p. Disput.* 36. *Sect.* 6. *num.* 5. dicens posse talem confiteri peccata, quæ minorem possint ei infamiam inferre. Sed certè neque in hoc casu certa videtur obligatio, & multò id verius, si interpres futurus sit Indus, de cuius secreto non est plena habenda fiducia; & generaliter qui confitetur vix persuaderi poterit illud sibi esse seruandum: cùm tamen interpres talis futurus sit, *vt non minùs quam ipsi Confessario fidere possit pœnitens*, vt ait Cardinalis Lugo *Disput.* 15. *de Pœnitentia num.* 63. Nisi dicamus leue aliquod peccatum posse confiteri, cum dolore de omnibus mortalibus; quod si detegatur, omnis infamiæ nota remouetur. In quo quidem noua subsultat difficultas, quia videtur necessariò debere peccatum aliquod mortale confiteri: debebat enim omnia, si copiam commodi Sacerdotis haberet, sicut & vnum si solum esset, & defectus integritatis ei permissus, circa necessariam materiam versatur, cùm circa aliam obligatio subsit nulla. Et P. Suarez, quem secuti alij, cùm peccata, quæ minorem infamiam inferant, posse alijs tacitis confiteri docet, minimè videtur de venialibus locutus, quæ infamiam in talibus pariunt nullam, cùm alia infamiam quidem inferant, sed minorem, & ita tenent alij apud Dianam *Par.* 3. *Tract.* 4. *Resolut.* 129. Sed nihilominùs venialis Confessionem sufficere tenent P. Coninck *Disput.* 17. *de Sacram. num.* 77. P. Arriaga *Tomo* 8. *Disput.* 51. *num.* 54. P. Martinon *Disput.* 49. *num.* 40. *Tomo* 5. D. Ezpeleta *suprà num.* 3. & id consequenter dici iuxta dictam sententiam ab integritate excusantem testatur Cardinalis Lugo *suprà*.

In mortis articulo quando obligat iuxta aliquos.

P. Palaus.

D. Ezpeleta

Vt videatur pro Indis practicabile.

P. Suarez.

Non esse obligationem omnia confitendi peccata.

Car. Lugo.

An satis sit venialia.

154. Itaque non teneri eum, de quo agimus, per interpretem confiteri sententia est probabilis. Et ita P. Sa verb. *Confessio. num.* 13. Se non condemnaturum ait eum, qui nolit confiteri. Quod intelligendum est, si bona fides adsit, & sufficiens notitia de sua circa hoc non damnabili potestate. Tenet etiam P. Arriaga *suprà n.* 53. *vers. Ex his concludo.* Nec propterea talis sine remedio animæ dimittendus: per interpretem enim disponendus, vt maiorem, quem possit, de peccatis dolorem habeat animo ea confitendi: & quia Sacerdos, qui ea excipere possit, non adest, eidem saltim confuso modo aperiat signis doloris, & confitendi voluntatis: hoc enim sufficere valde verosimile est, & tradit P. Martinon *suprà*, iuxta receptissimam Theologorum assertionem de muto, aut de eo, qui loquendi facultatem amisit. Licet autem citatus Ezpeleta cum nonnullis, quos citat *num.* 4. affirmet non sufficere modum dictum confitendi quando sine magna difficultate aut incommoditate speciale peccatum exprimi potest. id non tollit probabilitatem asserti propositi, quod & iuxta eorum doctrinam procedere, de quibus nuper, possumus satis verosimiliter affirmare: quia reuera respectu Indorum modus ille non leuem difficultatem & incommoditatem importat iuxta dicta. Et discriminationem illam faciendam eo in articulo non esse facilem sciunt qui eorum habent indolem exploratam: cùm aliàs de ijs loquamur, qui rudiores sunt; qui enim non tales, Hispanæ linguæ vsum aliqualem habent, quo stante cessat interpretis adhibendi necessitas.

Nulla in Indo obligatio etiam pro illis.

P. Sa.

P. Arriaga.

Vnde illis remedium.

P. Martin.

Obiectio vt Indi obligari debeant.

155. Quia verò Concilium Limense 2. statuit, vt vidimus, posse Indos sponte per interpretem confiteri, non videtur in eo esse tanta difficultas, vt ad praxim nequeat facultas illa reduci. Et ea sic stante videntur illi ad sic confitendum teneri ex doctrina multorum apud Dianam, quando scilicet de contritione non habetur sufficiens certitudo, quod ita Cardinalis Lugo *suprà n.* 62. & P. Arriaga *num.* 54. admittunt, vt censeant non admittendum quod P. Suarez de probabili assensu circa contritionem asserit; sufficere inquam illum; quia cùm sit tantùm probabilis, si forte reipsa contritio non adsit, damnabitur qui ea est probabili persuasione contentus. Vt ergo certior

Card. Lugo P. Arriaga.

De casu difficilis contritionis.

certior salutis via teneatur, ad quod obligat charitas erga seipsum, per interpretem est facienda confessio, quia illam vt licitam & validam ac securam omnes amplectuntur Theologi, & communiter asserunt eam in casu contritionis difficilis obligare.

Sua opinio probabilis in casu præsenti admittendus.

Sed certè Doctores illi duo, qui vsum opinionis probabilis in casu præsenti reijciunt, eum manifestè admittunt, quandoquidem affirmant sufficere venialia aliqua confiteri, & se de alijs in communi accusare, vt iam vidimus: Atqui hoc tantùm est probabile, & oppositum omnino securum, licet forsitan sit minùs probabile, circa quod non est facile certam sententiam pronuntiare, cùm sic teneant Nugnus, & PP. Suarez, Fagundez, Henriquez & Layman apud Dianam *suprà*. Sunt etiam qui teneant Confessionem futuram integram nullius omissione mortalis, quod satis verosimiliter addit discursus Cardinalis Lugo à *num.* 66. quo ostendit nullum detrimentum sequi ex tali confessione, ob manifestationem factam tertio: vel si reuera aliquod est, debere illud ob ingens bonum salutis æternæ deuorari. Vnde & ita videtur tenere, sicut & plures apud P. Suarium *suprà num.* 2. sicut & P. Turrianus de Pœnitentia *q.* 9. *arti.* 2. *Disput.* 32. *Dub.* 1. Quid ad hæc? Illud quidem, in hoc negotio propter rei difficultatem vix posse nisi probabiliter operari. Et de Indis loquendo id certius: esset enim valde periculosum eos ad Confessionem huiusmodi obligare, in qua omnia sint aperienda mortalia, si præsertim fœdæ conditionis sint; vnde si eisdem volentibus sit adhibendus interpres, admonendi illi iuxta dicta, vt leuiora aperire tantùm, sit eis licitum, & omnia in communi, cum specialibus doloris signis, & confitendi voluntate data opportunitate. Nec de hoc plura, si illud addiderimus tantùm, Dianam *supra concl.* 2. asserere quod in articulo mortis, si pœnitens habet probabilem existimationem de sua contritione, non tenetur confiteri per interpretem, quia tunc Confessio non videtur moraliter necessaria ad salutem, nec Deus etiam videtur obligare cum tanto onere, & quia talis confessionis modus de se est publicus. Quod ait esse contra P. Turrianum *suprà*, & P. Suarez Disp. 36. Sect. 6. Quod quidem quantùm attinet ad P. Turrianum ita quidem est, secus de P. Suario, qui oppositum clarissimè tradit *nu.* 5. in quo & P. Turrianus videtur lapsus, quia exceptionem præfatam non attendit, sed Doctorem eximium sua prosententia citauit sine exceptione aliqua procedēte. Et quidem cùm ille existimationem probabilem sufficere ait, de moraliter certa est accipiendus; cùm enim contritionis supernaturalis ad iustificationem sufficientis certitudo absoluta haberi non possit, ea, quam quis secundum ordinarias gratiæ vires habere potest, probabilis potest dici, licet habens illam moraliter certus sit, dum se facere quod sibi videtur sufficiens arbitratur. Vnde cessat obiectio Cardinalis Lugo & P. Arriagæ.

Card. Lugo

P. Turrian.

Dianæ error in citatione P. Suarij.

Ista Eximij Doctoris explicatio.

Circa Religiosorum Parœcialem in Indijs curam, & de illius conuenientia.

Sex rationes circa retentionem doctrinarum in Religiosis.

157. *Resol.* 3. sex ista statuit: *Primum*, attentis iuris Canonici dispositionibus sæculares Sacerdotes aptiores esse pro Doctrinis Indiarum. *Secundum* ad Missiones Religiosos magis esse idoneos. *Tertium* Religiosos esse aptissimos pro illis, & neutiquàm ab eisdem amouendos. *Quartum*, iuxta præsentem statum ita expedire, quia sic Rex noster Philippus Quartus iudicauit, iubens vt in eo nihil innouaretur, per schedulam 23. *Martij* 1644. *Quintum* amotionem non licere, secundùm æquitatem, propter meritum seruitij, quod Regulares habent. *Sextum* non decere propter honestatem ijs inauditis honores tales auferre: esset enim illos contemptui, iniurijs, & indignationibus aliorum subijcere, ex quo non parua in Republica inquietudo oriretur, quæ, cùm longè distent à capite, non facilè quietantur. His additur vtilitas dicta ob melius Indorum bonum circa salutem animarum. Circa quæ hoc loco non immorandum, cùm de eo sit à nobis actum in *Thesauro Tomo* 2. *Tit.* 17. *Cap.* 1. per totum.

Quantùm in eis ponderis.

158. Et quidem si iuxta ius Canonicum Religiosi ad Parœcias habentur incongrui, & per dispensationem tantùm admissi ratione occurrentis tunc temporis necessitatis, & precariò vt dicitur; pro eorum conseruatione, vt res ad natiuum statum reducatur, conuenientia illius attendenda est; quæ si talis non appareat, quia videlicet Sacerdotes sæculares iam merito & numero suppetunt, vt Auctor agnoscit *n.* 787. ex quo infert Bullam Pij V. eisdem iam non suffragari, cum rationibus alijs benè visis Catholico & zelatori Patrono, nihil videtur obstare. Quod enim de seruitij remuneratione repetitur, responderi poterit non esse obstaculo, quia non cum eo onere à Rege ad Parochias adsciti, vt benè administrantes possent tamquàm seruitij mercedem debitam conseruationem in eisdem perpetuam postulare. Seruituros enim vt eorum statum decet supponebat ille, qui eos ad talem laborem aduocauit; & tamen, vt dicitur, precariò conducti; non est ergo illis perpetua debita conseruatio, sed congrua stipendia dum seruiunt, quod luculenter à Patrono præstitum, tamquàm denarius diurnus, vnde audire possunt: *Amice, non facio tibi iniuriam: Tolle quod tuum est, & vade* Matth. 20. vers. 13. & 14. Vnde licet à Rege nostro Philippo Quarto ita sit scriptum vt diximus, definitiua illa sententia non fuit, vt ex eadem schedula constat ibi: *Dejandolo todo en al estado, en que está, hasta que visto en el dicho mi Consejo en Iusticia sobre la replica, que cerca de ello hacen las Religiones, se provia lo que se hallare por derecho.* Fuit ergo dispositio consentanea tempori, & ita posteà res hæc in deliberationem venit, & de ea agitur, in quo id mihi exoptandum & orandum, vt Deus suam lucem Regijs Consiliarijs, & alijs pro re tanta dignis Consultoribus conferat, qua id peruideri & disponi queat; quod Dei sit gloriæ commodius, Religionibus opportunum, & nouellæ plantationi pauperum indigenarum pro illius in fide, & Christianis moribus incremento, profuturum.

Regia schedula.

Circa Regularium examen, & licentiam Episcopi ad audiendas sæcularium Confessiones, vbi de litigiosa controuersia cum Episcopo Angelopolitano.

Auctoris agendi modus, & vnde styli truculentia.

159. DIctum de hoc *Parte 1. Sect. 6. & Parte 3. Sect. 8.* vbi & citata Thesauri loca, in quibus de approbatione ex professo actum. Circa quod citatus scriptor duplici Resolutione per otium diuagatur. Neque ijs contentus, quæ ibidem pro Angelopolitano Antistite, & contra Societatis Patres Mexicanæ Prouinciæ protulerat, post librum vltimum *Parte 2.* Appendicem proponit, quæ est inter alias secunda, in qua id quod egerat, fusius est, contentiosiùs, & truculentius prosecutus. In cuius fine epistolam præfati Episcopi ad ipsum scriptam apponit, in qua benevolentiam illius erga se, & sua scripta manifestat. Et benè equidem id cadit, vt conijcere ex eo non obscurè possit lectoris erudita sinceritas, vnde illius sit armatus stylus, dum scilicet blandiri antagonistæ Societatis pergit, à cuius eleganti calamo commendationem poterat satis sibi exoptatâ reportare. Et quidem causa prædicta quatenus ad necessitatem approbationis spectat, non est cur nos amplius in sui discussione detineat, cùm eam iuxta dicta locis citatis, non admittamus modò, sed contra aliter sentientes ex Ordinibus alijs defendamus. Aliqua ergo tantùm breuiter proponemus ab eo asserta, & quia inuerosimilia confutabimus.

Constitutio Gregor. 15. ab Vrban. 8 reuocata.

160. Resolutionis prioris §. 6. circa reuocationem Bullæ Gregorij XV. ab Vrbano VIII. excurrit, & Lezanæ testimonio adducto de illius inuentione; de qua dictum à nobis *Sect. 6. citata*, ac iudicio circa illam, quod & nos secuti *num.* 355. addit mirari se virum eruditum, & in Romana Curia non parùm versatum, hanc protulisse sententiam cum non paruo dedecore Congregationis Eminentiss. Cardinalium, quod & non leuiter redundat in confirmationem Apostolicorum Decretorum huiusmodi. Alia in fine §. contra eumdem scriptorem adeò celebrem, & summa æstimatione dignissimum pronuntiat, non sine iusta indignatione legenda, quibus omissis ad rationes, quibus illam impugnat, veniamus. Vrbani Breui reuocatorio arguit ex ipso *Primò*, quia iuxta illud reuocatio pro regnis est tantùm Hispaniæ facta: *Vt in regnis Hispaniarum prædictis tantùm*, quæ sunt illius verba: ergo non pro Indijs, quia Indiæ minimè veniunt Hispaniarum nomine: præsertim ex particula *Tantum*, quod quibusdam Textibus conatur roborare. *Secundò*, quia absurdum & indecorum est dicere, & non sine summa audacia, Congregationem Eminentiss. Cardinalium ignoranter processisse, supponendo quòd Bulla Gregoriana non erat derogata in Hispaniarum regnis: non enim hoc poterant supponere, cùm Breue Vrbani Romæ fuerit publicatum, & impressum in prælo Vaticano, diuagans per omnium manus. *Tertiò*, quia Bulla Gregorij pro partibus Indiarum est recepta, & non derogata: quod ex eo manifestum, nam in

Lezanæ circa hoc sententiam multis impugnat Auctor.

Breue Vrbani.

Decreto Innocentij pro casu dicto, fit illius mentio, & Regium Indiarum Consilium suam circa id auctoritatem interpositam habet, & Rex ipse, dum præfati Decreti executioni transitum concesserunt, sicut in alio ad Archiepiscopum Limensem, circa eamdem approbationis causam, & Episcoporum amplam pro compellendis Regularibus facultatem. *Tandem*, quia Diana *Parte 10. Tractatu 14. Resolut. 23.* quam scripsit post impressum Lezanæ Consultum, ait circa hoc non esse hodie ampliùs dubitandum ob Breue Innocentij, & Vrbani aliud, cuius tenorem dedimus *citata Sect. 8. n. 181.* Non inquam dubitandum, Regularium nullum posse sæcularium Confessiones audire sine Episcopi Diœcesani approbatione, & officium Parochi in Doctrinis Indiarum exercere.

Iuxta illud censura in Regulares inualida, de quo est contentio.

161. Ad hæc tamen non est operosum respondere, si id in primis statuamus nos iam non contendere reuocationem Constitutionis Gregorij stabilire eo fine vt liceat sine approbatione sæcularium Confessiones audire; id enim non licere, à nobis est euidenter demonstratum. Sed vt non liceat Episcopis Censuras in Religiosos fulminare, qui in eo fuerint reperti defecisse; sicut etiam in defectu licentiæ aut benedictionis ad prædicandum in proprijs, aut alienis Ecclesijs. Hoc enim illis est turbationibus expositum, quas Rex noster conatus est supplicatione interposita præcauere. Vnde totus ille Auctoris præfati auctoritatum, rationum, & multiloquentiæ apparatus aëris est inutilis & superuacua verberatio. Licet in prædicta Constitutione nonnulla alia caueantur, circa illa nihil Societatis Patres, pro quo tergiuersari possent, habuerunt, sola censurarum intempestiua exacerbati prolatione.

Ad Indias extensum, licet de Hispania loquatur.

162. Iam quod ad *Primum* attinet, reuocationem dictam in fauorem etiam Indiarum fuisse ex eo ostenditur, quòd diu est quæsita, vt scilicet iuxta illam decidi illud adeò controuersum negotium posset: aliàs quid erat opus solicita & prolixa tantoperè conquisitione? Deinde, Quia Indiæ circa priuilegia talia magis priuilegiatæ sunt, vt constat ex varijs Pontificum concessionibus, de quibus *citatis locis*. Item, quia rationes supplicationis pro reuocatione propositæ, & ad turbationes & scandala reducendæ, magis in Indijs timeri poterant, in quibus Prælati quidam ferè volunt esse Pontifices, & remedia sunt difficiliora, cùm sint ex Europa transmittenda. Prætereà, licet Hispaniarum nomine Indiæ non veniant, vnde Rex Catholicus per compendium scribitur *Hispaniarum & Indiarum Rex*, vt in numismatibus videre est: ex intentione tamen ipsius, quatenus fauere vtrisque velle præsumitur, eo nomine venire possunt, vti accessorium quid, id quo eadem, aut maior ratio pro ijs, de quibus agitur, inueniatur. Sicut autem Rex Indijs fauere voluisse præsumitur, ita etiam & Pontifex, qui eius se votis annuere protestatur. Insuper, Indiæ comprehensæ censeri possunt Hispaniarum regnorum nomine sine impropriet ate, quia reuera Hispaniarum regna sunt, ab Hispanijs inquam conquisita, & possessa: quod enim Rex acquirit, acquisitum primario eius regno dici

Vt dici valeant esse Hispaniarum regna: ex intentione, & proprietate.

poteſt: & quod ab aliquo acquiritur & poſſidetur, eius eſt. Nulla certè impropriet as committitur, ſi dicamus: *España es Señora de las Indias*

Iſa. 47. v 5. Pro quo eſt illud Iſaiæ 47. v. 5. *Sede tacens, & intra in tenebras, filia Chaldæorum: quia non vocaberis vltra domina regnorum.* Vbi de Chaldæa ſermo eſt, nomine Babylonis, quæ illius erat regia ciuitas, deſignata. *Tandem* Hoc ita viſum eſt certum docto Mag. Lezanæ, vt nullam circa hoc dubitandi habuerit rationem, ſicut neque ij, qui Memoriale circa prædictam cauſſam Regi noſtro Philippo, citatum allegantes Scriptorem, obtulerunt. Lezanam etiam ſuis verbis illo in Conſulto loquentem adducit P. Franciſcus Bonæ Spei, nihil in eo improbans, *Tomo 6. Tractat. 5. Diſput. 11. n. 43. & ſeqq.* nolens ex Conſtitutione Gregorij ſuam de neceſſitate approbationis comprobare, reddita pro ea ratione.

Franciſcus Bonæ Spei.

Ignoratum Breue à ſu dicibus. fiat ſine ipſorum noxa.

163. Ad *Secundum*, nihil indecorum ſacris iudicibus aſſeritur, dum eiſdem facti notitia negatur, & ignorantia attribuitur, quam ſæpiùs habere Pontifices ipſos teſtatur Bonifacius VIII. *Cap. 1. de Conſtitut. in 6.* Neque obſtat reuocationem fuiſſe publicatam; tot enim publicantur Decreta, vt mirum haberi non debeat, ſi aliqua excidant, vel ſaltim peculiaris reuocationis forma, & quot aut qualia in illa contenta. Et pro caſu noſtro eſt euidens argumentum: nam ſi occulta non fuiſſet, cùm in ea magnum pondus contra partem aduerſam adſit, ex parte Religionum fuiſſet dubio procul abiecta. Non comparuit per tres menſes: inuenta tandem, & eius formalis tenor à Lezana profertur. Et tamen mentitum dicamus? Apage contra meridianam lucem adeò infelicem fuliginem.

Diſpoſitiones Pontificiam & Regiam non obſtare, quia ex ignorantia facta.

164. Ad *Tertium*, verum quidem eſt ab Innocentio iuxta conſtitutionem Gregorij eſſe procedendum ſuo in Decreto affirmari quod & executioni mandandum Regi, & eius Conſilio Indiarum placuit, vnde & admitti poteſt quod dicitur, non fuiſſe in quam ab illis derogatum, aut eidem renuntiatum: ſed nihilominùs ex eo nequit poſitio noſtra vllatenus infirmari, quia totum illud ex ignorato Breui Vrbani proceſſit. Eſtque prorſus incredibile Regem noſtrum, & eius Conſilium Breui prædicto renuntiandum cenſuiſſe, quod Rex ipſe attenta ſumma illius conuenientia impetrandum accurarat, velle autem Regem talis impetrationis memorem poſt annos viginti & ampliùs, & Indiarum item Concilium, in quo Breue non fuerat regiſtratum, quia ad Indias ſpecialiter non ſpectabat, ineptiſſimum apparet, ſicut & velle inde argumentum confiere, quod momenti alicuius in præſenti cauſſa ſit futurum.

Diana ad Florum eum impreſſionis falſitate obiecta.

165. Iam quod tandem ex Dianæ auctoritate obijcitur, non plus ponderis adijcit, quia ex eadem ignorantia ortum habuit, quam habere potuit, & habuiſſe veroſimile eſt, cùm ita ſcripſerit, quandoquidem Breuis ab eo mentio facta eſt nulla. Neſcio autem quomodo Auctor noſter id fuerit auſus proferre, quod apertæ falſitatis poterat ſtatim manifeſtè conuinci: Dianam ſcilicet Decimam ſcripſiſſe Partem poſt impreſſum Lezanæ Conſultum, id quod repetit *nu.* 858. Siquidem Auctoris huius Tomus 4. Conſulta continens *Anno* 1656. impreſſus fuit Lugduni; cùm

tamen Diana per annos aliquot ante editionem dictam fuerit Partem decimam lucubratus, vt patet ex approbationibus in eadem videndis, ſcilicet RR. PP. Generalis ſuæ Religionis, & Magiſtri Sacri Palatij, nec non P. Martini Eſperza, quæ anno 1951 datæ leguntur; & approbationes quidem Tomi Conſultorum duplicatæ habentur, Anni videlicet 1650. & 1656. quod propterea videtur factum, quia impreſſio eſt retardata vſque ad Generalis alterius tempora; ne quis credat impreſſionem aliam eius Operis Lugdunenſem præceſſiſſe; quam Diana videre potuerit; aliàs nouæ approbationes Generalis, & Magiſtri ſacri Palatij non fuiſſent requiſitæ.

Aſſerta quædam Scriptoris eiuſdem propoſita & diſcuſſa, cum Magiſtri Lezanæ defenſione.

Sex Auctoris aſſerta contra totidem Lezanæ.

166. IN poſteriori Reſolutione contra ſex Aſſerta Mag. Lezanæ PP. Societatis Mexicanæ Prouinciæ totidem alia proponit. *Primum* Epiſcopos Indiarum poſſe totum vnum Collegium aut Monaſterium ab audiendis Confeſſionibus ſuſpendere. *Secundum* idem eſſe in Prædicatione. *Tertium* non exhibitam licentiam petenti Epiſcopo cauſſam eſſe ſufficientem vt quis poſſit ſuſpendi, quia eſt cauſſa ad ipſam Confeſſionem ſpectans, de qua loquitur Innocentius X. in ſuo Decreto. Vbi quod ſemel approbatus, nequit generaliter eligi, niſi virtute Cruciatæ aut Iubilei, & oppoſitum non eſſe probabile, ex varijs Pontificum Decretis. *Quartum* Epiſcopum Angelopolitanum non exceſſiſſe fulminando cenſuras: & generaliter id poſſe Epiſcopos in ijs, in quibus ipſis Regulares ſubijciuntur. *Quintum* dictum Epiſcopum nulla in re priuilegia Societatis violaſſe, & ita non potuiſſe contra illum Conſeruatores aduocari. *Sextum* priuilegia Societatis contra Tridentinum non eſſe approbata per Bullam Pauli V. per quam iam dici poſſunt conceſſa per Bullam eſſe, quæ à Pio V. conceſſa fuerant viuæ vocis oraculo. Nec dici poſſe non reuocata quæ ad Confeſſariorum approbationem ſpectant ab Vrbano VIII. ex defectu publicationis in Indijs, vel quia remuneratoria. Concludit §. 8. Lezanæ reprehenſione, & ſui commendatione, dicens eo vſque cùm ſcripſiſſet, & eius animus eum ad alia grauiſſima diſputanda prouocaret, nobiliſſimum Epiſcopum pariter & eruditiſſimum Doctorem D. Ioannem de Solorza Pereyra ſumma affabilitate reſcribentem Breue ſecundum Innocentij X. ſibi remiſiſſe, & cetera merito ſubticenda. Vbi mirari licet quomodo eum, quem adeò ſibi familiarem correſponſalem affirmat, ita habeat ignotum, vt Epiſcopum fateatur, nuſquàm talem. Qui ergo circa rem non adeò diſtantem ſic errauit, iunctis ijs, de quibus *num. præced.* circa ea, quæ in Indijs acta ſunt, dum iudicem ſe pergit conſtituere, ſi erraſſe in illis, neque ſemel aut leuiter, dixerimus, de errore minimimè poſſumus incuſari. Et quid ad prædicta? Nullum ſcilicet habere pondus, cui debeat aliquantulùm pars impugnata ſuccumbere.

167. Ad *Primum* dicimus, licet ita ſit, vt in

Totum Collegium vt suspendi queat. In quo fuisse excessum.

partibus, de quibus agit, Innocentij Decretum possit totum Collegium aut Monasterium suspendi, ex grauissima caussa, vt ibidem dicitur, inconuenientibus ponderatis; in casu tamen, de quo agitur, non potuisse, quia grauissima caussa pro eo non fuit cum circumstantijs à Pontifice requisitis, & res potuit debita cum moderatione disponi. Deinde, in prædicto Decreto sic habetur ad secundum ex parte aduersa Quæsitum: *Respondit, Regulares alias libere ab Episcopo præuio examine approbatos ad audiendas Confessiones personarum sæcularium, ab eodem Episcopo suspendi non posse sine noua caussa, eâque ad Confessiones pertinente.* Atqui inter Patres dictos plures erant, qui ab eôdem Episcopo approbationem habuerant, vt constat ex processu apud eumdem, in quo habetur edictum eiusdem Episcopi sic protestantis: *Resultauit quòd prædicti Regulares exhibuerint & præsentauerint licentias, quas habebant aliorum Episcoporum extra nostram diœcesim ad prædicandum & Confessiones audiendum, & aliquas nostras &c.* Ex quo etiam responsio est legitima & irrefragabilis ad *Secundum*.

Responsum S. Congregationis.

Edictum Episcopi.

Caussa suspensionis qualis futura & error circa illam.

168. Ad *Tertium* benè verum est, ob caussam ad Confessiones ipsas pertinentem posse approbationem & licentiam suspendi ab Episcopo, & admitto talem esse, si constaret absque illa ab aliquo siue diœcesano, aut eius antecessore, siue diœcesis alterius, dum in ea esset, accepta; confessiones audiret: immò etsi tunc in Ecclesia sedentis non esset, quidquid de habita ab alijs esse posset. Nego tamen ob non exhibitam excommunicari potuisse, quia probari nequit Regularem in eo delinquere. Tum quia licet videatur Confessionali assistere, stare id potest sine Diœcesani licentia, eo quòd pœnitentes habeant Bullam Cruciatæ, & ille ab alio sit Diœcesano approbatus: quod posse fieri tenet cum multis Auctor, vt diximus circa Tertiam istam obiectionem. Tum etiam quia dicere potest pœnitentes mortalia peccata non habere, & si fortè habuerint, generales eorum Confessiones posse excipere, in quibus iam confessa detegantur: quorum oppositum nequit vlla ratione probari. Et ita neque fulminari censura rigidior, qualis est maior excommunicatio. Si dicas iuxta hoc numquàm habituram locum dispositionem Innocentij X. in suo Decreto statuentis contra audientes Confessiones sine approbatione Diocesani, posse illum etiam per censuras procedere, cùm nequeat contrauentio ista probari. Responderi potest locum habere posse, etiamsi quod de Censuris dicitur concedamus, (quod saltim extra Hispaniarum regna iuxta Gregorij est Constitutionem admittendum) quia potest aliquis Confessarius ita se gerere, vt affirmet se licentia generaliter non egere, aut semel habitam à quocumque alio sufficere: quod est vti falsum, & animarum saluti pernitiosum ab Alexandro VII. reprobatum in Decreto die 30. *Ianuarij An.* 1659. quod adducit P. Franciscus Bonæ Spei *Tomo* 6. *Tractat.* 5. *Disputat.* 11. *num.* 8. Vnde si talis ab Episcopo admonitus Confessionali assistens videatur, procedi contra illum poterit, quia non iam ob rationes dictas videtur assistere, sed ex absurda illa persuasione non indigentiæ ab eodem assertæ. Qualis quidem in Angelopolitanæ ciuitatis Patribus repertus nullus, vt ex processu liquet.

Ex subiectione Episcoporum in aliquibus non sequitur posse ab Episcopo excommunicari.

169. Ad *Quartum*, quod ad Censuras attinet iam est à nobis declaratum quid fieri ratione Constitutionis Gregorij XV. possit: generalis autem illa assertio de Episcoporum potestate respectu omnium, in quibus Regulares eisdem subijciuntur, neutiquàm sustinenda, de quo dictum à nobis *in Thesauro Tomo* 2. *Tit.* 17. *n.* 50. *& seqq.* & pro casu præsenti est expressa decisio in præfato Innocentij Breui & Declarationibus Congregationis eidem insertis; sic enim in *Respons.* 10. ad Episcopi Quæsita: *Respondit, eisdem Regularibus, qui Confessiones personarum sæcularium audiunt sine approbatione Episcopi loci, vel prædicant in Ecclesijs sui Ordinis non petita illius benedictione, aut in alijs Ecclesijs absque ipsius licentia, vel in Ecclesijs etiam sui Ordinis ipso contradicente, posse Episcopum in vim Constitutionis fel. record. Gregorij XV. quæ incipit Inscrutabili Dei prouidentia, tamquàm Sedis Apostolicæ delegatum administrationem Sacramenti Pœnitentiæ, ac munus prædicationis interdicere, eosque Iuris remedys coercere & punire.* Sic ibi. Sed cum responsio prædicta non ita videretur aperta, vt potestatem idem similiter faciendi sub pœnis à Gregorio constitutis excluſa videretur, ex parte Societatis specialior est interrogatio subsecuta, & est Quarta tenoris sequentis: *An Episcopus posit cum censuris procedere contra Regulares exemptos, si inobedientes fuerint in Confessionibus audiendis, vel prædicatione verbi Dei? & hoc, an vigore Concilij Tridentini, vel per quem Canonem?* Ad quam sic: *Respondit, posse procedere, non quidem in vim Concilij Tridentini, sed in vim Constitutionis Gregorij XV. quæ incipit, Inscrutabili Dei prouidentia.* Iuxta quam manifestissimam veritatem id habemus, vt non sit satis Religiosos exemptos circa aliqua Episcopis subijci, ad censuras contra ipsos displodendas, nisi quando eis vt Apostolicæ Sedis delegatis ita fuerit concessum; quod esse Canonico iuri conforme vidimus *citato Thesauri loco.*

Breue Innocentij X.

Ex eodem comprobata assertio.

Conseruatores cur improbati.

170. Ad *Quintum* Conseruatores absolutè potuisse eligi ob non leues violentias, sed non eos, qui reipsa electi; quòd ex eiusdem Sacræ Congregationis declaratione non obscurè colligitur. In Breui namque ita habetur: *Nec ob eam caussam (scilicet quòd Episcopus per Censuras Confessionum auditionem & prædicationem prohibuerit, & eius Vicarius, non stante approbatione, licentia, aut benedictione) licuisse dictis Religiosis, quasi à manifestis iniurijs & violentijs eligere Conseruatores &c.* Circa quæ ex parte Societatis conclamatum negantis factum, quòd scilicet Conseruatores ea fuerint electi de caussa: vnde & auditi, quatenus petebant declarari non penitus fuisse iniustam ex parte caussæ prædictam electionem, & congrua est adhibita responsio, de qua Auctor in Appendice Col. 16. vers. *Transeo ad* 2. vbi sic iuxta processus tenorem habetur: *Cùm propositum fuisset in hac* 3. *Sessione dubium, An ex alijs caussis, quàm in Breui expressis fuerit locus electioni Conseruatorum? Sacra Congregatio respondit in* 2. *Clausula præsentis Decreti non fuisse locum electioni talium Conseruatorum.* Decretum extat in eadem Col. *die* 17. *Decemb. An.* 1652. Ex quo habetur exceptio firmans regulam in contrarium:

Breue Innocentij.

Notanda responsio S. Congregationis.

Non absolutè, sed tales.

cùm

cùm enim tantùm excludantur tales, & ita quia tales, vtpotè non habentes qualitates requisitas ad Officium Conseruatorum, & interrogatio sit generalior, alij legitimè eligi potuerunt, addente Congregatione quod in Breui non fuerat expressum, & penitus negatum videbatur. Pro quo & facit Regia schedula benè perpensa ad Conseruatores missa apud eumdem *pag.* 349. in qua sic Rex noster Philippus post alia: *Excedieron an valerse de este caso del priuilegio de nombraros portales Iueces Conseruadores, pues auia otros medios Iuridicos conque defenderse &c.* Vbi quidem Angelopolitanos Patres iniustè vexatos agnoscit: aliàs ad media iuridica alia potuisse recurrere minimè protulisset. Quòd autem electionem non probet, defectum conuenientiæ indicat, non absolutæ potestatis: vnde & illud, quod sequitur: *Porque siendo tan irregulary odiosa, no la debisteis acetar, sino interponeros, como lo pedia vuestro estado &c.*

Regia schedula.

171. Circa *Sextum*, verosimiliter quidem Lezanam discurrisse ex receptis doctrinis, quibus tamen minimè se tueri conatur Societas. Et quod ad Bullam Pauli V. attinet, non tanti momenti est, vt in eo sit innitendum, à me dictum & ostensum in *Thesauro Tomo* 2. *Tit.* 12. *Cap.* 3. & ipse P. Thomas Hurtadus *Tomo* 2. *Resolut. moral. Tract.* 12. *num.* 1173. oracula eam vim habere non obstante reuocatione Gregorij XV. & Vrbani VIII. affirmat, pro quorum concessione Bullæ posteà prodierunt. Bullam Pauli V. adducit, quæ aut citata est, aut alia consimilis. Plus ergo circa istà ille concedit, quàm vsus Societatis ferat, vnde meritò ille ita scribere potuit, *num.* 820. *Quare cùm Patres Societatis, vtpotè Catholici, & maximi obseruatores Concilij Tridentini, Decretum præfatum non negent, sed amplexantur, vt omnes Scriptores illius incunctanter defendunt &c.*

Bulla Pauli V pro Societate quid circa oracula &c.

Thomas Hurtadus.

Circa alia ex eodem Scriptore ad prædictam caussam pertinentia.

Quatuor Constitutiones in fauorem PP. Societatis.

172. IN citata Appendice, in qua summa processuum extat ex illorum visceribus quatuor istæ Conclusiones elicitæ proponuntur.

Prima. Patres Societatis numquam prætendisse audire Confessiones & prædicare absque licentia D. Episcopi in Diœcesi Angelopolitana, vel sine licentia antecessoris, & in vim priuilegiorum.

Secunda. Numquam prædicasse, aut Confessiones audiuisse absque licentia Ordinarij, aut ipso repugnante; siue contradicente, aut in vim priuilegiorum.

Tertia. Patres non elegisse Conseruatores pro tuendis priuilegijs prædicandi, & Confessiones audiendi absque licentia Ordinarij; vel quia D. Episcopus id Patribus prohibuit; aut quia petiuit licentiarum præsentationem. Sed propter iniurias & grauamina imposita contra Iuris dispositionem.

Quarta. Patres non fuisse reos criminum illis impositorum, nec censuris grauatos, vt D. Episcopus prætendebat.

Contra eos pugnat truculentus Auctor.

173. Contra illas Auctor quatuor Admonitionibus pugnat: nec veretur asserere inter multa à veritate aliena, & Religioso Scriptore indignissima, processum, iuxta quem quatuor dictæ

Conclusiones erumpunt, à valde Religiosis Patribus Societatis IESV Mexicanæ Prouinciæ esse confectum, quod idem est ac confictum: ac si componi inter se possint valde Religiosos esse, & falsitatum in caussis momenti tanti *in oculis solis huius* studiosos artifices. Et quidem cùm sic non solùm contra Societatem, sed contra Religiones alias in lite compartes, vt videre licet in Regia Schedula apud eumdem *pag.* 349. depugnantem videmus, an Religiosus fuerit suspicari non immerito possemus, nisi in eiusdem libris extaret illud, licet aliquando notis tantùm indicatum. C. R. M. Apparet enim incredibile Religiosum contra Religiosos adeò truculentè decertare. Sit ita vt ille vult, & Patres præfati in caussa victi, eorum zelus minimè summo displicuit iudici, Pontifici maximo, sicut nec Cardinalibus, & Præsulibus alijs ad decisionem caussæ deputatis, vnde nihil contra eos acerbè dictum, sed potiùs Societas eximiam ab ipsis laudem reportauit verbis illis in Breui contentis: *Ceterùm Sacra Congregatio serio in Domino hortatur ac monet Episcopum, vt Christianæ mansuetudinis memor, erga Societatem IESV, quæ laudabili suo instituto in Ecclesia Dei tam fructuosè laborauit, ac sine intermissione laborat, paterno fegerat affectu, eamque in regimine Ecclesiæ suæ perutilem adiutricem agnoscens benignè foueat &c.* Et in Monitorio vltimo, de quo *pag.* 334. sic ijdem: *Ita pariter etiam atque etiam hortatur, vt ea, qua decet, in tam laudabilem proficuumque Ordinem existimatione Religiosam hanc familiam in vineâ Domini summo cum fructu ac labore desudantem paterna charitate amplectaris ac foueas &c.*

Eximia Societatis à Sacra Congregatione commendatio.

174. Non habuit summo in Iudice commendationem Dom. Bartholomæus Carranza iussus coram Gregorio XIII. hæreses de vehementi abiurare de quibus suspectus ex allegatis & probatis habebatur, addita quinquennalis suspensionis pœna ab Ecclesiæ Toletanæ administratione, *Ne prædicti excessus maneant impuniti, & vt efficiatur cautior in futurum*: quæ sunt sententiæ verba. Et tamen nostri Auctoris pietas in eius laudes, ac si sententia omnino fuisset victorialis, excurrit prolixa satis Appendice adiecta *Tomo priori de Residentia.* Cur ergo in caussa præsenti ita sententiam vrget, vt grauiorem & seueriorem esse velit, quàm reuera sit, Religiosos Patres in nullo excusabiles recognoscens, sed suo condemnatos merito, & eorum criminum reos, quæ ipsi in se non deprehendunt, iussi quotidie bis examen cõscientiæ peragere, & excommunicationis vinculis innodatos; cùm tamen nullus fuerit, qui de absolutione curauerit, quia neque de criminis leuissima suspicione eorum conscientia pulsabatur? Non ergo res ratione agitur, sed affectu. Et quàm illud ingratum ei, cuius vox illa: *& dixi: semper hi errant corde?* Psal. 94.

Dom. Carranzæ exemplo Auctor vrgetur.

175. Sed pertentat vrgere adhuc *Admonit.* 3. & ait quòd licet neque Pontifex in suo Breui, neque Sacra Congregatio in suis Decretis aliquem ex Patribus ab Episcopo, aut eius Vicario excommunicatum pronuntiauerint, multa tamen esse valde vrgentia, quæ ligatos ea fuisse concludere videantur: addens noluisse certitudinem declarare forsan ad vitandum scandalum. Seuerior ergo in illos iudex, quàm Pontifex, & Cardinales ac Præsules Sacræ Congregationis. Quæ autem

Pro incursis Censuris certat.

rem sint illa vrgentia, & valde quidem, quæ ligatos fuisse concludant, ad id reuocat, quòd Episcopo absolutionis est forma præscripta circa Censuras, *quas aliquis eorumdem Religiosorum incurrere forsan potuisset.* Cumque aliàs Constitutioni Gregorij XV. insistendum asseratur, in qua potestas circa hoc est Episcopis attributa, quod nonpotuerunt Patres Societatis ignorare vtpotè valde litterati, ac proinde nec bona in eis fides locum habere, fit non habuisse aliquid vnde possent excusari.

Sed quæ adducit apertè conuellunt.

176. Ad quæ in primis illud notatu dignum occurrit in Epistola ad Episcopum directa, de qua *num.* 1016. non omnes, qui se illi opposuerunt, absoluendos esse decerni, sed *forsan aliqui eorumdem &c.* Ergo nimis deuiat rigor ille Patres omnes comprehendens. Deinde, vt ex processu constat, & ex Tertia Conclusione proposita, Patres exhibitionem licentiarum minimè recusarunt, & ita ob eam rationem non potuerunt aduersus illos Censuræ fulminari, & consequenter illos ligatos se eisdem reputare neutiquam debuerunt: id quod, quia valde litterati erant, valuerunt ita censere. Sed quia in aliquo potuit forsitan calore concertationis excessus nonnullus admisceri, ex quo scrupulus incursæ censuræ procederet, ideò ad cautelam sic est à Sacra Congregatione dispositum. Sed cur non idem circa Episcopum? Ex quo & arguitur. Quia iudices Conseruatores incompetentes sunt declarati, vnde dubium apud iudices remansit nullum circa censurarum sententias in illum pronuntiatas. Si coram Deo aliud, ipsi reseruatum.

Circa Constitutionem Greg. XV. de Conseruatoribus absurda eiusdem sententia.

177. Vbi non omittendum id quod circa iudices Conseruatores prædictus Auctor habet in *prima Appendice nu.* 843. ijs suppositis, de quibus à *nu.* 839. scilicet Regulares in causis, in quibus pro iniurijs sibi illatis Conseruatores eligunt, Constitutione Gregorij XV. quæ incipit *Sanctissimus*, comprehendi, ita vt omnia in illa contenta & requisita debeant ab ipsis obseruari, & ita etiam, vt nequeant esse actores. Contra quem stat authentica Declaratio Cardinalium, quam ipse agnoscit, & sic habet: *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum censuit eiusmodi verbis minimè sublatam fuisse facultatem, quam habent Conseruatores defendendi Regulares à manifestis iniurijs & violentijs; dum modo obseruent formam præscriptam Constitutionibus Innocentij IV. Bonifacij VIII. relatis in Cap. 1. & finali de Officio Deleg. in 6. C. Cardinales de Torres, loco sigilli. Prosper Fagnanus, S. Congregat. Secret. Romæ ex Typographia Cameræ Apostol.* 1624. Sic Congregatio: propter quod ita tenent Peyrinus, P. Pellizarius, Moneta, Lezana, & Diana apud eumdem, quibus adde Ioannem de la Cruz *de statu Relig. Lib.* 2. *Cap.* 10. *Dub.* 5. §. *Tandem.* Et Illustrissimum Barbosam in *Summa Apostolicarum Decisionum verb. Conseruator. nu.* 19. qui præter Peyrinum & Lezanam adducit Lauretum de Franchis, & Ioannem Mariam Nouarium. Cum tamen Auctor, quocum agimus, Scriptorem pro se adducat nullum, sicut neque rationem, præter generalem modum loquendi Pontificis, qui cùm non distinguat, neque nos distinguere debemus, iuxta vulgare apud Iurisprudentes axioma. Vnde infert Regulares non posse aliquem

Declaratio Card. in fauorem Regularium.

accusare de aliquo delicto coràm iudice Conseruatore, quia accusator est propriè actor: cùm ergo accedunt ad suos Conseruatores vt eos defendant, non sunt actores, sed petunt protectionem & defensionem à suis iudicibus, & constito de iniuria, manent rei, & patientes.

Actores esse possunt, cùm de iniurijs agitur.

178. In quo dicendi modo singularis esse hic Auctor voluit affectatione nouitatis, quam quidem minimè admitteret Schola illa, de qua calumniosè ipse in *Præfatione Apologetica Tomi prioris de Congrua*, verbis illis: *Igitur quidam Neotericus recentiorus scholæ, in qua Nouitas colitur* &c. Et est ille manifestè contra Pontificiam auctoritatem: sic enim habet dicta Gregorij XV. Constitutio: *statuit sanctitas sua vt coram ipsis Conseruatoribus Regulares, ac personæ suprà scriptæ, conuenire quidem & trahi queant, sed alios conuenire & trahere nõpossint: ita memorati Conseruatores, in causis, in quibus Regulares & alij actores fuerint &c.* Quem loquendi modum Doctores communiter amplectuntur. Et quidem eum, qui iniuriam patitur, reum esse dicendum, solùm quia patitur, paradoxum inauditum est, contra vtriusque Iuris stylum, ac Interpretum loquendi morem, vt non sit opus circa rem adeò manifestam diutius immorari.

Constitutio Greg. XV.

SECTIO IX.

Vtrum in Indijs possint Regulares virtute priuilegiorum absoluere à casibus Episcopis reseruatis.

Censura sententia asserentium licere absolutionem Regularibus à reseruatis Episcopis.

179. Dictum de hoc in *Additionibus Tomi* 2. *nu.* 45. vbi non obstantibus Decretis Pontificum, de quibus ibi, probabilitatem sententiæ asserentium id posse non sumus inficiati generaliter loquendo. Sed post ibidem scripta inter Propositiones ab Alexandro VII. proscriptas hæc habetur, & est ordine 12. *Mendicantes possunt absoluere à casibus Episcopis reseruatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate* 24. Septembr. 1665. Qui & An. 1659. die 30. Ianuar. scribens Episcopo Andegauensi Decretum transmisit, quod obseruandum media illius industria præcepit. Propositionum aliquarum censuras complectens ex quibus §. 3. sic habetur, vt extat apud Franciscum Bonę Spei Tomo 6. Tract. 5. disput. 11. nu. 8. *Regulares Ordinum Mendicantium semel approbati ab vno Episcopo ad Confessiones audiendas in sua Diœcesi habentur pro approbatis in alijs Diœcesibus, nec noua Episcoporum indigent approbatione. Regulares habent potestatem absoluendi à peccatis Episcopo reseruatis, etiamsi ab Episcopo auctoritas ipsa ipsis indulta non fuerit.* Alex. VII.

Quoad primam partem est falsa, & animarum saluti pernitiosa. Quoad secundam partem est falsa, auctoritati Episcoporum, & Sedis Apostolicæ iniuriosa.

Iuxta hæc ergo probabilitas sententiæ dictæ neutiquam ampliùs asserenda aut sustinenda cum ea generalitate, quam Scriptores quidam, de quibus citato num. 45. & alij, eamdem amplectuntur.

180. Sed

Pro Indijs non habere locum.

180. Sed an pro Indijs secus dicendum sit præsentis est quæstionis. In qua dicendum validam & licitam esse talem absolutionem. Cuius ratio est, quia vt vidimus *Tom.* 2. *Thesauri Tit.* 12. *n.* 300. per priuilegia Societati concessa possunt eius Religiosi absoluere à casibus Bullæ Cœnæ. Ex eo enim videtur consequenter asserendum posse etiam à casibus Episcopis reseruatis, cùm multò id minus sit, & cui licet id quod plus est, licet etiam quod est minus, vt est *Regula* 53. *iuris in* 6. & inter iuridica Axiomata refertur ab Illustrissimo Barbosa *Tractatu de Axiomatibus, Axiom.* 180. cum erudita exornatione. Et licet illud aliquas admittat limitationes, vt videri potest apud P. Thomam Sancium *Lib.* 8. *de Matrim. Disput.* 1. *num.* 32. tamen vt videri apud eumdem potest *num.* 37. *& seqq.* vbi & alios adducit, omnino est recipiendum quando plus & minus sunt in eodem genere, vt in casu præsenti contingit, & exempla ab eodem inducta comiuncunt.

1. Ratio ex concessione casuum Bullæ Cœnæ.

Ex Bulla Cruciatæ roborata.

181. Præterea, virtute Bullæ Cruciatæ possunt Confessarij absoluere à casibus Episcopis reseruatis, quod præter alia, ex eo deducunt, quod in Bulla habetur, verbis illis: *& ab ea, quorumcumque peccatorum & censurarum, etiam Sedi Apostolicæ, & in Bulla Cœnæ Domini reseruatorum, & reseruatarum &c.* Particula enim *Etiam* eam vim habet, vt casum difficiliorem & magis dubitabilem implicet, vt videri apud citatum potest *Tractatu de Dictionibus Dict.* 112. & ita vt certum statuit P. Mendus in *Elucidatione Bullæ Cruciatæ Disput.* 23. *num.* 3. & 43. Atqui eadem est particula in concessione Pauli Tertij contenta in Bulla, quæ incipit *Licet debitum die* 28. *Octobr. An.* 1549. ibi: *& eorum quemlibet ab omnibus & singulis eorum peccatis, etiam in Bulla Cœnæ Domini reseruatis &c.* Quam concessionem confirmat, & demùm confert Iulius Tertius in Bulla, cuius initium *Sacræ Religionis* die 22. Octob. An. 1552. Ergo iuxta illam omnino licet absolutio à casibus Episcopis reseruatis.

Bulla Pauli Tertij.

2. Ratio exhibitionis modo.

182. Item, in Decretis Pontificum, quibus absolutio talis prohibetur, etiam inuenitur prohibita absolutio à casibus Bullæ Cœnæ, quia in virtute facultatis pro ista ad vsum illa trahebatur, arguendo vt nos nuper à maiori ad minus, licet in speciali facultas pro illis concessa aliquando inueniatur. Videndum Sacræ Congregationis Regularium Decretum apud Dianam *Par.* 12. *Tract.* 2. *Resolut.* 28. in quo pro vtroque extat prohibitio, & alia etiam quæ adducit *Parte* 10. *Tract.* 13. *Resolut.* 22. *& Parte* 11. *Tract.* 2. *Resolut.* 9. & sic specialiter arguit Bruno Chassaing *de Priuilegijs Regularium Parte* 1. *Tract.* 5. *Cap.* 2. *Propos.* 3. vbi affirmat etiam vbi Bulla Cœnæ est recepta (quod respectu Galliæ negat) posse Regulares absoluere à casibus in illa contentis, quia sunt Episcopales, & ita non reseruati, si occulti sint, vnde & possunt quidquid Episcopi in eo genere. Sunt ergo prædictæ assertiones inter se connexæ, & ita Pontificum Decretis in Europa profligatæ, ex quo pro Indijs à contrario argumentum instauratur.

Diana.

Bruno Chassaing.

3. Ex concessione aliorũ Sedi Apostolicæ reseruatorum.

183. Deinde, Etiamsi non concedantur casus Bullæ Cœnæ, ex concessione aliorum Pontifici reseruatorum idem sequitur, vt constat ex Compendio nostro communi Priuilegiorum *verb. Absolutio* §. 1. vbi affertur concessio Pauli Tertij, in Bulla, quæ incipit, *Cùm inter cunctas* die 3. Iun. An. 1545. ibi: *Ipsos & eorum singulos, ab omnibus & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis quantumcumque grauibus & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, &c. exceptis contentis in Bulla, quæ die Cœnæ Domini solita est legi.* Sic Pontifex. Ad quæ in Compendio, vt sequitur obseruatum: *& quamuis aliqui Ordinarij prætendunt prædictam facultatem quoad casus per illos reseruatos nihil operari, immò ei esse derogatum à Greg rio XIII. iuxta ea, quæ in quadam Epistola ad vnum ex eis missa, Illustrissimus Cardinalis S. Sixti subiungit in hæc verba, videlicet*: Hac de re vbi Congregatio accuratè egisset, deinde ad sanctiss. D. N. retulisset, illius sanctitas etiam de sententia Congregationis censuit, ex facultatibus per Mare magnum, aliane priuilegia Regularibus concessa, factam eis non esse potestatem absoluendi in casibus sibi ab Episcopo reseruatis &c. *Nihilominus declarauit idem Gregorius die* 10. *Maij an.* 1583. *non esse intentionis suæ, quòd per talem Epistolam sit derogata, dicta Societatis facultas, eamque, quatenus opus sit, de nouo confirmauit. Habetur in viuæ vocis Oraculis pag.* 131. Sic ibi.

Compendium Priuilegij Societ.

Paulus Tertius.

Greg. XIII. declaratio.

184. Itaque iuxta Societatis mentem, & quod plus est, sapientissimi Pontificis, concessione reseruatorum Sedi Apostolicæ veniunt Episcopis reseruata. Et ita adducto priuilegio præfato similiter argumentantur citatus Bruno *Propositi.* 2. multos allegans, & Ioannes à Cruce *in Directorio Conscientiæ Quæst.* 5. *de Sacramento Pœnitentiæ Dub.* 5. *Conclus.* 4. *& Lib.* 2. *de statu Religionis Cap.* 6. *Dub.* 7. *Conclus.* 3. iuncto 5. *Ad hæc dico*, ex quo habetur non solùm de reseruatis in Iure locutum. Iuxta quæ habemus, vt cùm ex concessione dicta recte deducatur posse à casibus Episcopis reseruatis absolui; vt non liceat, necessariam esse specialem prohibitionem: Atqui pro Indijs nulla extat, sicut pro Italia fuit ex Decreto Clementis VIII. extensa postmodum etiam extra Italiam præsertim ab Vrbano VIII. vt videri apud citatos potest. Hic autem modus loquendi *Etiam extra Italiam*, non significat remotissimas etiam Prouincias, pro quibus Pontifices speciali soliti sunt prouidentia vti. Et ita Pius V. in Bulla, quæ incipit, *Romanus Pontifex* pro PP. Dominicanis in simili locutus post verba illa, *Quam extra eam*, addidit, *vbilibet.* Ex quo argumento liquet casus Bullę Cœnæ non comprehendi præfatis prohibitionibus, & ita consequenter neque casus Episcopis reseruatos, qui ex consequentia veniunt, iuxta mentem Gregorij XIII. vt iam vidimus, & communissimo Doctorum sensu.

Ex ea arguitur clarè.

185. Iuxta quem etiam dicendum etiamsi in Indijs concessio pro casibus Bullæ Cœnæ non sit absoluta (licet talem esse sit à nobis citato loco demonstratum) sed cum limitationibus, quas Pontifices iam adhibere solent, vbi scilicet non est Inquisitio, & fideles inter infideles degunt, neque Ordinarij saltem intra duas diætas existunt huiusmodi facultatem habentes; stare resolutionem præfatam, quia in primis concessio omnium præter dictos Bullæ Cœnæ est innegabilis, & iuxta eam currit decisio nuper stabilita: quia cùm absolutio stare queat respectu illorum, etiam respectu Episcopalium debet admitti, vt stet veri-

Limitationes Pontificum absolutam facultatem non tollunt.

tas declarationis Gregorij, & tot cum eo sententium Scriptorum. Dici enim nequit esse pro illis specialem prohibitionem, quia, vt vidimus, pro Indijs nulla extat: & cùm Pontifices adeò videantur soliciti causam Episcoporum agentes, & eorum instantijs prouocati, si casus tales excluſos vellent, proculdubiò eos expressissent. Deinde ex eo quod in limitationibus habetur, id quod intendimus, non obscurè videtur indicatum. Recurrendum enim ad Episcopos dicitur, si existant inter duas diætas, & de casibus Bullæ agitur, pro quibus illi habeant facultatem: ergo cùm pro illis tantùm necessitas recursus imponatur, alij non videntur obligatione huiusmodi comprehensi. Præterquàm quòd limitationes dictæ absolutam concessionem non infirmant, vt explicuimus *citato Thesauri loco num.* 303. & 304 ergo ijs non obstantibus stat inconcussa nostræ veritas positionis.

SECTIO X.

Damnata Propositio circa extantia Priuilegia à Concilio Tridentino reuocata, an quidquam importet Indicis rebus aduersum.

Propositionis tenor.

186. EST illa ordine 36. tenoris sequentis *Regulares possunt in foro conscientiæ vti priuilegijs suis, quæ sunt expressè reuocata per Concilium Tridentinum.* Et est illa nec paucorum, nec contemnendæ auctoritatis Scriptorum, iuxta quorum mentem locuti aliquoties sumus, vti qui probabiliter locuti videbantur. Et ipsius sensus non vnus esse potest, cùm dici queat *Primò* esse qui affirment Regulares posse suis priuilegijs frui in conscientiæ foro, etiamsi à Concilio expressè reuocata sint, quia reuocatio tantum pro foro externo fuit. *Secundò.* & si reuocata expressè fuerint etiam pro foro interno, virtute tamen priuilegiorum vsum talem licere, & priuilegia talia verè extare. In quo quidem diuersimodè philosophantur Auctores, dum diuersa priuilegia adducunt, & eorum confirmationes. Et pro priori sensu allegat Ioannes à Cruce *Lib.* 2. *de statu Religionis Cap.* 3. *Dub.* 6. *Concluſ.* 3. Patrem Henriquez *Tomo* 1. *Lib.* 6. *Cap.* 6. *num.* 6. *Lit. E. & Cap.* 10. *Lit. P. in Gloſſa.* vbi nec verbum de hac quæstione. Pro quo & adduci possunt qui tenent in Tridentino non reuocata priuilegia, quæ rationem legis habebant, eo quòd in Iure communi contenta, de quo *Parte præced. Sect.* 8. vbi de necessaria approbatione Confessariorum. Et quod de Altaris Viatico habetur in *Cap. In his quæ*, de Priuilegijs.

Varij circa illam Auctorum sensus.

Assertio 1. contra primum sensum de foro tantum externo à Concilio intento.

187. Dico *Primò* In primo sensu sententia dicta exploditur cum adiecta censura ab Alexandro VII. Probatur, quia id est contra mentem omnium fere Pontificum, qui post Concilium Tridentinum Religionum priuilegia confirmarunt: nonnulli enim ea, quæ Concilio dicto sunt contraria exceperunt, vt Gregorius XIII. & Clemens VIII. circa Minores, Hieronymianos, & Præmonstratenses, vt videri potest apud Emmanuelem Rodericum *Tomo* 1. *qq. regular. q.* 8. *arti.* 9. & Ioannem à Cruce *suprà Concluſ.* 2. vbi ait idem esse de confirmationibus alijs excepta confirmatione pro Societate IESV Gregorij XIII. Alij autem si qua confirmant, aut de nouo concedunt Concilio contraria, illius faciunt mentionem, vt Gregorius idem in Bulla, quæ incipit: *Vsum altaris viatici.* die 23. Octob. An. 1579. vbi dicti Altaris vsum concedens, vniuersè sublatum à Concilio affirmat verbis illis: *Vsum altaris viatici Societati vestræ à fel. record. Paulo Papa Tertio concessum, deinde à Concilio Tridentino vniuersè sublatum &c.* Pius V. ante illum in concessione satis celebri pro PP. Minoribus, de qua *Tomo* 2. *Thesauri Tit.* 12. *num.* 348. & in Compendio communi Societatis verb. *Concilium Tridentinum* §. 3. vbi vsum indulget priuilegiorum pro foro conscientiæ, quæ sunt à Concilio derogata. Pro quo & est Bulla alia sat memorabilis apud Scriptores eiusdem Pontificis, de qua *Parte* 3. *n.* 179. & 185. & incipit: *& si Mendicantium:* estque septima apud Peyrinum inter Constitutiones illius, vbi multa Mendicantibus concedit, quæ per Concilium fuerant abrogata. Alij item contra Religiosos specialibus Decretis insurgunt, dum abusum eorum submouere curant, qui contra illa, quæ ipsis sunt in Concilio prohibita non verentur operari. Quod præsertim circa approbationem Confessariorum, & præcandi facultatem videre licet, de quo diuersis locis à nobis dictum, & videri specialiter possunt superius dicta *Parte* 1. *Sect.* 6. *Parte* 3. *Sect.* 8. vbi & vrgentissimam *Vrbani VIII. Constitutionem* adduximus. Et nuper *Sectione* 8. ex Innocentio X. *& præcedenti* Alexandro VII.

Emman. Rodericus

Ioannes à Cruce.

Greg. XIII.

Pius V.

Peyrinus.

Assertio 2. negans vigere priuilegij generaliter licere.

188. Dico *Secundò.* Nullius vigore priuilegij potest stare Propositio præfata generaliter intellecta. Id constat ex nuper dictis; cùm constet Pontifices pro stabilienda obligatione circa obseruantiam aliquorum Sacri Concilij Decretorum, Bullas & Decreta diuersa protulisse, & prædictis addendo Decreta circa absolutionem ab hæresi, quam licere sibi Regulares aliqui contendebant, quando illa est occulta, & sic concessa Episcopis in Tridentino *Sessione* 24. *Cap.* 6. *de Reformat.* & multò magis ab alijs casibus Bullæ Cœnæ, de quo dictum *num.* 182. *& Parte* 2. *n.* 321. *& seqq. & in Thesauro Tit.* 12. *num.* 301. *& seqq.* Item Decreta circa visitationem Ecclesiarum, in quibus Regulares curam habent sæcularium, iuxta id quod statutum à Concilio *Sessione* 25. *Cap.* 11. *de Reformat.* quibus obnititur Btuno Chassaing *suprà Tractatu* 2. *Propos.* 3. vbi & priuilegium adducit Pij V. *& si Mendicantium*, de quo dictum. Sicut Propos. 7. circa obligationem sæcularium pro censuris in suis Ecclesijs publicandis, & populo denuntiandis, de quo *Sessione eadem Cap.* 1. & de publicatione Indulgentiarum, de quibus *Sessione* 21. *Cap.* 9. *de Reformat.* similiter *Propos.* 9. Item circa correctionem Regularium publicè delinquentium, de qua *ibidem Cap.* 14. eius vim conatur infringere *Cap.* 4. *Propos.* 1. vbi Clementis VIII. adducta circa hoc Bulla, nihil ex ea, quod vrgeat, haberi contendit. *Et Propos.* 2. circa hæresim singulari animositate pronuntiat. *Et Tract.* 5. *Cap.* 2. *Propos.* 1. Sic statuit: *Regularis vbi Tridentinum non est receptum, potest sine Episcopi approbatione, etiam Seclusis priuilegijs, audire Confessiones.* Ex quo habetur in Gallia, vbi

Bruonio Chassaing *asserta minimè tolerauda contra Tridentini Decreta.*

vbi receptum non esse probauerat *Tract.* 1. *Cap.* 1. *Propos.* 11. locum habere. Sed verò cùm proposita illa inter alias fuisset, de quibus *num.* 179. Galliæ peculiari facta mentione, sic apud Auctorem *ibidem* citatum Episcopo Andegauensi respondsum: *Est falsa, temeraria, scandalosa, in hæresim & schisma inducens, Sacro Concilio Tridentino, & Sedi Apostolicæ iniuriosa.* Iuxta hæc ergo omninò irrefragabile apparet etiam virtute priuilegiorum non posse admitti Concilij Tridentini Decreta suo esse apud Regulares destituta robore in conscientiæ foro.

Assertio 3. admittens in aliquibus.

189. Dico *Tertiò.* Respectu eorum priuilegiorum, pro quorum derogatione quoad forum dictum nihil est in speciali ab Apostolica Sede dispositum non videtur proscriptio adducta procedere. Id probari potest *Primo*, quia in *Compendio communi Societatis. verb.* Concilium Tridentinum §. 3. ita generaliter statuitur per communicationem Priuilegij Pij V. id concedentis Minoribus. Licet autem illi possit opponi fuisse viuę vocis Oraculum, vt tamen non debeat talis assertio graui censura percelli, id facit quod diximus *citato Tit.* 12. *num.* 359. vbi de priuilegio dicto. *Secundo* ex citata Bulla eiusdem Pij V. *& si Mendicantium*, quam non esse reuocatam ex professo probat citatus Bruno *Tract.* 1. *Cap.* 6. *Propos.* 6. vbi multos pro eo adducit. Immò addit etiamsi reuocata sit, nihil reuocationem obstare ob quædam quæ pro huiusmodi positione accumulat fundamenta. Pro quo & Ioannes de la Cruz ita scribit *suprà* vers. ante dubium 7. *Si tamen verum* sit quod Henriquez refert ex Nauarro (*Lib.* 7. *de Indulgentijs, Cap.* 24. *num.* 8.) *alias fide dignissimo, Bullam scilicet Gregorij XIII. non fuisse promulgatam, & sic nec eius reuocationem vsu receptam saltem pro foro conscientiæ. Sententia Manuelis erit satis probabilis.*

Peculiaris ratio ab antiquitate sententiæ.

Ioannes de la Cruz *vt faueat.*

Alia ex eodem.

190. Addit statim id, quod & nos vsurpare possumus, vt inde probemus *Tertio* Assertionem nostram: *& maximè quia idem Gregorius die* 10. *Septemb. an.* 1584. *post editam dictam Bullam reuocatoriam Bullarum Pij V. in his, quæ contrariantur Concilio Tridentino confirmauit, atque vlla restrictione omnia priuilegia Societatis, & eadem priuilegia Motu proprio, ex certa Scientia, & plenitudine potestatis confirmauit Gregorius XIV. Bulla* 4. *Kalend. Iulij an.* 1591. *quibus communicant aliæ Religiones.* Sic ille, qui addere poterat ampliſſimam aliam & satis celebrem confirmationem Pauli V. quæ incipit, *Quantùm Religio* die 4. Septemb. an. 1606. *Quartò*, Quia vt ex proœmio proscriptionis & damnationis Propositionum, ex quibus ea est, de qua agimus, SS. Alexander nouarum opinionum laxitates, & periculosum, qui nuper introductus est, opinandi modum studuit profligare. Atqui sententia ista ex illis non est, sed antiquiorum Scriptorum. Neque enim iam internouellos censeri debent, qui præcedenti sæculo floruerunt, ex quibus Alfonsus à Veracruce in *Speculo coniugiorum ad finem.* Fr. Emmauuel Rodericius, & P. Henriquez locis adductis. *Quintò*, Quia Pius Quartus, qui *an.* 1565. *die* 17. Februar. Motu proprio omnia priuilegia abrogauit Concilio Tridentino contraria, eodem anno, mense Iunio confirmauit priuilegia Ordinis SS. Trinitatis absque vlla restrictione, & sic Theologi ac Iuristæ Salmanticenses subscripserunt posse Religiosos frui priuilegijs etiam contrarijs Concilio Tridentino, & Bulla authentica cum subscriptionibus seruatur in Collegio Augustiniano Mexicano, vt ex Mag. Hinososa refert Mag. Ioannes de la Cruz *suprà Concluſ.* 2. Non est ergo iuuencula sententia ista, quæ centenaria est maior. Quæ autem sint illa, in quibus vsus talium priuilegiorum ad praxim aduocari queat vide apud P. Henriquez *citato Cap.* 24. *in Gloſſa ad finem.*

Assertio 4. pro Indijs.

191. Dico *Quartò.* In Indijs stare specialiter resolutio præfata potest, in quibus illorum tantùm priuilegiorum est censendus vsus abrogatus, pro quo peculiares prohibitiones Pontificiæ extiterint. Concilium enim, sicut & Pius Quartus illius Confirmator, priuilegiorum abrogatione stabiliendo de Indijs minimè cogitarunt, pro quibus specialius oportebat prouideri, & conuersionem fouere, quæ tunc temporis in suis ferè erat exordijs, & maximè curabatur, de quo diximus *in Thesauro Tit.* 12. *num.* 343. & pro quo extat Bulla eiusdem Pontificis circa consecrationem Episcoporum, de qua in *Additionibus Tomi* 2. *n.* 87. *& seqq.* & priuilegium, quod in ea conceditur, adeò est eximium, vt de alijs minoris momenti, & pro foro interno, non debeamus pertinaciter obluctari.

SECTIO XI.

De Propositione alia circa approbationem Confessariorum cum limitatione.

Propositio damnata ab Alex. VII.

192. APud P. Franciscum Bonæ spei Tomo 6. Tract. 5. Disput. 11. in principio inter Propositiones Alexandro VII. propositas, & ab eodem censuris notatas, secunda sic habet: *Vbi Concilium Tridentinum est receptum, non possunt Episcopi restringere vel limitare approbationes, quas Regularibus concedunt ad Confessiones audiendas, neque illas vlla ex causa reuocare: quin immò Ordinum Mendicantium Religiosi ad eas approbationes obtinendas non tenentur: & si ab Episcopis Religiosi non probentur, reiectio illa tantumdem valet ac si approbatio concessa fuisset.*

De illius censura.

Complexè accepta est falsa, temeraria, scandalosa, & erronea.

Vbi quidem non est Pontificis mens omnes in Propositione dicta contentas assertiones censuris præfatis debere affectas reputari, sed complexè sumptam omnes illas mereri censuras, quia in ea continentur assertiones earum aliquam aut aliquas respectiuè promerentes. Assertio siquidem de reiectione ab eodem proponitur inter proscriptas Catalogi prioris, & est Ordine 13. tenoris sequentis: *Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato. sed ab eo iniustè reprobato.* de qua dictum à nobis *Parte* 2. *num.* 296. & illius censura est, vt sit ad minimum scandalosa: per quod supponitur esse falsam iuxta P. Suarium *infra* citandum *num.* 1. quem adducit & sequitur P. Satellas *Lib.* 1. *de materijs Inquisitionis Cap.* 12. *num.* 101. & licet id videatur negare Cardinalis Lugo *Disput.* 20. *de Fide num.* 114.

Alia eiusdem.

reuera

reuera non aduersatur, vt videri potest *num.*129. vbi id asserit quod ad moralem causlim est satis. Cùm ergo vt minimùm scandalosa sit, non erit mirum si & temeraria pariter asseratur: qui enim scandalosè loquitur,etiam & temerarius est, cum sine suffragio competentis auctoritatis loquatur. Id quod non abnuit Pontifex dum ait *vt minimum*, memor censuræ suæ, quam Andegauensi scribens Prælato pronuntiarat.

De reuocatione approbationis.

193. Et idem videtur dicendum de reuocatione; posse enim Episcopos approbationes reuocare ex caussa rationabili, plurium Pontificum est declaratione firmatum, & Cardinalium Declarationibus, de quo *Parte 2. num.*289. *& seqq. & Parte 3. Sect. 8. suprà num.*166. *& seqq. & in Thesauro Tit. 12. num.* 337. Pro quo & Diana *Parte 11. Tract.8. Resolut.*52.& Ioannes Sancius *in Selectis Disput.* 48. ac passim Recentiores. Id quod plus vrget pro assertione negante necessitatem approbationis, contra quam directè militat proscriptio Propositionis 13. iam dicta: & ante illam Bullæ & Decreta Pontificum, de quibus locis adductis, estque inuiolabili vsu receptum, ita vt neque Indiæ circa hoc exceptæ sint,cùm in Bullis omnibus, quæ de materia ista eduntur, modum vsus huiusmodi statuant, explicent, aut supponant. Et congruit quod tradit P. Suarez *Disputat.* 19.*de fide Sect.*2.*num.*19. vbi exemplum scandalosæ propositionis apponit in ea, quæ auocat ab obedientia Prælatorum. Quia verò videtur directè cum Decreto Concilij Tridentini pugnare approbationem absolutè requirentis, erronea potuit ab Alexandro censeri: quod non ita habent aliæ. Ille quidem qui obstinatè contenderet approbationem non esse necessariam, non immeritò censeretur hæreticus, quia oppositum est de fide,vt videri potest apud Dianam *Parte* 8. *Tract.*1.*Resolut.*90.Quando verò pro fundamento negationis aliquid adducitur, quod reuera nullius momenti est, licet apparentiam aliquam veritatis præseferat, vt sunt quædam malè intellecta priuilegia, reuocata, aut reuera numquàm talia, assertio dicta non videtur ita rigidam mereri censuram, sed hæresi proximam, quæ communiter erroris nomine compellatur. Constat autem ex Pontificum manifesto sensu quidquid in contrarium afferri potest,nullius esse momenti,iuxta dicta. Et ita plures Scriptores, quibuscum sentit Diana *suprà* erroneam censent eorum assertionem, qui affirmant sine approbatione validam esse absolutionem cum bona fide confitentis.

De sententia negante illius necessitatem, cum erroris censura.

P.Suarez.

Diana.

Assertio limitationem improbans qua digna censura.

194. Restat assertio circa approbationis restrictionem, quæ vt minimùm falsa dicenda est, & est omnium minima censura, viderique alicui potest non mereri ampliorem, quia docti Scriptores sunt ita sentientes, vt vidimus *in Thesauro citato Tit. 12. num.* 344. vbi & id tamquam probabile visi sumus proposuisse, adductis Diana *Parte 11. Tract.8. Resolut.27.* alios afferente, & Dom.Villaroel *Parte 1.de vtroque gladio Quæst.6. Arti.12.n.8.& seqq.* præter quos sunt alij plures apud eumdem Dianam id tenentes, aut probabile existimantes, non abnuente ipso *Parte 3.Tract. 2.Resolut.24. Parte 4.Tract.Resolut.200.Parte 6. Tract.7.Resolut.71.& Parte 11.Tract.2.Resol.19.* & Cardinalis Lugo *Disputat.21. de Pœnitentia Sect.3.§.1.* licet decernat limitationem cum iusta caussa adhiberi posse, nullo modo iudicet contrariam sententiam, pro qua Auctores adducit, notam aliquam mereri. Sicut & Guilielmus Herincx *Tomo 4. Tract.4. Disput.5.num.47.* P. Busembaum in *Medulla Lib.6. Tract.4.Cap.2.Dub.2. §.IV.* approbatio. P. Arriaga *Disput.42.num.27.* quamuis cum Cardinali Lugo affirmet contrarium esse certum,quia sic habet communis praxis, quod dici ab Scriptoribus sæpiùs solet etiam cùm opiniones contrariæ ab ijsdem censentur probabiles, P. Martinon *Tomo 5. Disput.53. num.74.* & alij.Dum ergo ab Apostolica Sede circa hoc magis specialis expositio non accedit, videtur posse explicatio prædicta sustineri: vt enim ampliùs dicta nequeat assertio proferri, satis superque est Catholico Ecclesiæ filio ab eadem Sede falsum pronuntiari.

P. Busembaum.

P.Martin.

195. Et quòd illa sola censura soleat Propositionibus periculosæ doctrinæ à Pontificibus adhiberi, ex vsu constat, & videri potest in Propositionibus Michaelis Raij à Pio V. & Gregorio *XIII.* proscriptis, aliquæ enim illarum vix aliam notam merentur. Vnde P. Luisius Turrianus in Selectis *Centuria 1.de Censura Theologica Dub.*30. de sententia quadam ex prædictis loquens, licet asserat non esse damnatam, per censuram scilicet peculiarem, existimat tamen esse falsam. Item modus ipse loquendi Pontificum id videtur conuincere, dum inter censuras,falsitatem apponunt, dicentes Propositiones aliquas esse falsas,vt Innocentius X.in damnatione quinque Propositionum Cornelij Ianseníj Iunioris, & Alexander *VII.* Eo enim ipso indicant posse talem censuram se sola extare, sicut possunt & aliæ. Sed quidem, vt verum fatear, vix accidere potest vt Propositio aliqua vti falsa ab Apostolica Sede damnetur, quin ipsi aliquid de censuris alijs adhæresçat, vt vel scandali, vel temeritatis quidquam non præseferat &c. Et in nostro casu primum ex his videtur apparere ob rationem adductam *num.* 193. ex P. Suario, quòd scilicet ab obedientia auocet Prælatorum, dum patuipenditur limitatio ab eisdem rationabili ex caussa præscripta.Quòd si & caussa desit talis, erit iniusta: Atqui iniusta etiam existente, quid sit decretum iam vidimus *n.*192. & quod in toto verum habet, etiam & in parte,dum circa personas limitatur: & quidem praxis receptissima circa hoc videtur Ecclesiæ sensum reddere manifestum, pro quo videri potest Bordonus *Tomo 1.in Sacro Tribunali Cap.2.n.114.& Tomo 2. Resolut. 36. num.19.* benè admonens patientiam circa hoc in Religiosis esse necessariam, quia durum est contra stimulum calcitrare, vtpotè quòd nequeat ad opiniones aliquando probabiles habitas prouocari.

P. Luisius Turrianus.

Falsitatis censura vt solita adhiberi.

Vix illa sola fola potest.

In casu præsenti vt verum.

Bordonus.

196. Quidquid autem circa hoc alibi sit, pro Indijs aliter videtur dicendum, quia licet Episcopi cum limitatione circa personas approbationes exhibeant,volentibus quibusdam vt Religiosi confessiones feminarum Hispanarum non nisi post annos quadraginta ætatis audiant, praxis in contrarium viget absque vllo scrupulo. Circa quod dici potest inprimis Episcopos in hac parte non esse prorsus inuitos, quia sciunt,nec improbant praxim dictam. Licet autem approbationem cum approbatione præfata conferant, id videtur non ad inualidandas Confessiones tendere, sed

Pro Indijs quid speciale.

Diana.
Dom. Villaroel.
Card.Lugo

sed vt Prælatos circa hoc reddant cautiores, maturos semper ad ministerium tale designantes, idque eorum prudentiæ relinquentes, ne videantur abusus, vt ille, de quo *Parte 2.Sect.*14. Deinde limitatio post concessam approbationem adhibetur, vt videatur rationem tantummodò admonitionis continere. Hinc est vt in feruida illa controuersia Regularium cum Episcopo Angelopolitano, in cuius conclusione varia sunt proposita & expedita responsa, circa limitationem approbationis nihil fuerit declaratione indigens postulatum. Et ita hoc vti certum est accipiendum, ne, si Confessionum valor ad dubiam iurisdictionem, etiamsi probabilem, reuocetur, suo illas effectu contingat defraudari.

Censuras prædictas satis habere auctoritatis.

197. Circa prædictas autem censuras,sicut & circa præcedentes, hærebit fortè quispiam eo quòd authenticæ non sint, neque per modum legis propositæ, sed ad Prælatum Andegauensem transmissæ, cuius fuerant quæstiones, & ab Auctore præfato vulgatæ, cuius, etsi grauis ille, non ea est auctoritas, quæ ad inducendam generalem obligationem sufficere videatur.Ad quod quidem id dicendum inprimis, de præfato Decreto certam moraliter haberi notitiam: proponitur enim ab Auctore fide dignissimo cum tenore integro, & epistola Sanctissimi Alexandri ad prædictum Episcopum; quod fieri non potuit nisi Episcopo ipso vtrumque ad vulgationis effectum concedente. Deinde in Decreto tali nihil Pontifex faciendum quasi onus nouum iniungit, sed doctrinalem declarationem proponit in materia morum qualificatione Propositionum, circa quod sic claudit: *Hanc ergo qualificationem & declarationem à cunctis tenendam, sequendam, & in praxi obseruandam esse Sanctitas sua declarauit & mandauit sub pœna contra Schismaticos, temerarios, seditiosos, ac de hæresi suspectos, imposita: contrarijs quibuscumque non obstantibus.* Vbi licet dicatur, *Mandauit*, id quidem nouæ est præcepti nullius adiectio, sed eius expressio,quod ex vi antecedentis inerat: nam ad qualificationem doctrinæ ab Apostolica Sede propositam consequens est obligatio eamdem obseruandi, sicut & reatus pœnæ ibidem explicatæ, schismaticis scilicet, temerarijs, seditiosis,ac de hæresi suspectis debitæ,quorum notæ in Propositionibus, de quibus Decretum egerat, continentur. Ex quibus apparet, etiam si Decretum dictum ad vnum sit directum Antistitem, generalem obligationem inducere,cùm in eo dicatur, *A cunctis tenendam &c.* Pro quo & in Epistola ibi: *In Decreto, quod accipies ex vestro Fratre Archiepiscopo Cæsaræ Nuntio nostro contentas, pro vt in eo qualificata leguntur, auctoritate Apostolica declaramus, & declaratas decernimus, ac tales ab omnibus haberi præcipimus.* Sic SS. Alexander,cuius Decretum vim rescripti habet, cùm sit *responsum Principis faciens ius.* Vide *num.* 183. vbi ex Epistola Cardinalis S. Sixti, circa priuilegij intelligentiam, de quo ibidem,communis est obligatio recognita, & iuxta eam communis etiam praxis subsecuta, vt oportuerit pro Societate Gregorij *XIII.* voluntatem reddi declaratione eiusdem manifestam. Quid ergo iam dicamus, quando SS. Alexandri *VII.* voluntatem per propriam ipsius Epistolam adeò exploratam habemus, vt nihil sit, propter quod tergiuersari liceat,licet fortè libeat, sed ab ijs, qui non eo filiali spiritu erga sanctam Sedem sunt affecti, qualem Societas nostra in suis exoptat, fouet, & promouere filijs curat, vtpotè quæ sub eo nata, & sub eo gloriosa est incrementa consecuta? Vtinam & hic labor eidem militet, quem auspicatò finio *die* 30. *Augusti anno* 1669. & ætatis 75.

Decretum S. Congregationis.

Epistola SS. Alex.VII.

INDEX

89. Et præcipuè post adeò longam quasi possessionem, in qua inuenitur, acquisiti iuris, virtute Bullarum, quas tot ei Pontifices concesserunt, & Consilij notissima formula, Passe: cùm remedium retentionis inuentum fuerit ad impediendam executionem: post hanc ergo impediri minimè valent, & ita Dom. Salgadus vbi *suprà p.* 1. *Cap.* 10. *nu.* 36. affirmat nullibi se legisse remedium retentionis, & facultatem permissam fuisse, executione iam perfecta. In cuius probationem aduocat Cap. *Cùm teneamur*, de Præbend. *Authent. de mandatis Princip. §. Inde competens. Authent. vt nulli iudicum, §. & hoc verbo, l.* 29. *tit.* 18. *part.* 3.

90. Prosequitur, & *nu.* 47. hæc illius sunt verba: *Repugnat enim naturæ ipsius, cùm detur ad supersedendum, nec vltra quàm executione non facta verificari potest: facta quippe executione, cùm non subsistat subiectum habile, facultatem & extraordinarium remedium hoc expirare non est dubium, vt deinceps ad ordinarium confugere valeat grauatus. Ad tempus enim permissum post censetur prohibitum l. Si vnus §. 1. vbi Baldus D de pactis, l. Epistola. §. final. vbi Castrensis, D. eodem tit. l. Imperator, D. de postulând. l. Cùm Pater, vbi Barthol. §. à filia D. de legat. 2. l. statu liberum, §. Stichum. D. eodem tit.* Videatur elegans exornatio, quam in hoc puncto adducit *dicto Cap.* 10. *nu.* 38. *cum seqq.*

91. Ergo si dicta priuilegia in Regio registrata Consilio Indiarum, pro quo manifestatio, si opus fuerit, exhibebitur, solùm possunt hodie à Pontifice reuocari, hoc enim sibi vult Salgadus *dicto nu.* 47. ibi: *Vt deinceps* ad ordinarium confugere valeat grauatus: nec sit ad retentionem facultas post longam & diutinam possessionem, quomodo sine grauissimo scrupulo cohiberi hîc poterit vsus & exercitium dictorum priuilegiorum quantùm ad prædia dotalia, fundamentalia & subrogata, de quibus non est actum in lite, quæ aduenit executoriata?

§. IX.

92. ET quod esse punctum potest Capiti, *Si quando*, de rescriptis adæquatius? quandoquidem præter dicta, duo sunt satis robusta, quæ ad remissionem faciendam compellunt, dignaque recomendatione Pontificis, ibi: *Diligenter considerans.*

93. Primum, super exemptione dictorum prædiorum non esse auditam Societatem, quia de illa in lite actum non est, nec potest inaudita parte iudicari. Cap. *Deus Omnipotens*, 20. 2. *q.* 1. Suarez *contra Regem Angliæ. lib.* 4 *Cap.* 34. *n.* 24. & 27. Castil. *de Tertijs, Cap.* 36. *nu.* 38. *vers. Responde se lo quinto, Cap.* 1. *de causs. possess. & propriet. Cap.* 1. *vers. In eum, de sequest. possessor. & fruct. Cap.* 1. *vt lite pendente.* In qua re plura dicere, esset solem facibus adiuuare.

94. Secundum, ad tollendum penitus Societati vsum priuilegiorum, ita vt iuuari illis nequeat quantùm ad prædia dotalia, fundamentalia, & subrogata, necessarium esse vt sint reuocata, quod solus Pontifex efficere potest, iuxta ea, quæ notant Fagundez *in* 5 *præcepta Eccles. & lib.* 3. *in Decalogum Cap.* 3. *Dub.* 8. *nú.* 11. Carrascus del Saz *in Tract. Quis sit competens in causs. decimar. Cap.* 6. *§.* 2. *num.* 3. Facit etiam *l.* 27. *tit.* 18. *par.* 3.

§. X.

95. HÆc iura sunt, & rationes, ac fundamenta, quæ pro se habet Societas IESV, vt, cùm in Executoria, scripto aliquo, aut mandato ex insertis in illa, prædia dotalia, fundamentalia, & subrogata, quorum fructibus ab ipsa suorum fundatione Collegia sustentantur, expressa non fuerint, S. Maiestati in Regio suo Indiarum consilio determinatio remittatur huius articuli, cui non debent Decanus & Capitulum huius Limanæ Ecclesiæ & Dom. Fiscalis S. Maiestatis opponere quod iudicatum est, & executoriatum aduenit, circa prædia & hereditates, quas posteà Religiones acquisierunt, quando quæstio est, an sint, aut non sint dicta prædia comprehensa, & Societas in pacifica possessione est dictis priuilegijs titulata, & vniformium actuum possessione, sine vlla huc vsque circa illos dubietate, quòd sufficit vt manu teneatur, quo vsque S. Maiestas aliter disponat Cap. *Cùm in tua,* 30. *de decim.* Gonzalez *ad Reg.* 8. *Cancellar. glossa* 18. *n.* 63. Innocentius in Cap. *Dilectus*, num. 3. *verb. Possessorium, de Capell. Monachor.* Salgadus *de retent. Bullar. par.* 1. *cap.* 3.

cap. 3. *num.* 23. ibi: *Quare iustissimè per præfata iura Canonica & ciuilia decidi-tur, & mandatur, vt rescripta Pontificalia Regiaque suspendantur, & in eorum executione supersedeatur, quoties aliqua causs subest iusta, ob quam executio debeat differri, donec de inconuenientijs & damnis, aut periculis instantibus consultus Pontifex aut Princeps, de remedio prouideat, reuocando, aut secundam iussionem mittendo &c.* Et hoc est in casibus, in quibus expressum habetur id, pro quo suspendendo contenditur; multò ergo potiùs obseruari debet prædicta doctrina, vbi omissum fuit, quod pars aduersa vult exequi, & ad effectum perduci.

Quæ omnia in articulo præsenti iuri & rationi consentanea sunt. Saluo &c.

FINIS.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA
SALAMANCA

INDEX
QVARTÆ PARTIS

Numeri sunt marginales.

A.

Absolutio.

Casibus Episcopis reseruatis prohibita, Regularibus cùm censuris oppositæ assertionis. 179
Pro Indijs vt liceat. 180. *& seqq.*
Licet in illis à casibus Bullæ Cœnæ. Ibidem.
Et virtute Bullæ Cruciatæ. 181
Et ex concessione aliorum Sedi Apostolicæ reseruatorum, dum specialis exceptio non est adiecta. 183. 184

Adamus.

Non peccauit eo quòd secutus fuerit opinionem minùs probabilem. 32. *& seqq.*
Præceptum illi impositum licet pœnale in conscientia obligatorium fuit. 33. *Vbi alia de illius peccato.*

Ædificium.

Vide Ecclesia.

Approbatio.

Quæ causa adesse debeat, vt Episcopi suspendere possint eam, quam Confessarijs Regularibus consulerunt. 168
Circa limitationem, reuocationem, & necessitatem illius damnatæ assertiones cum censuris ab Alexandro VII. 192
Posse reuocari. 193. *Vbi de censuris oppositæ assertionis.*
Et limitari. Et qualis pro eo censura. 194. *&* 195. *Vbi quod non tantùm falsa, quæ nota licet sola adhiberi possit, vix talis esse potest.*
Quid pro Indijs. 196
Censuras prafatas satis auctoritatis ab obligandum habere. 197

Aueria.

Vt obliget in conscientia. Vide Indultum.

D. Augustinus.

De illius mente circa sequelam opinionum. 51. *& seqq.*

B.

Bartholomæi Carranzæ qualis sententia. 175

Beatificatio.

In illius celebratione an Beati imago circumferri processionaliter queat. 100. *& seqq.*

Bellum.

Vt esse iustum ex vtraque parte possit. 95

Bullæ Cœnæ.

Vide *verb.* Absolutio.

Bulla Cruciatæ.

Ibidem.

C.

Canonicus.

In Magistralis ac Doctoralis electione an præferendi Beneficiarij eiusdem Ecclesia. 122. *& seqq.*
Quid circa Indias. 126

Capellanus.

Capellania Collatiua est Beneficium. 114
Si tenuis illa; an obligatio ad Officium. 115
Quæ dicatur talis. 116. *&* 118
Iuxta eam resolutio. 119
Consensus Pontificis ex obligatione ad Officium parvum B. Virginis per Motum proprium Pij V. receptum præsertim in Hispania, deductus. 120
Fauorabilis resolutio ex multiplicatis sumptibus. 121

Censuræ.

Theologicæ vide verb. Approbatio.
Pœnales vide verb. Religiosi.

Compensatio.

Vt liceat cum opinione probabili. 78. *& seqq.*
Etiam in decimis. 135. *& seqq. Et quando non liceat.* 142

Confessio.

Per interpretem vt liceat, & præsertim pro Indis, vbi vtilia. 153. *& seqq.*

Conscientia.

Quæ dubia est quomodo deponenda.. 76. *Vbi quod malè confunditur cum probabili.*

Conseruator.

Qualis iniuriarum cognitio pro eo eligendo sufficiat. 148
Quare quidam non admissi. 170
Pro iniurijs eligi potest, & Religiosi esse actores non obstante Constitutione Gregorij XV. 177. *&* 178

Contractus.

Vt celebrari queant stante probabilitate de illorum illicitatione. 81. *&* 82.

D.

Decimæ.

Apud quem earum dominium. 144
Abusus eas violenter extorquendi. 141. *& seqq.*
Notanda resolutio circa restitutionem. 145

Decretum.

Clementis VIII. circa casus Bullæ Cœnæ etiam dubios. 94
Innocentij X. Sect. 8. in causa Episcopi Angelopolitani.
Alexandri VII. Vide *verb.* Absolutio, Approbatio, *& verb.* Priuilegium.

E.

Ecclesia.

Vt queat ampliari sine Regis licentia, & cum sola Proregis in Indijs. 127. *& seqq.*

F.

Furtum.

Quæ quantitas in eo ad mortale sufficiat. 86. *&* 87. *Vbi quid pro Indijs.*

G.

Gabella.

Quæ incapitatæ obligant in conscientia. 111

Gregorius XV.

Illius Constitutio ab Vrbano VIII. reuocata an modo etiam vim habeat. 160. *& seqq.*

Gregorius XIII.

Illius Declaratio in fauorem Societatis. 183

H.

Heua.

De illius peccato, & an secuta opinionem minùs probabilem. 35. *& seqq.*

I.

Ieiunium.

De quantitate refectiunculæ. 89. *& 90*
Quid pro Indijs. 91

Ignorantia.

Dispositiones Principum reddit nullas. 164

Indultum.

Pro Indicis Mercatoribus à Rege concessum, & vtilia aliqua circa ipsum. 107. *& seqq.*

L.

Lezana.

Defensus ab impetitionibus Thomæ Hurtadi. 166 *& seqq.*

Libri.

De paruitate materiæ in lectione hæreticorum. 92. *& seqq.*

Lingua.

Quæ peritia linguæ Indicæ sit necessaria ad Parœcialem curam. 149. *& seqq.*

M.

Munera.

Quæ obligent ad restitutionem. 114
Circa mutuum à Religioso Procuratore acceptum. Vide *post Allegationem de illo, vtiles additiones.*

N.

Nouitas.

Illius affectatio falsò obiecta Societati. 178.

O.

Opinio.

Vide *verb. Subditus.*
Quid circa Diuum Thomam. 3
Opinionis probabilitas vnde possit agnosci. 6
Extremè pugnantes circa obligationem sequendi partem tutiorem, & de præsumpta concordia P. Mercori circa illam. 7. *& seqq. quæ reuera non talis ostenditur. Vbi & quod opinio possit certa dici.*
Quanta certitudo sit in operante probabiliter. 8
Quæ probabilitas sit regula operationis. 9
Circa logica certitudinis probabilis fundamentum. Ibidem.
Magis tuta & magis probabilis discrimen, & quomodo à P. Mercoro explicetur. 11. *& seqq.*
Operantem iuxta opinionem probabilem sufficientem habere certitudinem. 13. *& seqq. Vbi quòd aduersantes facto ipso probant contrariam assertionem, & qui Doctores dicantur prima Classis, præsertim ex Patribus Dominicanis.*
Vt stet certum haberi aliquid, cùm sint qui contradicant. 16
Demonstratio pro licita sequela opinionis minùs probabilis. 17. *& seqq.*
Quomodo cum dubio stet recta operatio. 20
Neque ex defectu conformitatis cum prima regula, & præsenti prouidentia quidquam esse quod obstet. 21. *& seqq.*
Neque ex contrarietate in iudicijs practicis. 26. *& seqq.*
Ex eo quòd oppositum magis appareat malum leuis demonstratio. 30. *& seqq.*
Minima probabilitas vt esse tuta queat. 41
Minus probabilis vt queat consuli. 54
Quid habeatur ex Ecclesiæ tolerantia. 55
In necessitate obligatur Confessarius, pro quo casus specialis. 57. *&* 58
Plures Auctores stare pro licita sequela dicta ostenditur. 60. *& seqq.*
Satis illam antiquitatis habere. 63
Defectus vniformitatis obiectus retorquetur. 64. *&* 65
Euidens pro illa conclusio. 67. *&* 68
Media sententia esse probabilis potest, si extremæ sint improbabiles. 88
De vsu opinionis probabilis in Confessione per interpretem. 156

P.

Parochus.

Vide *verb.* Lingua.
An negare possit Sacramenta non soluenti decimas. 138. *& seqq.*

Paupertas.

De paruitate materiæ circa votum illius. 83. *& seqq.*
Ordinatio Societatis. 85

Præceptum.

De re leui vt esse grauiter obligans queat. 36. *Vbi de ieiunio Ecclesiastico.*

Priuilegium.

Reuocata à Concilio Tridentino habere vim pro foro conscientiæ in Regularibus assertum est damnatum cum censuris ab Alexandro VII. 186. *& seqq.*

Pro quibus admitti queat. 189
Quid pro Indijs. 191

Propositio.

Scandalosa qualis, & an non semper falsa. 193
Falsa. Vide *verb.* Approbatio, *vt & de alijs.*

Prorex.

Vide *verb.* Ecclesia.
Excellentißimus Comes de Lemus Peruuianus Prorex laudatus. 105

R.

Reliquiæ.

Maior illis honor quàm imaginibus debitus. 104

Religiosi.

Pro Doctrinis Indicis an Clericis sæcularibus aptiores. 157. & 158
Nequeunt censuris compelli ab Episcopis solo titulo subiectionis in ijs, in quibus illis subijciuntur. 169

Restitutio.

Vide *verb.* Furtum.
Stante opinione probabili potest retineri totum, nec est obligatio ad dimidium. 74
Idem de obligatione dotandi in stupratore importunis precibus adhibitis. 75
Item & in vulnerante, ratione vulneris. 76
Ministri Regij an teneantur ad illam cooperantes defraudationi vectigalium. 108. & *seqq.* & 112

Roboam.

An peccauerit operans ex opinione minùs probabili. 42. & *seqq.*

B. Rosa.

Laudata 97. & *seqq. Vbi & de Rosa Chinensi mirabili. Et specialis difficultas circa imaginem.*

S.

Scriptores.

Vide *verb.* Opinio.
Qui laudantur, sequendi, aut eorum non damnanda sequela. 1 & 2
Vbi de vniuersali æstimatione Auctorum Societatis etiam apud Pontifices. Non est deneganda auctoritas ab ijs, qui contrariè sentiunt. 3
De sinistra interpretatione sauentium benignæ sententiæ circa opinionum sequelam. 69. & *seqq.*

Societas Iesv.

Eximia illius laus à sacra Congregatione Cardinalium, & aliorum Prælatorum. 173
Quatuor Conclusiones in fauorem Patrum Mexicanæ Prouinciæ in lite cum Episcopo Angelopolitano. 172
Non incurrisse censuras. 175. & 176

Subditus.

Vt se debeat Prælati præcepto accommodare contra propriam sententiam. 4. 5. & 6.

T.

D. Thomas Aquinas.

De illius mente circa opinionum sequelam. 45. & *seqq.*

Thomas Hurtadus.

Cum illo agitur tota Sectione 8. *& in multis eius truculentia conquassata.*

V.

Viuæ V. Oracula.

Quid circa illa Bulla Pauli V. & alia. 171.

PRO

COLLEGIIS SOCIETATIS IESV

Prouinciæ Peruuianæ, circa solutionem Decimarum, & executorialem Regij Indiarum Consilij sententiam. Vbi quòd executioni mandari non debeat, præsertim in prædijs dotalibus, fundamentalibus, & subrogatis, cuius Auctor laudatus *Parte* 1. *num.* 234.

Societatis intentio non est hoc loco contradicere Executoriæ Regij Indiarum Consilij, quantum ad solutionem decimarum ex prædijs, quæ singula Collegia acquisisse constiterit post eorum fundationem.

Illa prædia, quæ pro dote attributa, & ad congruam, & alimenta Religiosorum constituta, quæ dotalia & fundamentalia vocantur argumento *l. Dotale prædium, & toto titulo, D.* (iam aliqui ita scribunt, sicut alij veterem vsum secuti, *ff.*) *de fund. dotal.* esse exempta contendit à solutione decimarum, & in dicta Executoria minimè comprehensa.

Et eiusdem qualitatis existunt subrogata. Et talia dicuntur quando pro fundatione Collegij summa aliqua pecuniæ data est, qua radix aliqua, seu bonum quodpiam stabile emptum est; aut cum radix aliqua, quæ dotalis erat, vendita est, & alia in eius locum substituta; vt benè notat Gutierrez *Consil. num.* 19. ibi; sicque subrogatæ sunt in locum dictæ dotis &c. Sicut etiam cùm res libera subrogatur in aliam Maioratus. Molina *de Hispanor. primog. lib.* 1. *Cap.* 10. *num.* 25. plura Caldas Pereira *de renouat. emphyt. q.* 13. *à num.* 13. Mieres de Maior. p. 1. q. 11. à num. 50. Flores Diaz de Mena *variar. qq. lib.* 1. *q.* 20. & in materia exemptionis ex Alexandro *Cons.* 139. *num.* 6. vers. *Pro hoc*, affirmat Carena *Resolut.* 75. *num.* 17. & facit etiam communis conclusio *Acquisitum ex pecunia dotali fundum dotalem efficit.* Mart. *Decis. Pisan.* 13. *num.* 3. & Giurba *ad Mesanens. p.* 1. *Cap.* 4. *Glossa* 1. *num.* 13.

Et quod plus est, mediante subrogatione, dicitur præsens res illa, in cuius locum alia succedit *l. Si grege, D. de legatis,* 1. *l. Cùm debere columnam D. de seruit. Vrban. prædior. l. vnica Cod. de Collegiat. & Chartopratis, lib.* 11. *l. Qui res,* 98. *§. Aream, D. de solution. l. Proponebatur, D. de iudic.* Multa in comprobationem adducit Dom. Valenzuela Velasquez Cons. 160. per totum, & præcipuè à num. 8.

Ita accidit in Collegio D. Iacobi huius ciuitatis in contiguo Indorum oppido, ad cuius fundationem Ioannes Clemens de Fuentes 500. Octiregales contulit, quibus emptum est prædium de Vilcaguauras, & in Collegio Cuscensi, à quo venditum prædium dictum de Aguacollay, dotale & fundamentale, & emptum ac subrogatum, quod dicitur del Ingenio de la Nazca.

Ex quo nulla resultat iniuria, quandoquidem si subrogatum à decimis est immune, decimale esse incipit quod est venditum, & semper Origo debet attendi, præcipuè in fauorabilibus, ex Aretino post Bartholum in *l. Is potest,* in fine D. de acquirend. heredit. & Alciatus Resp. 239. 5.

Et probatur relatum assumptum ex his, quæ considerationi V. M. proponuntur.

§. I.

Num. 1. IN Executoria, neque in sententijs, verbum vllum de dictis extat prædijs; & cùm res iudicata sit stricti iuris, ad singularem, & non expressam extendi numquàm debet *l.* 1. vbi Glossa *Cap. Si aduers. rem iudicat. l. Paulus la.* 2. *D. de re iudicat.* Tiraquel *de retractu lignagier, §.* 1. *glossa* 9. *num.* 184. Cæsar de Grassis *Decis. Rotæ* 105. *num.* 7.

quia sententia ad acta referenda est *l. finali Cod. de sent. ex breui recitat.* & notatur per Glossam in *l. Si Præses, D. de pœnis, l. Si quis ad exhibendum, D. de except. rei iudicat.* plura Garcia de *Hispanorum nobilitate, glossa* 8. §. 1. *n.* 25.

2. Vnde benè sequitur quod cùm de dictis prædijs actum non sit, neque in actis illorum mentio facta sit, consequenter neque in sententijs Regij Indiarum Consilij, litigatus, aut iudicatus talis veniat articulus.

3. Et vt hoc pro certo & indubitabili habeatur, & quòd lis hucusque de prædijs processerit, quæ acquisita sunt postquàm in hoc regno fundatæ sunt Religiones, & quas acquirere pergebant, satis profectò est quod Dom. Don Ioannes de Solorzano affirmat; vti Fiscalis in eodem Regio Consilio illustre perhibens testimonium,

4. *Tomo 2. de Indiarum gubernat. l. 3. Cap. 1. n. 31.* ibi: *Quæ quidem quæstio, cùm aliàs sæpè, tunc præcipuè hisce diebus in supremo Indiarum Consilio acerrimè agitata & ventilata fuit in caussa Ecclesiarum Cathedralium earumdem Indiarum cum Ordinibus Religiosorum in eis commorantium, qui virtute priuilegiorum, quæ se habere dicunt de decimis non soluendis, plura quotidie prædia emunt & colunt, quæ antea apud laicos possessores decimas exoluebant; & ab eorum præstatione se subtrahunt in graue damnum dictarum Ecclesiarum, quæ, vt ei obuiam iretur, enixè postulabant, & vt Religiones ad obseruantiam, Cap. Nuper, de decimis, reducerentur.*

5. Similiter *dicto lib. 3. Cap. 21. n. 20.* ibi: *Vbi etiam agere cœpi de alia lite, quæ ob eamdem rationem in eôdem Senatu retenta fuit: nempe super decimis*, quas Religiones Mendicantes Indiarum, & aliæ, quæ de illarum priuilegijs participant, de prædijs nouiter partis, & antèà decimantibus, in graue præiudicium Ecclesiarum Cathedralium soluere detrectant &c.

6. Et *num. 21.* ibi: *Adhuc tamen non minùs certum est ea priuilegia, quæ hucusque Religiosis concessa reperiuntur, ad dicta prædia non extendi: cum ea quæ habent, adinstar Cistercienssium illis concessa fuerint, qui de eis tantùm prædijs decimas soluere exempti sunt, quæ proprijs manibus colunt, vel pro nouiter fundandis opus habuerint.*

7. Et *n.* 36. de schedula loquens *anni* 1576. *die* 24. *Octobris*, ibi: *Quæ schedula renouata reperitur per aliam datam Matriti* 20. *Maij, anno* 1631. *cum Quitensi Cancellaria loquentem, vbi querela Episcopi refertur de bonis immobilibus & se mouentibus, quæ Religiosi illius Prouinciæ cum magnis excessibus, & graui, non solùm decimarum, verùm & aliorum Regalium reddituum damno, quotidie comparant & acquirunt.*

8. Et lib. 4. Politicæ Cap. 5. pag. 502. ibi: *Y que las Religiones se reduxesen en esta parte à la obseruancia de la Decretal, que dispone como han de vsar de sus Priuilegios.* Et casus fuit valde dubius ad solam nouorum prædiorum acquisitionem restrictus ex post facto, vt probat Dom. Valenzuela Velasquez *Consil. 71. nu. 26.* per Textum in *Cap. Quia circa*, de priuileg. Cap. *Ex parte*, de decimis. *Cap. Cognouimus, 12. q. 2.* Cap. *Quæ res pignor. obligar. poss.* secutus Gratianum, Guidonem Papæ, Georgium, Acacium, Manticam, & alios. Videantur plures Decisiones Rotæ, in quibus in fauorem Societatis decernitur, quas adducit Pellizarius *Tomo 2. Tract. 8. Cap. 7. Sect. 4. à n.* 170.

9. Quæ rationes & auctoritates manifestum reddunt Ecclesiarum litem, pro qua Executoria transmissa, pro acquisitis tantùm prædijs fuisse, quæ post suam fundationem Religiones acquisierunt, & non de dotalibus, fundamentalibus, & subrogatis, in quibus ratio dotis & alimentorum relucet, quæ magnam pietatem continet. Surdus *de aliment. tit. 9. q. 1.* per *totam.* Coler. in *eodem tract. lib. 2. Cap.* 10. Glossa *in l. ob æs alienum*, Cod. *de præd. minor.* Et Castillus *de aliment. lib. 8. cap. 16. per totum.*

10. In scriptis, & mandatis ad litem eiusdem Executoriæ extant etiam Clausulæ, quibus comprobatur postulationem Ecclesiarum prædia præfata minimè comprehendere, vt videre est.

11. *Pag. 1.* ibi: *Sobre que las dichas Religiones paguen diezmos de las haciendas, que han adquirido, y adelante adquirieren.* & pag. 2. in petitione Dom. Fiscalis Regij Consilij, ibi: *De las heredades, y qualesquieros frutos diezmables, que conforme à derecho, y Cedulas Reales, y por otra qualquiera causa lo son, ô fueren &c.* Nec inuenietur contra prædia dotalia & fundamentalia ac subrogata, ius aliquod deductum, sicut deductum apparet contra bona acquisita post Religionum in hoc Regno fundationem, *pag. 2.* ibi: *Que sobre esto mismo ay pleyto pendiente ante V. A. entre las dichas Iglesias y Religiones, y que algunos han pretendido se remita à la*

à la Curia Romana &c. Nec ampliùs talis lis fuit, quàm super bonorum incremento, quæ acquirebant, & acquisierant Religiones postquàm fundatæ fuerant & dotatæ.

12. Pag. 2. versa in Ecclesiarum postulato, ibi: *Condenando à las dichas Religiones à la satisfacion y paga de los diezmos de todas las cosas, que se debieren pagar, conforme à derecho, aranceles, y Cedulas particulares de este Real Consejo.*

13. Et in mandato ad litem S. Ecclesiæ Guatimalensis *pag. 8.* ibi: *Y la principal, à tratar ante su Magestad en los Reynos de Castilla, y la Curia Romana ante su Santidad, de que se prohiba que las Religiones no puedan adquirir mas bienes temporales, y que de los adquiridos paguem diezmos à las Catredales.* Y en la propia *pag. 8.* versa, ibi: *Y representando en este caso à su Santidad el graue daño y quiebra que à los diezmos de esta Santa Iglesia se le ha seguido con la grande suma de haciendas que las Religiones de S. Domingo, S. Augustin, Nuestra Señora de la Merced, y Compañia de IESVS, han adquirido, y adquieren cadadia en este Obispado &c.*

14. Sententiæ primæ instantiæ, *pag. 78.* & Secundæ *pag. 98.* versa, ibi: *Todos los diezmos de todos los predios, possessiones, cosas dezmables, que han adquirido, y adelante adquirieren.*

15. Quæ clausulæ & ponderationes non debent applicari alimentis, & nudæ congruæ quibus fundata sunt Collegia Societatis IESV, & aliæ Religiones in hoc regno: dos enim sub generali dispositione non venit, ex notatis communiter *ad l. Benè à Zenone Cod. de quadrien. præscript.* Menochius *Cons. 242. n. 6.* Prosper Farinacius *in posthum. Decis. 583. n. 3.* Præterquàm quòd in re stricti iuris, qualis est præsens, dispositum in vno casu, adhuc si eamdem, vel maiorem rationem habeat, non extenditur ad alium, Glossa Barthol. Salicetus, & latiùs Iason *Authent. Quas actiones Cod. de Sacros Eccles.* Andre. in *Cap. Imperialem in 1. addit. de prohibit. Feud.* per Federicum, Gisarelum *Decis. 1. n. 27.*

16. Et est constans doctrina generalitatem non comprehendere quod non est illi proportionabile. Ita communiter in *l. 1. §. Generaliter D. delegatis præst. l. Quique §. Parentes, de in ius voca. l. Si Chorus D. de legat. 3. l. Lucius D. de vulgar. & præcipuè* Bartholus in *l. 1. n. 6. D. eodem.* Mantica *de coniectur.* lib. 7. *tit. 12. n. 7.* egregiè Mascambrun. *Cons. 68 à n. 1. vsque ad* 18.

17. Neque specialitas huius articuli proportionem habet cum eo, quod à Regio Consilio iudicatum: Religiones inquam decimas soluere ex prædijs, quæ per supererogationem habere supponuntur, & pro reddituum suorum augmento; aut ex dotalibus & subrogatis, quæ dotem constituunt, & congruam, cum qua fundatæ sunt; quæ quidem bona dicuntur *sufficientia* Cap. *Extirpandæ* in fin. de Præbend. ibi: *sufficiens assignatur* &c. *Congrua portio* in dicto Cap. *Extirpandæ §. final. & Congrua sustentatio* in Clement. 1. de iur. patron. & interdum dicitur *Portio competens* in Cap. 20. *de decimis in 6.* & in *Cap. 2. de suppl. neglig. Prælat. & in* Cap. *Beneficium*, de Regular *in 6.* & extensio non fit de casu, in quo viget maior ratio ad casum omissum, in quo viget minor ratio. Ita Honded. *Consil. 2. n. 26. volum. 1.*

18. Quibus accedit, Regij Consilij determinationem, & Ecclesiarum petitionem, præsupponere Monasteria & Collegia fundata; aliter enim, & in præiudiciali materia, qualis est præsens, derogatio scilicet priuilegiorum, vt notat Dom. Valenzuela Velasquez *Consil. 71. n. 48.* non verificatur asserere *Que han adquirido y adquieren.* argum. Textus in l. Quidam 14. ibi: *Vt non ante iuris ratio, quàm persona quærenda sit.* D. de iure Codicillor.

19. Ex eo enim quòd quis velit domum Religiosam fundare, non videtur iam Monasterium esse fundatum; sicut res destinata vt sit Sacra, non statim dicitur Sacra: Notat Baldus in *l. Si nondum* Cod. *de furt.* Aretinus *num. 1.* Alexand. in *l. Cætera, §. Sed si parauerit, num. 3. D. de legat. 1.* Idem tradit Iason *num. 21. vers. Pro ista decisione.* Felinus in *Cap. Cùm adeò, num 4.* Vnde Alexander in d. §. *Sed si parauerit, D. num. 3.* dixit quod dispositio legis loquentis de facto, non habet locum in destinato, & verba generalia legis, vel sententiæ, semper sunt accipienda in sensu naturali & propria significatione *l. 3. §. Hæc verba, D. de negot. gest.* vbi DD. communiter post Bartholum in *l. 1. §. Is qui nauem, D. de exercit. action. l. Non aliter, D. delegat. 3.* & vt benè Larrea in *Fiscali. allegat. 36. 16. Quamuis actus nullus redderetur, nisi verba impropriarentur, non recedendum ab eorum proprietate* ex Craueta, Puino, Menochio, Curs. Iunior, Mathesilao, Gozadino, Tiraquell. & pluribus alijs, quos ibi laudat.

20. Et prædicta maiori cum præcisione procedunt, quando assignationem pro Monasterio, aut Collegio fundandis licentia & approbatio Superioris secutura est.

Glossa in Cap. *Ne nimia*, verb. *Nouam Religionem*, de Religios. domib. ibi: *Nam nouum Collegium non potest constitui, inconsulto Principe.*

21. Et in Societate IESV plus aliquid desideratur, siquidem donatio & assignatio reddituum à Generali debet acceptari; & ita poterat effectum non habere fundatio: quo euentu numquàm destinatio habetur pro facto, vt pluribus relatis declarat Tiraquel. *post ll. connubial. glossa 2.n.26.*

22. Et quantum in fauorem huiusmodi fundationum conducit, debet promoueri: quia Collegium non fundatum, sed destinatum fundationi æquiparatur Posthumo, vt dixit Rota in *antiquiorib. Decis.1.de Testament.n.4.* Posthumus autem non habetur pro nato, quatenus ei nocet *l. Qui in vtero D. de Stat. homin.* Rota d. *n.* 4. & pluribus confirmat Quintilianus Mandos *in Tract. de ætate minor. Cap. 2. à num.* 42.

23. Nec nouum est debere distinctionem attendi fundatorum & non fundatorum Monasteriorum, ad recognoscendos Iuris effectus Cap. *Nunc autem 1.de Relig. domib.* ibi: *Antequàm fundaretur* &c. iuncta Glossa in positione casus. Lotherius de *re benefic. lib. 1. q.32. n.8.* Immò etiam si pro multis fuerit iam dos constituta, non sufficit vt verificetur iam Collegium esse fundatum, & nomen habeat vniuersitatis Rota *Decis.13. num.3. de Præbend. in antiquior.* Felinus in *Cap. Accedentes num. 2. de præscription.* Lotherius *q.14.n.56.* Monasteria enim & Collegia quid aliud sunt nisi loca, in quibus habitat multitudo Religiosorum, vt explicat Glossa in *l. Generali. verb. Monachio Cod. de Sacros. Eccles.* Sumendo Monachium pro Monasterio, vt interpretatur Mandosius *in regul. Cancellar.q.3.n.6.*

24. Conducit etiam quòd assignatio dotis debet necessariò præcedere Ecclesiam fundandam, sicut mulierem nubendam, vt dicit Paulus de citad. in iure patr. par. 3. §. *Secunda causa* nu. 5. & 6. Plura idem Lotherius vbi *suprà Cap. 31. à principio.*

25. Igitur si sententiæ Regij Indiarum Consilij, & Ecclesiarum postulatio, contra id, quod Religiones adquisierant & adquirunt, diriguntur, non est determinatio super dote, & congrua, quam prædia dicta constituunt, ex supradictis; quia sententia numquam est nisi iuxta allegata & probata l. *Illicitas*, §. *veritas D.* de offic. Præsid. Lessius *de iust. & iure lib.2. Cap.29.dub.10.n.34.* & ex pluribus Larrea in *Allegat. Fiscal. allegat.118.n.11.* in fine. & nihil allegatum & probatum est circa prædia dotalia, fundamentalia, & subrogata.

26. Quod præcipuè locum habet, quia si sententia prædia prædicta vellet comprehendere, facile fuisset exprimere *l. vnica §. Sin autem ad deficientis Cod. de caduc. tollend.* ibi: *Nam si contrarium volebat, nulla erat difficultas coniunctim disponere* Cap. *Ad audientiam*, de decimis. Plura Dacianus *lib.3.Cons.114.n.15.* & Cancer *Tomo 1. variar.Cap.20.de legatis ex n.377.*

27. Et ex non expressis per legitimam consequentiam elicitur noluisse Regium Consilium illa suis in sententijs comprehendere: nam vt notat Iacobus Cancer *Tom. 1.variar.Cap.23.n.34.* expressio aliquorum, ad quæ quis debet teneri, importat, vt quoad non expressa censeatur liber, *l. Quæsitum §. Respondit D.de fund. instr. legat. l. Cùm ita circa finem D. de condit. & demonstrat.* & docet ex Bartholo Paulus Castrensis, Neuizanus, Rolandus, & Menochius.

§. II.

28. SOcietatis IESV Collegia in hoc Regno fundata mediante donatione, legato, aut personarum deuotarum promissione.

29. Et in hoc casu præsuppositum semper planum extitit prædia dotalia & fundamentalia ad solutionem decimarum non teneri, quod ex *Decis.* 1380. Rotæ probatur apud Seraphinum, ad quam pro meliori huius materiæ intelligentia se refert Iacobus Cancer *in suis varijs Cap.23. n.3. in fin. Tomo 1.* Ait Rota prohibitionem eò respicere vt non emantur prædia, sed non vt ex alio titulo non habeantur ex multis, qui liciti esse possunt, vt ex legato, donatione, aut promissione ad fundationem Monasterij.

30. Verba illius valde expressa sunt, & ante illarum transcriptionem suppono Religiosos Præmonstratenses priuilegio Ioannis XXII. se tueri conatos fuisse; vt ex quodam prædio decimas non soluerent, quod emerant, exemptionem Cap. *Nuper* pariter allegantes: quod cùm illis fuisset denegatum, subdit Rota: *Neque etiam posse iuuari allegatione priuilegij Joannis XXII. quia in illo non continetur*

cotinetur expressè, quòd Fratres possent emere de nouo prædia potest Generale Concilium & ea habere exempta à solutione decimarum contra dispositionem Cap. Nuper, *de decimis. Neque illa verba priuilegij, quæ habent exemptionem à præstationibus decimarum, tam de possessionibus, & hereditatibus habitis antè & post Concilium, quàm de cetero habendis, & ab aliis siue ante, siue post Concilium acquisitis & acquirendis. apta sunt comprehendere acquisita mediante emptione post Concilium, contra expressam prohibitionem dicti Cap.* Nuper: *Sed intelligenda de acquisitis alio titulo licito, putà ex relicto pro fundatione Monasterij*: qui est titulus dotalis, & ita specialis argum. Textus in Cap. *Decretum* 10. *q.1. ibi: Cum dotibus suis.*

31. Et saltim in prædictis prædijs dotalibus intelligenda sunt verba Textus in Cap. *Nouum genus*, de decimis, ibi: *Non enim Leuitæ à Leuitis decimas accepisse leguntur.* Iuncta Glossa verb. *A Clericis*, ibi: *Hoc intellige de dote Ecclesiæ, de qua Clerici non debent dare decimas, sed de propriis & patrimonialibus.* Vnde Papa Gregorius in Cap. *Statuimus* sub titulo de decimis *in 1. Collect.* Antonij Augustini, *Statuimus*, inquit, *Monasteria ex suis prædijs nullo modo cogantur soluere decimas: quia si legitimæ dandæ sunt orphanis & peregrinis, indignum est vt ab eis exigantur, qui propter eum, cuius sunt decimæ, pauperes efficiuntur.*

32. His addendum Ecclesias dictis Collegijs Sacramenta non administrare, sicut neque Religionibus alijs & ita non debere decimas percipere ex ijs, quæ in sustentationem suorum Religiosorum conuertuntur, vt benè aduertit Suarez de *Religion. Tomo 1. lib. 2. Cap. 17. num.* 31. Layman *lib. 4. Tract. 4. Cap. 3. num. 3.* Couarrubias *variar. Cap. 17. num.* 8. Gutierrez *lib. 2. Canon. qq. Cap. 21. num.* 52. Azor Par. 1. *Instit. moral. lib. 7. Cap. 24. q. 5.* Reginaldus *in Praxi fori Pœnit. lib.19. num.88.*

33. Nec solùm non administrant Ecclesiæ Parœciales & earum Curati Sacramenta Collegijs Societatis IESV, quin potiùs eorum Religiosi indefessi sunt Ecclesiarum earumdem adiutores; ex quo verificatur quod asserit Duardus in *Commentar. ad Bullam Cœnæ lib. 2. Can. 18. q.2.* ibi: *Quod denique diximus de Ecclesiasticis, vt teneantur ad decimas, locum sibi vendicat, nisi Ecclesiæ seruiant, cui debentur: nam tunc à decimarum solutione pro dictis prædijs efficiuntur immunes, eo quòd dicantur Parochi adiutores.*

34. De spirituali conquista, & Indorum in Christianæ institutionis ac Euangelicæ doctrinæ conseruatione, adeò est benemerita Religio Societatis IESV hoc in regno, vt affirmari possit hac in parte maius pondus sustinere: digna ergo est mercede sua, iuxta Christi Domini sententiam Matth. & Lucæ 10. *Cap.* & Paul. 1. *Timot.* 5. & 1. Cor. 9. v. 13. *Nescitis quoniam qui in Sacrario operatur, quæ de Sacrario sunt, edunt? & qui altari deseruiunt, cum altari participant.*

35. Quomodò ergo Regij Consilij sententiæ decimas prædiorum dotalium, fundamentalium, & subrogatorum sua illa generalitate comprehenderent, quæ ad sustentationem dictorum Collegiorum, ac Religiosorum eorumdem data & donata sunt? Neque in suæ Maiestatis pietate (quem Deus diu seruet incolumem) neque in summa rectitudine Regionum Consiliariorum, quorum interuentu dicitur omnia habere in scrinio pectoris, vt animaduertit Dom. Hieronymus de Leon *in aureis Decision. Valent. decis.* 34. *num.* 35. ex Cap. 1. *de Constitut. in* 6. deficere vnquam poterit debita æstimatio seruitij à Societate IESV in hoc regno impensi, cui verba Zenonis conueniunt in *l. fin. Cod. de quadrien. præscript.* ibi: *Qui enim suis consilijs, suisque laboribus pro toto orbe terrarum die noctèque laborant, quare non habeant dignam sua prærogatiua fortunam?* & meliùs quoad spiritualia, verba illa Diui Bernardi: *Ciuitatem custodiunt isti Vigiles.*

36. Et firmiùs prædicta procedunt ex eo quòd hucusque non sint decimæ ex præfatis prædijs à Societate postulatæ, vnde iure possessionis gaudet, & consuetudinis sine contradictione Cap. *In aliquibus*, de decim. *lib.19. tit.20. part.1.* ibi: *Segun vsan de luengo tiempo acà &c.* Plura Gregorius Lopez in *l. 24. tit. 23. part. 3. glossa verb. De reparar. & l.8.17. & 19.* & præcipuè in *l.23. tit.20. part.1.* ibi: *Tali casu non debet percipere decimas illarum rerum, quæ non consueuerunt decimare, quia de his non videtur Papa cogitasse.*

§. III.

37. ESset quidem formare iudicium, & super iure litigare, quod Societas habet ad non soluendas decimas ex dictis prædijs, quod arduum est, & in difficili positum, quia continet iudicium proprietatis. Ita Dom. Valenzuela *Cons.* 71. *n.* 20. & notoriè excedere, quod in Executoria mandatur, quæ solùm ex acquisitis loquitur, & quæ acquiruntur à Religionibus, in quo non habet locum quod est datum pro earum fundatione.

38. Vnde efficitur articulum hunc ad proprietatem pertinere, si in Executoria esse comprehensa admittitur prædia dotalia, fundamentalia, & subrogata: quando quidem cùm in ea non exprimatur vt ex illis decimæ exigantur, si, vt soluantur præcipitur, petitorium determinatur iudicium, & de proprietate, super iure an debeantur, aut non à Religionibus decimæ ex dictis prædijs: quod equidem summè scrupulosum est, ex doctrina communi Textus in *Cap.* 1. & per totam 11. *q.* 1. Cap. *Ecclesia* de Constitut. Guido Pap. *Decis.* 1. Antonius Faber *in suo Codic. lib.* 3. *tit.* 12. *defi.* 12. *n* 15. Anastas. Germon. *de Sacror. immunit. Cap.* 19. *num.* 85. Anguianus *de legibus lib.* 2. *Controu.* 19. Castillus *de Tertijs Cap.* 12. *n.* 12. & 13. Suarez *in Defens. fid. Cathol. lib.* 4. *Cap.* 3. *n.* 20. qui omnes pro certo affirmant in hoc iudicio proprietatis propriè Reos esse Religiones.

39. Et saltim vt dubium suæ Maiestati in suo Regio Indiarum Consilio remittatur, faciunt *l.* 1. & *fin. Cod. de legibus*, vt interpretatio procedat vnde ius prodit. Cap. *Inter alias*, de sent. excommun. Cap. *Cùm venissent*, de iudicijs *l. Ex facto D. de vulgar. l. final. D. de constitut. Princip. Cap.* 1. & 2. *de confirmat. vtili & inutili l.* 2. *tit.* 1. *part.* 2. ibi: *Otro si poder, si fuesse oscuro, de lo esclarescer.* Melior Textu sit *l.* 27. *tit.* 18. *par.* 3. ibi: *Non lo debe Iuzgar ninguno, sino el mesmo.* Gutierrez *lib.* 3. *practic. q.* 28. *per totam.* Præterquàm quòd vt notat Baldus in Authent. Sed nouo iure. Cod. de *seru. fugit.* adeò priuatiuè id pertinet ad Superiorem, vt ex contrario resultet nullitas *l. fin. D. de iurisd. omn. iudic. l. Pupillus* 239. §. *penult. D. de verb. signif.* & cùm Executoria à Regio Indiarum Consilio dimanet, hic Regius Senatus merus est executor *l. Properandum* §. *Sin autem reus, Cod. de iudic. l. à Diuo Pio* §. *Sententiam Remæ D. de re iudicata.* Et cum fere infinitis Salgadus *de supplicat. ad Sanctissim.* 2. *p. c.* 29. *à num.* 2. & ita supersedere debet in determinatione eius, quod dubium est: actus enim facti vel faciendi non sunt tribuendi executori, sed mandanti *l. Quia D. de iurisd. l. Item eorum* §. *Decursiones D. Quod cuiusque vniuers. nom.* Rolandus *Cons.* 116. *num.* 1. ibi.: *Cuius ratio est, quia cùm auctoritate Superiorum hoc ipsi priores statuerunt, non ipsi fecisse videntur, sed ipsi, quorum auctoritate id factum est.*

40. Ex quo resultat, vt cùm dubium aliquod considerabile declarandum est, quale est præsentis articuli, debeat ad Superiorem remitti, vt inde proueniat quid exequendum sit.

41. Et de iure decimandi hoc loco agere quantùm ad dicta prædia, quod est iudicium proprietatis, cùm in Executoria non exprimatur, communis Doctorum sensus obsistit, qui aduertunt, etiam in possessorio cum magna debere circumspectione procedi. Videndi Anguianus *de legib. lib.* 2. *Controu.* 19. *per totam.* Castillus *de Tertijs Cap.* 19. *n.* 17. Menochius *Cons.* 268. *n.* 14. Nauarrus *in Cap. Cùm contingat. remed.* 1. *de rescriptis*, Moneta *de decimis Cap.* 8. *q* 1. *n.* 18.

42. Gregorius Lopez *l.* 17. *tit.* 4. *p.* 3. *glossa* 2. ibi: *& facit hoc ad quæstionem, quòd si Rex donet alicui partem aliquam decimarum, quæ Regi competunt ex priuilegio Papæ; quod si oriatur contentio super tali dono, & quæstio sit super iure decimarum, vel quota decimæ, quòd non possit cognosci in Curia Regis.*

43. Mirificè etiam facit ingens discrimen inter ius decimandi, & fructus, aut eorum commodum, vt tradunt Molina *de Hispanor. primog. lib.* 1. *Cap.* 20. *à n.* 11. Calder. *Cons.* 15. *tit. de foro compet.* Gutierrez, & alij, quos adducit Barbosa *in l. Titia.* 35. *num.* 46. *D. Solut. matrim.* quia ius decimandi est quid spirituale, secus autem fructus, seu facultas eos percipiendi: neque enim nouum est aliud esse ius, & aliud vtilitatem, quæ ex ipso iure percipitur *l. Si vsus fructus* 67. *D. de iure dotium l. vsu fructu* 58. *D. solut. matrim. l. Necessariò* §. *fin. D. de pericul. & commod. rei vend.*

44. Et licet omnes istæ doctrinæ eò tendere videantur, vt neque Regium Consilium de hac debuerit lite cognoscere, pro qua eius extat executoria, & ad illas responderi

sponderi possit mansisse deuictas in articulo declinatoriæ, quam sunt prosecutæ Religiones; ad rem tamen valde faciunt vt in hac Regia Cancellaria non agatur, neque controuersia instituatur super iure decimandi dictorum prædiorum: Nam si in Consilio res fuit adeò euentilata quæ ad forum attinet, & Executoria solùm transmittitur pro executione eius, quod est in lite deductum, semper Regio Consilio reseruatum mansit cuiuscumque dubij cognitio, quæ super iure decimandi possit suscitari. Nam vt bene Bartholus in *l.* 1. *arti.* 4. *n.* 99. & 209. *D. de iudic.* quamuis Princeps caussam aliquam committat, semper maiorem auctoritatem videtur apud se retinuisse. Alia etiam Surdus *Cons.* 56. *n.* 22. Videndus etiam Giurba *in Criminal. Cens.* 1. *n.* 35. *in fine.*

45. Quod vrgentius redditur ex eo quòd sua Maiestas in Regio Indiarum Consilio, facto ipso ad se cognitionem auocauit litis Ecclesiarum contra Religiones super decimandi obligatione; quod suprema Regalia vti fuit, ex his, quæ notat Calistus Ramirez *deleg. Reg.* §. 25. *n.* 19. ibi: *Aduocandi ad se omnes caussas, tam cæptas, quàm incipiendas facultas primordialiter Regi competeret ratione maioriæ; cui supremæ iurisdictioni nec consensus & prorogatio partium potest præiudicare.* Anton. de Butrio in *Cap. Significasti, de for. compet.* Belluga in *speculo Princip. Rubrica* 13. *n.* 9.

46. In quibus terminis nullum est & prohibitum, quidquid actuatum & resolutum à quocumque iudice, aut tribunali fuerit, inconsulto Principe Cap. *Vt nostrum* 56. de appellat. *Eam decernerent irritam & inanem.* Et ibi: *Cùm plus sit Romanum Pontificem ad se aliquod reuocare negotium, quàm quemquam ad eum super aliquo negotio prouocare.*

§. IV.

47. SEd in maiorem comprobationem iustificationis, quam in hoc articulo habet Societas, & quàm sit vrgens determinationem ad Regium Indiarum Consilium remittere, nihil circa pacificam possessionem non decimandi, in qua eius Collegia existunt, innouando, ad obiectionem transeo ex *Cap. Nuper* de decimis, qua pars aduersa conuellere satagit quidquid pro Societate dicitur & probatur.

48. Et casu dicti Capitis iuxta litteram & contextum explorato, clarè inde resultat non obstare, præsertim post Bullam Gregorij XIII. qui illud quatenus contrarium esse poterat, in fauorem Societatis reuocauit.

49. Habebant Cistercienses priuilegium vt decimas non soluerent ex prædijs, quæ proprijs manibus colerent, quod ipsi ad omnia etiam empta prorogabant. Quod cùm in præiudicium Ecclesiarum Parochialium cedere fuisset deprehensum, Abbas & Religiosi in vnum congregati decreuerunt, vt deinceps prædia, quæ decimalia essent, neutiquam emerentur, & priuilegium ad dotalia & fundamentalia limitarunt: vt constat ex littera, ibi: *Ne de cetero fratres ipsius Ordinis emant possessiones, de quibus decimæ debeantur Ecclesijs, nisi fortè pro Monasterijs nouiter fundandis.*

50. Decreuerunt item vt si eisdem donarentur, aut ipsi pro nouis fundandis Monasterijs prædia emerent, personis laicis traderentur administrationis aut locationis titulo, quæ decimas soluerent Ecclesijs.

52. Glossa verb. *Fortè* statuit priuilegio antiquo non esse in hac parte derogatum, quoties cum effectu noua fundantur Monasteria. Verba illius sunt: *& ita in casu isto obtinet adhuc priuilegium antiquum.* & in verb. *Committantur* consecutiuè addit finita Monasterij fundatione cessare decimarum solutionem, quas Coloni reddebant, ibi: *Interim antequàm ædificentur Ecclesiæ, vt illi coloni soluant decimas de illis terris.* Et comprobatur ex verbis Textus, ibi: *Ne occasione priuilegiorum suorum Ecclesiæ vlteriùs prægrauentur* &c. iuncto Hostiensi, qui ait esse verba statuti Cistercienssium, ibi: *Hæc verba, Ne occasione &c. Sunt de statuto Cistercienssi*, & verba Pontificis à verbo *Decernimus inchoari.*

52. Itaque quod dispositum est, vt interim dum fundarentur Monasteria, dicta prædia decimas soluant, propterea fuit vt numquàm intelligeretur occasione priuilegij pro nouiter fundandis Monasterijs, velle præiudicare Ecclesijs Paræcialibus, neque exemptione soluendi decimas se tueri, nisi post eorum fundationem.

53. Ait etiam Glossa *Idem esse, si ijdem colerent:* nec contraria sunt vt priuilegium reconualescat statim ac fundatum est Monasterium. & quòd interim aut coloni sæculares, aut Religiosi dicta colentes prædia ad nouam fundationem destinata, decimas soluant.

54. Ex quo habetur, determinationem Lateranensis Concilij non derogasse priuilegium pro nouiter fundandis Monasterijs, iuxta Glossæ intelligentiam; sed solùm decreuit quòd interim, siue suis manibus Religiosi prædia excolant, siue per colonos, soluant decimas.

55. Et est valde aduertendum, vt ita esse intelligatur, quòd cùm in dicto Cap. *Nuper* priuilegij mentio antecedat pro non soluendis decimis ex prædijs ad nouam fundationem Monasteriorum destinatis, quo limitatum est illud, quod Cistercienses habebant, & sublimitationis pro tempore, quo fundatio non consummatur; non exprimit Pontifex illud prius, nec prohibet; sed solummodò posterius extendit, vt obseruetur, siue prædia proprijs manibus, siue per alios excolant.

56. Ac proinde Glossæ intelligentiam sequendo, nec sublatum, nec derogatum in d. Cap. *Nuper* priuilegium prædiorum dotalium & fundamentalium, post fundatum cum effectu Monasterium; & solummodò est decretum vt de prædijs alijs post Concilium Lateranense acquisitis, ab anno scilicet 1213. & pro Monasterijs iam fundatis, decimæ soluerentur.

57. Et quòd auctoritas Glossæ faciat sententiam probabilem, & in opinionum diuersitate, illi debeat stari, certum est ex Iacobo de Butrio *in l. 1. Cod. Qui de sua iurisd.* Baldo *in l. Hereditas* Cod. *Depositi. & l. Precibus Cod. de Impuber. & alijs subscit. & in l fin. §. Necessitate in 3. Col. Cod. de bon. quæ liber.* vbi ait inhærendum esse Glossæ vt regulæ veritatis. Et latè Ioan. de Imola in Cap. *Cùm contingat, de iure iur.* Plura cumulat Andreas Siculus *in suo Cons.* 60. *Col.* 10. *num.* 2. Beroius *Consil.* 77. *num.* 22. *in fin. volum.* 1.

§. V.

58. SEd quidquid de hoc sit, & dato quod in dicto Cap. *Nuper* omnia sint priuilegia derogata pro exemptione, taliter vt quotquot prædia post dictum Generale Concilium empta sunt decimas soluere teneantur, negari nequit saltim prædia antecedentia pro nouiter fundandis Monasterijs priuilegium conseruasse, & illa prohibitionem Concilij minimè tetigisse, vt iam dixit Gutierrez *d. Consil.* 5. *num.* 17. *vers. Nam illis Textibus & n.* 18. *per totum.* Ex quo argumentum instruit pro prædijs subrogatis *n.* 19. ibi: *Procedentibus à dote fundamentali* &c. & ibi: *& hoc non negatur*, quia apertum est, sicque subrogatæ sunt in locum dictæ dotis &c. & *n.* 20. ibi: *Quia erat dos, qua fundatum sit dictum Monasterium.*

59. Vnde oritur vt medijs priuilegijs, quæ Societas obtinuit à Sanctit. Pij IV. Pij V. & Gregorij XIII. quæ laudat Gutierrez *dicto Cons.* 5. *& lib.* 2. *Canon. qq. Cap.* 21. *n.* 136. addens, *Vidi, & legi.* Leander in *quinque Præcepta Eccles. Tract.* 6. *Disput.* 6. *Quæst.* 50. *vers. Primò, quia multa sunt priuilegia.* & vers. *Cum reuocatione, Cap. Nuper*, exemptione decimarum fruitur, qua Cistercienses ante Concilium Generale Lateranense fruebantur, saltim quantùm ad prædia dotalia, fundamentalia, & subrogata.

60. In eodem Cap. *Nuper* indultum est vt quæcumque posset Religio restitui, aut virtute priuilegij consequi dictam exemptionem, ibi: *Nisi cum dictis Ecclesijs aliter duxerit componendum.* Quæ verba extenduntur ad priuilegia. Ita Hostiensis in d. Cap. *Nuper* ibi: *Subaudi, vel nisi antiquum renouetur per speciale priuilegium de nouo impetratum, sicut ijdem faciunt tota die* &c. Cap. *Statuto* 2. *§. Ceterùm*, de decim. *lib.* 6. ibi: Nisi super hoc speciali iure *vel priuilegio sint muniti.* Lessius *de Iust & Iure lib.* 2. *Cap.* 39. *dub.* 5. *n.* 24. ibi: *Priuilegio tamen eximi posse colligitur ex eodem Capite.* Reginald. *in praxi fori pœnitent. lib.* 18. *n.* 88. & Augustinus Barbosa in *Collect. an. ad dictum Cap. Nuper, verb. Decernimus*, ibi: *Nisi aliquo priuilegio, præscriptione, vel compositione sint exempta.*

61. Et in maiorem dictorum firmitudinem Sanctitas Gregorij XIII. expresse in fauorem Societatis dictum *Cap. Nuper* derogauit: ex quo habetur vt si in aliquo reperiatur contrarium, non possit obstare.

62. Et quod ad dictorum priuilegiorum adimpletionem præfata sufficiat derogatio, affirmant omnes. Ita Dom. Ioannes de Solorzano *lib.* 3. *de Indiarum gubernat. Cap.* 21. *n.* 25. Ioannes Ferret. *Consil.* 176. *n.* 14. Gutierrez *lib.* 2 *Canon. qq. Cap.* 22. Seraphin. *Decis.* 1380. Marquesa *de commiss.* 2. *p. in vlt. impression. pag.* 596. *n.* 1. *&* 2. Camillus Borrel. *in Summa Decision. par.* 1. *tit.* 19. *de decimis n.* 42. Posti. *in fine Tract.* 2. *de manutent. decis.* 157. *n.* 4. & post omnes Pellizarius in *Manuali Regular. Tomo* 2. *Tract.* 8.

Tract. 8. *Cap.* 17. *Sect.* 5. *n.* 170. Augustinus Barbosa *de iure Eccles. lib.* 3. *Cap.* 26. *§.* 3. *num.* 37.

63. Huc respexit l. 2. t. 19. part. 1. ibi: *Otro si los de las Ordenes sino fueren escusados por priuilegios del Papa* Cap. *A nobis*, iuncta Glossa Cap. *Ad Audientiam* Cap. *Ex parte* 10. Cap. *licet, de decimis.*

64. Nec nouum est à solutione decimarum eximi Ecclesiasticorum prædia, quibus illi sustentantur. Augustin. Barbosa *dicto lib.* 3. *Cap.* 26. *§.* 3. *n.* 9. ibi: *Sic sanè decimæ non sunt soluendæ Parocho ex prædijs eiusdem Ecclesiæ, ex quorum fructibus ipsi Clerici clericali iure viuunt.* Et hæc vocat prædia dotalia.

65. Glossa in Cap. *Nouum genus*, de decimis *verb. à Clericis*, ibi: *Hoc intellige de dote Ecclesiæ, de qua Clerici non debent dare decimas.* Et est doctrina D. Thomæ 2. 2. *q.* 87. *arti. vlt.* vbi docet Clericos teneri soluere decimas de patrimonio, sed non de prædijs Ecclesiæ, quæ vocat dotem. Rebuffus in *Tract. de decimis q.* 5. *n.* 6. constituens vt certissimum non solui decimas de dote Ecclesiæ per Textum in *Cap.* 2. *de decimis.*

66. Leander in *quinque Præcepta Eccles. Tract.* 6. *Disput.* 6. *q.* 5. ponderat Cap. *Ex parte* 10. de decimis, ibi: *& de hortis suis decimas non persoluant.* Et statuit non deberi decimas ex fructibus etiam, quæ vendunt, quia hoc est in ordine ad sustentationem præcisam Religiosorum. Et tamquàm planum constituit, vt reuera est, dictum Cap. *Ex parte* non esse derogatum per Cap. *Nuper*, & arguit ex Religionum exemptione, quam circa decimas habent ex animalibus, quæ nutriunt, ad alia, quæ similiter ad sustentationem Religiosorum pertinent.

67. Igitur, cùm prædia dotalia, fundamentalia, & subrogata suis cum fructibus, vsui cuiuscumque Collegij deseruiant, exemptionem participant, quæ exceptuata relicta est in dicto Cap. *Ex parte* 10.

§. VI.

68. CVm hic est in Regio Limano consessu ad vota consultiua propositus articulus, obiectum est sanctitatem Vrbani VIII. omnia priuilegia Religionum ad decimas spectantia reuocasse in Breui, quod est exhibitum (quamuis non lectum) sub *Data* 20. *Nouemb.* 1623. & recognito illo deprehendetur esse illud sententijs primæ & secundæ instantiæ contrarium, quia in illis Regium Consilium iubet vt Religiones decimas soluant cum omni vigore, vnum scilicet ex decem: & in dicto Breui disponitur, vt ex prædijs vsque ad annum prædictum acquisitis vnum soluatur ex viginti; & ex postea acquirendis vnum ex decem: & quòd ex hortis, & prædio vno, quod quatuor terræ fanecas non excedat in quolibet Collegio, decimæ nullæ soluantur.

69. Id quod est à Leone XI. Pontifice hac in parte dispositum, renouando, quod est postea à Gregorio XV. derogatum in Constitut. edita *die* 15. *Februarij an.* 1622. de quibus latè agit Augustinus Barbosa *de Iure Eccles. lib.* 3. *Cap.* 16. *§* 3. *à n.* 35. *vers. Patres Societatis.*

70. Itaque dictum Breue Vrbani VIII. non est ab Ecclesijs in hoc regno acceptatum, neque in Executoriali sententia iubetur executioni mandari, & ita clausulæ à sua decisione diuidendæ non sunt, & quasdam fauorabiles amplecti velle, relictis alijs, quæ recognoscuntur aduersæ Cap. *Cùm olim* 19. de censibus, ibi: *Quia tamen compositionem idem Abbas nullatenus approbauit, sed studuit multipliciter impugnare, ex ea non debuit beneficium consequi.*

71. Ex quo habetur priuilegia Societati IESV concessa suo in robore permanere, & expressàm derogationem Cap. *Nuper* à Gregorio XIII. emanatam. Et quod ita potuerit facere nequit dubitari: pro quo plura Diana *Parte* 6. *fol.* 320. *vers. Attamen.* Et Dom. D. Ioannes de Solorzano de Indiarum gubernat. lib. 1. Cap. 21. num. 2. & ante eos Couarrubias *Lib.* 1. *Cap.* 17. *num.* 9. & Gutierrez *Canon. qq. lib.* 2. *Cap.* 21.

§. VII.

72. REdarguitur ab aduersarijs in priuilegijs Societati IESV concessis, & præsertim in reuocationem Cap. *Nuper* continente, non fieri mentionem donationis decimarum S. Maiestati factæ à Sanctitate Alexandri VI. & quod debuit de

de ea mentio fieri, vt tale priuilegium subsisteret Cap. *Veniens* 19. *de præscriptionibus.*

73. Ad quod multipliciter & adæquatè respondetur.

74. Primò, quòd cùm decimæ redonatæ fuerint Ecclesijs, eas iam iure communi receperunt. argument. *l. fin. Cod. de inoffic. testam. l. Paulus, aliàs Per procuratorem D. de acquir. heredit.* ibi: *Quia Castrensia esse desierunt l. Cùm quis* 38. *D. de solut.* Nam mutatione personæ mutatur qualitas, & natura rei *Cap.* 1. *de iur. patron. in* 6. Plura congerit Dom. Valenzuela, Velasquez in terminis *Cons.* 71. *n.* 26. & Dom. D. Ioannes de Solorzano *lib* 3. *de Indiarum gubernat. Cap.* 12. *n* 63. ibi: *Communior tamen & securior opinio est, quòd vbi ex eorumdem Regum liberalitate Ecclesijs, vel Ecclesiasticis, redonantur, pristinam conditionem resumunt &c.* Rebuffus *de decimis q.* 10. *n.* 50. ibi: *Quia naturam receperunt primæuam, ad Ecclesiam reuertendo.* Facit Textus in Cap. *Nouerint*, Cap. *Sic quædam*, 11. *q.* 5. Cap. *Cùm contingat*, de decimis.

75. Vnde euincitur non fuisse necessarium Alexandri VI. donationis fieri mentionem in priuilegijs Societatis IESV, quia solùm præiudicabant Ecclesijs, & quod ad earum spectat præiudicium, cùm iam iure communi percipiebant decimas, mediante prædicta redonatione, necesse non est vt expresse derogetur iuri illarum. Ita Baptista Ferret. *Cons.* 102. *n.* 11. *& Cons.* 156. *n.* 7. *& Cons.* 258. *n.* 6. *& 7.* Noguerol. Alleg. 39. *n.* 29. ibi: *Nam eo ipso quòd conceditur alicui priuilegium, vt non teneatur soluere decimas, ipso facto apparet Papam voluisse præiudicare iuri communi, & non requiritur quòd expressè derogetur iuri illius, in cuius præiudicium priuilegium tendit, & notat Abbas per Textum* ibi *in Cap. Cùm olim, l.* 2. *de priuileg. &c.* Et pluribus alijs relatis Dom. Valenzuela Velasquez *Cons.* 71. *à n.* 23.

76. Et licet vti opposita resolutioni præsenti adducatur Decisio 1293. Seraphini, sit illi satis ex alia, quæ est 48. Farinacij in recentiorib. per totam, vbi ad ea, quæ pro Ecclesia Valentina sunt allegata, respondet, & concludit ibi: *Quia fuit responsum, quòd statim atque decimæ prædictæ fuerunt donatæ Archiepiscopo & Capitulo, desierunt esse ipsius Regis. Vnde Papa postmodùm concedendo exemptionem Fratribus, non dicitur in aliquo ledere ius Regis* &c. Rota ergo contrarium determinauit Seraphini decisioni.

77. Secundò, Redonationem S. Maiestatis Ecclesijs factam ad conditionem & grauamen implendum fuisse priuilegij ab Alex. VI. concessi, dotationem scilicet Ecclesiarum, quam in dicto priuilegio Pontifex ipse conseruauit, vtpotè quid debitum iure communi prædictis Ecclesijs.

78. Et ita nequit dici suam Maiestatem redonasse absolutè decimas Ecclesijs, cum proprietate loquendo, sed ad implendum grauamen, & ius, quod illis assistebat, tuitenim propria conditio, vt constat ex Bulla, ibi: *Assignata prius realiter & cum effectu* &c. Et ibi: *Dote sufficienti* &c. l. *Si statu libera, §. Si quis non dare, D. de condit. & demonstrat.*

79. Non ergo opus fuit vt in priuilegio Societati concesso mentio fieret dictæ Alexandri donationis, quandoquidem in ea ius commune mansit illæsum, quod Ecclesijs assistit, cuius posteà non fuit necessarium fieri mentionem, vt illis præiudicaretur Cap. *Dudum*, de priuileg. *in* 6. Nec obstat Textus in Cap. *Veniens* de præscript. quia intelligitur quando duo talia priuilegia generalia sunt; secus si prius generale fuit, & Societati concessum speciale, quod potuit limitare & diminuere generale; quod tractat mirificè Suarez *de legibus lib.* 8. *Cap.* 30. *n.* 6. *& 7.* & videndus Aluarus Valascus *Consil.* 72. *n.* 3.

80. Tertio, negatur in priuilegijs Societatis IESV desiderari mentionem eorum, quæ sunt Regibus concessa: nam Pius IV. in Bulla, quæ incipit, *Dilecti filij*, ait: *Eximimus & liberamus vniuersam Societatem à quibusuis decimis, etiam Papalibus, & etiam ad Imperatorum, Regum, Ducum, & aliorum Principum instantiam pro tempore impositis; etiam si in illarum impositione caueatur, quòd nulla prorsus exemptio cuiquam aduersus illa suffragetur: ita quòd Societas, eiusque Domus, Collegia, fructus, res, & bona præfata, semper absque declaratione desuper facienda, exempta sint, & esse censeantur.* Et maiorem vim habent illius verba, ibi: *Non obstantibus quibusuis Apostolicæ Cancellariæ regulis, præsertim illa de non tollendo iure quæsito.*

81. Quæ sunt Clausulæ valde efficaces, & denotantes plenitudinem potestatis, & ita eas extollit Mandosius *ad Regul.* 17. *Cancellar. n* 8. ex quibus semper deducitur quòd voluit Papa alijs præiudicare. Ita Gotus *Cons.* 94. *n.* 16 Cefador. *Decis.* 1. *de priuileg.* & in Bulla Pauli Tertij sunt aliæ clausulæ fortissimæ, ibi: *Vt non teneantur soluere*

soluere aliquam decimam & ibi: *Etiam Papalibus* &c. Et hæc omnia superfluunt in præsenti, quandoquidem ad præiudicandum Ecclesijs necessarium non fuit mentionem fieri priuilegij Dominis Regibus concessi ab Alex. VI. cum iure communi Ecclesiæ iam perciperent decimas eo tempore, quo Pontifices Societatem exemerunt.

§. VIII.

82. NEc obstat S. Maiestatem duos sibi Nouenos reseruasse, super quibus inter illam, & Religiones litigium hucusque non fuit in hoc regno, vt ex ipsa Executoria constat; & cum distincta iudicia sint, nouam exigunt petitionem.

83. Præterquam quòd lis cum Ecclesijs super iure decimandi extitit, & Nouenorum iudicium, decimatorum fructuum est, vt notat Castillus *de Tertijs, Cap.* 10. *num.* 7. ibi: *Sed ex omnibus fructibus, qui decimantur, duo tantùm Nouenì deducuntur* &c. Et satis est quod refert *Cap.* 30. & titulus litis, quæ cum Salmanticensi Collegio agitata est, in quo præcipua quæstio fuit, An, cùm decimas non solueret, posset ad solutionem Nouenorum condemnari? & decretum est posse: ex quo euidenter probatum manet lites esse distinctas, super iure decimandi, & super Tertijs, quas S. Maiestas percipit, litigare. Castillus *ibidem à num.* 1.

84. Et *n.* 5. ibi; Digo que se pudiera escusar esta disputa, ex quo el priuilegio de los Collegios tanto posterior, y la gracia y concesion de las Tercias tanto anterior, se inuicem compatiuntur, & simul stare possunt, nec vllo modo se impediunt: pues los Romanos Pontifices concedieron exencion de non soluendis decimis, perono de non soluendis Tertijs, quæ aliàs debitæ sunt &c. Ergo non benè infertur ex iure, quod sua Maiestas super Nouenis habet, ius super decimis Ecclesiarum. Etiam idem Castillus *ibidem num.* 52.

85. Insuper quantùm ad decimas prædiorum dotalium, fundamentalium, & subrogatorum est ius aliud præfatam elidens obiectionem, ex eo quòd notorium sit Societatem Collegia sua in hoc regno fundasse cùm licentia S. Maiestatis, quæ illam recusat concedere, nisi habita notitia congruæ, quam habeant ad necessarios sumptus pro diuino cultu, & Religiosorum sustentatione.

86. Ex quo vilum est non solùm tacitè, sed expressè in priuilegiorum exemptionem circa decimas consensisse respectu dictorum prædiorum. argum. *l.* 2. *D. de iurisd. omn. iud.* Cap. *Prætereà, de offic. deleg. l. Ad rem mobilem, §. Qui Procuratorem, D. de Procurat.* Surdus *Cons.* 347. *n.* 20. & in eadem licentia venit exemptio implicita non decimandi. argum. *Textus in l. penult. D. de vsuris.* Nam ad eum, qui licentiam concedit ad fundandam Ecclesiam pertinet examinare locum erectionis, dotis congruentiam, & futurum regimen. Calderinus *Cons. vlt. in* 1. *Col. vers. & ratio.* Rochus de Carte *de iure patronat. in verb. Pro eo, n.* 7. & debet intelligi dicta licentia præcedente qualitatem dotalium prædiorum approbari, quæ pro fundatione tribuuntur, & à tributo libera & exempta manent, vt mirificè probat Lotherius *de re benefic. lib.* 1. *q.* 21. *n.* 42. ex auctoritate Gutierrez, & Suarez.

87. Et cùm negari nequeat cum scientia & patientia, ac sine difficultate aliqua Regiorum Officialium in hoc regno exemptionem istam decurrisse quantùm ad prædia dotalia, fundamentalia, & subrogata, & quòd obseruantia priuilegiorum est melior illorum interpretatio, vt ex Baldo, Decio, Peregrino, Cumano, Mastrillo, & alijs probat Larrea in Allegat. fiscal. 58. n. 17. & quòd Societas in hoc regnum aduenerit, & in eo seruierit ac seruiat pro communi in spiritualibus vtilitate, sitque propriè ex Mendicantibus, & à suo fuerit exordio, vt Pius V. in Bulla declarauit, quæ 131. est in Bullario *par.* 2. negari pariter nequit; Religionibus alijs in hoc regno extantibus, nihil de suorum laborum glorioſa instantia denegato. Quibus adnectendæ æquitas & iustitia, quæ semper debent attendi, sicut inter se inseparabiles in bono iudice, iuxta Nouellam 2. *de nonelig. secund. nub. §. vlt.* ibi: *Æqualitatis enim & iustitiæ sumus amatores.* Aristotel. *lib.* 2. *Politicor. Cap.* 1. *& lib.* 5. *Ethicor. Cap.* 3. æqualitatem vocat *matrem iustitiæ*: vt in casu saltim dubio, & minimè in Executoria expresso, immò penitus omisso, ad S. Maiestatem in suo Regio Consilio determinatio remittatur.

88. Et cùm in eodem Regio Consilio Indiarum priuilegia Religionis Societatis visa & registrata fuerint, virtute quorum decimas non soluit, minor est ratio vt ab illo exercitio & vsu impediatur, cùm iam retineri non possint: iuxta ea, quæ notat Salgadus *de retent. Bullarum* 1. *p. cap.* 13. *à n.* 59. ex Henriquez *l.* 2. *de Pontific. clauib. Cap.* 16. §. 3. *Antonio* de Butrio, Abbate Imola, Barbat. & Seraphino, quos refert *n.* 60.

89. Et